BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XII
G
12
NAPOLI

XII
G
12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. Fr.

LEANDRI

DE SS. SACRAMENTO,

NAVARRI, OPPIDI DE VILLA-FRANCA,

ORDINIS DISCALCEATORUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS
Redemptionis Captivorum, olim in Complutenſi, & aliis Hiſpaniæ
Academiis Theologiæ Profeſſoris; poſtmodùm dicti Ordinis
Provincialis, & Definitoris Generalis; nunc verò totius ſuæ
Religionis Miniſtri Majoris, ac Generalis.

QUÆSTIONES MORALES THEOLOGICÆ,

DE IMPEDIMENTIS, SEU POENIS ECCLESIASTICIS,
Tam in Genere, quàm in Specie.

Cunctis Opus perutile, duplici Indice locupletatum, primo Tractatuum, Diſputationum, & Quæſtionum: Altero verò Sententiarum.

PARS QUINTA.

Cui ad calcem adjecta eſt Expoſitio Regulæ ejuſdem Ordinis.
EDITIO ULTIMA CÆTERIS EMENDATIOR.



LUGDUNI,
Ex Typographia JACOBI CANIER.

M. DC. LXXVIII.
CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. CLARISSIMO
ET SAPIENTISSIMO VIRO D.

JOSEPHO GONZALEZ,

IN AVLA PHILIPPI IV. CATHOLICI,

ET POTENTISSIMI HISPANIARVM MONARCHÆ à Supremis Caſtellæ, & Cameræ Conſiliis, à Conſilio præterea Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis, Regiæ Gazæ Præſidi olim Vigilantiſſimo, Præclaræ Diui Iacobi Militiæ Equiti Nobiliſſimo, oppidi Boaldillæ Dynaſtæ, &c.

FR. LEANDER A SANCTISSIMO SACRAMENTO Excalceatorum Sanctiſsimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Generalis Miniſter ſalutem, & fœlicitatem ſempiternam.

CVM nihil habeam, quæ omnibus innata eſt, & in animis quaſi inſculpta, gratitudine antiquius, hoc qualicumque Opere ad Te venio, Illuſtriſſime Princeps, magna beneficia quibus & nos, & noſtri Inſtituti homines (generoſas videlicet Excalceatorum copias ſub Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis præſtantiſſimis ſignis pro cœleſti illa patria, huius vitæ curſus dulciſſima meta quàm validiſſimè decertantes) aſſidua liberalitate cumulaſti, hodiéque cumulas, non grato ſolùm animo, ſed grata etiam memoria proſequuturus. Nam, vt Romanæ eloquentiæ Principis iiſdem verbis vtar, cùm omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, nihil eſt, quod malim, quàm me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt enim vna virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? Qui ſunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria benemerentes, niſi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam Deo immortali gratiam iuſtis honoribus, & memori mente perſolvunt? Quæ poteſt eſſe iucunditas vitæ, ſublatis amicitiis: quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Quis eſt noſtrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatióne in mente verſetur? Equidem nihil tam proprium hominis exiſtimo, quàm non mo-

dò beneficio, ſed etiam beneuolentiæ ſignificatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Quæ cùm ita ſe habeant, inhumanus prorſus, immanis, atque ferus ab omnibus iure meritò haberer, ſi Principi de nobis, déque noſtro Ordine tam indefeſſa benignitate benemerenti, quando parem gratiam referre non poſſum, at immortales certè, quod fas eſt, aut non agerem gratias, aut haberem. Quis grata ſaltem recordatione non proſequatur Principem, cui propè infinita erga nos beneficentia, niſi quando ceſſauit, ſi forte vel momento temporis id accidit, nullam ſanè moleſtiam aſpérſerit? Quis memória non colat ſempiterna Principem, qui non ſolùm apud nos perpetua, & ampliſſima beneficia collocauit, ſed firmiſſimum etiam de noſtra bonitate teſtimonium dixerit collocando? Non es ex his, Illuſtriſſime Dynaſta, qui temerè, & nullo adhibito conſilio beneficia profundunt: quæcúmque à liberalitatis tuæ pleniſſimo fonte pleniſſimè etiam manarunt (quid autem beneficij non manauit?) omnia ſummo iudicio, omnia ſumma prudentia, omnia denique ſummo cum delectu fluxere: quare quod præclarè collocatum non ſit, vel maligna obtrectatorum inuidia nullum ſanè beneficium inueniet. Te potiùs, quàm Theodoſium laudabat Pacatus, cum eius eximiam in bonos liberalitatem in hanc ſententiam commendauit. *Cum leuiter cognitos, ait, aut etiam ſemel viſos his honoribus ſimul ditas, quibus & amici poſſent eſſe contenti, nonne omnibus vus probare, amicum tibi eſſe, qui bonus ſit? Sibi humilitatem, & tenebras imputet iacens virtus, quæ non obtulit ſe probandam.* Quis tandem ſingulari amore, & beneuolentia non complectatur Principem, quem generoſus, idémque perpetuus benignitatis impetus, quò in nos ſua ſponte inclinat, atque propendet, non dominum, ſed chariſſimum totius Ordinis, quem fert in oculis, parentem longè oſtendit, & latè? Quid quod hilari vultu? quid quod liberè? quid quod vltrò, & gratuitò? quid quod promptè in nos, & celeriter tot, tantáque beneficia contuliſti? *Grates perſoluere dignas non opis eſt noſtræ.* Vir facilè præſtantiſſime, Deus *Tibi præmia digna ferat.*

Eadem præterea dulciſſima gratitudinis vis me in hac qualicumque Operis noſtri præfatione tuas in apertum laudes referre quaſi iure ſuo coëgit: præcipua enim gratia, quam Tibi pro tantis muneribus præſtare poſſum, ſi qua tanto viro præſtari poteſt, virtutum, atque ornamentorum, quibus abundè cumularis, laus eſt exiſtimanda: laus enim parit æmulationem: æmulatio virtutem: virtus æternam illam felicitatem, ad quam omnia viri probi vota, & cogitationes vſquè, & vſque collineant. Nullam profectò virtus aliam laborum, periculorúmque mercedem deſiderat præter hanc laudis, & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus? Et verò laude, vt ad virtutis ſummum perueniant, hominibus opus eſſe, nullus eſt omnino, quem fallat. *Nam ſi equorum curſus*, vt ait Caſſiodorus, *hominum clamoribus incitatur, & ſonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur: quantum inde homines ſtimulari poſſe credemus, quos ad laudis auiditatem natos ſingulariter inuenimus?* Verumenimverò in tanta rerum affluentia vndè prius incipiam, aut vnde potiſſimùm exordiar, ingenuè me fateor ignorare. Præterea cùm non poſſimus omnia complecti (eſſet enim opus multi temporis, magni laboris, & impenſæ) nonnulla ſaltem pro iniquo temporis ſpatio primoribus labris guſtemus, & extremis, vt dicunt, digitis attingamus neceſſe eſt. Ducat igitur agmen, quandoquidem alicunde incipiendum eſt, quæ in reliquas fortunæ dotes dominatur, quæque ceterarum ſolet eſſe origo virtutum, tui generis

ris glorioſa Nobilitas: quam dum cordi, quod vitæ initium eſt, atauæ propo- nunt Inſignia, alios ſolam nobilitatem, Te autem ipſum nobilitatis fontem condecorare non immeritò mihi perſuadeo. Accedit ad eximiæ tuæ claritatis ſingularem candorem, qui velut aquila generoſa Ingenuæ eiuſdem Sanctiſſimæ Inquiſitionis radios irretortis oculis intuetur, D. Iacobi ſtemmatis bis ſaturatus rubor: quæ

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariuſve lapis circumdatur auro,

ad Te quàm lætiſſimo honore afficiendum amico fœdere conſpirarunt.

Sed quoniam
Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco

& vt ingenioſè Iuuenalis:

Tota licèt veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus,

à tua Nobilitate, quæ à tam claro ſanguine genus trahit egregium, ad præclaras illas virtutes, quibus maioribus ita præluces, vt ſi priùs noti non fuerint, à Te acciperent initium memoriæ ſuæ, orationem meam tantiſper, animúmque conuertam. Qua in re ſi quidem à cæterarum duce prudentia ducendum eſt principium, quid ego dicam de præſtanti, & ſingulari animi tui iudicio, quo veteres illos Romanæ Reipublicæ Principes, ſuperiorem Africanum, Pompeiumque Magnum cum multo Hiſpanæ gentis honore longè, latéque ſuperaſti? Sic inter ceteros prudentiæ caput extuliſti, vt quod tamdiu floruerit Hiſpanorum Imperium, quod tamdiu aduerſariorum impetus hinc illinc erumpentes eluſerit, quod regiæ facultates tot immodicis ſumptibus, tot, tantiſque bellis ſatis ſupérque fuerint, Tibi magna ex parte referatur acceptum. Omnia regna, cunctæque nationes, Vir Ornatiſſime, vſque eò imperio proſpero gauiſæ ſunt, dum apud eas tua conſilia valuerunt. Homerus quidem, vir iudicio mirabili, cum boni, excellentiſque Principis ſpeciem proponit, aſſignat illi Conſiliarios maturitate graues, prudentia veteranos, negotiorum bene peritos, & notandis, quàm nouandis rebus exercitatiores. Neque putauit, humeris abſolutum eſſe poſſe Regem ſuum Agamemnonem, niſi haberet apud ſe honoratum Neſtorem, cuius vti conſilio poſſet pleno fidelitatis, & prudentiæ: ſine quo parum prodeſſe videbatur vel Achilles animoſus, vel clypeatus Aiax, vel ſagittator egregius Teucer, vel ſtrenuus Diomedes, vel inſignis ſceptro Menelaus, vel callidus, & dolo potens Vlyſſes. Et verò quid arma foris, niſi domi conſilium? Quis nauem dirigat ſine ferro, quod affricuit Siderites? Quis denique ſine mente, quam diuina afflauit, rempublicam vt par eſt, adminiſtret? O admirabile Philippi Quarti, Hiſpaniarum Regis, & præclarum iudicium! O Regem terque quaterque numeris omnibus abſolutum, qui cœleſti florentiſſimi Imperij, atque diuinæ moli, qui validiſſimis humeris ſuſtentaret, tantum Atlantem ſuppoſuiſti! O verè prudentiſſimum Phataonem, qui copiæ Hiſpaniarum, & inopiæ Ioſephum tam prouidum prouidiſti! Ioſephum, inquam, qui quanto remige nauis moderator, & quanto Dux eſt milite maior, mentis altæ conſilio, & ſolerti cura futuri, adminiſtros qui ſola manu, & vſu Regi dant operam, tanto ipſe reliquos antecedit. Prudens omitto in præſentiarum quæ fideli, & ſalutari tuo conſilio in ſpatioſo Philippi IV. dominatu vtiliter feciſti: omnia enim, & ſingula non dico amplificare, longiſſimum eſſet recenſere.

Verùm hæc de tua incomparabili prudentia ſatis ſit pro re nata libaſſe: ad ſa-

pientiam, quà ceteros memoriæ noſtræ homines non modico interuallo præcedis, iamdiu feſtinat oratio. Ad quam dum animi lumina conuerto, facere non poſſum, quin iterum exclamem: O mentem altam, & cœleſtis arcani conſortem! ô mentem auream, quam ab omni mortali concretione puram, humanúmque modum ſupergreſſam de communi Deo plus quàm vnus hauſiſti! Tu, ſiue trepidis reis egregiam fers opem, velut è diuiti vena eloquentiæ flumina mittis: ſiue de publicis rebus deliberas, ſeueram, grauem, & Republica dignam ſententiam, Deo cum hominibus applaudente, fauſtaque omnium admurmuratione pronuncias: ſiue Principis placita in vulgus emanant,

Claudian. 2. in Conſ. Manilij.

Oracula Regis
Eloquio creuere tuo, nec dignius vnquam
Maieſtas meminit ſeſe Romana loquutam.

Addis præterea non unius corporis ingenio, & eloquentiæ erga ius vtrumque incredibile ſtudium, ad quod ita dies, noctéſque incumbis, vt vniuerſarum legum maximâ copiâ capaciſſimo tuo pectore onerato, atque completo, Te Iuriſperitorum Eloquentiſſimum, & Eloquentium Iuriſperitiſſimum haud iniuriâ poſſimus compellare. Hoc tuum admirandum ingenium, vnum quidem pro centum, & improbiſſimum in literis laborem dum ſtupore plenus intueor, non dubito de Te dicere, quod de Plinio Martialis:

Totos das tetricæ dies Mineruæ,
Dum centum ſtudes auribus virorum:
Hoc, quod ſæcula, poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis.

Iam de tua animi in hominibus admittendis moderatione, ecquis, ILLVTRISSIME DOMINE, qui dignè ſatis eloquatur? Oblata eſt Tibi à Rege ampliſſimæ ſuæ gazæ ſuprema gubernatio: quam, quæ tua in rebus omnibus temperantia eſt, conſtantiſſimè diu recuſaſti. Quàm longa Regi cum modeſtia tua pugna! quàm ſerò vicit! quàm breuis, etſi tandem aliquando vicit, de victoria gloriatio! Breui quippe prudentiſſimi Regis gaudium, & triumphus à tua modeſtia ſuperatus eſt, quando ſupremum illum dignitatis gradum, ad quem tot irrequietis votis anhelant, ſumma totius Hiſpaniæ admiratione tam generoſè depoſuiſti. Hanc animi tui excelſam magnitudinem, qua dignitatis faſtigium infra Te ducis, non alto, crede mihi, ſilentio poſterorum obliuio delebit, nulla vnquam ætas ingratitudine immemori obſcurabit: ibit in ſæcula, fuiſſe virum, qui decretos ſibi ſupremos honores conſtantiſſimè recuſauerit, ſemel autem ſuſceptos maiori conſtantiâ depoſuerit. Vellem ingenij mei tenuitas, conſtitutíque ad dicendum temporis breuitas aliquid amplius pateretur: docerem pluribus, Te vnum illum diuinitus exiſtere, in quo virtutes ſimul omnes vigeant, quæ ſingulæ de omnibus prædicantur: eſſe videlicet Moderationis Delubrum, Domicilium Prudentiæ, Fortitudinis Arcem, Metropolim Iuſtitiæ, Humanitatis, & Manſuetudinis Sacrarium, & vno verbo virtutum omnium opulentiſſimum Theſaurum: ſic enim omnes adeptus es, vt alius vel vnam adipiſci plurimi quidem æſtimaret. His tot, tantiſque animi dotibus Philippi IV. mens alta permota, in Te vno magnificè, atque ſplendidè ornando, apparatiſſiméque inſtruendo ita otioſè moratur, vt veriùs de Te, quàm de Aſcanio poſſimus prædicare:

Omnis in Ioſepho Magni ſtat cura Philippi.

Habes iam, ILLVSTRISSIME DYNASTA, quæ me ad hoc qualecumque Opus

opus tibi conſecrandum impulerint, nempe gratitudinis candidæ dulciſſimus impetus: quam velut

Monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius
Non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Reliquum eſt, vt pacato, quo reliqua ſoles, atque ſereno vultu hoc pectoris munus accipias. Et quandoquidem animi tui ingenui eſt, cui multùm debeas, eidem plurimùm velle debere, vt pro menſura accepti beneficij creſcat gratiſſimæ, atque addictiſſimæ voluntatis affectus, mactè noua liberalitate erga noſtrum Ordinem, MAGNANIME PRINCEPS, ac nos, quos generoſis beneficiorum flammis ad tuum amorem accendiſti, plus, plúſque in dies, & horas ad maiorem beneuolentiam accenderis.

Dominationis tuæ

Humillimus cliens,

FR. LEANDER à Sanctiſſimo Sacramento.

APPRO

APPROBATIO RR. PP. FR. IOANNIS DE CONCEPTIONE, Diſcalceatorum ſanctiſſimæ Trinitatis in Collegio Complutenſi olim Lectoris, nunc Miniſtri: & Fr. Ioannis de SS. Trinitate, eiuſdem Collegij Primarij Theologiæ Profeſſoris.

EX Commiſſione noſtri Diffinitorij Generalis vidimus Quæſtiones Morales *de Irregularitate, & pœnis Eccleſiaſticis*, R. P. N. Fr. Leandri de Sanctiſſimo Sacramento, huius Collegij olim Primarij Theologiæ Profeſſoris, eiuſdem ſemel & iterum meritiſſimi Miniſtri, huius Prouinciæ Spiritus ſancti digniſſimi Præſulis, inſuper totius noſtræ Religionis Diffinitoris Generalis: vidimus, & legimus, & in lectione aperti ſunt oculi noſtri, & cognouimus Dominum non ſolùm mirabilem in Sanctis ſuis, ſed in Scriptoribus ſuis. Approbationes huius, & cæterorum noſtri Authoris Operum, non ſunt Doctorum Cenſuræ, ſed admirationes, & Panegyricæ Orationes. Nemo eſt qui legat, & non laudet: nemo qui Leandri noſtri nomen audiat, & non magnificet, vt meritò de illo decantare poſſimus illud D. Ambroſii *lib. 1. de Virgin.* poſt initium: *Nemo eſt laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones, qui Doctorem noſtrum prædicant dum loquuntur.* Sed quid in tanta Quæſtionum breuitate laudant? quid prædicant? quid eloquuntur? Auſcultare Eccleſiaſticum cap. 11. *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Quid eſt initium dulcoris? Doctiſſimus Emanuel Sà hîc, *Initium, id eſt principatus dulcoris.* Ergo in breuitate Pentateuchi noſtri ſapientiſſimi Scriptoris, qui vt apis argumentoſa deſeruit Eccleſiæ, laudabilis repetitur principatus dulcoris? Cuius dulcoris? Omnis. Habet equidem ſicut Manna, *Omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem, & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Sapient. 16. Eſt in hoc Opere ſuauitas in breuitate, dulcor in clariſſima methodo, delectamentum in abundantia Authorum, lætitia in fidelitate citationum, guſtus in acumine, ſapor in eruditione. Igitur pars iſta quinta videat lucem in omnium vtilitatem, vtpote tam conſona Fidei Catholicæ, & Canonibus ſacris. Sic optamus. In hoc Religioſiſſimo Collegio Complutenſi Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis, die octaua Septembris, anno Domini 1655.

Fr. Ioannes à Conceptione.

Fr. Ioannes de Sanctiſſima Trinitate.

FACVLTAS ORDINIS.

FRATER GASPAR à IESV, Maior ac Generalis Miniſter Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, de conſenſu noſtri Deſinitorij Generalis, vt quinta Pars Quæſtionum Moralium Theologicarum (in qua de pœnis Eccleſiaſticis tractat,) elaborata à P. Fr. Leandro de Sanctiſſimo Sacramento, noſtræ Sacræ Religionis Theologiæ Profeſſore, & à grauioribus, & doctioribus eiuſdem Ordinis Theologis recognita & approbata, Typis mandetur, tenore præſentium facultatem facimus. In quorum fidem has litteras manu noſtra, & ſigillo, ac Secretarij nomine ſubſcriptas dedimus. Madriti die octaua Nouembris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti.

FR. GASPAR à JESU, Miniſter Generalis.

De mandato R. P. N. Miniſtri Generalis,

Fr. Lvcas à Sanctiſſima Trinitate.

APPROBATIO.

EGo Fr. Antonius Carra, Doctor Theologus, & Conuentus Viennenſis Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Prior, hanc quintam Partem Quæſtionum Moralium *de Irregularitate, & pœnis Eccleſiaſticis*, Reuerendi admodum Patris Leandri de Sanctiſſimo Sacramento, &c. Breui ſtilo, mira arte, & doctrina elaboratam, Sanctorum Patrum teſtimoniis, grauiſſimorumque Authorum rationibus roboratam, Fidei doctrinæ conſonam, omnibus vtilem & maximè neceſſariam eſſe atteſtor: in quorum fidem hîc manu propria ſubſcripſi, Lugduni hac die 17. Septembris 1656.

Fr. Antonivs Carra, Doctor Theologus, & Conuentus Viennenſis Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Prior.

CONSENSVS PROCVRATORIS REGIS.

IVxta ſupplicem Iacobi Canier Typographi Lugdunenſis poſtulationem, vt ei liceret typis mandare librum inſcriptum, *R. P. Fr. Leandri de Sanctiſſimo Sacramento, &c. Quæſtiones Morales Theologicæ, &c.* attento quod Priuilegium Ioanni Couronneau ad viginti annos conceſſum vltimâ Iulij 1656. exſpirarit: viſo dicto Priuilegio,

Pro Rege conſentio Licentiæ à dicto Iacobo Canier requiſitæ, conceſſis ei inhibitionibus conſuetis ad trienniom duraturis. Lugduni 30. Auguſti 1677.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta Concluſiones Procuratoris Regij. Lugduni anno & die ſupradictis.

DE SEVE.

INDE

Digitized by Google

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Quæſtionum, earúmque Reſolutionum, quæ in hac quinta Parte continentur.

TRACTATVS I.

De Irregularitate in communi.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura, & quidditate Irregularitatis.

QVÆST. I. VNde-nam irregularitas dicatur. pag. 1.
R. *Quod ab i, quod eſt ſine, & à regula.* ibid.
2 Quid ſit irregularitas. ibid.
R. *Quod eſt impedimentum Eccleſiaſticum, Iure Canonico introductum, ex ſe & directè impediens perceptionem Ordinum, & indirectè, & conſequenter eorum vſum.* ibid.
3 Quotuplex ſit irregularitas. ibid.
R. *Quod multiplex.* Videatur. ibid.
4 An aliqua irregularitas ſit iure diuino introducta. pag. 2.
R. *Tanquam certum: Quod non, ſed omnis eſt iure humano.* ibid.
5 An irregularitas incurratur aliquando in caſu à iure non expreſſo. ibid.
R. *Vt longè probabilius, quod non.* ibid.
6 An omnis irregularitas ſit à Iure, nulla ab homine. ibid.
R. *Tanquam certum: Omnem eſſe à Iure.* ibid.
7 An ad incurrendam irregularitatem ex delicto ortam, requiratur peccatum mortale. ibid.
R. *Vt longè multo probabilius, requiri.* ibid.
8 An ſaltem Papa poſſit imponere irregularitatem abſolutè pro culpa veniali. p. 3.
R. *Probabilius eſſe, quod non.* ibid.
9 An irregularitas quæ oritur ex delicto, incurratur per delictum internum, v.g. ob intentionem recipiendi Ordines in excommunicatione, aut occidendi aliquem, &c. ibid.
R. *Vt longè multo verius: Quod non incurratur.* ibid.
10 An irregularitas, quæ oritur ex delicto, incurratur ſaltem per delictum, aut actum occultum per accidens, ita vt probari non poſſit. ibid.
R. *Vt certum, incurri.* ibid.
11 An ad incurrendam irregularitatem requiratur, vt actus per quem incurritur, ſit non ſolum exterior, ſed etiam completus, & conſummatus. ibid.

R. *Requiri.* ibid.
12 An ſaltem incurrat irregularitatem ille, qui dum tentauit occidere aliquem, vulnera de ſe lethalia infligit, tamen diligenti, aut miraculoſa curatione mors non eſt illi ſequuta. p. 4
R. *Vt longè multo probabilius: Nec illum irregularitatem incurrere.* ibid.
13 An ad incurrendam irregularitatem ex delicto prouenientem, debeat interuenire dolus, ſeu contemptus legis. ibid.
R. *Non debere.* ibid.
14 An irregularitates introductæ ſine Iure expreſſo per conſenſum Doctorum, vim habeant. ibid.
R. *Vt ferè certum: Quod non.* ibid.
15 An incurratur irregularitas quando non eſt certum, ſed ſolum dubium, quod in iure ob tale factum irregularitas impoſita ſit. ibid.
R. *Probabilius: Non incurri.* p. 5.
16 An in dubio facti homicidij, hoc eſt, an quando quis dubitat, an homicidium perpetrauerit ſua actione, conſilio, vel fauore, tunc tam in foro interno, quàm externo iudicari debeat irregularis. ibid.
R. *Vt ferè certum, Iudicari debere.* ibid.
17 An etiam iudicandus ſit irregularis, qui vtrum mutilauerit, dubius eſt, animique anceps. ibid.
R. *Probabilius: Non eſſe iudicandum.* ibid.
18 An non ſolum quando quis dubitat de facto homicidij, ſed etiam quando dubitat de facto aliorum delictorum, quibus adiuncta eſt irregularitas, ſe debeat in vtroque foro gerere pro irregulari. ibid.
R. *Probabilius eſt: Quod non.* p. 6.

DISPVTATIO II.

De cauſis Efficienti, Materiali, Formali, & Finali irregularitatis.

QVÆST. I. AN ſolus Summus Pontifex, aut Concilium generale poſſint indicere irregularitatem. p. 6.
R. *Vt ferè certum: Solùm.* ibid.
2 An ſubiectum in quod cadat irregularitas, debeat

beat neceſſariò eſſe vir. ibid.
R. Vt certum: Debere. ibid.
3. An vir non baptizatus, ſit ſubiectum capax irregularitatis. ibid.
R. Vt certum: Quod non. p.7.
4 An irregularitas incurratur ab impubere. ibid.
R. Vt certum: Incurri. ibid.
5 An Summus Pontifex ſit capax irregularitatis contrahendæ. ibid.
R. Tanquam certum: Quod non. ibid.
6 An Epiſcopi ligentur irregularitatibus iure expreſſis, ſi ipſorum expreſſa mentio non fiat. ibid.
R. Vt ferè certum: Ligari. ibid.
7 An homo irregularis ſit capax alterius irregularitatis. ibid.
R. Eſſe. ibid.
8 An ad inducendam irregularitatem requirantur aliqua verba. ibid.
R. Requiri. ibid.
9 An verba, quibus in Iure inducitur irregularitas, debeant eſſe clarè, & expreſsè ſignificantia priuationem ipſo facto, ſuſcipiendi Ordines, & adminiſtrandi in ſuſceptis. ibid.
R. Affirmatiuè. ibid.
10 An vt irregularitas incurratur, expectari debeat ſententia declaratoria Iudicis. p.8
R. Vt certum: Non debere expectari, abſolutè loquendo. ibid.
11 Quæ ſit cauſa finalis, quam Eccleſia habet in imponenda irregularitatis pœna. ibid.
R. Quod reuerentia ſtatus Sacerdotalis. ibid.

DISPVTATIO III.

De effectibus irregularitatis. ibid.

QVÆST. I. AN primarius effectus irregularitatis ſit priuatio ſuſcipiendi Ordines licitè. ibid.
R. Quod ſic. ibid.
2. An irregularitas non ſolùm reddat Ordinis ſuſceptionem illicitam, ſed etiam inualidam. ibid.
R. Vt certum: Quod ſolùm illicitam. ibid.
3. An irregularitas priuet etiam receptione licita primæ tonſuræ. ibid.
R. Probabilius longè: Quod ſic. p.9.
4 An irregularitas etiam reddat inualidam ſuſceptionem primæ tonſuræ. ibid.
R. Quod non. ibid.
5 An irregularitas ſuperueniens Ordinato priuet vſu Ordinis ſuſcepti. ibid.
R. Priuare. ibid.
6. An irregularitas prohibeat exercere quemcunque iuriſdictionis actum, aut ſacrum: vt audire Sacrum, baptizare abſque ſolemnitate, &c. ibid.
R. Quod non. ibid.
7. An irregularis ſit capax recipiendi omnia Sacramenta, præter Ordinem, & quæ ab eo pendent. ibid.
R. Vt certum: Eſſe capacem. ibid.
8. An irregularis peccet mortaliter excipiendo Confeſſiones. ibid.
R. Peccare mort. ſi ſit denuntiatus, &c. ibid.
9 An ſaldem validè abſoluat irregularis non denunciatus, & toleratus. ibid.
R. Vt certum: Validè abſoluere. p.10.
10. An etiam validæ ac ratæ ſint Confeſſiones, quas Confeſſarius nominatim irregularis promulgatus excipit. ibid.
R. Eſſe validas, ſi pœnitens inuincibili ignorantia ex publico errore procedente accedat: ſecus ſi ex errore priuato. ibid.
11 An collatio beneficij facta irregulari abſolutè ſit licita. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
12 An collatio beneficij facta irregulari abſolutè, non ſolùm ſit illicita, ſed etiam inualida ipſo iure, ante quamcunque Iudicis ſententiam. ibid.
R. Probabilius: Affirmatiuè. ibid.
13 An irregularitas priuet ipſo iure, & facto beneficiarium beneficio, vel penſione ante irregularitatem obtenta. p.11
R. Vt ferè certum: Non priuare ante ſententiam declaratoriam Iudicis. ibid.
14 An irregularitas ſuperueniens beneficiario, priuet ipſum fructibus beneficij. ibid.
R. Vt certum: quod non, ſi munera beneficij exercuerit, vel exerceat. ibid.
15 An item poſſit percipere fructus beneficij, quà exiſtens irregularis beneficium recipit. ibid.
R. Probabilius: Quod non. ibid.
16. An Beneficiarius incidens in irregularitatem teneatur ſtatim dimittere in foro conſcientiæ beneficium, & in manibus Superioris reſignare. ibid.
R. Probabilius: Non teneri dimittere ante ſententiam Iudicis, ſi non ſit in mora petendi diſpenſationem, & interim muneri beneficij ſatisfaciat. p.12.
17 An Clericus irregularis, ob homicidium voluntarium patratum priuandus ſit beneficio, & penſione obtentis. ibid.
R. Vt certum: Priuandum eſſe neceſſariò beneficio, non verò penſione neceſſariò. ibid.
18 An irregularis ex delicto, ſi nolit, vel non poſſit impetrare diſpenſationem, poſſit renunciare beneficium in fauorem tertij. ibid.
R. Vt certum: Poſſe. ibid.
19. An etiam caſu, quo durante accuſatione irregularitatis, impetret quis beneficium irregularis, ſi fortè per ſententiam illo priuetur, poſſit nihilominus irregularis conſcius huius impetrationis antequam condemnetur, beneficio abſolutè renunciare. ibid.
R. Probabilius: Adhuc poſſe. ibid.
20 An irregularitas reddat inhabilem ad Dignitatem, & Prælaturam Regularem. ibid.
R. Affirmatiuè. ibid.
21. An irregularis ſit omnino incapax acquirendi de nouo iuriſdictionem fori contentioſi annexam alicui Dignitati, aut beneficio. ibid.
R. Probabilius: Eſſe omninò incapacem. p.13
22 An ſaltem irregularis ſit capax acquirendi de nouo iuriſdictionem, ſi hæc non poſtulat in eo, cui confertur, Dignitatem, aut beneficium. ibid.
R. Quod ſic. ibid.
23 An Parochus irregularis poſſit, etiam licitè, aſſiſtere Sacramento Matrimonij. ibid.
R. Vt certum: Poſſe. ibid.

DISPVTATIO IV.

De cauſis excuſantibus ab Irregularitate incurrenda. p.13.

QVÆST. I. AN ob paruitatem materiæ excuſetur quis ab irregularitate incurrenda. ibid.

R. Vt

Quæſtionum, & Reſolutionum.

R. Vt longè multò probabilius : Excuſari. ibid.

2 An ignorantia craſſa, aut vincibilis iuris, aut facti, delicti, cui annexa eſt irregularitas, excuſet quem ab incurſione irregularitatis. ibid.

R. Vt certum : Non excuſare. ibid.

3 An ignorantia inuincibilis iuris, aut facti, ob cuius violationem irregularitas fertur, excuſet quem ab irregularitatis incurſione. ibid.

R. Vt certum : Excuſare. ibid.

4 An incurrat quis irregularitatem latam ob delictum, etiam iure naturali prohibitum, vt ob mutilationem, aut homicidium, caſu quo inuincibiliter ignoret tale delictum eſſe lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum. p.14

R. Probabilius : Non incurrere. ibid.

5 An item non incurrat irregularitatem, qui licèt ſciat aliquod delictum lege Eccleſiaſtica eſſe prohibitum, ignorat tamen inuincibilites, tali delicto irregularitatem annexam eſſe. ibid.

R. Probabilius : Nec hanc incurrere. ibid.

6 An ſi quis occidat aliquem ignorans inuincibiliter, homicidio eſſe impoſitam pœnam irregularitatis, illam incurrat. p.15

R. Æquè probabiliter : Non incurrere. ibid.

7 An defectus plenæ aduertentiæ, ſeu conſiderationis iuris, aut facti, ob cuius violationem fertur irregularitas, excuſet ab incurſione irregularitatis. ibid.

R. Excuſare. ibid.

8 An item metu mortis, aut infamiæ, aut alterius grauis nocumenti, excuſet ab irregularitate, quæ propter culpam incurritur. ibid.

R. Etiam excuſare. ibid.

9 An dubium iuris aut facti excuſet ab irregularitate contrahenda. ibid.

R. Excuſare. ibid.

10 An etiam excuſet ab irregularitate contrahenda opinio probabilis Doctorum aſſerentium non contineri eam in iure, caſu quo ſint alij Doctores probabiliter opinantes contineri. ibid.

R. Etiam excuſare. ibid.

TRACTATVS II.

De Irregularitate in particulari,

DISPVTATIO PRIMA.

De Irregularitate proueniente ex defectu animæ. ibid.

QVÆST. I. AN defectus ſcientiæ faciat hominem irregularem, ita vt nec Ordinari, nec in ſuſcepto Ordine miniſtrare poſſit. p.16

R. Facere, ſi defectus ſcientiæ ſit maximus, &c. ibid.

2 An hæc irregularitas orta ex defectu ſcientiæ, tollatur per ſcientiam aduenientem, aut per diſpenſationem. ibid.

R. Vt certum : Per vtrumque tolli. ibid.

3 An irregularitas proueniens ex defectu ſcientiæ ſit diſpenſabilis a Papa, &c. ibid.

R. Poſſe, cum aliquibus conditionibus, &c. ibid.

4 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt Ordinetur ille, qui linguam Latinam parum callet, ſi tamen bonæ ſit indolis, & de eo habeatur ſpes, quod poſtea addiſcet opportunè. p.17

R. Probabilius : Poſſe in hoc caſu. ibid.

5 An poſſit diſpenſare Epiſcopus, vt in ſuſceptis Ordinibus adminiſtret ille, qui ignarus litterarum eas recepit. ibid.

R. Poſſe, dummodo Ordinatus non ſit omnino ignarus. ibid.

6 An amentia perpetua conſtituat irregularem. ibid.

R. Vt certum : Quod ſic. ibid.

7 An etiam maneat irregularis ille, qui habet lucida interualla. ibid.

R. Vt certum : Etiam manere quantum ad Ordinum ſuſceptionem. ibid.

8 An furioſi perpetuò, aut lunatici, irregulares ſint. ibid.

R. Vt certum : Eſſe. ibid.

9 An etiam maneat perpetuò irregularis, qui ſemel tantum incidit in furiam, vel amentiam. ibid.

R. Manere in ordine ad Ordinum receptionem. ibid.

10 An furia, vel amentia ſuperueniens Clerico iam Ordinato, reddat etiam irregularem illum quoad vſum Ordinis ſuſcepti. ibid.

R. Reddere illum irregularem, quandiu talis defectus illi inſit, &c. ibid.

11 An irregularitate contracta ab eo, qui ſemel in furiam, aut amentiam incidit, & ſanitatem recuperauit, poſſit Epiſcopus diſpenſare, aut declarare aptum eſſe, non ſolùm ad vtendum Ordinibus ſuſceptis, ſed etiam ad alios ſuſcipiendos. p.18

R. Probabilius : Poſſe diſpenſare, vt Ordinibus ſuſceptis vtatur, non vt ad alios aſcendat. ibid.

12 An etiam arceantur à ſuſceptione Ordinum, qui ob febris magnitudinem, aut ob vehementem paſſionem iræ, aut amoris, aut denique ob ebrietatem verſi ſunt in furorem, aut amentiam ad horam, aut aliud breue tempus. ibid.

R. Vt certum : Quod non arceantur. ibid.

13 An Dæmoniacus, aut Energumenus (qui dicitur ille, quem ſpiritus malignus corporaliter vexat) ſit omninò irregularis. ibid.

R. Vt certum : Eſſe omnino irregularem, caſu ſaltem, quo actualiter ſit à Dæmone vexatus. ibid.

14 An etiam ſit omnino irregularis quoad ſuſceptionem altioris Ordinis Dæmoniacus, aut Energumenus, cuius corpus ſolùm ſemel, aut iterum fuit obſeſſum, ac vexatum, ſed miſericordia Dei iam eſt omnino à tali vexatione liber. ibid.

R. Vt longè multò probabilius : Eſſe omnino irregularem. ibid.

15 An ſaltem qui omnino eſt iam liber à vexatione Dæmonis, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines Minores promoueri. p.19

R. Probabilius : Non poſſe. ibid.

16 An Dæmoniaci, quorum corpora aliquando fuerunt obſeſſa, poſſint in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſi omnino à tali vexatione liberi exiſtant. ibid.

R. Probabilius : Poſſe ex diſpenſatione Epiſcopi. ibid.

17 An non ſolùm Dæmoniaci, ſed etiam illi, qui ſe tales ſimularunt, irregulares ſint. ibid.

R. Affirmatiuè. ibid.

18 An Maleficiatus ſit omnino irregularis. ibid.

R. Non eſſe, ſi maleficiatus ſit ſolùm in partibus ad vſum Matrimonij deſeruientibus : ſecus ſi in aliis. ibid.

19 An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex defectibus animæ ſuprà enumeratis. p.10

R. Quod ſolus. ibid.

DISPVTATIO II.

De Irregularitate ex defectu corporis prouenien te. p.20

QVÆST. 1. AN defectus corporalis, ſeu vitium corporis inducat irregularitatem. p.20
R. Vt certum: Inducere. ibid.
2 An omne vitiū corporis inducat irregularitatē. ib.
R. Quod non. ibid.
3 An omnino cæcus ſit irregularis omnino. ibid.
R. Vt certum: eſſe. ibid.
4 An etiam ſit irregularis cæcus, qui (licèt nihil videat) habet oculos integros, & claros. ibid.
R. Vt certum: Etiam eſſe irregularem. ibid.
5 An adhuc ſit irregularis Sacerdos, cui iam Sacerdotio initiato ſuperuenit cæcitas. ibid.
R. Tanquam certum: Adhuc eſſe irregularem, ad minus quoad celebrationem Miſſarum. ibid.
6 An ſaltem ex diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam. ibid.
R. Poſſe. ibid.
7 An Monoculus, ſeu qui vnum tantum habet oculum ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: quod ſic. ibid.
8 An etiam ſit irregularis, qui habens vtrumque oculum integrum, caret viſu oculi dextri. ibid.
R. Vt certum: quod non. p.21
9 An ſaltem ſit irregularis, qui ſiniſtro oculo (qui dicitur *oculus Canonis*) non videt. ibid.
R. Probabilius, quod non, ſi dextro rectè videat. ibid.
10 An ſit irregularis, qui nubem aliquam, vel maculam habet in oculo. ibid.
R. Eſſe, ſi nubes, aut macula cauſet magnam deformitatem. ibid.
11 An ſint irregulares lippi, hoc eſt, qui lachrymantes oculos continuò habent. ibid.
R. Quod non, niſi horrorem notabilem aſpicientibus afferant. ibid.
12 An habens oculos ſine palpebris, ſit irregularis. ibid.
R. Non eſſe, niſi aliàs magnum horrorem inſpicientibus cauſet. ibid.
13 An ſit irregularis qui habet vnum oculum grandiorem altero. p.22
R. Eſſe, ſi magnam generet deformitatem: ſecus aliàs. ibid.
14 An ſit irregularis, qui luſcus eſt, vel ſtrabo, id eſt, qui habet oculos diſtortos, aut diſpares. ibid.
R. Eſſe, ſi nimis oculos diſtortos habeat, &c. ibid.
15 An omnino ſurdus ſit irregularis. ibid.
R. Vt mihi certum: Eſſe. ibid.
16 An etiam ſit irregularis Surdaſter, hoc eſt, qui difficulter audit, aut vna aure tantum ſurdus eſt. ibid.
R. vt mihi certum: Non eſſe. ibid.
17 An ſi poſt Sacerdotium obtentum ſurdus quis fiat, poſſit exercere munia Sacerdotis. ibid.
R. Poſſe exercere omnia munia ad quæ auditus non eſt neceſſarius. ibid.
18 An carens articulis, hoc eſt, extrema illa cartilagine, quæ capiti adhæret, ſit irregularis. ibid.
R. Vt multò probabilius: Eſſe. ibid.
19 An carens dictis auriculis ſit adhuc irregularis, caſu quo poſſit talem deformitatem crinibus ita tegere, vt non appareat. p.23
R. Probabilius: Tunc non eſſe irregularem. ibid.
20 An maneat irregularis, qui in pœnam culpæ priuatus fuit auricula. ibid.
R. Multò probabilius: Manere propter infamiam. ib.
21 An qui per ſeipſum auriculam totam, vel partem amputauit, etiam ſit irregularis. ibid.
R. Etiam eſſe irregularem. ibid.
22 An item ſit irregularis ille, cui per vim, aut inimicorum inſidias, præciſæ ſunt auriculæ. ibid.
R. Non eſſe. ibid.
23 An qui alterum auricula priuat, fiat irregularis. ibid.
R. Probabilius: Quod non. ibid.
24 An Mutus à natiuitate, vel aliquo caſu factus ſit omnino irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe omnino. ibid.
25 An Balbi (è numero quorū erat Demoſthenes) aut Blæſi (vt Moiſes erat) ſint irregulares. p.24
R. Non eſſe, niſi caſu, quo vix verba explicare poſſint. ibid.
26 An ille ſit irregularis, cui pars linguæ amputata eſt, tamen habet loquelam. ibid.
R. Non eſſe, niſi aliàs loquela excitet notabilem riſum, abominationem, &c. ibid.
27 An habens labia corroſa penitus, vel abciſſa, ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
28 An habens os diſtortum, ſit irregularis. ibid.
R. Eſſe, ſi valde illud diſtortum habeat. ibid.
29 An carens omnino dentibus, ſit irregularis. ib.
R. Quod non. ibid.
30 An prominentia dentium extra os, irregularitatem inducat. ibid.
R. Inducere. ibid.
31 An maneat irregularis, qui ſibi furore iracundiæ dentes extraxit. ibid.
R. Manere, ſi cum notoria culpa id fecerit. ibid.
32 An qui pugno euulſit dentes alterius, ſit irregularis. p.25
R. Probabilius: Non eſſe. ibid.
33 An ille, qui naturaliter (aut aliàs) caret omninò, vel ex parte, naſo, ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
34 An etiam ſit irregularis, qui naſum habet nimis paruum, aut magnum nimis, vel diſtortum. ibid.
R. Eſſe, ſi ex huiuſmodi defectibus magna conſurgat deformitas. ibid.
35 An qui caret odoratus ſenſu, ſit irregularis. ib.
R. Vt certum: quod non. ibid.
36 An Abſtemius (id eſt, qui guſtare vinum nequit abſque periculo vomitus) ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
37 An Pontifex poſſit cum Abſtemio diſpenſare, vt ad Sacerdotium promoueatur. ibid.
R. Probabilius: Non poſſe. ibid.
38 An habens cicatrices in facie, ſit irregularis. ib.
R. Vt certum: Eſſe, ſi tales pariant notabilem deformitatem. ibid.
39 An color Æthiopis, aut Mauri, faciat irregularem. ibid.
R. Facere apud gentes candidas; non apud nigras. ibid.
40 An qui gibbum (Hiſpanè, *Lomanillo*) habet in facie, ſeu in collo, ſit irregularis. p.26
R. Eſſe, ſi tale ſit quod ad riſum, &c. moueat. ibid.
41 An qui ſenos digitos in manibus habet, ſit irregularis. ibid.
R. Non eſſe abſolutè; niſi aliàs, &c. ibid.
42 An illi qui ſex digitos in manu habet, poſſit ſine periculo irregularitatis, præſcindi vnus. ib.
R. Poſſe. ibid.
43 An qui caret digito pollicis, vel indicis, ſit irregularis. ibid.

R. V.

Digitized by Google

R. Vt certum: Eſſe. ibid.
44 An etiam ſit irregularis, qui caret digito alio, præter digitos pollicem, & indicem. ibid.
R. Quod non, niſi aliàs defectus digiti eſſet talis, quod vel induceret notabilem deformitatem, vel eſſet impedimentum ad aptè celebrandum. ib.
45 An ſaltem ſit irregularis, qui caret digitis dexteræ, quibus in Miſſa fit Crucis ſignatio. ib.
R. Quod ſic. ibid.
46 An qui in dextera, aut ſiniſtra habet digitum medium, & indicem coniunctum ſine diuiſione, ſit irregularis. ibid.
R. Probabilius: Non eſſe. ibid.
47 An maneat irregularis ille, cui deeſt vngula pollicis, aut indicis. p. 27
R. Non manere, ſi maneat potens ad frangendam cum pollice Euchariſtiam. ibid.
48 An qui tremulas habet manus, ſit irregularis. ib.
R. Eſſe, ſi adeo illas habet tremulas, vt periculum ſit ſubuertendi calicem. ibid.
49 An qui habet manum aridam, ſit irregularis. ibid.
R. Eſſe. ibid.
50 An maneat irregularis, qui in infirmitate perdidit omnes digitos pedum. ibid.
R. Quod non. ibid.
51 An claudus ſit irregularis. ibid.
R. Eſſe, ſi ſine baculo ambulare non poteſt. ibid.
52 An carens pede, ita vt non poſſit ſine pede ligneo ambulare, ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
53 An etiam ſit irregularis, qui crura diſtorta habet. p. 28
R. Per ſe non eſſe: poſſe tamen eſſe per accidens. ibid.
54 An gibboſus ſit irregularis. ibid.
R. Non eſſe, niſi caſu quo gibboſitas coniuncta ſit cum nimia deformitate. ibid.
55 An qui caret, abſque culpa, teſticulis, ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Non eſſe. ibid.
56 An qui abſque iuſta cauſa ſibi virilia amputauit, vel permiſit amputari, ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
57 An qui ob vocis conſeruationem ſe per ſe, aut per alios caſtrauerunt, ſint irregulares. ibid.
R. Vt longè probabilius: Eſſe irregulares. ibid.
58 An qui zelo caſtitatis ſibi per ſe, vel per alium virilia amputarunt, aut caſtrarunt, ſint item irregulares. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
59 An etiam ſit irregularis ille, cui maritus mulieris, cum qua fuit deprehenſus, virilia abſcidit. ibid.
R. Probabilius: Eſſe irregularem. ibid.
60 An qui ob ægritudinem, vel aliam neceſſitatem ſibimet virilia abſcidit, maneat irregularis. p. 29
R. Non manere, caſu quo dictus non haberet alium hominem peritum, qui eius virilia abſcinderet. ibid.
61 An ſit neceſſarium, quod Clerici caſtrati teſticulos in puluerem redactos ſecum portent, dum Miſſam celebrant. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
62 An Mõſtruoſus, hoc eſt, habẽs duo capita, quatuor manus, aut pedes, &c. ſit irregularis. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
63 An etiam difformitas cauſet irregularitatem. ib.
R. Vt certum: Etiam cauſare. ibid.
64 An Gigas procerus ſit irregularis. ibid.
R. Non eſſe. ibid.
65 An Pygmei ſint irregulares. ibid.
R. Non eſſe in ſua natione: ſecus apud alias. ibid.
66 An Pumiliones, aut Nani (Hiſpanè *Enanos*) ſint apud nos irregulares. ibid.
R. Eſſe apud nos. ibid.
67 An etiam ſint apud nos irregulares homines puſilli corpore. p. 30
R. Quod non. ibid.
68 An Hermaphroditus, in quo præualet ſexus virilis, ſit irregularis. ibid.
R. Probabilius: Quod non. ibid.
69 An febri continua laborantes ſint irregulares. ib.
R. Non eſſe omnino. ibid.
70 An laborãtes morbo Gallico ſint irregulares. ib.
R. Probabilius: Non eſſe, ex ſe; quatenus poſſint ex accidenti eſſe. ibid.
71 An laborantes lepra, aut ſcabie multa, ſint irregulares. ibid.
R. Eſſe, ſi dictus morbus ſcandalum, aut deformitatem inducat. ibid.
72 An dicti laborantes morbo gallico, lepra, & ſcabie, poſſint aſſumi ad Ordines, ſaltem vt inter ſui ſimiles celebrent. ibid.
R. Quod non. ibid.
73 An ad minus leproſis, & morbo gallico laborantibus iam ordinatis concedi poſſit, vt inter ſui ſimiles, aut in ſecreto Miſſam celebrent. p. 31
R. Poſſe, niſi alias manus, facieſve inquinata, &c. plus æquo indignos tali miniſterio reddat. ibid.
74 An qui podagra, aut chiragra laborant, ſint irregulares. ibid.
R. Eſſe, ſi talis morbus ſit acris, & acutus: ſecus aliàs. ibid.
75 An laborantes peſte ſint irregulares. ibid.
R. Eſſe dum tali morbo laborant. ibid.
76 An etiam ſint irregulares qui laborant tuſſi, aut qui cibum, & potum non poſſunt in ſtomacho retinere. ibid.
R. Etiam eſſe, dum talis defectus in illis permanet. ib.
77 An qui epilepſia, ſeu morbo caduco laborant (Hiſpanè, *Los que tienen mal de coraçon, gota coral, ò deſmayos*) poſſint ad Ordinem Sacerdotalem promoueri. ibid.
R. Non poſſe, ſi ſubitò cadunt, vehementiſſimè corripiuntur, &c. ſecus aliàs. ibid.
78 An ſaltem qui tantum ſemel in vita hoc caduco morbo correpti ſunt, & iam ſunt à tali paſſione omnino liberi, poſſint ad Sacerdotium promoueri. ibid.
R. Non poſſe ſine diſpenſatione Prælati. ibid.
79 An ſaltem huiuſmodi epileptici poſſint abſque diſpenſatione ad Ordines minores promoueri. p. 32
R. Probabilius: Non poſſe. ibid.
80 An laborantes prædicto morbo caduco, licitè poſſint abſque vlla diſpenſatione in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. ibid.
R. Poſſe aliquos, non omnes. Legatur quæſt. ibid.
81 An ad Epiſcopum ſolum pertineat iudicare in dubio, an defectus corporis, aut deformitas ita notabilis ſit, vt inducat irregularitatẽ. ib.
R. Probabilius: Non ſolùm ad Epiſcopum, ſed etiam ad Prælatos Religioſorum reſpectu eorum pertinere. ibid.
82 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis in irregularitate ex vitio corporis proueniente. ibid.
R. Non poſſe. p. 33
83 An ſaltem poſſit Epiſcopus cum Religioſo diſpenſare in irregularitate contracta ob defectum corporalem. ibid.

Digitized by Google

R. Non poſſe. ibid.

84 An Prouinciales Regulares, & alij Prælati quaſi Epiſcopali auctoritate gaudentes, poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex vitio corporali orta. ibid.

R. Vt certum : Poſſe, &c. ibid.

85 An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſubdito, qui carens pede, ambulat cum pede ligneo, vt celebret. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

86 An etiam poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſubito, qui caret oculo Canonis, ſeu ſiniſtro. p.34

R. Probabilius : Poſſe, ſi ſubditus oculo dextro maximæ videndi vi polleat. ibid.

87 An Prælatus Regularis poſſit diſpenſare cum ſuo ſubdito Sacerdote habente manus tremulas, vt ſacrificare valeat, ſaltem in occulto. ibid.

R. Poſſe ex vi priuilegiorum. ibid.

88 An Papa poſſit diſpenſate cum Sacerdote totaliter cæco, vt Miſſam dicere poſſit. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

89 An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos qui vna caret manu, Miſſam celebret. ibid.

R. Poſſe. ibid.

90 An etiam poſſit licitè diſpenſate Pontifex, vt celebret Sacerdos vtraque truncatus manu. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

DISPVTATIO III.

De Irregularitate ex defectu natalium, ſeu illegitimate proueniente. ibid.

QVÆST. I. AN quicumque ſit illegitimus, irregularis ſit. ibid.

R. Vt certum : Eſſe. ibid.

2 Cur illegitimos ab ſtatu Clericali excludit Eccleſia. p.35

R. Quod præcipuè ob quatuor cauſas. ibid.

3 An etiam Patrem filij illegitimi ab ſtatu Clericali Eccleſia excludat. ibid.

R. Quod non. ibid.

4 An ſi filius illegitimus occultus ſit, & communiter reputatus pro legitimo, adhuc ſit irregularis. ibid.

R. Vt certum : Adhuc eſſe. ibid.

5 Quiſnam ſit, & appelletur filius illegitimus. ibid.

R. Quod ille, qui non eſt ortus ex legitimo matrimonio. ibid.

6 An filij expoſiti habendi ſint illegitimi, & ab Ordinibus conſequenter arcendi. p.36

R. Probabilius : Quod non. ibid.

7 An ſit etiam cenſendus legitimus, & conſequenter non irregularis ille, qui non eſt expoſitus; dubitatur tamen, an ſit legitimus, eo quòd non repetiantur parentes eius. ibid.

R. Probabilius : Eſſe cenſendum legitimum. ibid.

8 An filius genitus à coniugatis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, & vtriuſque coniugis, aut alterius in Religione profeſſionem, ſit illegitimus, & conſequenter irregularis. ibid.

R. Vt certum : Eſſe illegitimum, & irregularem. ibid.

9 An Filius habitus ex parentibus poſt matrimonium conſummatum profeſſis, ſit legitimus. p.37

R. Abſolutè : Eſſe legitimum. ibid.

10 An etiam ſit legitimus filius procreatus à parentibus voto ſimplici caſtitatis, mutuo conſenſu aſtrictis. ibid.

R. Probabilius longè : Etiam eſſe legitimum. ibid.

11 An filius genitus ex coniugibus, quorum alter poſt conſummatum matrimonium, altero ignaro, aut ſciente, & contradicente, profeſſionem emiſit, ſit legitimus, & conſequenter non irregularis. ibid.

R. Vt certum : Eſſe legitimum. ibid.

12 An ſaltem filius ſit illegitimus, caſu quo concipiatur ex coniuge iam profeſſo, aut ad Sacros Ordines promoto, altero coniuge ſciente, & conſentiente, aut non contradicente, ſed tacente. ibid.

R. Talem filium eſſe legitimum : ſed ex ſpeciali iure irregularem. ibid.

13 An filius natus ex Parentibus matrimonio inualido ligatis, ſit legitimus, & non irregularis. p.38

R. Vt certum : Eſſe legitimum, & non irregularem, dummodo adſit bona fides, ſaltem vnius coniugis. ibid.

14 An filius teneatur credere matri aſſerenti cum iuramento, ipſum eſſe illegitimum. ibid.

R. Non teneri. ibid.

15 Quibus modis tollatur irregularitas hæc orta ex defectu natalium. ibid.

R. Quod quatuor modis. ibid.

16 An filius illegitimus fiat legitimus, & conſequenter tollatur irregularitas per ſubſequens matrimonium. ibid.

R. Vt certum : Fieri legitimum, & tolli irregularitatem. ibid.

17 An per ſubſequens matrimonium fiat filius illegitimus legitimus, caſu quo parentes eſſent habiles ad contrahendum, non tempore conceptionis, ſed natiuitatis prolis. ibid.

R. Probabilius : Fieri legitimum. p.39

18 An filius illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium inualidum, exiſtimatum tamen validum, & verum. ibid.

R. Probabilius : Fieri legitimum. ibid.

19 An filius conceptus, & natus tempore quo parentes eius inhabiles ad contrahendum extiterunt, ſed aliquo intermedio tempore, quo in ventre extitit, habiles fuerint, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium. ibid.

R. Probabilius : Fieri legitimum. ibid.

20 An filius natus ex coniugato, & ſoluta, quæ ignorabat, virum eſſe coniugatum, fiat per ſubſequens matrimonium legitimus. ibid.

R. Probabilius : Fieri. p.40

21 An filius ex ſoluto, & ſoluta natus, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, contractum poſt nuptias intermedias. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

22 An filius ex ſoluto, & concubina natus, fiat legitimus per matrimonium ſubſequens non conſummatum. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

23 An filius illegitimus fiat legitimus, & liberetur ab irregularitate per ſubſequens matrimonium contractum à parentibus; poſtquam dictus illegitimus filius fuit promotus ad Ordines. ibid.

R. Fieri legitimum, & liberari ab irregularitate incurſa. ibid.

24 An filius conceptus, aut natus ex parentibus habilibus ad contrahendum validè, non tamen iuſtè, ſeu licitè, legitimetur per ſubſequens matrimonium. p.45

R. Vt

Quæſtionum & Reſolutionum.

R. Vt certum : Legitimari. ibid.

25 An filij naturales reddantur legitimi per ſubſequens matrimonium factum in articulo mortis. ibid.

R. Vt certiſſimum : Reddi legitimos. ibid.

26 An filij naturales legitimentur per ſubſequens matrimonium, ſi id ſit confectum abſque dotalibus inſtrumentis. ibid.

R. Vt certum : Legitimari. ibid.

27 An filius naturalis natus ex nobili viro, & vili perſona, v. g. meretrice, aut ancilla, legitimetur per ſubſequens matrimonium. p.42

R. Vt certum : Legitimari. ibid.

28 An Pontifex poſſit illegitimos legitimare ad Ordines, & ad beneficia. ibid.

R. Vt quod certum : Poſſe. ibid.

29 An legitimati à Papa ſint habiles ad omnes Ordines, beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas. ibid.

R. Vt certũ : Eſſe ad omnes, excepto Cardinalatu. ib.

30 An Pontifex poſſit legitimare quemcunque ſibi ſubditum, non ſolum ad ſpiritualia, vt vidimus, ſed etiam ad temporalia, & ad ius ſuccendi. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

31 An etiam poſſit Pontifex directè, & liberè alienos ſubditos legitimare ad temporalia, & vocare ad ſucceſſiones, etiam in præiudicium vocatorum. ibid.

R. Vt quid verum : Non poſſe directè, indirectè tamen poſſe. ibid.

32 An poſſit Pontifex illegitimos quoſcumque etiam alienos ſubditos, legitimos adhuc ad temporalia reddere, diſpenſando in radice matrimonij nulliter contracti, ob impedimentum à iure Pontificio introductum. p.43

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

33 An vt poſſit Pontifex diſpenſando in radice matrimonij legitimare illegitimum, ſit opus vt parentes huius viuant, & denuò matrimonium contrahant. ibid.

R. Vt certum : Non eſſe opus. ibid.

34 An etiam poſſit Pontifex legitimare dictum illegitimum ad temporalia etiam, honores, & ſucceſſiones, caſu quo cedat in præiudicium vocatorum, qui iam in hæreditate ſucceſſerunt. ibid.

R. probabilius : Adhuc poſſe. ibid.

35 An per hanc clauſulam apponi ſolitam pro matrimonio reualidando : *Vt non obſtante impedimento, matrimonium inter ſe contrahere liberè, & licitè valeant, auctoritate noſtra diſpenſes, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo*, diſpenſet Papa in radice matrimonij, & legitimet prolem ante diſpenſationem genitam, non ſolum quoad ſpiritualia, ſed etiam quoad ciuilia. p.44

R. Affirmatiuè. ibid.

36 An cenſeatur Pontifex legitimare prolem, ſi matrimonium quod nullum erat, ratum habeat, aut in illo perſeuerare concedat, illud reualidando per hanc clauſulam : *Diſpenſamus, vt validè vtatur matrimonium, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo.* ibid.

R. Probabilius : quod ſic. ibid.

37 An Pontifex poſſit legitimare filium genitum ex matrimonio nullo, ob impedimentum ab illo indiſpenſabile : v. g. quia defecit conſenſus, aut prima vxor viuebat. ibid.

R. Non poſſe. ibid.

38 An Pontifex poſſit ſubſequenti matrimonio legitimare filios ſpurios. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

39 An irregularitas proueniens ex illegitimitate, auferri etiam poſſit per diſpenſationem. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

40 An eo ipſo, quod Pontifex diſpenſet cum aliquo in irregularitate, legitimet conſequenter illum, tam quoad ſpiritualia, quam quod temporalia. p.45

R. Vt certum : quod non. ibid.

41 An diſpenſatio illegitimi ad Ordines ſimpliciter, vel ad Clericatum, extendatur quoque ad Ordines ſacros. ibid.

R. Probabilius, quod non : niſi aliàs illegitimus eſſet iam in Minoribus conſtitutus. ibid.

42 An ſi in diſpenſatione illegitimi ad Ordines, contineretur hæc clauſula, *Diſpenſo tecum ad omnes Ordines*, tunc ſaltem talis diſpenſatio intelligenda eſſet etiam de omnibus Sacris. ibid.

R. Vt certum : quod ſic. ibid.

43 An illegitimus ad Ordines minores dumtaxat diſpenſatus : intelligatur etiam diſpenſatus ad beneficia ſimplicia ſolita conferri Clericis Ordinibus minoribus initiatis. ibid.

R. Multò probabilius : Quod non intelligatur. p.46

44 An ſaltem ſi illegitimus diſpenſetur ad Ordines ſacros, intelligatur diſpenſatus ad beneficium ſimplex. ibid.

R. Probabilius : quod adhuc non intelligatur. ibid.

45 An illegitimus diſpenſatus à Papa quoad omnes Ordines, beneficia, etiam curata, & dignitates, cenſeatur diſpenſatus ad Epiſcopatum. ibid.

R. Probabilius : Quod non. ibid.

46 An illegitimus diſpenſatus ad beneficium ſimpliciter obtinendum, intelligatur de vnico, ſimplici, & non curato. ibid.

R. Vt certum : Sic intelligi. ibid.

47 An præfatus illegitimus diſpenſatus abſolutè ad beneficium, poſſit vi huius diſpenſationis poſt primum, aliud ſucceſſiuè obtinere, illo primo relicto. ibid.

R. Probabilius : non poſſe. ibid.

48 An illegitimus diſpenſatus, vt poſſit habere curata beneficia, poſſit per hoc habere Canonicatum. p.47

R. Vt certum : quod non. ibid.

49 An Pontifex ſolus poſſit diſpenſare cum illegitimo, cuius vitium eſt cognitum, ad miores Ordines, Dignitates, Prælaturas, & Beneficia duplicia. ibid.

R. Vt certum : quod non. ibid.

50 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum quocumque illegitimo ad Ordines minores, & beneficium ſimplex. ibid.

R. Vt certum : quod ſic. ibid.

51 An etiam Capitulum, Sede vacante, poſſit diſpenſare cum præfato illegitimo ad Ordines minores, & beneficium ſimplex. ibid.

R. Probabilius : Etiam poſſe. ibid.

52 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimo ad beneficium ſimplex, etiam caſu, quo huic ſit annexum curatum. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

53 An item, cum ſuo familiari triennali illegitimo poſſit Epiſcopus diſpenſare ad Ordines minores, & beneficium. p.48

R. Non poſſe, ſi aliàs ei non ſit ſubditus. ibid.

54 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimo

ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis. ibid.

R. Longè probabilius: Iam non poſſe. ibid.

55 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad dimidiam portionem Eccleſiæ Cathedralis, & ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ. ibid.

R. Vt certum: Poſſe. ibid.

56 An ſi hæc irregularitas ex occulto delicto parentum proueniat, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis, quoad maiores Ordines, beneficium Curatum, &c. ibid.

R. Longè probabilius: Quod non. ibid.

57 An poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo Ordinato in Sacris mala fide, vt in ſuceptis Ordinibus miniſtret. p.49

R. Vt ferè certum: Non poſſe. ibid.

58 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo promoto bona fide ad Ordinem ſacrum, verbi gratia, ad Subdiaconatum, vt in eo adminiſtret, & ad ſuperiores Ordines aſcendat. ibid.

R. Probabilius: Quod non. ibid.

59 An Epiſcopus electus, & confirmatus, non tamen conſecratus, poſſit diſpenſare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium. p.50

R. Poſſe. ibid.

60 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum proprio filio illegitimo ad minores Ordines, & ſimplex beneficium. ibid.

R. Vt ferè certum: Poſſe. ibid.

61 An in impetranda legitimatione ſpurij, neceſſarium ſit mentionem facere qualitatis ſpurietatis, & adulterij vtriuſque parentis. ibid.

R. Neceſſarium eſſe. ibid.

62 An in impetratione legitimationis declaranda ſit qualitas filij, nempe an ſit naturalis, vel ſpurius, vel inceſtuoſus, aut ſacrilegus. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

63 An per profeſſionem in Religione approbata, tollatur ſaltem quoad Ordines etiam ſacros irregularitas. ibid.

R. Vt certum: Tolli. ibid.

64 An etiam ſtando in terminis Iuris communis, per profeſſionem in Religione tollatur irregularitas illegitimitatis, etiam quantum ad effectum habendi Prælationes. p.51

R. Vt quid certiſſimum: Non tolli. ibid.

65 An vt illegitimus profeſſus fiat Prælatus in Religione; ſit neceſſaria diſpenſatio Pontificia. ibid.

R. Vt certum: Eſſe neceſſariam, attento iure communi, & ſeclusis Religionum priuilegiis. ibid.

66 An non ſolùm Profeſſio, ſed etiam ingreſſus Religionis, aut Nouitiatus, aboleant ex natalium defectu irregularitatem, quoad ordines ſacros ſuſcipiendos. ibid.

R. Vt ferè certum: Solam Profeſſionem abolere. ibid.

67 An etiam Ius commune interdicat illegitimis Monialibus profeſſis Prælationes, itavt nequeant eſſe Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, &c. ibid.

R. Longè multò probabilius: Interdicere. p.52

68 An illegitimus factus Religioſus, poſſit ſecundùm Ius commune eſſe Vicarius Epiſcopi. ibid.

R. Vt certum: Non poſſe. ibid.

69 An illegitimi Profeſſi, diſpenſatione non præuia, excludantur attento iure communi, ab officiis Miniſtrorum Generalium, Prouincialium, & Conuentualium. p.53

R. Vt certum: Excludi attento iure communi. ibid.

70 An etiam dicti illegitimi excludantur attento iure communi ab Officiis Diffinitorum. ibid.

R. Vt certum: Etiam excludi. ibid.

71 An item repugnet iuri communi, quod Profeſſus illegitimus, officium Vicariatus, aut Subprioratus alicuius Conuentus habeat. ibid.

R. Probabilius longè: Repugnare. ibid.

72 An ſaltem non repugnet iuri, quod illegitimus profeſſus ſit Vicarius, ſeu Confeſſor Monialium. ibid.

R. Non repugnare. ibid.

73 An non attento Iure communi, ſed priuilegiis Religionum, omnis illegitimus reddatur per Profeſſionem ſolemnem legitimatus, & aptus ad omnes Prælaturas, & Dignitates intra Religionem obtinendas. ibid.

R. Probabiliter ad minus: Reddi legitimatum, &c. p.54

74 An ex Summorum Pontificum priuilegiis poſſint nunc Prælati Regulares, Generales, aut Prouinciales diſpenſare cum illegitimis ſubditis ad quaſcunque Prælaturas, & Dignitates Ordinis habendas. ibid.

R. Iam poſſe. ibid.

75 An etiam nunc poſſint prædicti Prælati Regulares, nempe Generales, & Prouinciales, ſeorſum per ſeipſos, & extra Capitulum diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis, ad Prælationes, & Dignitates Ordinis habendas. ibid.

R. Probabilius longè: Etiam poſſe. ibid.

76 An ad diſpenſandum cum illegitimis, vt Prælatias, & Dignitates habeant, requiratur neceſſariò cauſa. p.55

R. Vt certum: Requiri. ibid.

77 Quænam ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum cum illegitimo quocumque. ibid.

R. Quod eſt tempus, vtilitas, qualitas perſonæ, &c. ibid.

78 An ſola electio Religioſi Illegitimi in Prælatum, ab habentibus poteſtatem diſpenſandi, pro diſpenſatione illegitimitatis ſufficiat. ibid.

R. Probabilius: Sufficere in foro conſcientiæ, non in exteriori. ibid.

79 An hæc illegitimitatis irregularitas tollatur etiam per morum probitatem, ſcientiam, & alias dotes illegitimi. p.56

R. Vt certum: Non tolli. ibid.

80 An Commiſſarius Cruciatæ poſſit legitimare prolem in foro conſcientiæ, quoad ordines, & beneficia. ibid.

R. Vt certum: Poſſe, ſed non cum quocumque illegitimo. ibid.

81 An Rex, aut alius Princeps ſæcularis, ſicut poteſt legitimare ſuos ſubditos quoad honores, & officia ſæcularia, ita poſſit quoad Eccleſiaſtica, vel ad beneficia, vel ad Ordines. ibid.

R. Vt certum: Non ita poſſe. ibid.

82 An illegitimus peccet mortaliter, recipiendo Ordines abſque diſpenſatione præuia. ibid.

R. Vt certum: Peccare mortaliter, non ſolùm in recipiendo, verùm in exercendo ſuſceptos. ibid.

83 An illegitimus non ſolùm peccet, ſed etiam incurrat irregularitatem ſuſcipiendo Ordines abſque diſpenſatione, vel adminiſtrando in ſuſceptis. p.57

R. Probabilius longè: Non incurrere. ibid.

84 An Religioſus petens diſpenſationē ad Dignitates, & Ordines, debeat neceſſariò exprimere

qualitatem

Digitized by Google

qualitatem illegitimitatis; nempe, an ſit ſpurius naturalis, ſacrilegus, aut inceſtuoſus. pag. 57

R. Probabilius, Debere neceſſariò: licèt alij probabiliter contrarium dicant. ibid.

DISPVTATIO IV.

De Irregularitate proueniente ex defectu ætatis. ibid.

QVÆST. I. AN defectus ætatis ad Ordines requiſitæ inducat Irregularitatem. ibid.

R. Vt certum: Inducere quandiu defectus durat. ibid.

2 An Ordinatus ante legitimam ætatem, incurrat irregularitatem, ſi nondum ætate legitima adepta, maiores exerceat Ordines. ibid.

R. Vt certum: Incurrere nouam irregularitatem. ib.

3 An qui mala fide ante ætatem legitimam Sacerdotium ſuſcepit, & cum Epiſcopo in Ordinatione concelebrat, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Probabilius: Non incurrere. ibid.

4 An qui bona fide Sacerdotium ante legitimam ætatem ſuſcepit, & adueniente fide mala, ante ætatem completam celebrat, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Probabilius: Non incurrere irregularitatem, licèt mortaliter celebrando peccet. ibid.

5 An ætas nimia faciat quem irregularem. p.58

R. Quod minimè faciat, loquendo per ſe. ibid.

DISPVTATIO V.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, ſeu ſeruitutis. ibid.

QVÆST. I. AN defectus, ſeu carentia libertatis, irregularitatem inducat. ibid.

R. Vt certum: Inducere. ibid.

2 An ſeruus quocumque modo à ſeruitute liber, deſinat eſſe irregularis, & poſſit, ſi aliud non obſtet Canonicum impedimentum, licitè ordinari. p.59

R. Vt certum: Deſinere eſſe irregularem. ibid.

3 An ſi ſeruus, ſciente, & non contradicente Domino, ordinatur in Clericum, maneat liber, & non irregularis conſequenter. ibid.

R. Vt certum: Quod ſic. ibid.

4 An ſi ſeruus ignorante Domino, aut contradicente, minoribus initietur Ordinibus, maneat etiam eo ipſo liber, & non irregularis. ibid.

R. Quod non maneat liber, &c. ibid.

5 An ſeruus ſaltem maneat à ſeruitute liber, ſi etiam Domino ignorante, aut contradicente, maioribus initietur Ordinibus. ibid.

R. Non manere totaliter, &c. ibid.

6 An ſi Epiſcopus ſciens ordinet ſeruum alienum ſacris, ſine licentia domini, tunc ſeruus fiat liber. p.60

R. Fieri. ibid.

7 An obligatio ad ratiocinia, hoc eſt, ad rationem reddendam alicuius adminiſtrationis à Republica acceptæ, inducat irregularitatem. ibid.

R. Vt certum: Inducere. ibid.

8 An etiam hac irregularitate aſtringantur Iudices, Aduocati, Tabelliones, Depoſitarij publici, Theſaurarij, & huiuſmodi. ibid.

R. Aſtringi, donec ſuorum munerum rationem reddant. ibid.

9 An etiam afficiantur hac irregularitate, qui adminiſtrant bona temporalia Eccleſiarum. ibid.

R. Quod non. ibid.

10 An ſaltem ligentur huiuſmodi irregularitate qui adminiſtrationem gerunt perſonarum miſerabilium, aut pauperum, pupillorum, aut cauſarum piarum. ibid.

R. Vt certum: quod neque ij ligentur. ibid.

11 An ſint irregulares qui obligati ſunt ad reddendam rationem ex aliquo contractu: vt ex mutuo, conducto, depoſito, promiſſione, aut quouis alio nullam adminiſtrationem continente. ibid.

R. Etiam vt certum: Non eſſe irregulares, &c. ibid.

12 An Regij Conſiliarij deputati ad cauſas ciuiles iudicandas, poſſint, non depoſito tali munere, ad Ordines promoueri, & promoti idem munus exercere. ibid.

R. Vt certum: Poſſe. ibid.

13 An qui irregulares ſunt, ob ſupradictas adminiſtrationes, poſſint ad Ordines aſcendere, caſu quo adminiſtrationes deponant, etiamſi rationem illarum non reddiderint. p.61

R. Multò probabilius: Non poſſe. ibid.

14 An ex debito pecuniario, quod poſt deſertionem officij, & rationem redditam reſultat, oriatur irregularitas. ibid.

R. Probabilius: Per ſe loquendo, non oriri. ibid.

15 An in caſibus, in quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ſunt irregulares, poſſint ad Ordines promoueri, caſu quo exhibeant fideiuſſorem, qui cauſam ratiocinij in ſe aſſumat, & promittat debita ſoluere. ibid.

R. Vt certum: Tunc poſſe. ibid.

16 An etiam maneat quis liber ab hac irregularitate contracta ob ratiocinia reddenda, ſi bonorum ceſſionem faciat, reſeruata ſibi congrua ſuſtentatione. ibid.

R. Etiam manere liberum. ibid.

DISPVTATIO VI.

De Irregularitate orta ex defectu Sacramenti, id eſt, ex Bigamia. p.61

QVÆST. I. QVid ſit Bigamia. ibid.

R. Quod Nuptiarum, ſeu Matrimonij multiplicatio. ibid.

2 An triplex ſit ſpecies Bigamiæ; nempe veræ, interpretatiuæ, & ſimilitudinariæ. ibid.

R. Affirmatiuè. ibid.

3 An omnis Bigamia inducat irregularitatem. ibid.

R. Vt certum: Quod ſic. ibid.

4 An huiuſmodi irregularitas inducta ſit iure diuino. ibid.

R. Vt certum, quod non, ſed iure Eccleſiaſtico. ibid.

5 An ad Bigamiam, & irregularitatem ex illa prouenientem contrahendam requiratur, quod vtrumque matrimonium ſit conſummatum. ibid.

R. Vt quid certiſſimum: Requiri. ibid.

6 An ad Bigamiam, & ex ea prouenientem irregularitatem contrahendam, requiratur emiſſio ſeminis virilis intra vas fœmineum. ibid.

R. Probabilius: Requiri. p.62
7 An etiam requiratur, vt fœmina ſemen emittat, vt quis ſit Bigamus, & irregularis. ibid.
R. Probabilius: Id non requiri. ibid.
8 An qui duas vxores legitimas ſucceſſiuè habuit ante Baptiſmum, & com vtraque conſummauit, verè Bigamus ſit, & irregularis maneat poſt Baptiſmum. ibid.
R. Iam vt certum: Verè eſſe Bigamum, & irregularem. ibid.
9 An multiplicata ſponſalia, copuláque ſobſecota induant Bigamiam, & irregularitatem. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
10 An laicus contrahens duo matrimonia, ſed vtrumque inualidum, ſit Bigamus, & irregularis. ibid.
R. Æquè probabiliter: Quod non. ibid.
11 An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis laicus, qui duo init, & conſummat matrimonia, alterum validum, & alterum irritum. ibid.
R. Æquè probabiliter: Nec hunc eſſe Bigamum, nec irregularem. p.63
12 An qui contrahit verum matrimonium cum vidua à priori viro cognita, & conſummat illud, verè contrahat Bigamiam interpretatiuam & irregularitatem defectu Sacramenti. ibid.
R. Tanquam certum: Verè contrahere. ibid.
13 An hanc Bigamiam, & irregularitatem incurrat laicus, qui ducit vxorem viduam, inualidè tamen, propter aliquod impedimentum. ibid.
R. Probabilius: Non incurrere. ibid.
14 An excuſaretur ab irregularitate Bigamiæ qui cōtraheret cum vidua, exiſtimans illam eſſe Virginem, cum tamen ſit corrupta à priori marito. p.64.
R. Probabilius: Quod non excuſaretur. ibid.
15 An ducens fœminam à ſe defloratam, ſit bigamus, & irregularis. ibid.
R. Longè multò probabilius: Quod non. ibid.
16 An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis, qui contrahit com fœmina ab alio corrupta. ibid.
R. Vt certum: Eſſe irregularem, & vt probabilius, talem irregularitatem eſſe Bigamia. ibid.
17 An etiam ſit Bigamus, & irregularis vir corruptus ducens Virginem. ibid.
R. vt certum: Non eſſe. ibid.
18 An qui duxit Virginem, & poſt adulterium à ſe ſcitum illam carnaliter cognouit, contrahat irregularitatem Bigamiæ interpretatiuæ. ibid.
R. Longè probabilius: Contrahere. ibid.
19 An etiam dictam irregularitatem contrahat vir, qui ignorans coniugis adulterium, illam carnaliter cognouit. p.65
R. Probabilius: Etiam illam contrahere. ibid.
20 An vir cognoſcens ſuam vxorem vi, aut dolo oppreſſam ab alio, contrahat hanc Bigamiæ irregularitatem. ibid.
R. Probabilius: Illam contrahere. ibid.
21 An etiam contrahat hanc Bigamiæ irregularitatem Maritus, qui coactus ab Eccleſia per cenſuras (quia nequit vxoris adulterium probare) illam cognoſcit. p.66.
R. Longè probabilius: Etiam illam contrahere. ibid.
22 An Maritus recipiens, & cognoſcens ſuam vxorem, quæ ex falſa ſuæ mortis fama ſecundas nuptias contraxerat, incurrat Bigamiæ interpretatiuæ irregularitatem. ibid.
R. Longè probabilius: Incurrere. ibid.
23 An Religioſus profeſſus contrahens matrimonium, illudque conſummans, contrahat irregularitatem. ibid.
R. Longè probabilius: Illam contrahere. ibid.
24 An etiam Clericus in Sacris conſtitutus matrimonium etiam vnicum, & cum Virgine contrahens, contrahat irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ. p.67
R. Longè probabilius: Quod ſic. ibid.
25 An etiam contrahat dictam irregularitatem ille, qui poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, contrahit, & conſummat matrimonium. ibid.
R. Multò verius: Quod non contrahat. p.68
26 An ſaltem contrahat Bigamiæ ſimilitudinariæ irregularitatem qui contrahit matrimonium cum Moniali profeſſa, quamuis ipſe ſolutus ſit. ibid.
R. Longè verius: Quod nec hic contrahat. ibid.
27 An contraheret huiuſmodi Bigamiæ irregularitatem, qui poſt vota ſimplicia emiſſa poſt biennium in Societate IESV, contraheret Matrimonium. ibid.
R. Probabilius longè: Contrahere. ibid.
28 An Summus Pontifex poſſit in Bigamia vera, & irregularitate ab illa orta diſpenſare. ibid.
R. Vt quid certiſſimum: Poſſe. ibid.
29 An Pontifex poſſit in dictæ Bigamiæ irregularitate ex ordinaria poteſtate diſpenſare. ibid.
R. Etiam vt certum: Poſſe. ibid.
30 An etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare com Bigamis propriis ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. p.69
R. Vt certum: Non Poſſe. ibid.
31 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis ad minores Ordines. ibid.
R. Probabilius: Adhuc non poſſe. ibid.
32 An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis, vt in ſuſceptis minoribus Ordinibus miniſtrent. ibid.
R. Negatiuè.
33 An denique poſſit Epiſcopus diſpenſare ſaltem quoad minores Ordines cū Bigamis interpretatiuis. ibid.
R. Probabilius: Nec cumhis adhuc poſſe. ibid.
34 An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamo proprio & interpretatiuo ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, caſu quo Bigamus ad Religionem tranſeat. p.70
R. Probabilius: Neque in hoc euentu poſſe. ibid.
35 An caſu, quo vrgeat neceſſitas ob penuriam Miniſtroū (vt apud Indos) poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt Bigamus proprius, aut interpretatiuus ad Subdiaconatum promoueatur. ibid.
R. Probabilius: Poſſe, ſi non ſit facilis aditus ad Pontificem. ibid.
36 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria Clerici in Sacris conſtituti ineuntis Matrimonium com vnica, ac virgine. ibid.
R. Vt certum: Poſſe. ibid.
37 An etiam diſpenſare poſſit Epiſcopus cum dicto Clerico in Sacris conſtituto, contrahente Matrimonium cum vidua, vel corrupta. p.71
R. Probabilius: Non poſſe. ibid.
38 An Abbates ſeculares poſſint diſpenſare ſicuti diſpenſant Epiſcopi in Bigamia ſupradicta. ibid.
R. Poſſe illos, qui habent iuriſdictionem Epiſcopalem. ibid.
39 An ex priuilegio poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis Bigamis, etiam veris, & interpretatiuis ad Ordines, etiam maiores

maiores. ibid.
R. Probabilius: Poſſe. ibid.
40 An Commiſſarius Bullæ Cruciatæ habeat facultatem diſpenſandi in Bigamia. p.72
R. Probabilius: Habere facultatem diſpenſandi in Bigamia ſimilitudinaria, &c. ibid.
41 An ad impetrandam in Bigamia diſpenſationem, ſit opus explicare, an matrimonium ter, vel quater, aut pluries contractum fuerit. ibid.
R. Vt ferè certum: Quod non. ibid.
42 An in diſpenſationis Bigamiæ impetratione ſit neceſſarium ſpeciem Bigamiæ fateri. ibid.
R. Vt certum: Quod ſic. ibid.
43 An etiam qui duplici Bigamia eſt ligatus, vtriuſque mentionem in impetratione Bigamiæ diſpenſationis facere debeat. ibid.
R. Tanquam certum: Debere. ibid.
44 An proprius Bigamus Clericus, in Minoribus ſolùm conſtitutus, priuetur priuilegio Clericali Canonis, & fori. ibid.
R. Vt certum: Priuari, & ipſo facto. ibid.
45 An non ſolùm Bigamus proprius, ſed etiam interpretatiuus, priuetur dicto priuilegio Clericali Canonis, & fori. ibid.
R. Vt longè probabilius: Vtrumque priuari dicto priuilegio. ibid.
46 An etiam Bigamus ſimilitudinarius priuetur dicto Clericali priuilegio. p.73
R. Vt certum: Quod non. ibid.
47 An Bigamus in minoribus conſtitutus peccet mortaliter, ſi deferat habitum, & tonſuram Clericalem. ibid.
R. Vt longè probabilius: Quod ſic. ibid.
48 An Bigamus prædictus poſſit miniſteria Minorum Ordinum exercere. ibid.
R. Vt certum: Non poſſe abſque diſpenſatione, ſaltem Epiſcopali. ibid.
49 An Bigamus ſit capax alicuius beneficij Eccleſiaſtici. ibid.
R. Vt certum: Non eſſe. ibid.

DISPVTATIO VII.

De Irregularitate ex defectu lenitatis, ſeu ex homicidio iuſto proueniente. p.73

QVÆST. I. AN ex homicidio publico, iuſto, & licito oriatur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, & manſuetudinis. p.74
R. Tanquam quid certum: Oriri. ibid.
2 An non ſolùm ex occiſione hominis, publica auctoritate facta, verum etiam ex mutilatione membri, incurratur irregularitas hæc ex defectu lenitatis. ibid.
R. Vt quid certum: Etiam incurri. ibid.

§. I. *De Iudice.*

3 An Iudex Eccleſiaſticus, vel ſæcularis, proferens iuſtè ſententiam homicidij, vel mutilationis, contrahat irregularitatem ex defectu lenitatis. ibid.
R. Tanquam quid certum: Quod ſic. ibid.
4 An etiam Aſſeſſor Iudicis ſententiam homicidij, vel mutilationis iuſtè proferentis, hanc eandem, ſicuti Iudex, incurrat irregularitatem. ibid.
R. Vt certum: Eandem etiam incurrere. ibid.
5 An vt incurrant hanc irregularitatem Iudices & Aſſeſſores, ſatis ſit exercuiſſe officium in criminalibus, licèt nunquam ſententiam ſanguinis tulerint. p.75
R. Vt quid longè probabilius: Non eſſe ſatis. ibid.
6 An ſaltem incurrant hanc irregularitatem prædicti Iudices, & Aſſeſſores ferentes ſententiam ſanguinis, hoc eſt, homicidij, vel mutilationis, ſi non ſequatur effectus. ibid.
R. Longè probabilius: Nec in hoc euentu incurrere. ibid.
7 An Iudices ferentes ſententiam mortis ſine effuſione ſanguinis, hanc irregularitatem incurrant. ibid.
R. Vt quid certum: Incurrere. ibid.
8 An Iudex proferens flagellationem per vrbem cum effuſione ſanguinis, maneat irregularis, ſequuto effectu. ibid.
R. Vt certum: quod non. ibid.
9 An Iudex, qui dictat ſententiam, vt reus per tormenta debilitetur, fiat irregularis. ibid.
R. Longè verius: Non fieri. ibid.
10 An Iudex qui dicit ſententiam mutilandi à reo membrum aridum, maneat irregularis. p.76
R. Vt certum: Manere. ibid.
11 An ſi quis antequam eſſet Baptizatus exercendo officium Iudicis, occidit hominem aut mutilauit, hanc ex defectu lenitatis irregularitatem contraxerit. ibid.
R. Vt longè verius: Quod non. ibid.
12 An vt Iudex hanc irregularitatem incurrat, ſit etiam opus quod occidat, vel mutilet hominem baptizatum. ibid.
R. Vt certum: Non eſſe opus. ibid.
13 An item maneat irregularis Iudex, aut alius qui occidit, aut mutilat Bannitum, vel Diffidatum. ibid.
R. Vt certum: Etiam manere. ibid.
14 An rurſus maneat irregularis, qui occidit, vel mutilat excommunicatum. ibid.
R. Vt quid certum: Etiam manere. ibid.
15 An qui occidit fœtum animatum in vtero matris, aut (quod idem eſt) cauſam dedit abortioni illius, ſit irregularis. p.77
R. Vt quid certiſſimum: Eſſe. ibid.
16 An Iudex qui reum in carcere detrudi imperat, vbi ex carceris fœtidi, anguſti, & tetri incommodis breui moritur, fiat irregularis. ibid.
R. Vt certum: Fieri. ibid.
17 An Domini Inquiſitores, qui hæreticos muro includunt, ſi ij ibi moriantur, maneant irregulares. ibid.
R. Quod non. ibid.
18 An maneat irregularis Iudex damnans ad triremes reum qui ex labore remigibus conſueto breui obiit. ibid.
R. Vt certum: Non manere. ibid.
19 An ſaltem maneat irregularis Iudex damnans reum ad metallum, aut Inſulam, ſi ex eo quod malè tractatus ſit citiùs moriatur. ibid.
R. Vt certum: Non manere, niſi aliàs Iudex præceperit malè à cuſtodientibus tractari. ibid.
20 An Prælatus Eccleſiaſticus maneat irregularis, ſi ferat legem, qua puniat pœna mortis certa quædam crimina. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
21 An Princeps ſecularis, vel Clericus iuriſdictionem temporalem habens, fiat irregularis, ſi conſtituat Iudices, & Miniſtros, vt cauſam ſanguinis inquirant, & puniant iuxta leges, & Iuris diſpoſitionem. p.78
R. Vt certum: Quod non fiat. ibid.
22 An ſaltem fiat irregularis dictus Princeps, vel Clericus

Clericus, ſi delegat poteſtatem alicui ſpecialiter pro aliquo delicto in particulari, nempe homicidio in ſua iuriſdictione commiſſo, vt inquiſita veritate, iuſtitiam iuxta leges faciat. pag. 78

R. *Probabilius longè: Nec in hoc caſu irregularem fieri.* ibid.

23 An ad minus maneat irregularis prædictus Princeps vel Clericus, qui Iudici à ſe deſignato mandat, vt ſententiam ſanguinis proferat in talem malefactorem. ibid.

R. *Vt certum: In hoc caſu manere irregularem.* ibid.

24 An etiam maneat irregularis Princeps, vel Prælatus Eccleſiaſticus, qui dicit Iudici à ſe delegato, vt ſequenti die manè occidat, aut mutilet malefactorem, quem ad hanc pœnam ſuſtinendam ipſe Iudex delegatus iam condemnauerat. ibid.

R. *Etiam manere irregularem.* ibid.

25 An Prælatus, vel Iudex, qui iubet reum aliquem capere, & ad ſe, ſiue viuum, ſiue mortuum adducere, maneat irregularis, ſi executores in ea captura reum interficiant, aut mutilent. ibid.

R. *Manere.* ibid.

26 An etiam maneant irregulares Iudices, vel Prælati, qui propoſitis edictis præmium promittunt illis, qui alicuius rei caput, aut membrum aliud attulerint. ibid.

R. *Vt certum: Manere, ſequuto effectu.* ibid.

27 An poſſit Prælatus, aut Princeps, ſine nota irregularitatis, temperare ſententiam prolatam à ſuo Iudice delegato, & iubere mitioris mortis pœnam. ibid.

R. *Poſſe.* ibid.

28 An Prælatus Eccleſiaſticus, aut Iudex ſæcularis maneat irregularis, caſu quo Iudex ab ipſo delegatus iniuſtè ad mortem, ſeu mutilationem damnat reum. p.79

R. *Non manere.* ibid.

29 An Prælatus Eccleſiaſticus poſſit committere alicui Clerico, vt vice ſua eligat Iudicem, qui cauſam criminalem cognoſcat. ibid.

R. *Probabilius: Poſſe.* ibid.

30 An ſi Iuriſperitus, vel Theologus, vel Confeſſarius, vel alius interrogetur in genere, an quis ob tale crimen mereatur mortem, reſpondeatque, mereri: maneat irregularis, ſequuta morte, vel mutilatione in aliquo. ibid.

R. *Vt certum: Non manere irregularem.* ibid.

31 An ſaltem maneat irregularis dictus Iuriſperitus, vel alius qui interrogatus à Iudice, non in genere, ſed de caſu particulari, an videlicet hic reus ſuſpendendus, vel mutilandus ſit, reſpondet mereri ſecundum leges dictam pœnam. ibid.

R. *Æquè probabiliter, Nec in hoc caſu manere irregularem.* Legatur. ibid.

32 An ſit irregularis Confeſſarius, qui dicit, Iudici nolenti punire reum pœna mortis, vti tenetur, non poſſe, nec velle ſe ei abſolutionem dare, niſi reum illum morte puniat. p.80

R. *Vt longè probabilius, imò vt certum: Non eſſe irregularem.* ibid.

33 An Confeſſarius, qui obligat reum pœnitentem iuridicè interrogatum ad fatendum crimen dignum morte, fiat irregularis, pereunte reo. ibid.

R. *Non fieri irregularem, caſu quo reus teneatur fateri crimen: ſecus ſi non teneatur, vt ſtatim.* ibid.

34 An ſaltem fiat irregularis, qui conſulit reo, vt fateatur crimen Iudici, caſu quo probè ſciat conſulens, reum ex ſententia probabili non teneri crimen fateri. ibid.

R. *Probabilius: Fieri irregularem ſi conſulens ſit perſona publica; non autem ſi ſit priuata, niſi alias, &c.* ibid.

35 An fiat irregularis Confeſſarius, aut alius conſulens reo, vt omittat appellationem iuridicam de ſententia mortis ſibi illata, quam ipſe interponere vult. ibid.

R. *Probabilius: Non fieri irregularem Confeſſarium, nec alium quemcumque, qui ſit perſona particularis, & non publica.* p.81

36 An ab irregularitatis incurſu liberentur Concionatores, qui hortantur Iudices, vt ſeruent leges, & purgent Rempublicam ſceleſtis hominibus, &c. ibid.

R. *Vt certum: Liberari.* ibid.

37 An ſaltem innodetur irregularitate Concionator qui peccatorem occultum publicè reprehendit, & ob id à Iudice captus, ad mortem, vel mutilationem damnatur. ibid.

R. *Innodari irregularitate ex delicto orta.* ibid.

38 An Prælati Eccleſiaſtici, qui reum tradunt Iudici ſæculari puniendum, fiant irregulares, ſequuta illius morte, ſi non intercedant apud Iudicem pro reo. ibid.

R. *Omninò fieri, ſi non intercedant.* ibid.

39 An Domini Inquiſitores fiant irregulares tradendo hæreticum brachio ſæculari, ſi non intercedant pro illo, vt mitius Iudex ſæcularis ſe gerat eum ipſo. ibid.

R. *Vt certum iam: Non fieri irregulares, etiamſi non intercedant.* ibid.

40 An etiam abſque irregularitatis incurſu poſſint Inquiſitores inſtare Iudicem, vt exequatur ſententiam mortis, caſu quo ille tentaret ipſam differre. p.82

R. *Vt certum mihi: Poſſe.* ibid.

§. II. *De Accuſatore, & denunciatore in cauſa ſanguinis.*

41 An accuſans aliquem in cauſa criminali criminaliter, petendo vindictam, fiat irregularis, ſecuta accuſati morte, vel mutilatione. ibid.

R. *Vt quid certum: Fieri.* ibid.

42 An qui de crimine leui, nec morte, nec mutilatione digno, reum accuſaret, maneret irregularis, caſu quo Iudex iniuſtè eum morti traderet. ibid.

R. *Vt certum: Quod non maneret.* ibid.

43 An ſaltem maneat irregularis Iudex, qui vinctum ducens reum ad carcerem, accedit inimicos rei, & occidit illum. ibid.

R. *Nec in hoc caſu manere irregularem.* ibid.

44 An fiat irregularis accuſans reum de crimine leui, ſi reus detentus in carcere, propter delicta ab aliis accuſatoribus cumulata puniatur morte. ibid.

R. *Quod non fiat.* ibid.

45 An accuſans aliquem in cauſa criminali, petendo vindictam, fiat irregularis (ſequuta deformatione) ſi proteſtetur, ſe non intendere vt accuſatus pœnam mortis, vel ſanguinis ſubeat. p.83

R. *Vt certum: Fieri irregularem.* ibid.

46 An excuſetur ab irregularitate Clericus, aut alius qui accuſat aliquem de crimine digno morte, non criminaliter, ſed ciuiliter: hoc eſt, non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem ſibi debitam. ibid.

R. *Vt quid certum: Excuſari.* ibid.

47 An

47 An Clericus, vel alius, qui iuſtè accuſans, proteſtationem ficto animo facit, & interios deſiderat vindictam, & ſanguinem accuſati, irregularitatem contrahat. ibid.

R. Probabilius: Non contrahere. ibid.

48 An vt non incurrat quis irregularitatem, ſufficiat ſi proteſtationē ſolo animo faciat. p.84

R. Vt certum: Non ſufficere. ibid.

49 An vt proteſtatio liberet quem ab irregularitate, debeat fieri coram Iudice ſimul dum formatur accuſatio. ibid.

R. Quod non debeat neceſſariò. ibid.

50 An ſit neceſſaria proteſtatio ad excuſandam irregularitatem, quando accuſatio criminis fit coram Iudice Eccleſiaſtico. ibid.

R. Quod non. ibid.

51 An ſaltem ſit neceſſaria proteſtatio, ſi cauſa incipiat in iudicio Eccleſiaſtico, & finiatur in iudicio ſæculari. ibid.

R. Adhuc non eſſe neceſſariam in hoc caſu. ibid.

52 An omittens proteſtationem in cauſa ſanguinis ex obliuione, & inaduertentia, fiat irregularis. ibid.

R. Fieri. ibid.

53 An hæc proteſtatio non ſolùm Clericis, ſed etiam laicis ſit neceſſaria ad euitandam irregularitatem. ibid.

R. Vt certum: Vtriſque neceſſariam eſſe. p.85

54 An proteſtatio excuſet ab irregularitate illum, qui accuſat aliquem pro recoperatione damni ſibi illati, ſi hoc reparari aliâ viâ poſſit. ibid.

R. Probabilius: Excuſare. ibid.

55 An ſicut poteſt Clericus, vel alius, abſque metu irregularitatis, cum proteſtatione accuſare reum de iniuria ſibi, aut rebus ſuis illata; ita poſſit accuſare de iniuria, vel damno illato ſuis propinquis, & cognatis. ibid.

R. Multò probabilius: Ità poſſe. ibid.

56 An irregularitatem fugiat qui accuſat reum de damno illato cognatis, vel conſanguineis intra quartum gradum. p.86

R. Probabilius: Quod ſic. ibid.

57 An etiam vitet irregularitatem, qui accuſat, præmiſſa proteſtatione, reum de iniuria, vel damno illato ſubditis, vel famulis, aut domeſticis accuſantis. ibid.

R. Probabilius: Etiam vitare. ibid.

58 An rurſus qui præmiſſa proteſtatione, accuſat malefactorem de iniuria iam illata, non ſibi, nec propinquis, nec domeſticis, ſed extraneis, euitet irregularitatem. ibid.

R. Vt certum: In hoc caſu non euitare. ibid.

59 An ſaltem vitabit irregularitatem, qui non accuſat de iniuria iam extraneis illata, ſed inferenda. ibid.

R. Vt longè probabilius: Vitare irregularitatem, ſi aliter non poſſit illa extranei damna impedire. ibid.

60 An ſit irregularis qui præmiſſa proteſtatione proditionem Patriæ, aut crimen aliud contra Rempublicam, vel Principē reuelat. p.87

R. Multò longè probabilius: Non eſſe. ibid.

61 An Clericus, vel alius qui clamat, vt de manibus furis bona ſua eripiant, vt eo excitatus clamore, Iudex furem capiat, & occidat, maneat irregularis. ibid.

R. Non manere. ibid.

62 An item non maneat irregularis, qui clamans excitat vicinos, qui furem fugientem cum rebus ſuis capiunt, & occidunt. ibid.

R. Probabilius: Nec in euentu hoc irregularem manere. ibid.

63 An deinde ſit liber ab irregularitate qui clamat, *latrones, latrones*, vt è manibus eorum bona proximorum Iudex, aut vicini eripiant, ſi hi accedentes latrones occidant. p.88

R. Probabilius: Adhuc in hoc caſu eſſe ab irregularitate liberum. ibid.

64 An Clericus qui furem capit, & tradit Iudici, vt ſic recuperet res ab illo ſublatas, fiat irregularis, morte furis ſequuta. ibid.

R. Vt certum: Fieri, ſaltem proteſtatione non præmiſſa. ibid.

65 An Clericus qui accuſatus in cauſa ſanguinis, defendendo ſe petit, vt accuſator qui in probatione defecit, puniatur pœna mortis, aut mutilationis, maneat irregularis, ſequuta morte. ibid.

R. Manere irregularem. ibid.

66 Quomodo facienda ſit, cùm opus eſt, proteſtatio, de qua in ſuperioribus fuit ſermo. ibid.

R. Faciendam eſſe coram Iudice, modo in quaſt. dato. ibid.

§. III. *De Teſte, & Aduocato in cauſa ſanguinis.* p.88.

67 An Teſtis voluntariè teſtificans in cauſa ſanguinis, maneat irregularis, ſi ex eius teſtimonio mors, vel mutilatio ſequatur teſtificato. ibid.

R. Vt quid certum: Manere. ibid.

68 An teſtis, qui in cauſa ſanguinis teſtimonium profert compulſus ex obligatione orta ex præcepto naturali, maneat irregularis, morte, vel mutilatione ſequuta. ibid.

R. Probabilius: Non manere. p.89

69 An etiam maneat liber ab irregularitate, ſi quis teſtificetur propter præceptū Iudicis, vel propter grauem metum, morte ſubſequuta rei. ib.

R. Vt certum: Etiam in hoc caſu manere liberum. ib.

70 An teſtes, & Aduocati euadant irregularitatem, ſi præmittant proteſtationem, ſicuti accuſator euadit, quando hoc facit petendo ſatisfactionem pro iniuria ſibi, ſuiſve parentibus, &c. illata. ibid.

R. Æquè probabiliter: Euadere irregularitatem, ſicuti accuſator euadit. p.90

71 An quando in cauſa ſanguinis plures quàm requiruntur ſunt teſtes, omnes maneant irregulares. ibid.

R. Probabilius: Manere omnes; ſi ex omnium dictis mors rei ſequuta fuit; ſecus aliàs. ibid.

72 An non ſolum teſtes, qui ad delictum probandum ſunt inducti: ſed etiam illi, qui in pronuncianda ſententia mortis adferuntur, ſint irregulares. p.91

R. Omnes eſſe irregulares. ibid.

73 An teſtes ad torturam rogati, irregulares ſint. ibid.

R. Eſſe irregulares, ſequuta morte, aut mutilatione rei: ſecus aliàs. ibid.

74 An teſtis, qui non depoſuit de delicto, quia ignorauit; ſed interrogatus de fama, de illa teſtatus eſt, incurrerit irregularitatem, morte, vel mutilatione rei ſequuta. ibid.

R. Vt certum: Incurriſſe. ibid.

75 An maneat irregularis ille, qui interrogatus iuridicè à Iudice, an reus ſit ſolitus ferre arma, vel noctu vagari, de ſiia ita eſſe teſtatur. ibid.

R. Irregularem manere, ſequuta morte rei, &c. ibid.

76 An ſi dum Iudex furem inſequitur, tibi iuridicè iubeat, vt illi indices viam, quâ fur

incedit, & ex verbis tuis furem inueniat, & ad mortem damnet, maneas irregularis. ibid.

R. Non manere irregularem, quia ab illa te excuſat præceptum Iudicis. ibid.

77 An ſit irregularis Aduocatus, ſi reus contra quem aduocat, occidatur, vel mutiletur. ibid.

R. Vt certum : Eſſe. ibid.

78 An etiam non ſequuta morte, vel mutilatione rei, contra quem Aduocatus aduocauit, maneat hic irregularis. ibid.

R. Probabilius longè, non manere. ibid.

79 An Aduocatus qui defendit reum, qui quidem punitur pœna mortis, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Vt certum : Non incurrere, per ſe loquendo. ibid.

80 An ſaltem incurrat irregularitatem Aduocatus, qui reum defendit, ſi ſequatur mors accuſantis reum. p.92

R. Vt certum : nec in hoc caſu incurrere, niſi aliàs Aduocatus conuiciat accuſatorem, & petat puniri pœna ſanguinis. ibid.

81 An ad minus incurrat irregularitatem Aduocatus, qui iniuſtè defendit reum, & ob iniuſtam eius defenſionem ſecuta eſt mors accuſatoris. ibid.

R. Vt certum : Incurrere irregularitatem ex delicto. ibid.

82 An Aduocatus fiat irregularis, quando accuſator, aut reus, imperitia, aut negligentia ipſiuſmet Aduocati, adjudicatur morti. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

§. IV. *De aliis Miniſtris, qui ad prolationem ſententiæ ſanguinis, eiuſque executionem concurrunt.* ibid.

83 An publicus Notarius, ſeu Tabellio, teſtium depoſitiones in cauſa ſanguinis recipiens, fiat irregularis, ſequuta morte, ſeu mutilatione. ib.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

84 An Notarius, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcribit, vel dictat, ſit irregularis, morte aut mutilatione ſequuta. p.93

R. Vt certum : Eſſe. ibid.

85 An etiam fiat irregularis Notarius, aut Scriba, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcriptam à famulo ſignat, & ſuo ſigillo authenticam reddit. ibid.

R. Vt certum : Etiam fieri ſequuta morte, vel mutilatione rei: ſecus eſt dicendum de famulo ſcribente. ibid.

86 An item fiat irregularis Notarius, quando acta eius authentica non ſunt, ſed veluti à priuata perſona confecta. ibid.

R. Probabilius : Non Fieri. ibid.

87 An fiat irregularis defectu lenitatis, qui tanquam Officialis Notarij publici ſcribit, vel tranſcribit ſententiam, qua iubetur deformatio rei. ibid.

R. Probabilius : Quod non fiat. ibid.

88 An fiat irregularis famulus, qui iuſſus attulit proceſſum Notarij continentem ſententiam ſanguinis. ibid.

R. Probabilius : Non fieri. p.94

89 An cuſtodes carceris, qui aperiunt oſtium, vt reus ad mortem ducatur, maneant irregulares ſequuta morte. ibid.

R. Manere. ibid.

90 An Lictores, Alguazelli, Satellites, & alij Miniſtri Iuſtitiæ, qui reum cum ducitur ad mortem, ne fugiat, comitantur, maneant irregulares. ibid.

R. Vt certum : Manere. ibid.

91 An etiam ſint irregulares omnes, qui de familia Prætoris pedeſtres, aut equeſtres comitantur malefactorem morte plectendum. ibid.

R. Probabilius : Non eſſe, niſi aliàs Miniſtri publici iuſtitiæ ſint. ibid.

92 An ſit irregularis Præco, qui reum præcedit, & cauſam mortis proclamat. ibid.

R. Eſſe irregularem. ibid.

93 An non ſolum Carnifex, qui gulam frangit reo; verum etiam omnes, qui ipſum iuuant, vt qui ſcalam applicant, funem porrigunt, &c. ſint irregulares. ibid.

R. Probabilius : Quod non ſolum Carnifex ſit irregularis; ſed etiam alij, ſi miniſtri iuſtitiæ ſint; ſecus aliàs. ibid.

94 An qui conficiunt, aut vendunt funes, gladios, vel alia inſtrumenta ad interficiendos malefactores in communi, ſint irregulares. p.95

R. Vt ferè certum : Non eſſe. ibid.

95 An ſaltem fiat irregularis defectu lenitatis, qui facit furcam, funes, gladium, &c. ad occiſionem malefactoris in particulari. ibid.

R. Probabilius : Non fieri, niſi aliàs ſit miniſter iuſtitiæ ad id munus deputatus. ibid.

96 An Tortores, qui ſtruem lignorum congerunt, aut incendunt ad comburendos hæreticos viuos, ſint irregulares. ibid.

R. Vt certum : Eſſe. ibid.

97 An omnes vendentes, aut donantes ligna ad viuos hæreticos comburendos, irregulares ſint. ibid.

R. Probabilius : Non eſſe. ibid.

98 An qui impetrat à Iudice, vt reus ducatur ad patibulum per aliam viam breuiorem, vt vitet infamiam, quam in alia populoſa ſubiret, fiat irregularis. ibid.

R. Vt certum : Non fieri. p.96

99 An qui ſiue voce, ſiue punctione, inſtigat iumentum, quo reus interficiendus vehitur, fiat irregularis, ſi ex eo mors rei acceleretur. ibid.

R. Probabilius : Non fieri. ibid.

100 An qui dicit reo, *Aſcende ſcalam* : vel, *Admoue caput ſtipiti ad excipiendum ictum*; aut *laqueum indue*; fiat irregularis, ſi ob ipſius dictum reus citiùs occidatur, aut mutiletur. ibid.

R. Probabilius : Non fieri irregularem. ibid.

101 An fiat irregularis qui inexpertum carnificem docet modum, quo dandus eſt nodus funi, aut volvendus cippus. p.97

R. Probabilius : Non fieri. ibid.

102 An Clerici, aut Regulares temporalem iuriſdictionem habentes, qui interſunt executioni ſententiæ mortis, ſint irregulares. ibid.

R. Vt certum : Eſſe, niſi aliàs ad conſolandum reum, &c. interſint. ibid.

103 An cæteri, ſiue Clerici, ſiue laici, qui non habent iuriſdictionem temporalem, incurrant etiam irregularitatem, aſſiſtendo executioni ſententiæ ſanguinis. ibid.

R. Vt certum : Hos non incurrere. ibid.

104 An ſaltem peccent Clerici aſſiſtentes ſine iuſta cauſa executioni ſententiæ ſanguinis. ibid.

R. Non peccare, adhuc venialiter. p.98

§. V. De Irregularitate defectu lenitatis prouenientè ex occiſionibus, ſeu mutilationibus in bello iuſto. ibid.

105 An Clericis in Sacris conſtitutis ſit prohibitum pugnare propria manu in bello iuſto aggreſſiuo. ibid.

R. Vt certum: Eſſe prohibitum. ibid.

106 An etiam Clericis in minoribus Ordinibus conſtitutis ſit prohibitum in bello iuſto aggreſſiuo propria manu pugnare. ibid.

R. abſolutè, etiam eſſe illis prohibitum. ibid.

107 An etiam Religioſis, laicis quoque, ſit prohibitum propria manu pugnare. ibid.

R. Vt certum: Etiam eſſe prohibitum. ibid.

108 An iure naturali, aut diuino ſit prohibitum Clericis propria manu pugnare. p.99

R. Non eſſe, ſed ſolum Iure Eccleſiaſtico. ibid.

109 An dicta prohibitio non pugnandi propriis manibus obliget ſub mortali Clericos in Sacris conſtitutos. ibid.

R. Tanquam certum: Obligare. ibid.

110 An etiam præfata prohibitio obliget ſub mortali Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, ſi beneficio Eccleſiaſtico careant. ibid.

R. Quod attenta conſuetudine, minimè obliget. ibid.

111 An ſaltem Clerici beneficiarij in minoribus conſtituti, mortaliter peccent propriis manibus in bello iuſto pugnando. ibid.

R. Probabilius: Quod ſic. ibid.

112 An etiam Religioſi mortaliter peccent, ſi in bello iuſto ſine licentia pugnent. p.100

R. Probabilius: Mortaliter peccare. ibid.

113 An aliquando ſit licitum Clericis, & Religioſis aliqua ad bellum iuſtum conducentia facere, propria manu, adhuc ſine licentia, pugnare, &c. ibid.

R. Vt certum: Eſſe licitum. ibid.

114 An licitum ſit Clericis & Religioſis iuſto bello intereſſe, vt ſubſidia ſpiritualia miniſtrent, milites conſolentur, confeſſiones audiant: moribundos adiuuent, &c. ibid.

R. Vt certum: Licitum eſſe. ibid.

115 An liceat Clericis abſque metu irregularitatis hortari milites in bello iuſto ad pugnam in vniuerſum; nempe, vt ſtrenuè pugnent, hoſtem aggrediantur, fidem & patriam defendant, &c. ibid.

R. Licere. ibid.

116 An ſaltem ſit illicitum Clericis, fiántque irregulares, ſi in bello iuſto hortentur milites, non ſolùm ad pugnam in genere, ſed etiam ad prærumpendos hoſtium cuneos, ipſos occidendo, vt ſibi viam faciant ad muros, &c. p.101

R. Probabiliter: Nec id eſſe illicitum Clericis, nec fieri propter hoc irregulares. ibid.

117 An Clerici pugnantes, & occidentes ad defenſionem Regis, vel Principis, quem in bello iuſto vident occidendum ab hoſtibus, incurrant irregularitatem. ibid.

R. Non incurrere. ibid.

118 An etiam ſint immunes ab irregularitate Clerici, qui in bello iuſto occidunt aliquos, ob defenſionem Patriæ, eo quòd videant, quod aliàs caperetur, aut euerteretur ab aggreſſoribus. p.102

R. Probabilius: Etiam eſſe immunes ab irregularitate. ibid.

119 An item ſint liberi ab irregularitate, qui ad neceſſariam defenſionem Parentum, vxoris, aut filiorum, in bello iuſto aliquem occidunt. ibid.

R. Probabilius: Etiam eſſe ab irregularitate liberos. ibid.

120 An ſi quis Clericus militem aliquem hortetur vt pro tuenda fide Chriſti, aut pro Eccleſia Romana moriatur, ſit irregularis, ſi ſequatur ipſius militis mors. ibid.

R. Vt certum: Minimè eſſe irregularem. ibid.

121 An item liber ſit ab irregularitate Clericus exhortans militem, vt pro Republica, aut Patriæ defenſione moriatur, morte militis ſecuta. ibid.

R. Probabilius: Etiam manere liberum. ibid.

122 An deinde maneat liber ab incurſu irregularitatis Clericus, vel alius, qui conſulit, aut ſuadet alteri, vt exponat ſe mortis periculo pro defenſione ſui Patris periclitantis, aut ſui amici, &c. ibid.

R. Adhuc manere liberum. ibid.

123 An fiat irregularis Clericus, qui in bello iuſto præbet arma, quæ apud ſe habet, militi non habenti, vt ſe, ſuáque defendat bona, ſi poſtea miles occidat aliquem. p.103

R. Longè multò probabilius: Non fieri irregularem. ibid.

124 An ſaltem fiat irregularis dictus Clericus, ſi in iuſto bello præbeat arma militi, vt occidat aliquem in particulari, ſequuto effectu. ibid.

R. Æquè probabiliter: Nec in hoc caſu fieri irregularem. ibid.

125 An Clericus in bello iuſto propria manu pugnans, ob defenſionem propriæ vitæ, maneat irregularis, ſi aliquem hominem ob id occidat. ibid.

R. Vt certum: Non manere. ibid.

126 An caſu, quo Clerici peccent grauiter in bello iuſto pugnando propria manu, contra prohibitionem Eccleſiæ maneant irregulares, ſi aliquos percutiant, aut vulnerent, etiamſi nullum occidant, aut mutilent. ibid.

R. Vt certum: Non manere. ibid.

127 An ſaltem ſit irregularis Clericus, ſi in bello iniuſto militet ſponte, etiamſi nullum deformet. p.104

R. Vt ferè certum: Nec in hoc caſu eſſe irregularem. ibid.

128 An Clericus in bello iuſto propria manu licitè pugnans, ſi dubius poſtea maneat an ipſe occiderit aliquē, cenſeri debeat irregularis. ib.

R. Non debere cenſeri. ibid.

129 An ſi quis probabiliter æquè credat, ſe in bello iuſto aliquem occidiſſe, aut mutilaſſe, debeat ſe neceſſariò irregularem reputare. p.105

R. Æquè probabiliter: Non debere ſe talem putare. ibid.

130 An ſaltem Clericus, vel Religioſus militans in bello iuſto ſine licentia Pontificis ſe debeat reputare irregularem, ſi dubitet omnino, an alium mutilauerit, aut occiderit. ibid.

R. Probabiliter: Quod non debeat. ibid.

131 An ſi Pontifex diſpenſaret cum aliquo Clerico, vt in bello iuſto propria manu pugnaret, incurreret irregularitatem, ſi aliquos hoſtes in dicto bello occideret. ibid.

R. Probabilius: Quod non incurreret. ibid.

132 An omnes, qui in bello iniuſto mutilant, aut occidunt; & qui illis ad id modo quouis cooperantur, ſint irregulares. ibid.

R. Vt certum: Eſſe irregulares ex delicto. ibid.
133 An ſummus Pontifex ſolùm poſſit diſpenſare in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis. ibid.
R. Vt certum: Quod ſtando iuri communi ſolus Pontifex. ibid.
134 An ex iure nouo, aut priuilegio poſſint Epiſcopi diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis proueniente. p.106
R. Probabilius: Non poſſe. ibid.
135 An Prælati Regularium poſſint diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis cõtracta. ibid.
R. Probabilius: Poſſe. ibid.
136 An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis orta. ib.
R. Poſſe. ibid.
137 An irregularitas orta ex homicidio iuſto, facto in bello iuſto, aut à Iudice, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis. ibid.
R. Probabilius: Non eſſe. ibid.
138 An ſaltem Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate iſta orta ex homicidio iuſto, facto in bello, aut à Iudice. p.107
R. Poſſe. ibid.

DISPVTATIO VIII.

De Irregularitate proueniente ex delicto, ob bellum iniuſtum. ibid.

QVÆST. I. AN omnes mutilantes, aut occidentes in bello iniuſto contrahant irregularitatem ex defectu lenitatis, an verò ex delicto. ibid.
R. Vt certum: Contrahere ſolùm ex delicto. ibid.
2 An omnes militantes in bello iniuſto, ſi in eo fiant mutilationes, aut homicidia, maneant irregulares, etiamſi propriis manibus ſanguinem non fundant. ibid.
R. Probabilius: Omnes manere irregulares. p.108
3 An etiam omnes milites pugnantes maneant irregulares, caſu quo diuiſo exercitu in duas partes, vna pars committat homicidia; altera verò non. ibid.
R. Probabilius: Omnes vtriuſque partis manere irregulares. ibid.
4 An qui in bello iniuſto ſeruant militantium veſtimenta, & ſarcinas, fiant irregulares. ibid.
R. Probabilius: Fieri. ibid.
5 An conducentes milites ad bellum iniuſtum, ſint rei cædium, quas milites in illo admittunt, ac proinde irregulares. p.109
R. Probabilius: Eſſe. ibid.
6 An animantes, conſulentes, mandantes, exhortanteſve ad bellum iniuſtum, quamuis hi non interficiant, aut propria manu pugnent, ſint irregulares, ſi ex hoc ſuo delicto mors, aut mutilatio in aduerſariis ſequatur. ibid.
R. Vt certum: Eſſe. ibid.
7 An Duces, & militum Præfecti pugnantes in bello iniuſto maneant irregulares, etiamſi in eo nullæ cædes, aut mutilationes fiant. ibid.
R. Vt mihi certum: Non manere irregulares. ibid.
8 An vendentes, aut præbentes arma ad bellum iniuſtum, ſaltem dum prope inſtat bellum, ſint irregulares, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur. ibid.
R. Vt certum: Irregulares eſſe. ibid.
9 An etiam ſint irregulares vendentes arma ad iniuſtum bellum, ſi longo tempore ante illud inductum id faciant. ibid.
R. Probabilius: Etiam eſſe. ibid.
10 An item fiant irregulares, qui in bello nauali iniuſto gubernant naues, ſequuta occiſione, aut mutilatione alicuius. ibid.
R. Etiam eſſe irregulares. ibid.
11 An deinde fiant irregulares, qui in bello iniuſto incutiunt timorem hoſtibus verbis, aut dolo bellico, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur. ibid.
R. Etiam fieri. ibid.
12 An qui obſonia deferunt ad exercitum iniuſtè præliantem, ſint irregulares, ſi cædes ibi inueniantur. ibid.
R. Probabilius: Eſſe. ibid.
13 An incurrant irregularitatem, qui ad bellum iniuſtum accedunt, non animo pugnandi, ſed ad pacem componendam, aut iuuandos milites in ſpiritualibus, ſi in tali bello committantur cædes. p.110
R. Vt certum: Non incurrere. ibid.
14 An Clericus, qui intereſt iniuſto bello, etiamſi nihil noceat aduerſariis, ſi tamen in eo committantur aliquæ cædes, ſit irregularis. ibid.
R. Probabilius: Eſſe. ibid.
15 An militantes in bello iniuſto maneant irregulares, caſu quo occiſiones, aut mutilationes in ſociis ipſorum tantum contingant. ibid.
R. Manere irregulares homicidii caſualis. ibid.
16 An ſolus Papa poſſit in hac irregularitate diſpenſare. ibid.
R. Solum Pontificem poſſe, quando homicidium factum in bello iniuſto eſt omnino voluntarium. ibid.

DISPVTATIO IX.

De Irregularitate quæ contrahitur à Medicis, Chirurgis, & ægrotorum infirmariis. ibid.

QVÆST. I. AN Clericis Ordinibus Sacris Initiatis ſit iure prohibitum officium Medici, aut Chirurgi exercere, abſcindendo, vel adurendo. ibid.
R. Vt certum: Eſſe iure prohibitum. ibid.
2 An etiam Clericis minoribus Ordinibus inſignitis, ſit prohibitum mederi abſcindendo, vel adurendo. ibid.
R. Probabilius: Quod non. p.111.
3 An item Religioſis ſit interdictum mederi abſcindendo, & adurendo. ibid.
R. His item eſſe interdictum. ibid.
4 An omnibus Religioſis, nondum etiam Sacris Ordinibus initiatis, ſit prohibitum mederi adurendo, &c. ibid.
R. Probabilius: Quod non omnibus ſed ſolum Sacris Ordinibus initiatis. ibid.
5 An ſaltem licitum ſit prædictis Clericis, aut Religioſis mederi incidendo, aut vrendo, cauſa pietatis. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
6 An etiam ſit interdictum dictis Clericis, & Religioſis artem Medicinæ, aut Chirurgiæ abſque inciſione, & aduſtione exercere. ibid.
R. Probabilius: Quod non ſit. p.112
7 An laici Medici, ſeu Chirurgi, per inciſionem, aut aduſtionẽ, aut alio quouis modo curantes incurrant

currant irregularitatem, morte ægroti inde ſequuta, caſu quo adhibeant diligentiam ſufficientem, ne mors infirmi ſequatur. ibid.

R. Non incurrere, caſu quo ex arte operentur, &c. ib.

8 An toties fiat irregularis Medicus, ſiue Chirurgus, ſiue ſit laicus, ſiue Clericus, quoties ex mala curatione ſacta ab ipſo, ſequatur ægroti mors. ibid.

R. Toties fieri, quoties eius mortali culpa in curando perit ægrotus aliquis. ibid.

9 An Monachus, ſeu Clericus in Sacris exercens Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem, fiat irregularis, ſequuta ægroti morte, etiamſi adhibeat ſufficientiſſimam diligentiam in ea curatione. ibid.

R. Æquè probabiliter, Non fieri irregularem. p. 113

10 An prohibitum ſit Monachis & Clericis Sacris initiatis, mederi incidendo, vel adurẽdo, vrgente neceſſitate, vt tempore peſtis, quando non eſt alius qui hoc munus præſtet. ibid.

R. Vt certum: Quod non. ibid.

11 An ſi Monachus, aut Clericus in Sacris exerceret artem Chirurgiæ incidendo, aut adurendo, extra caſum neceſſitatis, eum ignorantia inuincibili huius prohibitionis, peccarent, & incurrerent irregularitatem, morte ægroti ſequuta. p. 114

R. Quòd non. ibid.

12 An prohibitum ſit Monachis, & Clericis in Sacris per *c. Tua nos*, applicare emplaſtrum mollificatiuum, quo apoſtema ſeſe aperit; aut aperire carnem cauſtico. ibid.

R. Quod non. ibid.

13 An venæ ſectio ſit Monachis, & Clericis in Sacris prohibita, per *d. cap. Tua nos, de homicid.* ibid.

R. Probabilius: Quod non ſit. ibid.

14 An prohibitum ſit dictis Clericis, aut Monachis conſulere, aut imperare, vt alicui cauſa ſanitatis membrum aliquod abſcindatur, aut comburatur. ibid.

R. Quod non ſit illis hoc prohibitum. ibid.

15 An Clericus in Sacris conſtitutus, ſeu Monachus exercens officium Medici, & Chirurgi abſcindendo, vel adurendo, ſecundum regulam artis, membrum alicuius ægroti ſanitatis cauſa, incurrat irregularitatem, ſi mors non ſequatur, ex ea ſaltem actione. ibid.

R. Quod non incurrat. ibid.

16 An Clericus, ſeu Monachus adiuuans Chirurgum, ad abſcindendum membrum infectum ægroti, ob eiuſdem ſanitatem, incurrat irregularitatem. p. 115

R. Non incurrere. ibid.

17 An laicus exercens Chirurgiam, aut Medicinam ſecundum regulas artis, fiat irregularis. ibid.

R. Vt certum: Non fieri, etiamſi membrum abſcindat, &c. ibid.

18 An vt laicus Medicus incurrat irregularitatem abſcindendo, vel adurendo, aut alio modo, medendo ægroto; ſit opus, vt mors eiuſdem ægroti ex culpa orta ex imperitia, aut negligentia Medici, eueniat. ibid.

R. Vt certum: Opus eſſe. ibid.

19 An ſi Medicus, vel Chirurgus dubitet, vtrum eius neglegentia, aut imperitia fuerit aliquis infirmus mortuus, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines promoueri. ibid.

R. Non poſſe. ibid.

20 An ſaltem Medicus, vel Chirurgus, qui probabiliter credit, nullam per imperitiam, aut negligentiam mortis cauſam dediſſe, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines promoueri. p. 116

R. Poſſe tunc. ibid.

21 An incurrat irregularitatem Medicus, præbendo ægroto Medicinam, quam neſcit, aut dubitat illi profuturam. ibid.

R. Incurrere, ſi ſalus infirmi non ſit deſperata. ibid.

22 An maneat irregularis Medicus, qui ignorans affectum morbi alicuius, illum nihilominus curandum ſuſcipit, & ad id medicamenta adhibet. ibid.

R. Manere, ſi eius errore moriatur æger. ibid.

23 An etiam maneat irregularis Medicus, qui in prædicto caſu leue aliquod medicamentum præſcribit, donec morbi vis innoteſcat: ſi inde ita exacerbetur morbus, vt tandem interimat ægrotum. ibid.

R. Quod non, &c. ibid.

24 An Medici, qui ægrotis deſperatis quoſlibet cibos, etiam noxios, porrigi permittunt, aut imperant, ſi inde mors ſequatur, aut acceleretur, grauiter peccent, & fiant irregulares. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

25 An Medicus, qui renitens ægroto vrgenti, & poſtulanti, noxium medicamentum præſcribit, fiat irregularis, ſi inde ſequatur mors. ibid.

R. Fieri, ſi clarè videat errare ægrotum tale medicamentum poſtulantem, &c. p. 117

26 An ſi Medicus, qui nec publico, nec priuato ſtipendio eſt conductus, nolit curare ægrotum, & ob id hic moriatur, peccet mortaliter, & maneat Irregularis. ibid.

R. Peccare mortaliter, contra charitatem; ſed non manere irregularem. ibid.

27 An ſaltem ſi Medicus, qui publico, vel priuato ſtipendio conductus eſt, nolit aliquem ægrotum curare, maneat irregularis, ſi ob id mors contingat. ibid.

R. Æquè probabiliter: Non manere irregularem, licèt contra iuſtitiam peccet, &c. ibid.

28 An peccent, & ſint irregulares Medici, Aromatarij, & Pharmacopolæ, qui medicamenta corrupta, aut ſuppoſititia præſcribunt, aut præbent, ex quibus ægroti mors ſubſequitur. p. 118

R. Vt certum: Et peccare mortaliter, & eſſe irregulares. ibid.

29 An etiam manſerint irregulares Medici, caſu quo optima, & propria medicamenta præſcripſerint; Aromatarij tamen aliquid noxium intermiſcuerint, ex quo mors fuit ſequuta. ibid.

R. Vt certum: Tunc non Medicos, ſed ſolos Aromatarios manſiſſe irregulares. ibid.

30 An maneat irregularis infirmorum Cuſtos, ſeu ſeruitor, qui contra prohibitionem Medici dat aliquam Medicinam, ſeu potionem ægroto, ex qua ſequitur, aut notabiliter acceleratur eius mors. ibid.

R. Vt certum: Eſſe irregularem. ibid.

31 An etiam maneat irregularis dictus infirmatius, ſi bona fide, aut ignorantia det aliquid ægroto, ex quo ſequuta, aut nimis accelerata fuit eius mors. ibid.

R. Nec manere, caſu quo talis fuerit eius bona fides,

aut ignorantia, quæ à graui culpa excuſaris infirmarium. ibid.

32 An maneat irregularis infirmarius, qui dat ægrotanti aliquid ex quo parum acceleratur mors. ibid.

R. Probabilius: Non manere. ibid.

33 An qui ægrotum agonizantem zelo pietatis, & compaſſionis adductus, in aliud latus vertit, vt citius moriatur, fiat irregularis, morte ſequuta. ibid.

R. Vt certum: Fieri irregularem, niſi aliàs inaduertentia, aut ignorantia à graui culpa excuſaret. ibid.

34 An etiam manſerit irregularis Sacerdos, qui ſuo conſilio fecit, vt alij ægrum iacentem in via conſpicatum erigerent, & dum ab illis ſuſtolleretur, mortuus eſt. p.119

R. Vt certum: Non manſiſſe irregularem. ibid.

35 An maneat irregularis ille qui bona fide, & intentione revolvit infirmum, exhibet cibum, & potum, & facit ſimilia, ex quibus acceleratur eius mors, vel quia eo motu ſuffocatur, vel frangitur apoſtema, vel anhelitus impeditur, &c. ibid.

R. Vt certum: Non manere irregularem. ibid.

36 An ſi quis ad iram prouocet ægrum, aut ad triſtitiam excitet, vel ſinat è lecto ſurgere, vel domo exire, aut circa feneſtram ſtare, fiat irregularis, ſi inde ſequatur, aut acceleretur mors. ibid.

R. Fieri, ſi in his actionibus notabilis negligentia, &c. inueniatur: ſecus aliàs. ibid.

37 An cenſendus ſit irregularis infirmarius, caſu quo dubitet, an ex imprudentia ſuæ actionis mors ægri contigerit. ibid.

R. Quod in hoc caſu conſulatur Medicus, &c. ibid.

38 An in hac irregularitate poſſit etiam diſpenſare Epiſcopus. ibid.

R. Poſſe. ibid.

39 An etiam Commiſſarius Cruciatæ poſſit in hac irregularitate diſpenſare. p.120

R. Poſſe. iid.

DISPVTATIO X.

De Irregularitate orta ex homicidio voluntario iniuſto directè volito. ibid.

QVÆST. I. Quotuplex ſit homicidium. ibid.

R. Quod duplex, iuſtum videlicet, & iniuſtum. ibid.

2 An, quid, & quotuplex ſit homicidium voluntarium. ibid.

R. Quod homicidium voluntarium eſt illud, quod in ſe vel in ſua cauſa proximè eſt volitũ. Eſtque duplex, vnum voluntarium directè, alterũ indirectè. ibid.

3 An homicidium voluntarium iniuſtum inducat irregularitatem. ibid.

R. Vt quid certiſſimum: Inducere. ibid.

4 An vt homicidium inducat irregularitatem, debeat eſſe factum contra iuſtitiam, contra quintum Decalogi præceptum. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

5 An ex homicidio voluntario omnino occulto naſcatur irregularitas. ibid.

R. Vt quid certiſſimum: Naſci. p.121

6 An irregularitas incurratur ob homicidium ſolùm attentatum. ibid.

R. Vt longè multò probabilius: Quod non. ibid.

7 An etiam ex iniuſta, & voluntaria membri mutilatione oriatur irregularitas. ibid.

R. Vt certum: Oriri. ibid

8 An irregularitas, quæ oritur ex mutilatione, ſit eadem cum ea, quæ oritur ex homicidio, aut quædam eius extenſio. ibid.

R. Quod non ſit. ibid.

9 An omnia, quæ iura diſponunt circa irregularitatem homicidij voluntarij, ſint extendenda ad irregularitatem mutilationis voluntariæ. p.122

R. Vt certum: Quod non. ibid.

10 An ſaltem omnia, quæ iura diſponunt circa irregularitatem mutilationis, debeant extendi ad irregularitatem homicidij. ibid.

R. Debere extendi quidquid rigoroſum eſt impoſitum mutilationi, non illud quod pœnam minuit. ibid.

11 An ad homicidium directè voluntarium committendum, cuius irregularitas ſoli Papæ eſt reſeruata, ſit opus vt illud deliberato animo, inito conſilio, ac ex propoſito fiat. ibid.

R. Probabilius: Opus eſſe. ibid.

12 An ſi quis in rixa inopinata ſubitò occidat alium, iudicandus reus ſit homicidij voluntarij. p.123

R. Probabiliter: Quod non. ibid.

13 An non ſolùm phyſicus homicida voluntarius, ſed etiam omnes ad homicidium voluntarium cooperantes, irregularitatem homicidij voluntarij incurrant. ibid.

R. Omnes incurrere: ſi poſitiuè cooperentur. ibid.

§. I. *De mandante homicidium, & ratum illud habente.* ibid.

14 An mandans homicidium expreſsè, reus ſit homicidij, & conſequenter irregularis. p.224

R. Vt certum: Quod ſic. ibid.

15 An mandans homicidium tacitè, & implicitè, ſit etiam irregularis. ibid.

R. Quod non, niſi caſu, quo poſitiua aliqua actione concurrat. ibid.

26 An Pater, aut dominus maneant irregulares, ſi filio, aut famulo dicant; *Domum non redeatis, donec aliquid noui de vobis audiamus.* ibid.

R. Manere, ſi illi verbis Patris auditis, occidant aliquem. ibid.

17 An etiam fiant irregulares Pater, aut dominus, caſu quo dicant filio, aut ſeruo hæc verba: *Caue ne occidas Petrum, qui mihi iniuriam intulit, non tamen reuertaris domum, donec aliquid noui de te audiamus.* p.125

R. Probabilius: Manere etiam, ſequuto homicidio. ibid.

18 An mandans alicui, vt aliquem verberet, aut percutiat illicitè, & expreſsè prohibeat, ne occidat, vel mutilet, irregularis fiat, ſi mandatarius excedens mandatum, verberando alterum occidat. ibid.

R. Probabilius: Fieri irregularem, caſu quo mandarit verberare grauiter: non ſi leuiter. ibid.

19 An præfatum homicidium, quod committit mandans, ſit directè, vel indirectè voluntarium, aut potius caſuale. ibid.

R. Probabilius: Eſſe caſuale. ibid.

20 An iudex dicens militibus: Ite, & adducite mihi talem, vel talem, viuum, aut mortuum, ſi milites eum occidant, aut mutilent, irregularis efficiatur. ibid.

R. Effici irregularem. ibid.

21 An maneat irregularis, qui mandat fieri homicidium ei, qui aliàs erat facturus. p.526

R. Probabilius: Manere. ibid.

22 An mandans aliquem occidi, vel mutilari, irregularitatem ex homicidio voluntario contrahat, ſi ipſemet mandatarius occidatur. ibid.

R. Longè

R. Longè probabilius: Quod non. ibid.

23 An in præaſſignato caſu incurrat mandans irregularitatem ortam ſaltem ex homicidio caſuali. ibid.

R. Æquè probabilius: Nec hanc incurrere. ibid.

24 An mandans homicidium excuſetur ab irregularitate, ſi ante patratum homicidium mandatum reuocet. ibid.

R. Vt certum: Excuſari. ibid.

25 An vt mandans homicidium excuſetur ab irregularitate, teneatur non ſolùm reuocare mandatum, & talem reuocationem intimare mandatario; ſed etiam monere occidendum, vt caueat. ibid.

R. Probabilius, teneri mandantem in hoc caſu, ex charitate, vel ex iuſtitia ad monendum etiam occidendum: ſed non incurrere irregularitatem, etiamſi hanc monitionem omittat. ibid.

26 An mandans homicidium ſit irregularis, ſi pace iam inita cum occidendo, Mandatarius illum occidat. p. 128

R. Non incurrere, caſu quo Mandatarius, initam pacem eſſe ante homicidium cognoſcat. ibid.

27 An mandans ſit irregularis caſu, quo non poſſit monere mandatarium de non occidendo proximo, eo quòd longè diſtet, aut proximum, qui tale periculum patitur, puta infantem, cuius abortum fieri mandauit matri. ibid.

R. Longè probabilius: Irregularem eſſe. ibid.

28 An mandans homicidium fiat irregularis, ſi mandatarius non ſtatim, ſed diu, nempe poſt duos, vel plures annos, homicidium committat. ibid.

R. Longè probabilius: Irregularem fieri. ibid.

29 An ſit irregularis, qui mandat alicui, vt occidat aliquem, ſi Mandatarius à principio nolit acceptare mandatum, poſtea tamen, mutata ſententia, acceptat illud, & exequitur. p. 129

R. Eſſe irregularem, ſi non reuocarit mandatum. ibid.

30 An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit alicui, vt occideret aliquem nocte; mandatarius verò occidit illum meridie. ibid.

R. Etiam eſſe irregularem. ibid.

31 An maneat irregularis ille, qui mandauit occidere equum Petri, & mandatarius putans mandari occiſionem ipſius Petri, illum occidit. ibid.

R. Non manere. ibid.

32 An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit homicidium fieri, & voluntate mutata, reuocationem Mandatario per nuntium miſit, qui tamen non intimauit ei. ibid.

R. Longè probabilius: Eſſe etiam irregularem. ibid.

33 An mandans homicidium ſit item irregularis, caſu, quo Mandatarius reuocationem mandati accipiat, ſed poſtea inuincibiliter reuocationis oblitus, homicidium commiſit. ibid.

R. Probabilius: Non eſſe in hoc caſu irregularem. ib.

34 An ſi quis homicidium non ſuo nomine factū approbet, irregularitatem incurrat. p. 130

R. Vt certum: Quod non. ibid.

35 An ſaltem incurrat irregularitatem, qui homicidium ſuo nomine factum, ratum poſtea habet. ibid.

R. Probabilius: Nec hunc incurrere irregularitatem. ibid

36 An ad minus maneat irregularis, qui ratum, & gratum habet, ac probat homicidium à ſeipſo ignoranter, aut inculpabiliter commiſſum. ibid.

R. Probabilius: Nec adhuc hunc manere irregularem. ibid.

37 An ad minus tandem fiat irregularis, qui ratum habet homicidium, quod coram illo, & ſuo nomine patratur. ibid.

R. Fieri irregularem, ſi approbet tale homicidium aliquo ſigno exteriori, aut nutu: ſecus aliàs. ibid.

§. II. *De conſulente homicidium.*

38 An qui conſulit homicidium illi, qui paratus non erat ad illud patrandum, fiat irregularis, ſequuto effectu. p. 131

R. Vt certum: Fieri. ibid.

39 An etiam fiat irregularis conſulens homicidium illi, qui iam paratus erat ad occidendum. ibid.

R. Quod non, abſolutè loquendo. ibid.

40 An ſaltem fiat irregularis ille, qui conſuluit cuidam, qui iam determinatus erat, Petrum occidere, ſed ex dicto conſilio citius occidit. ibid.

R. Probabilius: Irregularem fieri, niſi aliàs dicta mortis acceleratio leuis admodum ſit. ibid.

41 An conſulens homicidium ficto animo, ſit irregularis. ibid.

R. Eſſe irregularem, ſequuto effectu. p. 132

42 An cenſendus ſit irregularis, qui dubitat, an ſuum conſilium influxerit in homicidium re vera commiſſum. ibid.

R. Quod ſit. ibid.

43 An conſulens homicidium maneat irregularis, ſi conſulens non ſtatim, ſed poſt multos dies occidat. ibid.

R. Longè multò probabilius: Manere irregularē. ib.

44 An conſulens alteri, vt occidat aliquem, maneat irregularis, caſu quo is, cui datum eſt conſilium occidatur. p. 133

R. Æquè probabiliter: Non manere. ibid.

45 An conſulens homicidium euitet irregularitatem, ſi ante factum homicidium, conſilium datum reuocet, idque manifeſtet ei, cui conſilium dedit. ibid.

R. Probabilius: Non euitare, caſu quo qui accepit conſilium motus rationibus à conſulente propoſitis, homicidium commiſerit, &c. ſecus alias. ibid.

46 An qui conſuluit homicidium cuiuſdam Clerici, & poſtea ſeriò tale conſilium reuocauit, manſerit nihilominus excommunicatus, & irregularis, & obligatus ad reſtitutionem, ſequuto homicidio. ibid.

R. Probabilius: Manſiſſe excommunicatum, irregularem, & obnexum reſtitutioni, ſi conſilium reuocatum adhuc in homicidium influxerit. p. 134

47 An ſit irregularis conſulens abortum fœtus animati, ſi poſtea, reuocato conſilio, non poſſit fœminam ad id perſuaſam, remouere ab abortu procurando. ibid.

R. Probabilius: Eſſe irregularem. ibid.

48 An qui conſuluit homicidium, & reuocauit illud, ac bona fide credidit, id ſufficere, vt occiſio non ſequeretur, maneat nihilominus irregularis, ſi homicidium ſubſequatur. ibid.

R. Longè probabilius: Manere irregularem. ibid.

49 An præbens conſilium pium, ex quo præter intentionem homicidium ſequitur, irregularitatem incurrat. ibid.

R. Vt certum: Quod non. ibid.

50 An conſulens alteri, vt pro fide Chriſti, aut pro Eccleſia ſe morti exponat, fiat irregularis, morte conſulti ſequuta. ibid.

R. Vt certum: Quod non. ibid.

51 An etiam vitet irregularitatem, qui conſulit alteri, vt ſe pro bono publico, aut pro defen-

denda Patria, periculo mortis exponat, ſi inde mors conſulti ſequatur. ibid.
R. *Etiam vitare.* ibid.
52 An conſulens alteri, ne hoſtem fugiat, eo quòd exiſtimet hoſtem, qui eum inſequitur, ob ſuam præſentiam eum non occiſurum, irregularis maneat, ſi exinde conſultus occidatur. ibid.
R. *Non manere, ſi conſulens id probabiliter exiſtimarit.*
53 An qui tranſeunti fluuium rapaciſſimum iumento debili conſulit, vt deſcendat, vt ſic melius illud pertranſeat, fiat irregularis, ſi exinde deſcendens ſubmergatur. ibid.
R. *Non fieri.* ibid.
54 An qui parato occidere Clericum adulterum conſulit, vt potius mutilet, maneat irregularis, ſi mutilatum faciat. p.136
R. *Probabilius: Non manere.* ibid.
55 An maneat irregularis qui conſulit alicui, vt bona ſua tueatur, ac defendat, ſi conſultus ob id ſe exponat periculo, & occumbat. ibid.
R. *Probabilius: Non manere, ſi bona ſint magni momenti.* ibid.
56 An qui conſulit alteri aliquod crimen, v.g. furtum, ex quo ſcit illum morte puniendum, fiat irregularis. ibid.
R. *Probabilius: Non fieri irregularem, niſi conſilium dictum dediſſe animo vt conſultus occideretur.* ib.
57 An Confeſſarius, qui conſulit pœnitenti fateri crimen dignum morte, ſi iuridicè interrogetur, ſit irregularis, ſequuta pœnitentis morte. p.137
R. *Non eſſe irregularem, caſu quo pœnitens teneatur crimen fateri, ſecus aliàs.* ibid.
58 An ſit irregularis qui conſulit homicidium alicui, qui aliàs illud eſſet commiſſurus, abſque conſilio tali. ibid.
R. *Non eſſe, ſi conſultus nullo modo fuit motus ad occidendum ob conſilium conſulentis, ſecus aliàs.* ib.

§. III. *De Auxiliante, aut cooperante ad homicidium.*

59 An Auxiliantes, & cooperantes ad homicidium, vel mutilationem, ſint ſequuto effectu, irregulares. ibid.
R. *Vt quid certum: Eſſe.* ibid.
60 An quando plures de communi conſenſu vnum aliquem aggreſſi ſunt, & aggreſſus vnico vulnere periit, omnes maneant irregulares. ibid.
R. *Vt certum: Omnes manere.* ibid.
61 An etiam omnes maneant irregulares, quando plures, non præmiſſo conſilio, aut conſenſu, ſed in rixa ſubitò contingenti, omnes inuolarunt in vnum, & vulnerarunt Petrum, & ſolùm vnum vulnus fuit lethale; neſcitur tamen à quo fuerit inflictum. p.138
R. *Vt certum: Omnes eſſe irregulares, ſi omnes dubitant, an vulnus illud intulerint.* ibid.
62 An etiam in dicto caſu ſint omnes irregulares, dato quod conſtet quis illud vulnus lethale, ex quo percuſſus eſt mortuus, intulerit. ibid.
R. *In praxi, omnes cenſendos eſſe irregulares, &c.* p.139
63 An qui ſcienter aſſociat euntem ad occidendum aliquem, animo ſolùm defendendi eum (ſi opus fuerit) ne ſuccumbat: maneat irregularis ſi aſſociatus occidat. ibid.
R. *Quod ſic.* ibid.
64 An ſaltem ſit immunis ab irregularitate, ſi Aſſocians ſit Pater, vel Filius, vel valdè amicus eius, qui ad occidendum aliquem exit, ſi hic contrarium occidat. ibid.
R. *Probabilius: Non eſſe immunem.* ibid.
65 An quando plures vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe lethalia, ſed tamen ſimul ſumpta, ſunt cauſa ſufficiens mortis, omnes, & ſinguli incurrant irregularitatem. ibid.
R. *Vt certum: Omnes incurrere.* ibid.
66 An quando plures inhabitantes in aliqua domo, nec ex dolo, aut malitia, nec ex mutua cooperatione, ſed ex aliqua leuitate, & negligentia lapides ſingulos projecerunt, vno tamen lapide percuſſus obiit quis, an inquam, omnes fiot irregulares. p.140
R. *Probabilius: Nullum eſſe irregulares.* ibid.
67 An ſi quis animo latronem occidendi, non lethaliter, ſed leuiter percuſſit, ſed deinde alij, neque vocati, neque incitati à primo percuſſore, lethaliter percuſſerunt, omnes maneant irregulares. ibid.
R. *Longe probabilius: Non primum, ſed ſolùm vltimos percuſſores manere irregulares.* ibid.
68 An etiam è contra, quando quis primò lethaliter percuſſit aliquem, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm percuſſerunt, primus percuſſor tantùm irregularis ſit. ibid.
R. *Probabilius: Cæteros etiam manere, niſi aliàs vulnera ab iis inflicta ſint leuiſſima, &c.* ibid.
69 An quando primus aliquem lethaliter percuſſit, & cæteri aduenientes (nullo habito conſilio, aut cooperatione) etiam lethaliter percuſſerunt, omnes maneant, ſequuta percuſſi morte, irregulares. p.141
R. *Probabilius: Omnes manere, ſi poſt aliquod tempus obierit percuſſus; ſi verò ſtatim, primum percuſſorem non manere, ſed ſecundos ſolùm.* ibid.
70 An omnes cenſendi ſint irregulares, caſu quo poſteriùs lethaliter vulnerantes occurrunt inuitati à primo, qui tantum leuiter vulnerauit. ibid.
R. *Vt certum: Omnes manere.* ibid.
71 An fiat irregularis ille, qui rixam iniuſtam habens cum alio admonet amicos, famulos, & conſanguineos accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali illi inferant, ſi hi nihilominus occidant eum, aut mutilent. ibid.
R. *Probabilius: Quod non.* p.142
72 An qui vulnerauit lethaliter aliquem, quem domus corruens interemit, maneat irregularis. ibid.
R. *Vt certum mihi: Non manere.* ibid.
73 An maneat irregularis ille, qui leui vulnere aliquem percoſſit, & percuſſus incidens in ſaxa, vel flumen, mortuus eſt. ibid.
R. *Etiam vt certum: Manere irregularem, ſaltem ex homicidio caſuali.* ibid.
74 An qui ſagittam, aut gladium de vulnere alicuius extrahit, fiat irregularis, ſi ob id vulneratus citiùs pereat. ibid.
R. *Probabilius: Fieri irregularem, ſi non extrahat cautè, & ſecundum regulas artis, ſecus aliàs.* ibid.
75 An cenſeri debeat irregularis ille, qui dubitat, an ex vulnere graui, vel leui à ſe illato, vulneratus obierit. ibid.
R. *Vt certum: Cenſeri debere.* ibid.
76 An caſu, quo vulnus illatum alicui leue fuit, incuria tamen Medicorum, aut propria intemperantia, aut alia quapiam accedente cauſa vulneratus obiit, habendus ſit irregularis, qui ipſum ita leuiter vulnerauit. p.143
R. *Probabilius: Quod non ſit habendus.* ibid.

77 An

77 An ſaltem maneat irregularis, ſi vulnus, quod intulit fuit graue, aut lethale, etiamſi percuſſus ex malo regimine, aut ex imperitia, aut negligentia Medici, aut Chirurgij moriatur. ibid.

R. Probabilius : Adhuc non manere irregularem. ib.

78 An qui leuiter vulnerauit, fiat irregularis, ſi ex eo vulnere percuſſus pereat, eo quòd non potuit inueniri Chirurgus, aut meditamen ad manum. p.144

R. Vt certum : Irregularem fieri. ibid.

79 An item fiat irregularis qui percuſſit leuiter, ſi mors non ſequatur præciſè ratione vulneris, eo quòd non fuerit mortale, ſed ratione febris, aut alterius infirmitatis inde prouenientis. ibid.

R. Irregularem fieri, ſi præciſè ex vulnere febris prouenerit : ſecus ſi ex alia cauſa. ibid.

80 An ſi vulneratus ex vulnere non lethali ſemel conualuit, & poſtea in morbum recidit, & tandem obiit; immunis maneat vulnerans ab irregularitate; & aliis obligationibus homicidij. ibid.

R. Immunem manere. ibid.

81 An ſi vulneratus ſurgat è lecto, triduo iam tranſacto poſt acceptum vulnus, præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſi poſtea decedat. ibid.

R. Melius, quod ad ferendum de hoc caſu iudicium, non ſit præciſè attendendum ad tempus, &c. ſed ad alia, &c. p.145

82 An præbens arma alicui, quem ſuſpicatur ea emere, aut petere ad iuſtam occiſionem Petri; ſit irregularis, occiſione ſequuta. ibid.

R. Æquè probabiliter : Non eſſe, niſi aliàs ex intentione homicidij patrandi arma præbeat. ibid.

83 An ſaltem maneat irregularis, ſi præbeat arma petenti illa in ſubitanea rixa, aut in procinctu cædis. ibid.

R. Manere irregularem, niſi aliàs non niſi magno ſuo damno arma denegare poſſet. ibid.

84 An ſi quis tradat arma Caio ad occidendum Titium, fiat irregularis, ſi Caius occidat Titium aliis armis. ibid.

R. Non fieri, niſi aliàs Caius illis armis factus ſit animoſior, &c. ibid.

85 An qui ad iniuſtè comburendum aliquem viuum ignem admouet, aut exſtruit focum, ſit irregularis. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

§. II. *De impediente homicidium.*

86 An incurrat irregularitatem, qui non impedit homicidium iniuſtum, ſi ad id nec ex charitate, nec ex iuſtitia, nec alio titulo teneatur. p.146

R. Vt certum : Quod non. ibid.

87 An qui voluntariè non impedit iniuſtum homicidium, quando non ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate illud impedire tenetur, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Probabilius : Non incurrere. ibid.

88 An ſaltem qui tenetur ex iuſtitia impedire homicidium, & non impedit, cum commodè poſſit, fiat irregularis. ibid.

R. Probabiliter : Nec hunc fieri irregularem, ſi id faciat per puram, & ſimplicem omiſſionem, &c. ibid.

89 An Gubernatores, Iudices, & alij Prælati, qui ex iuſtitia tenentur impedire homicidium iniuſtum, incurrant irregularitatem, ſi non impediant quando commodè poſſunt. p.147

R. Probabilius : Non incurrere, ſi id faciant purè, & ſimpliciter permittendo. ibid.

90 An Procurator, & Advocatus, qui dolosè aſſumptum rei patrocinium deſerunt, ſint irregulares, ſi reus ob deſertionem damnetur ad mortem. ibid.

R. Probabiliter : Nec eſſe irregulares. ibid.

91 An fiat irregularis, qui ſciens mulierem quæ ex ipſo concepit, abortum fœtus animati procurare, tacet, & non impedit. ibid.

R. Probabiliter : Minimè fieri irregularem. p.148

92 An Medicus qui omittit curare ægrotum, & ob id moritur, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Probabiliter : Non incurrere. ibid.

93 An ſi quis volenti defendere alium ex charitate, perſuadet ne defendat eum, fiat irregularis, ſi ex illa non defenſione ſequatur homicidium. ibid.

R. Probabiliter : Non fieri. ibid.

94 An ſaltem fiat irregularis, ſi volenti defendere ex iuſtitia alium ab occiſione, id ei diſſuadeat per vim, aut fraudem. ibid.

R. Probabiliter : Non hunc fieri irregularem. p.149

95 An qui dolosè diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum, ne paſcat, & Medico ne curet, & volenti reuelare homicidij tractatum, ne reueler, fiat irregularis, ſequuto homicidio. ibid.

R. Probabiliter : Quod non. ibid.

96 An qui aquis immerſo funem, ramum, aut ſcapham, quibus ſaluari poſſet, ſubtrahit, fiat irregularis. ibid.

R. Vt certum : Fieri. p.150

97 An etiam fiat irregularis, qui videns alium immerſum flumine, non adjuvat ſuo fune, ſcapha, &c. ibid.

R. Probabiliter : Hunc non fieri. ibid.

98 An irregularis fiat ille, qui præſens fuit tractatui habito ſuper occidendo eius inimicum ab eius conſanguineis, vel ſeruis, & tamen tacuit. ibid.

R. Probabilius : Non fieri irregularem, ſaltem in foro interno. ibid.

99 An etiam ſit ab irregularitate liber, qui alium non defendit, ſed gaudet de illius nece, atque riſu, alióve ſigno id teſtatur. ibid.

R. Etiam eſſe liberum : niſi aliàs, &c. ibid.

100 An maneat irregularis, qui cæco pontem tranſeunti tabulam aliquam ſubtrahit, vnde ille ſubmergitur. ibid.

R. Manere. ibid.

101 An fiat irregularis, qui fores domus ſuæ occludit fugienti inſequentes aduerſarios, vt facilius, aut citius occidatur. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

102 An ſi quis noctu per loca periculoſa cum lumine incedat, ſi illius lumen aliquis dolosè extinguat, illeque præceps irruat, fiat irregularis. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

103 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex huiuſmodi homicidio directè voluntario. p.151

R. Vt certum : Quod non. ibid.

DISPVTATIO II.

De Irregularitate ex abortu. ibid.

QVÆST. I. AN ſit licitum procurare abortum fœtus nondum animati, ad tuendam famam, vel honorem alicuius puellæ prægnantis. ibid.

R. Vt

R. Vt certum, contra nonnullos, non eſſe licitum. ibid.
2 An ſaltem ſit licitum procorare directè abortum (quando aliud non ſuppetit remedium) pro ſalute matris, ſi fœtus nondum ſit animatus. ibid.
R. Probabilius: Nec id eſſe licitum. ibid.
3 An ad minos ſit licitum in præfatis caſibus procurare indirectè abortom fœtus nondum animati, ſumendo aliquod semediom, quod directè tendat ad ſanitatem, & vitam matris tuendam. ibid.
R. Eſſe licitum, caſu quo tale remedium ſit vtile ad vitam matris, &c. p.152
4 An etiam poſt fœtus animationem liceat, attento Ordine ſolius naturæ, ſumere, & applicare remediom, quod per ſe, & directè tendat ad ſanitatem matris, quamvis per accidens ſequatur ſœtus occiſio. ibid.
R. Eſſe licitum, Ordine natura attento. ibid.
5 An etiam attento Ordine gratiæ, ſit licitum matri vti prædicto remedio, cum adeſt probabile periculum enecandi fœtus, quamvis per accidens. ibid.
R. Probabilius: Eſſe licitum, niſi aliàs, &c. ibid.
6 An maſculus animam rationalem accipiat die quadrageſimo à conceptione. ibid.
R. Probabilius: Nihil certi affirmarè poſſe. p.153
7 An etiam fœmellæ animentur eodem tempore, quo animantur maſcoli. ibid.
R. Contra nonnullos, quod non. ibid.
8 An qui cauſat abortum fœtus inanimati, ſit irregularis. ibid.
R. Iam vt certum: Quod non. ibid.
9 An ſaltem ſit irregularis, qui abortum animatum cauſat. ibid.
R. Vt quid certiſſimum: Eſſe. ibid.
10 An qui abortum cauſauit, ſit irregularis caſu quo ſit dubium, an fœtus ſit animatus. p.154
R. Probabilius: Eſſe irregularem. ibid.
11 An in dubio, an fœtus ſit maſculus, vel fœmina, præſumi debeat maſculus, & iuxta dicta reputari irregularis, qui cauſauit abortom, ſi hoc fecit poſt quadrageſimum diem à conceptione. ibid.
R. Præſumi debere maſculum. ibid.
12 An qui cauſam dedit aborſui ſœtus inanimati, maneat irregolaris, ſi mater inde pereat. ibid.
R. Vt certum: Manere, niſi ignorantia illum excuſet. ibid.
13 An ſaltans obſcœnè cum muliere prægnante, ſit irregolaris, ſi ex hoc ſequatus aborſos ſœtus animati. ibid.
R. Probabilius: Eſſe, ſi ſaltatio valde fuerit immoderata, &c. p.155
14 An ſit irregularis Monachus, aut Clericus ludens, etiam modeſtè, cum muliere grauida, ſi inde aborſus animatus contingat. ibid.
R. Non eſſe, niſi aliàs, &c. ibid.
15 An maneant irregulares iuvenes, qui laſciuientes, erepito alicuius veſicæ fœminæ prægnanti illodunt, & abortire faciunt. ibid.
R. Manere, ſi dolo malo id fecerint, &c. ibid.
16 An fiat irregularis, qui vtitur copula mulieris grauidæ, ſi inde mors fœtus animati ſequatur. ibid.
R. Probabilius: Fieri, ſi ex indebita cautione mortaliter culpabili aborſus euenerit. ibid.
17 An adulter, qoi fecit intrare prægnantem per loca periculoſa, vt per tectum, aut feneſtram domus, & illa mortua eſt, vel abortiuit, maneat irregularis. ibid.
R. Probabiliter: Quod non, niſi aliàs id vi obtinuerit, &c. ibid.
18 An qui dat fœminæ venenum ſterilitatis, ne concipiat, aut vito, ne poſſit generare, incurſat irregularitatem. p.156
R. Vt certum: Iam non incurrere. ibid.
19 An Prælati Regulares poſſint hodie diſpenſare cum ſubditis in irregularitate contracta ex occiſione occulta fœtus animati. ibid.
R. Probabiliter: Poſſe. ibid.
20 An etiamſi talis irregularitas ſit contracta ex publicâ occiſione fœtus animati, ſit diſpenſabilis à præſatis Religionum Prælatis. ibid.
R. Probabilius: Quod ſic. ibid.
21 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occiſione fœtus animati. ibid.
R. Non poſſe, ſi talis occiſio fuerit directè voluntaria, & conſultò intenta: ſecus ſi fuerit caſualis, & occulta. ibid.

DISPVTATIO XII.

De Irregularitate orta ex homicidio facto in defenſionem propria, & alienæ vitæ. ibid.

QVÆST. I. AN laïcus qui occidit inuaſorem iuſtum pro tuenda propria vita, peccatum committat, & irregularitatem contrahat. ibid.
R. Tanquam certiſſimum: Nec peccatum committere, nec irregularitatem contrahere. p.157
2 An etiam Clericus, vel Monachus excuſetur ab irregularitate, ſi committat homicidium defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid.
R. Iam vt certum: Etiam excuſari. ibid.
3 In quo conſiſtat defenſio inculpata, ſeu quod idem eſt, moderamen inculpatæ tutelæ, conditio neceſſaria, vt occiſio iniuſti aggreſſoris ſit licita, & libera ab irregulariate. ibid.
R. Conſiſtere in hoc, quod aggreſſus ſit conſtitutus in ea neceſſitate, qua neque fuga non ignominioſa, nec clamore; &c. ſe ipſum defendere poſſit, niſi interficiendo. ibid.
4 An maneat irregularis, ſi aliquis inuaſus à Miniſtris iuſtitiæ illos occidat. ibid.
R. Probabilius: Non manere, ſi iniuſtè conentur illum interficere, &c. ibid.
5 An etiam ſint immunes ab irregularitate filij, ſubditi, ſerui, & vaſſall occidentes Parentes, Superiores, Dominos, & Principes cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniuſtè inuaduntur ab his. p.158
R. Etiam eſſe immunes. ibid.
6 An fiat irregularis qui cum moderata defenſione occidit iniuſtum inuaſorem, ſciens illum eſſe in mortali, & in eo moriturum. ibid.
R. Vt ferè certum: Quod non fiat. ibid.
7 An inuaſus, qoi poteſt ſe iuſtè defendere occidendo iniuſtum inuaſorem, peccet mortaliter, ſi id non faciat. ibid.
R. Probabilius: Non peccare, regulariter loquendo. ib.
8 An ſaltem in aliquibus caſibus teneatur inuaſus occidere inuaſorem iniuſtum. ibid.
R. Vt certum: Teneri, & ſub mort. in tribus, &c. ib.
9. An euadat irregularitatem, qui debito moderamine ſe defendens, directè vult, & intendit mortem iniuſti aggreſſoris, eamque exequitur. p.159
R. Vt longè probabilius: Quod euadat. ibid.
10 An fiat irregularis, qui ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, occidit alium ad vitandam

in

in ſe mutilationem membri. ibid.

R. Vt ferè certum : Non fieri. ibid.

11 An ſaltem fiat irregularis, qui occidit iniuſtum inuaſorem, vt ſe tueatur à graui vulnere ab illo infligendo. p.160

R. Vt ferè certum : Nec iſtum fieri irregularem. ib.

12 An ad minus fiat irregularis, qui occidit iniuſtum inuaſorem, ne turpiter ab illo deformetur. ibid.

R. Probabilius : Nec in hoc euentu irregularem fieri. ibid.

13 An ſit irregularis qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad ſui defenſionem occidit inuaſorem, ſi id etiam exequatur ex odio. ibid.

R. Longè probabilius : Non eſſe. ibid.

14 An ſit irregularis, qui occidit inuaſorem innocentem: v. g. puerum, vel amentem, vel phreneticum, qui ſtricto enſe ipſum impetit, & niſi illum præueniat, omnino eum confodiet. ibid.

R. Vt certum : Non eſſe irregularem. ibid.

15 An maneat irregularis qui fugiens hoſtem, & non valens euadere, niſi per anguſtum iter, proterit infantem, aut claudum illi occurrentem. ibid.

R. Vt longè probabilius : Quod non maneat. ibid.

16 An etiam irregularitatem fugeret, qui interficeret amentem, vel phreneticum ſe inuadentem, ſi aliunde illi conſtaret, eum eſſe in mortali, à quo poſt amentiam, vel phreneſim poterit reſurgere. p.161

R. Non effugere irregularitatem, niſi aliàs inuaſus eſſet etiam in mortali. ibid.

17 An maneat irregularis inuaſus, qui potentioribus armis occidit ſuum iniuſtum inuaſorem. ibid.

R. Vt longè probabilius : Non manere. ibid.

18 An ſaltem ſit irregularis, qui ob defenſionem vitæ ſuæ aut honoris, occidit aggreſſorem venientem contra ipſum, ſine aliquo genere armorum, ſed tantùm manu vacua, minans eum ſuffocare, aut alapam præbere. ibid.

R. Probabilius longè : Nec in hoc caſu eſſe irregularem. ibid.

19 An quando inuaſor actu non inuadit alium, eſt tamen in actu proximo ad illum inuadendum, poſſit hic licitè, & abſque periculo irregularitatis, inuaſorem morte præuenire. p.162

R. Vt longè probabilius : Poſſe, ſi aliter inuaſus periculum euitare non poſſit. ibid.

20 An ex eo ſolùm quod aggreſſor veniat, & accedat cum armis contra aliquem, veriſimiliter cauſa offendendi, poſſit aggreſſus licitè, & ſine irregularitatis nota eum occidere. ibid.

R. Vt longè probabilius : Poſſe. ibid.

21 An qui porrigit venenum ei, qui ſibi illud parauit, maneat irregularis, morte illius ſequuta. ibid.

R. Non manere, ſi aliter periculum in quo eſt conſtitutus, vitare non poteſt. ibid.

22 An ſine incurſione irregularitatis poſſim ego occidere illum, qui actu mandat, & ſuadet famulo, vel ſicario, vt me occidat. p.163

R. Poſſe. ibid.

23 An etiam ſine incurſu irregularitatis poſſim morte præuenire illum, qui licet actu non ſuaſit alicui, vt me ſtatim occideret, coniurauit tamen in meam necem, & cum ſicariis egit, vt opportunitatem quærant me occidendi. ibid.

R. Poſſe illum morte præuenire, ſi aliquoties à me monitus, noluit à ſuo malo propoſito deſiſtere. ibid.

24 An ſi aliquis decreuit aliquem occidere, & hoc alicui manifeſtauit, poſſit hic licitè, & ſine incurſione irregularitatis, illum morte præuenire, ſi aliter non poſſet effugere. ibid.

R. Æquè probabiliter : Poſſe. ibid.

25 An eum, qui alicui minator mortem, liceat ſine timore irregularitatis occidere. p.164

R. Probabilius : Licere, ſi minans ſit ſolitus minas executioni mandare. ibid.

26 An qui recluſus in aliqua domo videt inimicum inſidias parantem, vt eum occidat, poſſit licitè præuenire, & interimere illum, ſi aliud remedium euadendi non habet. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

27 An liceat cuique illum prius occidere, qui falſis teſtibus contendit, ipſum per Iudicem interficere, imponendo illi aliquod flagitium, ob quod ad mortem ab ipſo Iudice ſit damnandus. p.165

R. Probabilius : Licere, ſi nulla alia via poſſit ſuum damnum vitare. ibid.

28 An item licitè, & ſine incurſione irregularitatis poſſit quis occidere falſum teſtem euntem ad teſtificandum in iudicio aliquod crimen, propter quod ille occidendus ſit, vel infamandus, vel omnibus ſuis bonis priuandus. ibid.

R. Probabilius : Poſſe, ſi aliter defendi non poſſit. ibid.

29 An etiam poſſit quis licitè occidere accuſatorem, vel teſtem, qui bona fide de crimine morte digno illum accuſat, aut falsò teſtificatur. ibid.

R. Vt certum : Non poſſe. ibid.

30 An licitum ſit cuipiam occidere illum, qui verbalibus iniuriis famam notabiliter lædit, ſi monitus nolit deſiſtere. ibid.

R. Probabilius : Eſſe licitum, ſi nulla alia via talem famæ læſionem vitare queat. ibid.

31 An adulter fiat irregularis, caſu quo maritus occidat vxorem, propter adulterium. p.166

R. Probabilius : Quod non. ibid.

32 An ſaltem fiat irregularis adulter, qui inuentus à marito in flagranti delicto, vt ſe tueatur contra ipſum maritum in ſe inuadentem, illum occidit, ne ipſe occidatur. ibid.

R. Probabilius : Quod adhuc non fiat. p.167

33 An ſi quis occidat iniuſtum inuaſorem, vt vitam ſuam defendat in caſu, quo ſatis eſſet illum mutilare, aut vulnerare, vt ſe defenderet, fiat irregularis. ibid.

R. Probabilius : Fieri, ſi ex dolo, & propoſito faciat. ibid.

34 An vir nobilis laïcus, qui potuit euitare conatum iniuſtè inuadentis fugiendo, ſit irregularis, ſi ſiſtendo illum occidat. ibid.

R. Probabilius : Non eſſe irregularem. ibid.

35 An etiam milites ſint ab irregularitate immunes, occidendo iniuſtum inuaſorem, quando fugiendo poſſent ab inuaſore liberari. p.168

R. Probabilius : Immunes eſſe. ibid.

36 An deinde Nobiles, & milites ſint liberi ab irregularitate, ſi occidant ſuum iniuſtum inuaſorem in loco deſerto, & ſolitario, quando fugiendo poſſent mortem euadere, ſine nota hominum, eo quòd ibi nullus inuenitur. ibid.

R. Probabiliter : Etiam manere liberos. ibid.

37 An item Plebeij, ignobiles, & mechanici homines ſint ab irregularitate alieni, ſi ſuum iniuſtum aggreſſorem occidant, caſu quo fugiendo poſſent mortem euadere. ibid.

R. Pro

R. Probabilius : Eſſe alienos ab irregularitate, &c. p.169

38 An denique Clericus, vel Religioſus liber maneat ab irregularitate, ſi pro ſe tuendo occidat ſuum iniuſtum inuaſorem, quando ſuam vitam fogiendo tueri poſſet. ibid.

R. Æquè probabiliter : Liberum manere, &c. p.170

39 An ſi aggreſſor ante, vel poſt vulnus illatum, cadat in terram, poſſit aggreſſus abſque nota irregularitatis ibi eum offendere, & occidere. ibid.

R. Non poſſe, ſi aliàs commodè poſſet aggreſſorem debilitare viribus, &c. ibid.

40 An etiam poſſit quilibet, non ſolùm defendere vitam ſuam, ſed etiam vitam Patris, vel filij, vel vxoris, aut alterius conſanguinei, vſque ad occiſionem iniuſti aggreſſoris, abſque incurſu irregularitatis. p.171

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

41 An ſimiliter poſſit quis defendere vitam proximi extranei, vſque ad occiſionem iniuſti inuaſoris, ſine vlla culpa, & irregularitate, quando aliter illam defendere non poteſt. ibid.

R. Probabilius : Poſſe etiam. ibid.

42 An vt quis teneatur defendere proximum iniuſtè aggreſſum, neceſſum ſit, vt hic clamet. ibid.

R. Longè probabilius : Non eſſe neceſſum. Ibid.

43 An etiam poſſit quis abſque irregularitate, iniuſtè aggreſſorem proximi interficere, in abſentia eiuſdem, quando id eſt neceſſarium ad eius defenſionem. p.172

R. Probabilius : Etiam poſſe. ibid.

44 An item interficere quis iniuſtum aggreſſorem proximi poſſit, etiamſi hic defendi nolit. ibid.

R. Probabilius : Adhuc poſſe. ibid.

45 An denique poſſit quis defendere proximum, etiam non Chriſtianum, iniuſtè aggreſſum vſque ad interfectionem aggreſſoris. ibid.

R. Quod non ſolùm poſſit, verum etiam, quod teneatur. ibid.

DISPVTATIO XIII.

De Irregularitate ex homicidio facto pro defenſione, tam rerum ſuarum, quàm proximorum. ibid.

QVÆST. I. AN licitum ſit cuilibet perſonæ ſæculari ob defenſionem bonorum ſuorum temporalium interficere iniuſtum eorum inuaſorem. ibid.

R. Probabilius longè : Eſſe licitum. ibid.

2 An licèt licitè occidat ſæcularis quis furem aliquem, aut actualem inuaſorem ſuorum bonorum temporalium, maneat nihilominus irregularis. p.173

R. Probabilius : Non manere. ibid.

3 An etiam Clerici poſſint abſque culpa, & irregularitatis pœna, occidere actualem rerum ſuarum inuaſorem. ibid.

R. Probabilius : Poſſe, ſi res ſint magni momenti, & aliter ſeruari non poſſint. ibid.

4 An non ſolùm Clerici, verum etiam Religioſi, poſſint ſine irregularitatis pœna occidere furem volentem bona ſua ſurripere, quando aliter defendere ea non valent. p.174

R. Probabilius : Etiam Religioſos poſſe. ibid.

5 Quænam res dicatur magni momenti, pro cuius defenſione licet cuipiam interficere eius raptorem. ibid.

R. Id arbitrio viri prudentis relinquendum eſſe, &c. ibid.

6 An deinde immunis ſit ab irregularitate, non ſolùm ille (laïcus, vel Eccleſiaſticus) qui occidit inuadentem, ne auferat rem magni momenti; ſed etiam ille qui occidit, vt recuperet rem quam iam abſtulit. ibid.

R. Immunes eſſe, ſi occidant raptorem incontinenti. ibid.

7 An liber maneat ab irregularitate, qui occidit furem, dum fugit cum re, quam ſurripuit. ibid.

R. Probabilius longè : Manere liberum, caſu quo fur præmonitus de morte, nolit rem acceptam dimittere. ibid.

8 An etiam licitè, & liber ab irregularitate poſſit quis occidere furem, qui rem furatam iam habet poſitam in certo loco. p.175

R. Probabilius : Etiam poſſe, ſi fur nolit rem furatam dimittere, &c. ibid.

9 An etiam poſſit quis abſque incurſione irregularitatis ingredi domum, vbi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur retinet, & illum occidere, ſi reſiſtat eam tradere eidem domino. ibid.

R. Æquè probabiliter : Etiam poſſe, ſi aliàs aliter non poſſit recuperare rem talem, &c. ibid.

10 An etiam liceat alicui occidere clam iniuſtum litigatorem, qui calumniis, & falſis teſtibus conatur in iudicio illum ſuis rebus ſpoliare, ſi aliter ſpoliationem illam effugere non poſſit. ibid.

R. Probabilius : Licere, ſi conſtet certò, litigatorem omnino iniuſtè procedere, & innocentem ſua bona irrecuperabiliter eſſe amiſſurum. ibid.

11 An poſſit quis abſque metu irregularitatis occidere inuaſorem iniuſtum, pro defenſione bonorum proximi, quando hæc alicuius ſunt momenti. p.176

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

DISPVTATIO XIV.

De Irregularitate ex homicidio facto pro defenſione honoris, & pudicitiæ, tam propriæ, quàm alienæ. ibid.

QVÆST. I. AN incurrat irregularitatem, qui ob defenſionem proprij honoris, inuaſorem illius cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit. ibid.

R. Probabilius : Quod non incurrat. ibid.

2 An manſerit irregularis, qui occidit hominem quemdam, à quo arrepta barba trahebatur, & à ſe aliter expedire non poterat. p.177

R. Probabilius : Non manſiſſe. ibid.

3 An qui vulnus, alapam, conuitium, aut aliam iniuriam accipit, qua honor grauiter lædatur, poſſit licitè læſorem fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere. ibid.

R. Satis probabiliter : Poſſe. ibid.

4 An ſicut liber eſt à culpa, qui honoris læſorem fugientem ſequitur, & occidit, ſic etiam ſit liber ab irregularitatis pœna. p.178

R. Probabilius : Eſſe. ibid.

5 An item licitum ſit iniuſtè inuaſo inſequi, repercutere, aut occidere fugientem ſui honoris inuaſorem, quando hic offert ſatisfactionem, & veniam ab eo, pœnitentia ductus, precatur. ibid.

R. Vt certum : Tunc non eſſe licitum illi. ibid.

6 An

6 An etiam caſu, quo honoris inuaſor, iam quietus poſt tranſactam congreſſionem, alibi exiſtat, poſſit nihilominus inuaſus, & honore læſus, illum repercutere, vel occidere. ibid.

R. *Vt certum: Non poſſe tunc.* ibid.

7 An maneat irregularis vir honoratus, qui aliquem dicentem ſibi, *Mentiris*, occidit. p.179

R. *Manere, caſu quo alio ſimili verbo, ſeu actione repelli poſſet: ſecus aliàs.* ibid.

8 An abſque culpa, & pœna irregularitatis poſſit quis occidere, aut mutilare atrociter contumelioſum ad depellendam iniuriam contumeliæ, quam perfectè in illum protulit, vt *tu es infamis, malè caſtus*, &c. ibid.

R. *Poſſe caſu, quo iniuriatus aliter non poſſit cogere iniuriantem, vt taceat*, &c. ibid.

9 An etiam poſſit quis occidere, aut mutilare contumelioſum non perfectè proferentem ſibi grauiſſimam contumeliam, ſed incipientem illam proferre, vt *tu es inf. tu es mala gen.* ibid.

R. *Non poſſe, ſi per aliquod verbum integrè prolatum poſſit repellere talem iniuriam*, &c. ibid.

10 An ob defenſionem honoris proximi liceat cuipiam occidere iniuſtum illius inuaſorem. p.180

R. *Probabilius: Licere, ſeruatis ſeruandis.* ibid.

11 An non ſolum à culpa, ſed etiam maneat ad irregularitate immunis, qui occidit aliquem pro defenſione honoris proximi. ibid.

R. *Probabilius: Quod ſic.* ibid.

12 An pro ſua pudicitia tuenda licitum ſit cuipiam occidere iniuſtum inuaſorem. ibid.

R. *Vt certum: Licitum eſſe.* ibid.

13 An etiam ſit licitum cuipiam, ſicut ſuam, tueri pudicitiam alterius, occidendo inuaſorem, quando aliter non poteſt illam tueri. p.181

R. *Cum communi: Etiam eſſe licitum.* ibid.

14 An qui occidit inuaſorem iniuſtum ob defendendam pudicitiam propriam, vel alienam, maneat irregularis. ibid.

R. *Probabilius: Quod non.* ibid.

DISPVTATIO XV.

De Irregularitate contracta ex homicidio patrato in duello, ſeu ſingulari pugna. ibid.

QVÆST. I. AN fiat irregularis, qui occidit aliquem in duello, ad quod ſuſcipiendum nulla legitima cauſa interceſſit. ibid.

R. *Vt quid certiſſimum: Fieri.* ibid.

2 An maneat irregularis, qui ob vanam oſtentationem virium, & acquiſitionem nominis viri robuſti, vel ob voluptatem ſpectantibus procreandam, duellum ſuſcipit, & in eo homicidium admittit. p.182

R. *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

3 An fiant irregulares, qui ſuſcipiunt duellum ad veritatis indaginem, ſi in tali duello committant homicidium. ibid.

R. *Vt certum: Fieri.* ibid.

4 An qui indicit, vel admittit duellum, ad vindicandam, ſeu reparandam iniuriam ſibi factam, & in eo committit homicidium, maneat irregularis. ibid.

R. *Vt certum: Manere.* ibid.

5 An irregularitatem contrahat, qui acceptans duellum, aut ſingulare certamen, cauſa excutiendi notam timiditatis, aut puſillanimitatis, aut ne ignauus exiſtimetur, indicentem duellum occidit. ibid.

R. *Vt ferè certum* (quidquid alij dixerint) *contrahere.* p.183

6 An ſaltem maneat liber ab irregularitate, qui acceptans duellum, aut certamen ſingulare, ne aliàs amittat honores, aut publica munera, quæ poſſidet, occidit prouocantem ad illud. ibid.

R. *Probabilius: Tunc manere liberum.* ibid.

7 An ſi aliquis videat, ſe iniuſtiſſimè in iudicio accuſari, & certò cognoſcat, ſe iniquiſſima ſententia ad mortem, vel mutilationem à Iudice damnandum eſſe, poſſit licitè accuſatorem ad duellum prouocare, vel illud ab eo inductum acceptare, & illum, etiam ſine nota irregularitatis, interficere. p.184

R. *Probabilius: Poſſe.* ibid.

8 An etiam ſit licitum innocenti acceptare, ſeu offerre duellum ad tuenda bona temporalia, quando certum habet, vt actor in iudicio per fraudem ipſum opprimat, & ſi in eo illum interficiat, immunis etiam ſit ab irregularitate. ibid.

R. *Probabilius: Etiam eſſe licitum.* ibid.

9. An ſi inuaſor iniuſtus velit te occidere, inhonorare, vel bona tua rapere, niſi duellum acceptes, poſſis illud acceptare; & ſine culpa, & irregularitatis pœna dictum inuaſorem occidere. p.185

R. *Probabilius: Poſſe.* ibid.

10 An licitum ſit cuipiam in defenſionem diuini honoris acceptare duellum, in eoque abſque incurſione irregularitatis iniuriantem occidere. ibid.

R. *Eſſe licitum.* ibid.

DISPVTATIO XVI.

De Irregularitate contracta ex homicidio caſuali. ibid.

QVÆST. I. QVid ſit homicidium caſuale. ibid.

R. *Quod eſt illud, quod præter intentionem occidentis fit.* ibid.

2 Quotuplex ſit homicidium caſuale. ibid.

R. *Quod duplex: Alterum omninò, & ſimpliciter caſuale, alterum ex parte tantum.* ibid.

3 An homicidium omnino, & ſimpliciter caſuale, quod nec in ſe, nec in cauſa vllo modo eſt volitum, inducat irregularitatem. ibid.

R. *Vt certum: Quod non.* ibid.

4 An ſaltem homicidium indirectè voluntarium, ſeu aliquo modo volitum, pariat irregularitatem. p.186

R. *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

5 An vt hæc irregularitas, quæ ex homicidio indirectè volito manat, incurratur, ſufficiat venialis culpa. ibid.

R. *Probabilius: Non ſufficere, ſed requiri mortalem.* ibid.

6 An ſemper quod quis mortaliter poſitiua actione peccat in cauendo homicidio, contrahat irregularitatem. ibid.

R. *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

7 An dans operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi aliquo iure prohibitæ, ſi ex illo opere ſequatur homicidium omnino caſuale inuoluntarium, & inculpatum, fiat nihilominus irregularis. ibid.

R. *Probabilius: Non fieri.* ibid.

8 An Clericus, qui equum ferocem equitans, caſu

aliquem occidit, maneat irregularis. ibid.

R. *Non manere, ſi ſufficientem diligentiam, ne occiſio ſequatur, adhibeat.* ibid.

9. An Monachus Franciſcanus, qui equitando contra regulam, caſu puerum occidit, manſerit irregularis. p.188

R. *Probabilius: Non manſiſſe, ſi debitam adhibuerit diligentiam, &c.* ibid.

10 An Clericus, vel Monachus, qui dans operam venationi non periculoſæ, vt eſt venatio perdicum, cuniculorum, &c. & in ea, adhibita diligentia ſufficienti, fortuitò, & omnino caſu occidit aliquem, maneat irregularis. ibid.

R. *Probabilius: Quod non.* ibid.

11 An ſaltem maneat irregularis Clericus, vel Monachus, qui incumbens venationi periculoſæ, vt eſt venatio aprorum, aut vrſorum, caſu occidit hominem. ibid.

R. *Probabiliter: Quod non.* ibid.

12 An fiat irregularis Clericus, qui dum licitè pulſans campanas, caſu cauſam dedit homicidij, cadente tintinnabulo. p.189

R. *Vt certum: Non fieri.* ibid.

13 An ſaltem fiat irregularis Clericus, qui illicitè pulſans campanam tempore interdicti, caſu cadens tintinnabulum occidit hominem. ibid.

R. *Probabilius: Adhuc non fieri, ſi fecit diligentiam, &c.* ibid.

14 An contrahat irregularitatem ille, qui non habens officium campanarij, pulſando campanam caſu occidit hominem. ibid.

R. *Probabilius: Non contrahere, ſi fecit diligentiam, &c.* ibid.

15 An ſi quis, adhibita diligentia, ne alicuius mors ſequatur, arborem alienam in die feſto cædat, & cadens, caſu aliquem opprimat, maneat irregularis. ibid.

R. *Probabilius: Quod non.* ibid.

16 An fiat irregularis, qui inducit alium, vt intret alienam vineam cauſa furti, ſi ingrediens occidatur à cane, vel cuſtode vineæ. p.190

R. *Non fieri, ſi inducens non aduertit periculum, &c.* ibid.

17 An ſit irregularis, qui mandauit famulo rapere fœminam in ſuam libidinem, & famulus rapiendo occidit hominem, aut ab alio fuit ipſe occiſus. ibid.

R. *Probabilius: Non eſſe.* ibid.

18 An qui fabrum lignarium expertum facit incedere per tectum, vt illum componat, fiat irregularis, ſi ille expertus caſu cadat, & moriatur. ibid.

R. *Quod non fiat.* ibid.

19 An ſit irregularis ille, qui tecta reficiens, projicit tegulam, qua occiditur viator. ibid.

R. *Eſſe, niſi aliàs verbis monuerit, &c.* ibid.

20 An maneant irregulares Murator, aut Architectus ex alto projicientes lapides, ſeu tegulas, & proclamantes aduertendo viatores, vt caueant, ſi nihilominus ex tali projectione aliquis occiſus maneat. p.191

R. *Quod non maneant.* ibid.

21 An fiat irregularis ille, qui puerum pro aſportanda aqua mittit ad flumen, aut puteum diſcoopertum, & ſuffocatus eſt. ibid.

R. *Probabilius: Fieri, ſi actu cogitauit de periculo, ſecus aliàs.* ibid.

22 An fiat irregularis qui mittit puerum ad aquandum equum, monens eum, vt caueat à flumine, ſi puer intrans flumen ſubmergatur, & pereat. ibid.

R. *Probabilius: Fieri, ſi actu de periculo cogitauit, ſecus aliàs.* ibid.

23 An ſi quis circulator (Hiſpanè, *Chocarrero ò charlatan*) deferat ſerpentes, & ludo exercens, moriatur aliquis, fiat irregularis. ibid.

R. *Fieri.* ibid.

24 An juvenes, qui ex ludo rumpunt veſicas turgidas, maneant irregulares, ſi illarum fragore, & crepitu faciant fœminam abortire. ibid.

R. *Probabilius: Manere, ſi ex actuali intentione id faciant, &c.* ibid.

25 An ſint irregulares, qui hiemali tempore ſe petunt pilis niueis, ſi inde mors, aut mutilatio ſequatur. p.192

R. *Fieri, ſi id faciant abſque diligentia: ſecus aliàs, &c.* ibid.

26 An fiant irregulares, qui lapidibus certant, ſi mors eueniat, aut oculum alteri erui contingat. ibid.

R. *Probabilius: Fieri, ſi inexperti in tali ludo ſint, ſecus ſi experti, &c.* ibid.

27 An ſi quis in ludo projiciendi lapides ad vires corporis experiendas (Hiſpanè *tirar al canto*) caſu aliquem ex ſpectantibus occideret, irregularis maneret. ibid.

R. *Quod non.* ibid.

28 An qui lapidem direxit in auem, vel quadrupedem, & fortuitò hominem tranſeuntem occidit, irregularitatem contraxerit. ibid.

R. *Quod non, ſi exiſtebat in loco ſolitario, &c.* ibid.

29 An ſi quis in ludo, qui calcibus, aut pugnis exercetur (Hiſpanè, *Al toro de las cozes ò puñadas*) aliquem ſuffocet, aut occidat, vel mutilet, irregularis maneat. ibid.

R. *Quod non, ſi caſu, & ſine voluntate vlla id faciat.* ibid.

30 An fiant irregulares, qui gladiis, & crudis armis inter ſe decertando, aut infeſtis haſtis dimicando (Hiſpanè, *en el Iuego de Torneos*) aliquem occidant, vel deforment, etiam caſu. p.193

R. *Fieri, ſi occidant pugnando in torneamentis vtroque iure prohibitis: non ſi in permiſſis.* ibid.

31 An contrahat irregularitatem, qui canem, quem ferocem, ac rabioſum nouerat, in alium ioco concitauit, & canis ipſum mutilauit, vel occidit. ibid.

R. *Quod ſic, ſi id probabiliter timuit: ſecus ſi aliàs.* ibid.

32 An etiam incurrat irregularitatem ille, qui non nouerat canem rabioſum eſſe, eo quòd non erat ſolitus mordere, ſed tamen eum, in quem ioco prouocauit, momordit, & occidit. ibid.

R. *Probabilius: Tunc non incurrere.* ibid.

33 An qui domi cuſtodit leonem, vrſum, aut canem ita benè ligatum, vt neminem lædere poſſit, ſi tamen aliquo caſu ſoluatur, & occidat aliquem maneat irregularis. p.194

R. *Quod non.* ibid.

34 An ſaltem maneret irregularis cuſtos ille, qui leonem, vrſum, aut aliam feram ligatam poneret in platea, aut alio publico loco, quæ incautè accedentes occidit. ibid.

R. *Probabilius: Manere, ſi ex defectu diligentia deuoraretur à fera quis, &c.* ibid.

35 An qui aliquem de ponte ioco præcipitem dedit, eo fine, vt ipſum à quartana liberaret, manſerit,

manſerit irregularis, caſu quo ille metierit. ibid.
R. *Manſiſſe, ſi aliquo modo prævidit periculum.* ibid.
36 An fiat irregularis ille, qui ludendo lapidem in alium mittit, animo eum deterrendi, ille verò alius fugiendo lapidem, caſu in alium lapidem impegit, & mortous eſt. ibid.
R. *Non fieri, ſi in dicto euentu ludens culpam grauem non admiſit: ſecus ſi aliàs.* ibid.
37 An ſit irregularis, qui projicit lapidem in Petrum, ſi lapis Petro illum declinante, percutiat Ioannem, & illum occidat. ibid.
R. *Probabilius: Eſſe irregularem, ſi projecit lapidem in Petrum abſque ſufficienti diligentia, ne perueniret ad Ioannem: ſecus ſi aliàs.* p.195
38 An ſi Petrus ludens cum Ioanne projiciat eum in terra, & caſu cultellus Petri Ioannem feriat, maneat Petrus irregularis, ſequuta morte Ioannis. ibid.
R. *Non manere.* ibid.
39 An ſi quis projiciat lapidem in Petrum, & hic Ioannem impellat, qui & occiditur, maneat irregolaris Petrus, necnon qui lapidem projicit. ibid.
R. *Probabilius: Manere vtrumque, ſi in vtroque reperiatur culpa mortalis: ſecus ſi aliàs.* ibid.
40 An ſit irregularis Petrus qui Ioannem impellit in alium, qui eo impetu concidens, occiditur. ibid.
R. *Probabilius: Non eſſe, ſi eius impulſio libera extitit à mortali culpa.* ibid.
41 An aliquis fiat irregolaris, caſu quo turba aliqua ad pontem, aut fores Eccleſiæ ita ſe conſtipat, quod aliqoi compreſſi pereant. p.196
R. *Probabilius: Non fieri, ſi ab omnibus abfuit dolus.* ibid.
42 An ſaltem contraheretur irregularitas, ſi mors alicuius contingeret ex oppreſſione ingredientium ad fornicis alicuius infamem domum. ibid.
R. *Probabilius: Non in hoc caſu contrahi, ſi nullus admiſit culpam, &c.* ibid.
43 An qui acriter aliquem increpauit, fiat irregularis, ſi increpatus, pœnitudine ductus, ſe mutilet, aot ſibi mortem imprudenter afferat. ibid.
R. *Non fieri, niſi aliàs increpans factum increpati præuideret.* ibid.
44 An Parentes, qui Infantes ſuos in eodem lecto dormient, peccent mortaliter, & irregulares fiant, ſi infantes ſuffocent. p.197
R. *Peccare, ſi experti ſunt aliàs ſuos infantes ſuffocaſſe: & tunc irregularitatem incurrere, &c.* ibid.
45 An fiat irregularis Clericus noctu portans arma prohibita, ſi rixoſus amicus ei inſcio, aot inuito ſuſtulit, & illis armis hominem occidit. ibid.
R. *Probabiliter: Non fieri.* ibid.
46 An ſit irregularis Magiſter caſtigans diſcipulum, ſi ex caſtigatione caſu ſequatur mors. ibid.
R. *Eſſe irregularem; ſi nimis in caſtigatione exceſſit, &c.* ibid.
47 An qui vinum generoſum conuiuis appoſuit, aut lautiſſimas illis miniſtrauit epulas, quibus aliquis ſe ita ingorgitauit, vt crepuerit, aut mentis defectu alium occiderit, maneat irregularis. ibid.
R. *Quod non.* ibid.

DISPVTATIO XVII.

De Irregularitate orta ex mutilatione voluntaria membrorum. ibid.

QVÆST. 1. AN ex iniuſta, & voluntaria membrorum mutilatione naſcatur irregularitas. ibid.
R. *Vt certum: Naſci.* ibid.
2 Quid ſit mutilatio membri. ibid.
R. *Quod eſt abſciſſio, amputatio, aut detruncatio illius.* ibid.
3 An ad veram rationem membri, cuius motilatio irregularitatem parit, neceſſe ſit, vt habeat propriom, & diſtinctom officium à reliquis partibus totius corporis. p.198
R. *Probabilius: Neceſſum eſſe.* ibid.
4 An abſcindens alteri pedem, manum, aurem, linguamve, aut eruens oculum, fiat irregularis. ibid.
R. *Vt certum: Fieri.* ibid.
5 An abſcindens alteri vnum, aut duos digitos pedis, vel manos, maneat irregularis. ibid.
R. *Probabilius: Non manere.* ibid.
6 Ao ſaltem maneat irregularis, qui alteri abſcinderet digitos, quibus Sacra Euchariſtia contrectatur, nempe pollicem; & indicem. p.199
R. *Probabilius: Nec in hoc caſu manere.* ibid.
7 An ſit irregularis, qui alteri abſcindit auriculam, hoc eſt, cartilaginem, quæ circa aurem eſt. ibid.
R. *Probabilius: Non eſſe.* ibid.
8 An qui aliqoem naſo mutilat, irregularis maneat. ibid.
R. *Probabilius: Quod non.* ibid.
9 An qui vnum eruit oculum alteri, irregularis exiſtat. ibid.
R. *Vt certum: Quod ſit.* ibid.
10 An etiam ſit irregularis, qui detrahit alteri viſum, licèt non eripiat oculum. ibid.
R. *Probabilius: Non eſſe tunc.* ibid.
11 An vt quis hanc irregularitatem incurrat, ſufficiat debilitare membrum alterius, & reddere ineptum ad munus ſuum præſtandum, qoamvis non amputet illud. p.200
R. *Probabilius: Non ſufficere.* ibid.
12 An ſaltem fiat irregularis, qui ita membrum alterius debilitat, vt omninò ſiccetur, & moriatur. ibid.
R. *Probabilius: Adhuc non fieri irregularem.* ibid.
13 Ao qui alicui dentes excutit, exiſtat irregularis. ibid.
R. *Vt certum: Quod non.* ibid.
14 An ſi quis alteri vi, aut pharmaco totam barbam euelleret, maneret irregularis. ibid.
R. *Vt certum: Non manere.* ibid.
15 An qui præſcindit alteri membrum virile, fiat irregularis. ibid.
R. *Vt certum: Fieri.* ibid.
16 An qui alteri amputat vtroſque teſticulos, abſque membro virili, perſiſtat irregularis. p.201
R. *Probabilius: Perſiſtere.* ibid.
17 Ao etiam eſſet irregularis, qui amputaret vnum teſticulum abſque genitali membro. ibid.
R. *Probabilius: Etiam eſſe irregularem.* ibid.
18 An maneat irregularis, qui vtramque mamillam fœminæ abſcinderet. ibid.
R. *Probabilius longè manere.* ibid.

19 An etiam irregularis maneret, qui vnam tantùm fœminæ mamillam amputaret. ibid.
R. *Probabilius longè : Etiam manere.* ibid.
20 An deinde fiat irregularis, qui mamillam viri abſcinderet. p.202
R. *Vt quid certum : Quod non.* ibid.
21 An irregularitatem incurreret, qui mutilaret membrum omnino debilitatum, & ineptum ad munus ſuum. ibid.
R. *Vt certum : Quod ſit.* ibid.
22 An item eſſet irregularis, qui abſcinderet membrum omnino aridum, & mortuum. ibid.
R. *Probabilius : Quod etiam eſſet.* ibid.
23 An in omni caſu, quo mutilando quis alium fit irregularis, fiat etiam mutilando ſeipſum. ibid.
R. *Quod ſic.* ibid.
24 An contrà, in omni caſu, quo mutilando ſeipſum fit quis irregularis, fiat etiam mutilando alterum. ibid.
R. *Vt certum : Quod non.* ibid.
25 An eo ipſo, quo quis alium faciat irregularem, aut mutilando, vel percutiendo, aut reddendo illum alio modo ineptum ad Ordinis miniſterium, fiat ipſemet irregularis ſimul. ibid.
R. *Vt certum (quidquid alij ſentiant) quod non.* ibid.
26 An contrà, poſſit contingere, quod mutilator fiat irregularis, & non ipſe mutilatus. p. 203
R. *Poſſe etiam contingere.* ibid.
27 An tandem poſſit accidere, quod iam mutilator quàm mutilatus irregulares fiant. ibid.
R. *Vt certum : Quod ſic.* ibid.

DISPVTATIO XVIII.

De Irregularitate proueniente ex iteratione Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum. ibid.

QVÆST. I. AN maneat irregularis qui ſcienter rebaptizat. ibid.
R. *Vt quid certum : Manere.* ibid.
2 An etiam fiat irregularis qui ex officio miniſtrat rebaptizanti. ibid.
R. *Tanquam certum : Etiam fieri.* ibid.
3 An etiam hanc irregularitatem incurrant Parentes, qui ſuos filios baptizandos offerunt, Compatres, & alij cooperantes rebaptizationi. ibid.
R. *Probabilius : Quod non.* ibid.
4 An rebaptizatio debeat eſſe ſolemnis, & publica, vt miniſter rebaptizantis, & ipſe rebaptizans irregularitatem incurrant. ibid.
R. *Probabilius : Debere eſſe ſolemnem, & publicam.* p.204
5 An etiam hanc irregularitatem incurrat, non rebaptizans, & eius miniſter, ſed etiam ipſe rebaptizatus. ibid.
R. *Vt certum : Etiam hunc incurrere.* ibid.
6 An hac irregularitate innodetur paruulus, qui ante vſum rationis rebaptizatur. ibid.
R. *Vt certum : Non innodari.* ibid.
7 An ſi non baptizatus rebaptizet, maneat irregularis. ibid.
R. *Vt certum : Non manere.* ibid.
8 An ſi quis ignorans probabiliter, ſe eſſe baptizatum, rebaptizetur, incurrat irregularitatem. ibid.
R. *Probabiliter : Non incurrere.* p.205
9 An ille, qui omnino ignoranter rebaptizatus, poſtea ratum habet ſuum ſecundum baptiſmum, irregularis fiat. ibid.
R. *Probabilius : Quod non.* ibid.
10 An qui primum baptiſmum recepit fictè, vt ſine intentione, ſed ſecundum verè, & cum intentione recepit, ſit irregularis. ibid.
R. *Longè probabilius : Non eſſe.* ibid.
11 An qui metu cadente in virum conſtantem rebaptizat, vel rebaptizatur, ſit irregularis. ibid.
R. *Probabilius : Non eſſe.* ibid.
12 An qui certò ſciens, aliquem eſſe ritè baptizatum, denuò ſub conditione rebaptizat, fiat irregularis. p.206
R. *Probabilius : Non fieri.* ibid.
13 An etiam euadat irregularitatem, qui re ipſa intendit rebaptizare, ſed in fraudem legis, & vt vitet irregularitatis pœnam ab ipſa impoſitam, conditionem dictam exteriùs apponit, dicendo, *ſi non es baptizatus*, ego te baptizo. ibid.
R. *Non euadere irregularitatem, ſi eius intentio ex aliquo ſigno externo colligatur : ſecus alias.* ibid.
14 An ex iteratione Sacramentalium, vel conſecrationum oriatur etiam irregularitas. ibid.
R. *Vt certum : Quod non.* ibid.
15 An reiterans actiuè, vel paſſiuè Sacramentum Confirmationis, fiat irregularis. ibid.
R. *Probabilius : Quod non.* ibid.
16 An ſaltem reiterans Sacramentum Ordinis, pœna irregularitatis puniatur. p.207
R. *Probabilius : Quod non.* ibid.
17 Quare impoſita eſt ab Eccleſia pœna irregularitatis iterationi baptiſmi, & non iterationi Confirmationis, & Ordinis, cum omnia hæc Sacramenta ſint initerabilia. ibid.
R. *Quia in Baptiſmo inuenit ſpecialem cauſam, &c.* ib.
18 An in irregularitate, quæ contrahitur ex publica reiteratione Baptiſmi, poſſit non ſolùm Papa, ſed etiam Epiſcopus diſpenſare. ibid.
R. *Vt certum : Non poſſe, niſi ſolum Pontificem.* ibid.
19 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate incurſa ob ſecretam reiterationem baptiſmi. ibid.
R. *Vt certum : Poſſe.* ibid.

DISPVTATIO XIX.

De Irregularitate proueniente ex illicita ſuſceptione, & collatione Baptiſmi. ibid.

QVÆST. I. AN infans baptizatus ab hæretico maneat irregularis. ibid.
R. *Vt certum : Quod non.* ibid.
2 An ſaltem adultus baptizatus ab hæretico, fiat irregularis. ibid.
R. *Fieri.* ibid.
3 An differens ſuſceptionem Baptiſmi vſque ad articulum mortis, ſit irregularis. p.208
R. *Eſſe : niſi alias, &c.* ibid.
4 An poſitis illis duabus conditionibus, quas Canon Concilij requirit, nempe exemplar vitæ, & neceſſitas miniſtrorum, ſit adhuc neceſſaria diſpenſatio Pontificis, vt baptizatus in fine vitæ Ordinari poſſit. ibid.
R. *Probabilius : Tunc non eſſe neceſſariam diſpenſationem Pontificis.* ibid.
5 An ſit irregularis, qui vt liberiùs peccet, differt baptiſmum vſque ad ſenectutem. ibid.
R. *Vt certum : Non eſſe.* ibid.
6 An laïcus priuatim, & ſine ſolemnitate baptizans, fiat irregolaris. ibid.
R. *Probabilius : Quod non.* ibid.
7 An ſaltem maneat irregularis laïcus ſolemniter baptizans. ibid.

Digitized by Google

R. Probabilius : Tunc manere. ibid.
8 An Sacerdos regularis, vel ſæcularis, ſine licentia Superioris abſque neceſſitate baptizans, incurrat irregularitatem. p.209
R. Probabilius : Non incurrere. ibid.
9 An Clericus, qui non eſt Sacerdos, ſolemniter etiam in extrema neceſſitate baptixans, fiat irregularis. ibid.
R. Vt certum : Fieri. ibid.
10 An eandem irregularitatis pœnam incurrat Clericus non Sacerdos, baptizans aliquem non ſolemniter, ſed abſque neceſſitate, & prohibente Parocho. ibid.
R. Probabilius : Non incurrere. ibid.
11 An Parochus ſolemniter baptizans puerum alterius Parochiæ, ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi, fiat irregularis. ibid.
R. Non fieri, quamuis aliàs mort. peccet. ibid.

DISPVTATIO XX.

De Irregularitate ex delicto malè accipiendi, & exercendi Ordines, contracta. ibid.

QVÆST. I. An qui Ordines Sacros ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit, ſuſcipit, maneat irregularis. ibid.
R. Probabilius : Non manere irregularem, ſed ſuſpenſum. ibid.
2 An irregularis fiat, qui Ordinatur ab Epiſcopo Excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, aut alia aliqua pœna irretito, quæ ipſi liberum exercitium ſui Ordinis prohibeat. ibid.
R. Probabilius : Non fieri. p.210
3 An maneat irregularis, qui Ordinatur per ſaltum, ſeù qui ſuſcipit ſuperiorem Ordinem, relicto inferiori. ibid.
R. Probabilius : Non manere. ibid.
4 An non ſolum maneat ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, qui furtiuè, id eſt ignorante Epiſcopo, nec examinante, nec approbante Ordinem recepit. ibid.
R. Probabilius : Etiam manere irregularem. ibid.
5 An qui ſine Sacramento Confirmationis Ordinatur, fiat irregularis. ibid.
R. Non fieri. ibid.
6 An qui vno die recipit primam tonſuram, & qoatuor minores Ordines, incurrat irregularitatem. ibid.
R. Vt certum : Quod non. ibid.
7 An ſaltem irregularitatem incurrat, qui eodem die, inſcio Epiſcopo, quatuor minores Ordines ſimul cum Subdiaconatu ſuſcipit. p.211
R. Probabilius : Nec in hoc caſu incurrere. ibid.
8 An ad minus pœnam irregularitatis contrahat, qui eodem die inſcio Epiſcopo, duos Ordines maiores ſuſcipit. ibid.
R. Probabilius : Quod non. ibid.
9 An Clericus non Sacerdos fiat irregularis ſacramentaliter aliquem abſoluens. ibid.
R. Probabilius : Fieri. ibid.
10 An etiam fiat irregularis Sacerdos non Epiſcopus, exercens Pontificalia, v. g. conferendo Ordinis, vel Confirmationis Sacramenta, conſecrando Altaria, &c. ibid.
R. Probabilius : Etiam fieri irregularem. ibid.
11 An deinde fiat irregularis Epiſcopus promotus per ſaltum, ſi conferat Ordinem, quem non habet. ibid.
R. Probabilius : Quod non fiat. ibid.
12 An ſaltem fiat irregularis, qui per ſaltum promotus exercet actum Ordinis prætermiſſi. p.212
R. Vt certum : Quod ſic, ſi ſcienter id faciat. ibid.
13 An Clericus qui non eſt Subdiaconus, cantans Epiſtolam indutus Dalmatica, ſed ſine Manipulo, fiat irregularis. ibid.
R. Probabilius : Non fieri. ibid.
14 An ſaltē fiat irregularis, ſi dictus Clericus Subdiacono inferior, cātet in Miſſa ſolemni Epiſtolam, indutus Dalmatica, & Manipulo. ib.
R. Vt longè probabilius : Tunc fieri irregularem. ibid.
15 An etiam fieret irregularis Clericus Subdiacono inferior, qui cum Dalmatica, & Manipulo cantaret Epiſtolam in Miſſa, ſine intentione tamen faciendi Officium Subdiaconi. ibid.
R. Probabilius : Etiam irregularem fieri. ibid.
16 An Clericus Subdiacono inferior, ſit irregularis, cantans Epiſtolam cum Dalmatica, & Manipulo, vbi eſt conſuetudo, quod non Ordinati ſic eam cantent. ibid.
R. Eſſe irregularem, niſi aliàs conſuetudo ſit legitimè introducta, &c. p.213
17 An maneant irregulares laïci, qui cum Dalmatica, & ſine Manipulo porrigunt in Miſſa ſolemni Sacerdoti, aut Diacono calicem præparatum. ibid.
R. Probabilius : Quod non. ibid.
18 An ſaltem maneat irregularis laïcus, ſiue Clericus Subdiacono inferior, qui cum Dalmaticā, & Manipulo Diacono, au Sacerdoti in miſſa calicem præparatum miniſtrat. ibid.
R. Vt longè multo probabilius : Manere irregularem. ibid.
19 An Clericus non Sacerdos, qui in Choro fungitur officio hebdomadarij, maneat irregularis. ibid.
R. Manere, ſi ſolemniter id faciat. ibid.
20 An etiam maneat irregularis Clericus Sacerdote inferior, qui à cenſura aliqua ſolemniter abſoluit pœnitentes, aut benedicit ſponſis, aut aquæ, &c. ibid.
R. Etiam manere. ibid.
21 An Sacerdos celebrans ſine Altari conſecrato ab Epiſcopo, ſit irregularis. ibid.
R. Vt ferè certum : Quod non. ibid.
22 An Sacerdos conficiens Euchariſtiam, toto ritu Miſſæ omiſſo, ſit etiam irregularis. ibid.
R. Vt ferè certum : Quod non. p.214
23 An ſit irregularis Sacerdos, qui pro perſona viuenti Miſſam Defunctorum dicit, ea intentione, vt illi mortem impetret. ibid.
R. Vt certum : Non eſſe irregularem. ibid.
24 An quicumque Miniſter Eccleſiæ, qui non Religionis cauſa, aut obſeruandi Eccleſiaſticos ritus, ſed amaritudinis ſuæ teſtandi cauſa, Altaria veſtibus Sacris exuunt, aut lugubri ornatu ea veſtiūnt, aut luminaria conſueta extinguunt, irregulares permaneant. ibid.
R. Vt ferè certum : Non ob id irregulares permanere. ibid.
25 An Sacerdos, qui hominem nominatim excommunicatum, ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittit, fiat irregularis. ibid.
R. Probabilius : Non fieri. ibid.
26 An Clericus qui in vita, vel morte fauet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemoſynas accipiendo, vel eis pœnitentiam ſine debita reſtitutione, vel cautione concedendo; vel tandem eorum ſepulturis aſſiſtendo, irregularitatem incurrat. ibid.

R. Probabilius : Non incurrere. ibid.

27 An Cardinalis electus in Papam, à paucioribus quam à duabus partibus Electorum, ſi Papatum vſurpare conetur, tam ipſe, quàm qui ipſum receperint, irregulares maneant. ibid.

R. Probabilius : Non manere. p.215

28 An laïcus, ſiue Clericus Sacerdote inferior, fiat irregularis, ſi per iocum, aut per modum repræſentationis, ſine intentione conficiendi Sacramentum conſecret, aut celebret Miſſam, tanquam ſi Sacerdotio eſſet initiatus. ibid.

R. Vt ferè certum : Non fieri irregularem. ibid.

29 An ſaltem incurrat irregularitatem, qui vſurpat actus minorum Ordinum, quos non habet. ibid.

R. Probabilius : Incurrere, ſi exerceat illos tanquam Ordinatus. ibid.

30 An ſit irregularis Epiſcopus, qui confert alicui Ordinem per ſaltum, v.g. Sacerdotium, Diaconatu prætermiſſo. ibid.

R. Vt ferè certum : Quod non ſit. ibid.

31 An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate, quam quis contraxit, exercendo Ordines, quos habebat. ibid.

R. Vt certum : Solum Pontificem poſſe. ibid.

DISPVTATIO XX.

De Irregularitate ex violatione excommunicationis contracta. ibid.

QVÆST. I. AN excommunicatus minori excommunicatione fiat irregularis, exercendo ſolemniter actus maioris Ordinis. p.216

R. Tanquam certum : Quod non. ibid.

2 An ſaltem fiat irregularis, qui maiori excommunicatione ligatus, exercet ex officio, aut ſolemniter, actum proprium majoris Ordinis, quem habet. ibid.

R. Tanquam mihi certum : Quod ſic. ibid.

3 An etiam fiat irregularis excommunicatus majori excommunicatione, exercens ſolemniter actus minorum Ordinum, quos habet. ibid.

R. Probabilius : Etiam fieri. ibid.

4 An Clericus primæ tonſuræ, maiori excommunicatus, fiat etiam irregularis ſuum officium ſolemniter exercendo. p.217

R. Vt longè probabilius : Non fieri. ibid.

5 An Epiſcopi excommunicati contrahant irregularitatem, exercendo ſolemniter actum proprium Ordini Epiſcopali annexum. ibid.

R. Tanquam quid certum : Contrahere. ibid.

6 An etiam incurrat irregularitatem Epiſcopus excommunicatus, impendens populo benedictionem domi, aut in itinere, ſine vlla ſolemnitate. ibid.

R. Probabilius : Quod ſic, niſi aliàs, &c. ibid.

7 An etiam irregulares maneant Abbates, qui ex priuilegio conferunt Ordines minores, ſi conferant illos quando excommunicati exiſtunt. p.218

R. Vt certum : Etiam irregulares manere. ibid.

8 An Sacerdos, qui ex commiſſione Papæ miniſtrat excommunicatus Sacramentum Confirmationis, ſit etiam irregularis. ibid.

R. Vt quid certum : Quod ſic. ibid.

9 An Sacerdos, qui maiori excommunicatione ligatus, ſuſpenſus, aut interdictus, Miſſam celebrat, aut exercet aliquam aliam actionem ad Ordinem Sacerdotalem pertinentem, fiat irregularis. ibid.

R. Vt quid certum : Fieri. ibid.

10 An deinde Diaconus, & Subdiaconus, qui majori excommunicatione, ſuſpenſione, aut interdicto innodati, cantant in ſolemni Miſſa Euangelium, aut Epiſtolam, exiſtant irregulares. ibid.

R. Vt quid certum : Quod ſic. ibid.

11 An item maneat irregularis Subdiaconus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, Calicem, & Patenam ad Altare deferendo, eaque adminiſtrando Diacono. ibid.

R. Vt longè multò probabilius : Manere. ibid.

12 An Diaconus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſit etiam irregularis, adminiſtrando Euchariſtiam in abſentia Preſbyteri. ibid.

R. Etiam eſſe irregularem. ibid.

13 An item excommunicatus maiori, vel interdictus, aut ſuſpenſus ab officio prædicandi, maneat irregularis, ſi prædicet. p.219

R. Probabilius : Non manere. ibid.

14 An ſaltem maneat irregularis excommunicatus, interdictus, aut ſuſpenſus ab officio prædicandi, ſi prædicet quando tali excommunicato, interdicto, aut ſuſpenſo annexum eſt officium prædicandi. ibid.

R. Probabilius : Adhuc non manere. ibid.

15 An irregularis fiat excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, qui in Choro, tanquam hebdomadarius officiat, canendo *Capitulum*, & *Orationem*, cum *Dominus vobiſcum*. ibid.

R. Affirmatiuè. ibid.

16 An item fiant irregulares prædicti, ſi recitando Horas Canonicas priuatim, dicant *Dominus vobiſcum*. ibid.

R. Probabilius : Non fieri. p.220

17 An excommunicati maiori incurrant irregularitatem, adminiſtrando Sacramenta Ordinis, Confirmationis, Euchariſtiæ, &c. ibid.

R. Incurrere, ſi illicitè illa miniſtrent. ibid.

18 An qui dubitans, ſe irretitum eſſe aliqua excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, celebrat Miſſam, aut aliud Sacramentum miniſtrat, irregularis maneat, ſi poſtea conſtet, non fuiſſe excommunicatum, ſuſpenſum, &c. ibid.

R. Non manere. ibid.

19 An ſaltem irregularis maneat, qui dubitans ſe eſſe aliqua ex prædictis cenſuris irretitum, celebrat, aut aliud Sacramentum miniſtrat, ſi poſtea appareat eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum. ibid.

R. Probabilius : Manere irregularem, ſi cum tali dubio celebrans peccet mort. contra cenſuram : ſecus aliàs. ibid.

20 An excommunicatus maiori, audiens Miſſam incurrat irregularitatem. ibid.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

21 An Epiſcopus, aut alius inferior Sacerdos, excommunicatus vitandus, ſuſpenſus, vel interdictus denunciatus, qui ſe præſente aliquem Sacerdotem celebrare cogit, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Probabilius : Incurrere. p.221

22 An non ſolum Sacerdos, ſed quilibet alius non Sacerdos, excommunicatus, aut interdictus denunciatus, ſeu ſuſpenſus, faciens aliquem Sacerdotem (ſiue excommunicatum, aut interdictum, &c. ſiue non) coram ſe celebrare, eandem irregularitatem incurrat. ibid.

R. Probabiliter : Non incurrere. ibid.

23 An item maneat irregularis Epiſcopus, aut quilibet alius Sacerdos excommunicatus maiori, ſuſpenſus, aut interdictus, qui cogit celebrare alium Sacerdotem coram alio excommunicato, non coram ſe ipſo. ibid.

R. Mitius : Non manere. ibid.

24 An qui non eſt ligatus excommunicatione maiori, ſuſpenſione, aut interdicto, & facit aliquem excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum coram ſe celebrare, fiat irregularis. ibid.

R. Probabilius : Non fieri. ibid.

25 An Sacerdos non ligatus aliqua cenſura, fiat irregularis, ſi celebret coram excommunicato nominatim ab Epiſcopo. p.212

R. Vt certum : Quod non. ibid.

26 An ſaltem, ſi dictus Sacerdos non cenſuratus celebret coram nominatim excommunicato à Papa, fiat irregularis. ibid.

R. Vt certum : Nec hunc fieri. ibid.

27 An efficiatur irregularis, Sacerdos celebrans coram Epiſcopo nominatim excommunicato, ſi in fine Miſſæ leui capitis inclinatione poſtulet ab illo facultatem benedicendi populo. ibid.

R. Vt certum : Non effici. ibid.

28 An fiat irregularis, qui exercet Ordinem ſacrum contrà præceptum ſuperioris. ibid.

R. Vt certum : Non fieri. ibid.

29 An ſaltem fiat irregularis, qui exercet Ordinem contra præceptum Superioris, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. ibid.

R. Vt certum : Nec in hoc caſu fieri ibid.

30 An ad minus, qui commiſit propter quod ſuſpendendus eſt, ſecundum iura, ſi accedens præceptum ſuperioris prohibens celebrationem, nihilominus celebret, fiat irregularis. p.213

R. Vt certum : Adhuc non fieri. ibid.

31 An excommunicatus ſæpius celebrans, plures irregularitates numero diſtinctas contrahat. ibid.

R. Probabilius : Quod ſic. ibid.

32 An duplicem incurrat irregularitatem, qui irretitus duplici cenſura, v. g. excommunicatione ac interdicto, vtitur Ordinibus ſacris. ibid.

R. Vt certum : Quod ſic. ibid.

DISPVTATIO XXII.

De Irregularitate ex violatione ſuſpenſionis orta. ibid.

QVÆST. I. AN Clericus ſuſpenſus ab Ordine, vel officio irregularitatem incurrat, exercens Ordinem ſuſpenſum. ibid.

R. Vt certum : Incurrere. ibid.

2 An non ſolùm incurrat irregularitatem, exercens actum Ordinis ille, qui eſt ſuſpenſus ab homine, verùm etiam ille, qui eſt ſuſpenſus à iure. ibid.

R. Vt certum : Etiam hunc incurrere. ibid.

3 An qui nominatim non eſt denunciatus ſuſpenſus, fiat irregularis violando ſuſpenſionis cenſuram. p.214

R. Vt certum : Fieri. ibid.

4 An omnis violatio cenſuræ ſuſpenſionis hanc irregularitatis pœnam afferat. ibid.

R. Quod non omnis. ibid.

5 An quando ſuſpenſio fertur his verbis : *Qui hoc fecerit, ſuſpenſus ſit ab officio, donec ſatisfaciat, vel pæniteat*; fiat irregularis qui poſt commiſſum crimen, ante pœnitentiam, exercet actum Ordinis à quo eſt ſuſpenſus. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

6 An irregularitatem contrahat Clericus, qui ſuſpenſionem, quam à celebrando ei Confeſſarius in foro pœnitentiæ inflixit, non ſeruat, ſed violat. ibid.

R. Vt certum : Quod non contrahat. ibid.

7 An quicumque in peccato mortali, ſeu excommunicatione minori celebrat, irregularitatem admittat. p.215

R. Vt certum : Quod non. ibid.

8 An violans ſuſpenſionem, ſeu potius irregularitatem, ex defectu corporis, aut animæ manantem, nouam irregularitatem incurrat. ib.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

9 An ſuſpenſus ab officio in temporalibus, contrahat, ſi in eis adminiſtret, irregularitatem. ib.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

10 An ſaltem Vicarius Epiſcopi fiat irregularis, ſi ſuſpenſus à temporalibus contraueniat. ibid.

R. Quod non fiat. ibid.

11 An ad minus fiat irregularis, qui ſuſpenſus ab officio in temporalibus, in eis adminiſtrat in contemptum Clauium. ibid.

R. Vt certum : Nec in hoc caſu irregularem fieri. ibid.

12 An ſaltem ſuſpenſi, aut excommunicati maiores, vel interdicti, maneant irregulares exercendo actus iuriſdictionis in ſpiritualibus. p.226

R. Adhuc vt certum : Non manere. ibid.

13 An Sacerdos qui mala fide ante legitimam ætatem Sacerdotium ſuſcepit, fiat irregularis conſecrando ſimul cum Epiſcopo Ordinante. ibid.

R. Probabilius : Non fieri. ibid.

14 An ſaltem Subdiaconus, & Diaconus ſuſpenſi ob Ordinationem ante ætatem, fiant irregulares cantando Epiſtolam, & Euangelium in prædicta Miſſa. ibid.

R. Æquè probabiliter : Neque hos fieri irregul. ibid.

15 An ſuſpenſus ſimpliciter ab Ordine, fiat irregularis per exercitium tam maioris, quàm minoris Ordinis. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

16 An qui ſpecificè ab aliquo Ordine, v. g. Sacerdotio, eſt ſuſpenſus, fiat irregularis non ſolùm ſi exerceat actum Sacerdotij à quo eſt ſuſpenſus : verum etiam, ſi exerceat actus aliorum Ordinum inferiorum, nempe Subdiaconatus, aut Diaconatus, à quibus non eſt ſuſpenſus. ibid.

R. Quod non fiat. ibid.

17 An etiam immunis ſit ab irregularitate, qui ſuſpenſus ab Ordine aliquo inferiori, exercet actum Ordinis ſuperioris, à quo ſpecificè non eſt ſuſpenſus. p.227

R. Probabilius : Etiam hunc eſſe immunem ab irregularitate. ibid.

18 An ſuſpenſos manens in ſuſpenſione per annum etiamſi ſuſpenſioni non contraueniat, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Vt certum ferè : Non incurrere. ibid.

19 An qui non eſt ſuſpenſus ab Ordine, ſed tantum ab exercitio, fiat irregularis per exercitium Ordinis per ſuſpenſionem prohibitum. ibid.

R. Vt certum : Fieri. ibid.

DISPVTATIO XXIII.

De Irregularitate ex violatione interdicti orta. p.227

QVÆST. I. AN maneat Irregularis Clericus, qui in loco interdicto actum Sacri Ordinis exercet. ibid.
R. Vt certum: Manere. ibid.
2 An etiam maneant irregulares Clerici, qui in Eccleſiis generaliter interdictis celebrant diuina officia, etiam cum moderamine *c. Alma mater*, ſcilicet *ianuis clauſis, ſubmiſſa voce*, &c. p.228
R. Vt certum: Tunc non manere irregulares. ibid.
3 An item non maneant irregulares Clerici, qui tempore interdicti celebrant officia diuina, omittendo vnam tantum conditionem *in cap. Alma*, præſcriptam. ibid.
R. Probabilius longè: Manere in hoc caſu irregulares. ibid.
4 An deinde etiam maneat irregularis Clericus, qui intendens celebrare diuina officia tempore interdicti, ianuas Eccleſiæ aperit, campanas pulſat, &c. ſed mutata intentione, re vera non celebrat. ibid.
R. Multò probabilius: Non manere irregularem. ibid.
5 An ſaltem maneat irregularis Clericus, qui tempore interdicti localis pulſat campanas, vel aperit Eccleſiæ ianuas, vel admittit excommunicatos, vel interdictus quando officia diuina, vel miſſæ ab aliis celebrantur. ibid.
R. Multò probabilius: Nec hunc manere irregularem. ibid.
6 An ad minus fiat irregularis dictus Clericus, ſi pulſet campanas, vel portas Eccleſiæ aperiat auctoritate priuata, aut publica, intendens præbere auctoritatem publicæ, & ſolemni celebrationi diuinorum officiorum tempore interdicti. p.229
R. Probabilius: Nec in hoc caſu fieri irregularem. ibid.
7 An Clericus miniſtrans Sacerdoti celebranti tempore interdicti, ſine moderatione *cap. Alma*, fiat irregularis. ibid.
R. Probabilius: Non fieri, niſi aliàs miniſtret exercendo ſolemniter aliquem actum Ordinis. ibid.
8 An Clericus fiat irregularis ob quamcunque officij diuini celebrationem, tempore interdicti factam, abſque moderamine *cap. Alma mater.* ibid.
R. Vt certum: Fieri. ibid.
9 An laïci Regulares, aut alij Religioſi non Ordinati fiant irregulares, ſi in loco interdicto celebrent diuina, aut miniſtrent ſolemniter in Ordine ſacro, quem non habent: & ſiue moderamine *cap. Alma.* ibid.
R. Vt quid certum: Non fieri irregulares, ſaltem ex violatione interdicti. ibid.
10 An ſint irregulares Clerici, qui conſtituti in minoribus Ordinibus exercent ſolemniter actus proprios illorum Ordinum, tempore interdicti. p.230
R. Probabilius: Quod ſic. ibid.
11 An qui tempore interdicti confert Ordines, fiat irregularis. ibid.
R. Vt quid certum: Fieri irregularem. ibid.
12 An qui tempore interdicti recipit Ordines, ſaltem maiores, maneat irregularis. ibid.
R. Quod non. ibid.
13 An Clerici incurrant irregularitatem, ſi ſepeliant in interdicto loco Defunctos, ſine officio diuino, aut Miſſa. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
14 An ſaltem fiant irregulares Clerici, qui in loco generaliter interdicto ſepeliunt Defunctos cum officio diuino, & Miſſa. ibid.
R. Vt certum: Quod ſic. ibid.
15 An Clericus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, maneat irregularis intra Eccleſiam diuina officia celebrando. p.231
R. Vt certum: Manere. ibid.
16 An etiam maneat irregularis Clericus interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi intra Eccleſiam audiat officia diuina. ibid.
R. Tunc non manere, niſi aliàs ſimul celebret. ibid.
17 An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit abſque incurſione irregularitatis celebrare diuina extra Eccleſiam. ibid.
R. Vt quid certum: Poſſe. ibid.
18 An ſi interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ celebret in Oratorio, incurrat irregularitatem. ibid.
R. Incurrere, ſi celebret in Oratorio ab Epiſcopo erecto, non ſi in priuato, &c. ibid.
19 An item irregularitatem contrahat Sacerdos ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus, celebrans in Eccleſia non conſecrata ab Epiſcopo, ſed ſolùm benedicta. ibid.
R. Vt certum: Quod ſic. ibid.
20 An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ fiat irregularis celebrando Miſſam in cœmeterio contiguo ſaltem Eccleſiæ. ibid.
R. Probabilius: Non fieri. p.232
21 An Presbytero celebrante intra Eccleſiam, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, abſque incurſione irregularitatis extra Eccleſiam exiſtens canere Epiſtolam, vel Euangelium. ibid.
R. Probabiliter: Non poſſe. ibid.
22 An ſaltem contrà, Presbytero extra Eccleſiam celebrante, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, canere Epiſtolam, aut Euangelium intra Eccleſiam, abſque incurſione irregularitatis. ibid.
R. Probabilius: Adhuc non poſſe abſque incurſione irregularitatis. ibid.
23 An in præaſſignatis duobus caſibus, non ſolum Subdiaconus, aut Diaconus incurrat irregularitatem, ſed etiam celebrans Sacerdos. ibid.
R. Probabilius: Quod ſolùm Subdiaconus, aut Diaconus, non Sacerdos incurrat. ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De Irregularitate ex crimine hæreſis proueniente.

QVÆST. I. AN Clerici hæretici, qui ſuam hæreſim publicè manifeſtant, ſint omnino irregulares. ibid.
R. Vt quid certiſſimum: Eſſe omnino. ibid.
2 An etiam laici hæretici publici, ſint omnino irregulares. ibid.
R. Vt certum: Eſſe omnino. ibid.
3 An item fiant irregulares hæretici externi, ſi per accidens occulti ſunt. p.233
R. Probabilius: Fieri. ibid.
4 An qui ſponte, vel metu, fictè negat fidem exteriùs, ſed corde illam retinet, irregularis fiat,

ex hæreſis crimine. ibid.
R. *Vt certum : Quod non.* ibid.
5 An ſaltem prædictus negans fictè exterius fidem, fiat irregolaris irregularitate propria, lata contra eos, qui fictè negant fidem. p.234
R. *Probabilius : Fieri.* ibid.
6 An fautures, receptatores, & defenſores hæreticorum, quatenus hæretici ſunt, afficiantur eademmet irregularitate, qua afficiuntur hæretici. ibid.
R. *Probabilius : Quod afficiantur.* ibid.
7 An illi qui tanquam de hæreſi ſuſpecti coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi, irregularitatem incurrant. ibid.
R. *Longè probabilius : Quod non.* ibid.
8 An filij hæreticorum, fautorum, defenſorum, & receptatorum eorum, ſint irregulares. p.235
R. *Probabilius : Eſſe.* ibid.
9 An etiam nepotes hæreticorum, fautorum, defenſorum, & receptatorum eorum, ſint irregulares. ibid.
R. *Probabilius : Eſſe irregulares vſque ad ſecundam generationem, &c.* ibid.
10 An vt filij hæreticorum irregulates maneant, irregularitate lata *in capite Statutum*, contra filios hæreticorum, opus ſit, vt nati fuerint poſt parentum delictum, & crimen. ibid.
R. *Probabilius : Opus eſſe.* ibid.
11 An vt filij hæreticorum liberi à dicta irregularitate euadant, ſufficiat adhuc, quod geniti, aut concepti fuerint, etſi nondum nati, ante lapſum Parentum in hæreſim. ibid.
R. *Probabiliter : Sufficere.* p.136
12 An vt filij, & nepotes hæreticorum incurrant irregularitatem latam contra illos *in cap. Statutum, cit.* oporteat, parentes in hæreſi deceſſiſſe. ibid.
R. *Vt certum : Oportere.* ibid.
13 An filij, & nepotes illorum, qui ob crimen hæreſis repetitum traduntur brachio ſæculari comburendi, ſed ob data pœnitentiæ ſigna ſunt ante mortem abſoluti ab hæreſi, incidant in irregularitatem latam *in dict. capite*, contra filios hæreticorum. ibid.
R. *Probabilius : Incidere.* ibid.
14 An etiam incurrant dictam irregularitatem filij, & nepotes eorum, qui quamvis relapſi non ſint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio ſæculari comburendi, eo quòd hæreſiarchæ fuerint. p.237
R. *Incurrere.* ibid.
15 An item eandemmet irregularitatem incurrant filij, & nepotes illorum, qui comburuntur, eo quòd conuicti de hæreſi, illam negant. ibid.
R. *Incurrere.* ibid.
16 An deinde incurrant præfatam irregularitatem filij illorum, qui in abſentia condemnantur, eorumque ſtatuæ, ob hæreſim declaratam, comburuntur. ibid.
R. *Vt probabilius : Etiam incurrere.* ibid.
17 An exigatur ſententia condemnans parentes ob hæreſim, vt filij, & nepotes incurrant irregularitatem. ibid.
R. *Vt ferè certum : Non exigi, ſi aliàs conſtet.* ibid.
18 An ſaltem exigatur, ad huc, vt filij, & nepotes irregularitatem ortam ex infamia admittant, vt eorum parentes decedentes in hæreſi etiam infames ob hæreſim reputentur. ibid.
R. *Id verè exigi.* ibid.
19 An filij, aut nepotes denunciantes Inquiſitoribus ſuos parentes hæreticos, ab irregularitate excuſentur. p.238
R. *Excuſari.* ibid.
20 An etiam apoſtatæ à fide ſint irregulares. ibid.
R. *Vt quid certum : Eſſe.* ibid.
21 An filij Saracenorum, Paganorum, & Iudæorum, qui ab infantia ſunt baptizati, irregularitatem aliquam admittant. ibid.
R. *Quod non.* ibid.
22 An Schiſmatici ſint irregulares. ibid.
R. *Probabilius : Eſſe, ſi ſimul ſunt hæretici.* ibid.
23 An ſolus Papa poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex hæreſi publica, & notoria. ibid.
R. *Vt certum : Quod ſolus.* ibid.
24 An ſaltem habeant Epiſcopi facultatem diſpenſandi in irregularitate orta ex hæreſi occulta exteriori. ibid.
R. *Probabilius : Quod ſic.* ibid.

DISPVTATIO XXV.

De Neophytorum irregularitatibus. p.239

QVÆST. I. Quiſnam propriè dicatur Neophytus. ibid.
R. *Quòd ille, qui eſt recèns in fide Chriſti plantatus.* ibid.
2 An Neophytus ſit omnino irregularis. ibid.
R. *Vt certum : Quod ſic.* ibid.
3 An irregularitas hæc Neophytorum ſit inducta iure diuino, ex præcepto Chriſti deſcendens. ibid.
R. *Quod non : ſed iure humano.* ibid.
4 An deſcendentes ex Iudæis, vel Mauris, ſi ipſi ante vſum rationis baptizati ſunt, maneant irregulares, ſaltem caſu, quo parentes ipſorum in Iudaiſmo, vel Mauriſmo adhuc perſiſtant. ibid.
R. *Vt quid certum : Quod non.* ibid.
5 An ſaltem filij catechumenorum ab infantia baptizati, fiant irregolares caſu, quo eorum parentes à fide receſſerint. ibid.
R. *Neque hos eſſe irregulares.* ibid.
6 An Neophytus ita ſit irregularis, quod nec ad minores Ordines aſcendere, ſine diſpenſatione poſſit. ibid.
R. *Probabilius : Ita eſſe, vt non poſſit.* p.240
7 An ille, qui iam diu ſuſcepit Baptiſmum, & fidem, poſſit ſine diſpenſatione Ordinari. ibid.
R. *Vt quid certum : Poſſe.* ibid.
8 Quod temporis ſpatium à ſuſceptu Baptiſmo fac ſit, vt quis deſinat eſſe Nophytus, ſeu novus Chriſtianus, & conſequenter deſinat eſſe irregularis, poſſitque ſine diſpenſatione ſacris initiari. ibid.
R. *Probabilius : id arbitrio Epiſcopi relinquendum eſſe.* ibid.
9 An ſolus Papa poſſit in hac irregularitate diſpenſare. p.241
R. *Quod ſolus.* ibid.

DISPVTATIO XXVI.

De Irregularitate ex variis aliis delictis, & infamia contracta. p.241

QVÆST.I. AN Clericus publicè concubinarins, vel fornicatius, ſit irregnlaris irregularitate annexa tali crimini. ibid.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

2 An Clericus poblicè Sodomita ſit irregularis, ex commiſſione præciſè talis eriminis. ibid.

R. Vt certum etiam : Quod non. ibid.

3 An ſaltem Clericus coocubinarius, aut Sodomita publicus, & notorins, fiat irregularis tatione infamiæ, ante Indicis ſententiam. ibid.

R. Probabilius : Quod non fiat, ante Iudicis ſententiam. ibid.

4 An Simoniacns ſit irregnlaris irregularitate ex ſe erimini ſimoniæ annexa. p.242

R. Vt certum : Quod non. ibid.

5 An ob crimen ſactilegij fiat qnis irregularis. ibid.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

6 An pœnitentia ſolemnis faciat quem irregularem. ibid.

R. Probabilius : Quod olim faciebat, nunc minimè. ibid.

7 An ex defectu bonæ famæ, ſiue rectæ exiſtimationis apud homines, fiat quis inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos. ibid.

R. Vt certum : Quod ſic. ibid.

8 An infamia iuris reddat quem irregularem. p.243

R. Quod ſic : Qui autem ſunt iſti infames. ibid.

9 An infamia facti faciat irregolarem. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

10 An infamia, quæ oritur ex exercitio artis ignominioſæ faciat etiam irregularem. ibid.

R. Vt certum : Quod faciat. ibid.

11 An Macellarij, Tabernarij, & huiuſmodi ſint ex infamia officij irregulares. ibid.

R. Probabilius : Non eſſe. ibid.

12 An infamia popularis faciat quem irregnlarem, vel ſaltem inhabilem ad Ordines. p.244

R. Quod propriè non faciat irregularem : benè tamen inhabilem ad Ordines, quamdiu infamia dicta perſeuerat. ibid.

13 An irregularitas incurſa ob infamiam Iuris Canonici, vel Ciuilis, ſolùm à Summo Pontifice poſſit auferri. ibid.

R. Quod ſolùm, ſaltem directè, &c. ibid.

14 An irregularitas orta ex infamia indicta à Iure Ciuili, poſſit indirectè auferri à Principe ſæculari, auferendo infamiam ciuilem, in qua fundatur. ibid.

R. Quod poſſit, caſu ſolùm quo talis irregularitas fundetur in infamia inclicta tantùm à Iure Ciuili, &c. ibid.

15 An irregularitas incurſa ob infamiam, per Iudicis ſententiam, poſſit ab eodem Iudice auferri. ibid.

R. Poſſe. ibid.

16 An irregularitas orta ex infamia Iuris tollatur per Baptiſmum. p.245

R. Probabilius : Non tolli. ibid.

17 An infamis in vno loco poſſit Ordinari in alio, in quo non eſt infamatus. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

18 An quis ex alieno delicto poſſit reputari infamis, & irregularis deinde. ibid.

R. Poſſe : Et id in quinque caſibus. ibid.

DISPVTATIO XXVII.

De diſpenſatione irregularitatis, tam in communi, quàm in particulari. ibid.

QVÆST.I. AN diſpenſatio irregulatitatis habeat determinatam formam. ib.

R. Vt certum : Quod non, benè tamen conuenientem. ibid.

2 An vt diſpenſatio in irregularitate fiat licitè, requiratur aliqua cauſa. p.246

R. Vt certum : Requiri. ibid.

3 An etiam, vt ſit valida diſpenſatio irregularitatis, quæ fit à Papa, requiratur aliqua cauſa. ibid.

R. Vt quid certiſſimum : Non requiri. ibid.

4 An Summus Pontifex poſſit in omni irregularitate diſpenſare. ibid.

R. Vt certiſſimum : Poſſe. ibid.

5 An Epiſcopi, aliive Prælati inferiores Pontifice, poſſint diſpenſare abſolutè in irregularitatibus. ibid.

R. Vt certum : Non poſſe, niſi in illis in quibus ius diſpenſare concedit. ibid.

6 An Epiſcopns poſſit diſpenſare in omnibus irregularitatibns procedenribus ex delicto occulto. ibid.

R. Vt certum : Poſſe, dummodo non procedat ex homicidio voluntario, &c. ibid.

7 An quilibet Epiſcopus poſſit in dictis irregularitatibus, ab occultis delictis prouenientibus, diſpenſare. ibid.

R. Quod non quilibet. ibid.

8 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitatibus dictis cum Religioſis exempris, caſu quo iſti, illis de licentia ſuorum Prælatorum ſe ſubiiciant. p.247

R. Probabilius : Poſſe. ibid.

9 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto occulto, deducto ad forum contentioſum, ſi reus in eo non fuit conuictus. ibid.

R. Poſſe. ibid.

10 An item poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto deducto ad forum contentioſum, caſu quo delinquens, finito iudicio, punitus fuerit. ibid.

R. Probabiliter : Etiam Poſſe. ibid.

11 An Epiſcopus poſſit dare facultatem alteri, qui ſecum diſpenſet in irregularitatibus illi conceſſis, ſi contingat, ipſum aliquam earum contrahere. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

12 An Epiſcopns poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex defectu lenitatis. ibid.

R. Probabiliter : Quod non. ibid.

13 An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregolaritate orta ex homicidio iuſto, facto auctoritate publica in bello, aut à Iudice. ibid.

R. Vt certum : Non poſſe. ibid.

14 An Epiſcopns poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex voluntaria membri mutilatione occulta. ibid.

R. Probabilius : Poſſe. p.248

Google

15 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate prouenente ex homicidio caſuali occulto. p.249
R. *Vt longè probabilius : Poſſe.* ibid.
16 An deinde poſſit Epiſcopos diſpenſare in irregularitate prouenente ex homicidio caſuali publico. ibid.
R. *Vt mihi certum : Non poſſe diſpenſare ad Ordines ſacros, ſed ſolùm ad minores.* ibid.
17 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio volito, non ex conſilio, aut matura deliberatione facta, ſed ex repentina ira, vel rixa. ibid.
R. *Probabilius : Poſſe, dummodo homicidium ſit occultum.* ibid.
18 An Epiſcopos poſſit diſpenſare in irregolaritate procedente ex homicidio volito in ſe cauſa defenſionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. ibid.
R. *Poſſe, ſi homicidium ſit occultum.* ibid.
19 An Epiſcopus poſſit diſpenſate in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario, omnino tamen occulto. p.250
R. *Vt mihi ferè cereum : Non poſſe.* ibid.
20 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum irregulari ex homicidio voluntario injuſto occulto ad vſum Ordinum, caſu quo non ſit facilis ad Papam recurſus, & vrgeat neceſſitas. ibid.
R. *Abſolutè : Poſſe.* ibid.
21 An in irregularitate ex homicidio voluntario occulto orta poſſit diſpenſare Epiſcopos ad ſuſcipiendos minores Ordines. p.251
R. *Vt certum : Quod non.* ibid.
22 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum dicto homicida voluntario occulto, vt in iam minoribus Ordinibus ſuſceptis adminiſtret. ibid.
R. *Vt mihi certum : Nec id poſſe.* ibid.
23 An poſſit Epiſcopus diſpenſare eum homicida voluntario occulto ad obtinendum ſimplex beneficium. ibid.
R. *Vt etiam mihi certum : iam non poſſe.* p.252
24 An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſate cum homicida voluntario occulto ad retinendum beneficium ſaltem ſimplex. ibid.
R. *Multò probabilius : Adhuc non poſſe.* ibid.
25 An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occulta hæreſi exteriori. ibid.
R. *Probabilius : Poſſe.* ibid.
26 An poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate otta ex homicidio caſuali, patrato à Medicis, vel Chirurgis, &c. ibid.
R. *Poſſe.* ibid.
27 In quibus aliis caſibus poteſt, iuxta noſtram doctrinam, Epiſcopus diſpenſare in irregularitatibus ex homicidio occulto caſuali ortis. ibid.
R. *Quod in aliquibus.* Legantur. ibid.
28 In quibus aliis caſibus poteſt Epiſcopus in irregularitatibus aliis diſpenſare. ibid.
R. *Quod in quinque.* Legantor. ibid.
29 An dentur aliquæ aliæ irregularitates, etiam ex delicto occulto prouenientes, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt. p.253
R. *Quod dentur, ſeptem præcipuè.* Legantur. ibid.
30 In quibus irregularitatibus poſſunt Prælati Regulares, iuxta doctrinam huc vſqoe datam diſpenſare. ibid.
R. *Quod in decem, quæ ibi numerantur.* ibid.
31 An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio caſuali, etiam publico. ibid.
R. *Probabiliter : Poſſe.* ibid.
32 An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario, modo occulto. ibid.
R. *Probabilius : Poſſe.* p.254
33 An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio directè voluntario, etiam publico. p.255
R. *Probabiliter : Poſſe.* ibid.
34 In quibus irregularitatibus poſſit Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare. ibid.
R. *Quod in ſex, quæ ibi numerantur.* ibid.
35 An irregularitas, quæ ſine peccato incurritur, poſſit per Bullam Cruciatæ diſpenſari. p.256
R. *Vt certum : Non poſſe.* ibid.
36 An ſaltem irregularitas quæ ex delicto prouenit, poſſit per Bullam Cruciatæ diſpenſari. ibid.
R. *Vt longè probabilius : Non poſſe.* p.257.
37 An in diſpenſatione irregularitatis debeat quis neceſſariò, cum diſpenſationem vnius impetrat, alias ſimul manifeſtare. p.258
R. *Probabilius : Non debere, niſi caſu quo vna irregularitas non poſſit ſine alia explicari.* ibid.
38 An qui contraxit irregolaritatem ex occiſione alicuius Preſbyteri, aut alterius Clerici, teneatur manifeſtare ſe Preſbyterum, ſeu Clericum occidiſſe : an verò ſufficiat dicere, ſe hominem occidiſſe. ibid.
R. *Probabilius : Sufficere, ſi dicat ſe hominem occidiſſe.* ibid.
39 An qui pluries in excommunicatione celebrauit, teneatur in petenda irregularitatis diſpenſatione exprimere numerum Miſſarum celebratarum. ibid.
R. *Vt longè multò probabilius : Non teneri.* ibid.
40 An qui ter, vel quater contraxit nuptias, teneatur id exprimere in petitione diſpenſationis ſuper irregularitate ex Bigamia contracta. p.259
R. *Vt ferè certum : Non teneri.* ibid.
41 An qui commiſit plura homicidia contrahat diuerſas numero irregularitates in diſpenſatione explicandas. ibid.
R. *Probabilius : Contrahere aliquando, non tamen teneri tunc omnes numeratim exponere.* ibid.
42 An qui vnico ictu plures occidit homines, plures irregularitates incurrat. ibid.
R. *Æquè probabiliter : Quod non, niſi vnam.* ibid.

TRACTATVS III.

De Ceſſatione à diuinis.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura & Eſſentia ceſſationis à diuinis. ibid.
QVÆST. I. VNde dicatur ceſſatio à diuinis. p.260
R. *Quod ex eo quod Miniſtri Eccleſiæ à publica diuinorum celebratione ceſſent.* ibid.
2 Quid ſit ceſſatio à diuinis. ibid.
R. *Quod eſt ſimplex prohibitio Eccleſiaſtica, qua Miniſtri Eccleſiæ prohibentur perſoluere publicè diuina, &c.* ibid.

3 Quotuplex ſit ceſſatio à diuinis. ibid.

R. Quod duplex, generalis videlicet, & ſpecialis. ib.

4 An ceſſatio à diuinis ſit vera, & propria cenſura, diſtincta ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto. p.261

R. Vt longè probabilius : Quod non. ibid.

5 An ceſſatio à diuinis ſit ſpecies interdicti, & forma quædam illius. ibid.

R. Vt probabilius longè : Quod non. ibid.

6 Quibus in rebus differat ceſſatio ab interdicto. ibid.

R. Quod in quinque præcipuè. Legantur. ibid.

7 An violans ceſſationem particularem, irregularitatem incurrat. ibid.

R. Vt longè multò probabilius : Quod non. ibid.

8 An ſaltem qui violat ceſſationem generalem, celebrando tempore illius, incurrat irregularitatem. ibid.

R. Vt longè probabilius : Quod non. p.262

DISPVTATIO II.

De cauſa efficienti, formali, materiali, & finali ceſſationis. ibid.

QVÆST. I. AN ceſſatio à diuinis incurratur aliquando ipſo iure. ibid.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

2 An Pontifex poſſit ferre ceſſationem à diuinis in vniuerſa Eccleſia. ibid.

R. Multò melius : Poſſe, loquendo abſolutè. ibid.

3 An ſolus Pontifex poſſit ponere ceſſationem poſt interdictum. ibid.

R. Quod non ſolus, ſed etiam Epiſcopus. ibid.

4 An non ſolum Epiſcopi, ſed etiam omnes alij, qui poſſunt interdictum ferre, poſſint & ceſſationem. ibid.

R. Tanquam certum : Poſſe. ibid.

5 An poſſint ceſſationem ferre, qui ad id habent priuilegium, aut conſuetudinem. ibid.

R. Vt certum : Poſſe. ibid.

6 An ceſſatio, quæ indicitur ab Ordinario loci, comprehendat Rugulares. p.263

R. Probabilius : Quod non. ibid.

7 An ad indicendam ceſſationem, ſint à iure præfixa, & determinata verba. ibid.

R. Vt certum : Quod non. ibid.

8 An materia, ob quam imponenda eſt ceſſatio, ſit iniuria illata Eccleſiæ, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ. ibid.

R. Quod ſic. ibid.

9 An pro quacunque leui iniuria Eccleſiæ illata poſſit validè ceſſatio imponi. ibid.

R. Vt certum : Quod non, ſed debet eſſe grauiſſima. ibid.

10 An vt ceſſatio legitimè imponatur, requiratur quod cauſa ob quam imponitur, ſit notoria, & manifeſta. ibid.

R. Vt certum : Requiri. ibid.

11 An antequam ceſſatio imponatur, debeat neceſſariò cauſa ceſſationis exprimi inſtrumento publico, vel patentibus litteris ſigillo munitis : necnon, quod tale inſtrumentum, vel literæ tradantur ei, contra quem ceſſatio incenditur. ibid.

R. Vtrumque requiri, ſaltem vt ceſſatio iuſtè feratur : imò vt validè. ibid.

12 An vt ceſſatio ſit non ſolùm iuſta, ſed & valida, ſit neceſſum vt ille contra quem imponitur, moueatur, & requiratur, an velit ante ceſſationem emendare offenſam, & illam compenſare. p.264

R. Vt certum : Eſſe neceſſarium. ibid.

13 An vt ceſſatio indicta à Capitulo ſit licita, & valida, ſequiratur quod ad eam indicendam vocentur omnes de Capitulo, etiam abſentes, & de cauſa ceſſandi diligenter tractetur, ac tandem deliberetur per ſuffragia per maiorem partem Capituli. ibid.

R. Vt certum : Omnia prædicta requiri. ibid.

14 An poſita ceſſatione, niſi partes infra menſem in concordiam venerint, teneatur vtraque pars, nempe tam ceſſans, quàm ille contra quem ceſſatur, iter arripere per ſeipſos, vel Procuratorem, ad Sedem Apoſtolicam, & ſe præſentare Pontifici, vt cognita cauſa remedium adhibeat. ibid.

R. Vt certum : Teneri. ibid.

Sed circa hanc difficultatem ſit :

1 DVBIVM : An ſi imponens ceſſationem non arripiat intra menſem iter ad Pontificem, ſit obligatio ſeruandæ ceſſationis poſt menſem. p.264

R. Vt certum : Quod non. ibid.

2 DVBIVM : An etiam ceſſet obligatio ſeruandæ ceſſationis, ſi pars contra quam ceſſatur, nolit intra menſem iter arripere. p.265

R. Vt certum : Non ceſſare. ibid.

3 DVBIVM : An qui ceſſationem tulit, poſſit tranſacto menſe, & poſt ſuſceptum iter ad Summum Pontificem, tollere ceſſationem, ſi partes ad inuicem conueniant. ibid.

R. Multò probabilius : Poſſe. ibid.

4 DVBIVM : An etiam tranſacto menſe teneantur partes iter arripere, & ſe Summo Pontifici præſentare. ibid.

R. Vt certum : Teneri. ibid.

15 Quænam ſit cauſa finalis ceſſationis. ibid.

R. Quod eſt reſipiſcentia, & emendatio illius, cuius cauſa lata eſt ceſſatio, &c. ibid.

DISPVTATIO III.

De effectibus ceſſationis.

QVÆST. I. QVotuplex ſit effectus ceſſationis. ibid.

R. Quod triplex : Nempe Deſiſtentia à diuinis Officiis publicè recitandis : Priuatio aliquorum Sacramentorum, & Sepultura Sacra. ibid.

2 An Summus Pontifex poſſit imponere ceſſationem partialem : hoc eſt, quoad vnicum tantùm effectum, & non quoad omnes. ibid.

R. Vt quid certum : Poſſe. ibid.

3 An etiam Epiſcopus, aut alius Iudex inferior Papa, poſſit imponere dictam ceſſationem partialem. ibid.

R. Æquè probabilius : Etiam poſſe. ibid.

§. I. *De primo effectu ceſſationis, qui eſt priuatio à diuinis Officiis.* ibid.

4 An tempore ceſſationis particularis licitum ſit celebrare diuina officia publicè. p.266

R. Vt certum : Quod non. ibid.

5 An ſaltem tempore ceſſationis generalis liceat diuina celebrare publicè, cum moderamine *cap. Alma mater.* ibid.

R. Probabilius : Non licere. ibid.

6 An ſaltem tempore ceſſationis generalis ſit

licitum

licitum celebrare diuina officia publicè, in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, ſicuti eſt licitum celebrare tempore interdicti localis generalis. p. 267.

R. *Quod ſit licitum, ſpectato vſu, & conſuetudine: non iuris rigore.* ibid.

7 An non ſolum tempore ceſſationis generalis, ſed etiam ſpecialis, licitum ſit celebrare publicè in præfatis feſtis. ibid.

R. *Vt certum: Quod non* ibid.

8 An tempore ceſſationis teneantur Clerici priuatim Horas Canonicas dicere, ſi ad id aliàs teneantur. ibid.

R. *Vt certum: Teneri.* ibid.

9 An etiam tempore ceſſationis ſit licitum bini, vel terni ſimul Horas Canonicas, adhuc intra Eccleſiam recitare. ibid.

R. *Probabilius: Eſſe licitum, ſi faciant ſubmiſſa voce,* &c. p. 268

10 An tempore ceſſationis ſit licitum pulſare campanas ad diuina officia. ibid.

R. *Vt certum: Quod non.* ibid.

11 An ſaltem ſit licitum tempore ceſſationis pulſare campanas ad concionem, Orationem Angelicam, & ad alia quæ non ſunt officia diuina. ibid.

R. *Eſſe licitum, niſi aliàs contrarium vſu receptum ſit.* ibid.

12 An tempore ceſſationis licitum ſit laicis audire Miſſam, aut alia officia diuina. ibid.

R. *Vt certum: Quod non, niſi aliàs habeant priuilegium.* ibid.

13 An qui habent priuilegium audiendi Miſſam ceſſationis tempore, teneantur eam audire diebus feſtis. ibid.

R. *Probabilius: Teneri.* ibid.

14 An tempore ceſſationis ſit licitum celebrare Miſſam ſemel in hebdomada, ad renouandam Euchariſtiam. ibid.

R. *Vt certum: Quod ſit.* ibid.

15 An non ſolùm ſemel in hebdomada, verùm etiam quotidie, poſſit tempore ceſſationis fieri ſacrum, ſi opus ſit conferri viaticum, & non ſit Euchariſtia. p 269

R. *Poſſe.* ibid.

16 An Sacerdoti celebranti in enarratis diebus tantum poſſit vnicus Miniſter aſſiſtere. ibid.

R. *Æquè probabiliter: Etiam duos poſſe.* ibid.

§. II. *De ſecundo ceſſationis effectu, qui eſt priuatio Sacramentorum.* ibid.

17 An tempore ceſſationis generalis licitum ſit conferre Sacramentum Baptiſmi paruulis. ibid.

R. *Vt certum: Eſſe licitum.* ibid.

18 An etiam tempore ceſſationis ſit licitum Sacramentum baptiſmi miniſtrare adultis. ibid.

R. *Multò probabilius: Eſſe etiam licitum.* ibid.

19 An item ſit licitum tempore ceſſationis conferre Confirmationem. p. 270

R. *Probabilius: Eſſe licitum.* ibid.

20 An in prædictis caſibus licitum ſit adminiſtrare Baptiſmum cum ſolemnitate ſolita. ibid.

R. *Longè probabilius: Licitum eſſe.* ibid.

21 An ſi ceſſatio permaneat in hebdomada ſancta, ſit licitum Epiſcopo conſecrare Chriſma, & benedicere oleum. ibid.

R. *Vt certum: Quod ſic.* ibid.

22 An tempore ceſſationis ſit licitum miniſtrare Pœnitentiam omnibus infirmis. ibid.

R. *Vt certum: Eſſe licitum: imò & debitum.* ibid.

23 An non ſolum infirmis, verumetiam ſanis poſſit miniſtrari Pœnitentia ceſſationis tempore. ibid.

R. *Quod non poſſit, attento iuris rigore, bene tamen attenta conſuetudine recepta.* ibid.

24 An tempore ceſſationis poſſit dari infirmis Euchariſtia. p. 271

R. *Vt certum: Poſſe, ſed ſolùm per modum viatici.* ibid.

25 An Sacramentum Extremæ Vnctionis poſſit conferri tempore ceſſationis non habenti priuilegium. ibid.

R. *Vt certum: Quod non.* ibid.

26 An ſaltem poſſit dari Extrema Vnctio tempore ceſſationis illi moribundo, qui nec Euchariſtiæ, nec Pœnitentiæ Sacramentum poteſt recipere. ibid.

R. *Probabilius: Tunc poſſe.* ibid.

27 An Sacramentum Ordinis poſſit miniſtrari, aut conferri tempore ceſſationis. ibid.

R. *Vt certum: Non poſſe.* ibid.

28 An tempore ceſſationis non ſolom validè, verum etiam licitè poſſit contrahi matrimonium. ibid.

R. *Æquè probabiliter: Non poſſe licitè, quamuis validè, certum ſit poſſe.* ibid.

§. III. *De tertio ceſſationis effectu, qui eſt Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ.* ibid.

29 An tempore ceſſationis poſſint ſepeliri fidelium corpora, cum recitatione officiorum diuinorum, & aliis ſolemnitatibus Eccleſiaſticis. p. 272

R. *Vt certum: Non poſſe.* ibid.

30 An tempore ceſſationis licitum ſit ſepelire cadauera fidelium omnium in loco ſacro, abſque vllo diuino officio, aut ſolemnitate ſolita. ibid.

R. *Non eſſe licitum, attenta praxi.* ibid.

31 An non ſolum laici, verùm etiam Clerici priuentur tempore ceſſationis Eccleſiaſtica ſepultura. ibid.

R. *Probabilius longè: Quod non priuentur iſti,* &c. ibid.

32 An omnes Clerici, etiam primæ tonſuræ, ſepeliri poſſint in loco ſacro, modo dicto, tempore ceſſationis à diuinis. ibid.

R. *Poſſe.* ibid.

33 An tempore ceſſationis poſſint ſepeliri Clerici, non ſolùm in cœmeterio, ſed etiam in ipſa Eccleſia. ibid.

R. *Probabilius: Poſſe etiam in Eccleſia.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De Pœnis tranſgredientibus ceſſationem impoſitis. p. 273

QVÆST. I. AN violans ceſſationem peccatum mortale admittat. ibid.

R. *Vt certum: Admittere.* ibid.

2. An Religioſi exempti incurrant excommunicationem, non ſeruando ceſſationem generalem, quæ ab Eccleſia Matrice, vel Parochiali ſeruatur. ibid.

R. *Vt certum: Incurrere.* ibid.

3 An ſi Religioſi mendicantes violant ceſſationem, dictam excommunicationem incurrant. ibid.

R. Incurrere, quidquid dicant alij. ibid.
4 An Religioſi violantes ceſſationem ſpecialem, etiam excommunicationem incurrant. ibid.
R. Vt certum : Quod non. ibid.
5 An priuilegia Regularibus conceſſa quoad obſeruantiam interdicti, locum habeant in ceſſatione. ibid.
R. Quod non : Tametſi ex ſpeciali priuilegio poſſint tempore ceſſationis eodem modo ſe gerere, ac in tempore interdicti. ibid.
6 An etiam laici violantes ceſſationem pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant. p.274.
R. Vt certum : Quod non. ibid.
7 An ille ob cuius culpam lata eſt ceſſatio, teneatur ad aliquam reſtitutionem. ibid.
R. Vt certum : Teneri. ibid.
8 A quonam Superiori poteſt auferri ceſſatio. ib.
R. Quod ab eo, qui eam tulit : & ab eius ſucceſſore aut Superiore, aut ab alio habente facultatem delegatam. ibid.

TRACTATVS IV.

De degradatione & depoſitione.

DISPVTATIO VNICA.

De Degradatione. ibid.

QVÆST. I. AN Degradatio, & depoſito ſit propriè cenſura, p.275
R. Longè probabilius : Non eſſe. ibid.
2 Quotuplex eſt Degradatio. ibid.
R. Quod duplex : Verbalis videlicet, & realis, ſeu actualis. ibid.
3 In quibus differunt Degradatio verbalis, & realis, ſeu actualis. ibid.
R. Quod in rebus quatuor. Legantur ibi. ibid.
4 An percutiens Degradatum realiter, ſeu actualiter, vel depoſitum incorrigibilem, incurrat excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente.* ibid.
R. Tanquam certum : Quod non. ibid.
5 An ſaltem incurrat dictam cenſuram, qui Degradatum ſolùm verbaliter percutit. ibid.
R. Vt certum : Incurrere, niſi aliàs id poſt illum incorrigibilitatem faciat. p.276
6 An Comes Magiſtri triremis (Hiſpanè, *Comitre de galeras*) percutiens Clericum degradatũ ſolum verbaliter, & damnatum ad triremes, excommunicationem Canonis incurrat. ibid.
R. Quod non, ſi percutiat illum ſicut percutit cæteros remigantes, &c. ibid.
7 An Sacerdos realiter Degradatus, validè conſecrare poſſit. ibid.
R. Tanquam certum : Poſſe. ibid.
8 An Degradatus realiter, ſi in Sacris ſit conſtitutus, teneatur recitare Horas Canonicas. ibid.
R. Vt certum : Teneri. ibid.
9 An Degradato, aut depoſito verbaliter à beneficio aſſignandæ ſint expenſæ, ne egeat. ibid.
R. Quod ſic. ibid.
10 An item aſſignandæ ſint expenſæ Degradato realiter, & ſolemniter, ex Eccleſiæ reditibus. ibid.
R. Vt ferè certum : Quod non. ibid.
11 An realiter, ſeu actualiter Degradatus, poſſit validè contrahere matrimonium. p.277
R. Vt certum : Non poſſe, ſi in Sacris ſit conſtitutus. ib.
12 Quænam ſunt crimina, ob quæ infligi ſolet verbalis degradatio. ibid.
R. Quod ſunt adulterium, concubinatus diuturnus, ſimonia notoria, &c. ibid.
13 Quænam ſunt crimina, quæ realem, ſiue actualem Degradationem merentur. ibid.
R. Eſſe homicidium qualificatum, crimen hæreſis, Sodomiam repetitam, &c. ibid.
14 An Degradatio Preſbyteri pertineat ad Epiſcopum proprium. ibid.
R. Vt certum : Quod ſic. ibid.
15 An Degradatio Epiſcopi pertineat ad Papam. ibid.
R. Quod ſic. ibid.
16 An Prælati Regulares poſſint degradare verbaliter ſuos ſubditos, ſicuti Epiſcopus ſuos. ibid.
R. Poſſe ex ſpeciali priuilegio. ibid.
17 An Degradatum actualiter, & realiter poſſit Epiſcopus in ſuum priſtinum ſtatum reſtituere. ibid.
R. Poſſe, ſi iniuſtè fuit degradatus : aliàs non. ibid.
18 Qua forma, & modo fieri debet Degradatio realis & actualis. ibid.
R. Quod duplici modo fit, &c. Legatur. ibid.

TRACTATVS V.

De violatione, ſeu de pollutione Eccleſiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

De Modis quibus Eccleſia violatur. p.278

QVÆST. I. AN Eccleſiæ violatio imponatur ſolum à Iure, an etiam ab homine. ibid.
R. Vt certum : Quod ſolum à iure. ibid.
2 Quot ſunt caſus, quibus Eccleſia polluitur, & violatur. ibid.
R. Quod ſunt ſex, infra aſſignandi. ibid.

§. I. *De violatione Eccleſiæ per homicidium in ea patratum.* ibid.

3 An violetur Eccleſia per homicidum in ea factum in defenſionem propriæ vitæ. p.279
R. Vt certum : Quod non. ibid.
4 An ſi quis ob fidei Catholicæ, Eccleſiæve defenſionem in Eccleſia occidatur, tunc Eccleſia maneat polluta. ibid.
R. Probabilius longè : Manere. ibid.
5 An homicidium cauſatum ab ictu furioſi, vel amentis, vel pueri iudicio carentis, Eccleſiam polluat, & violet. ibid.
R. Vt certum : Quod non. ibid.
6 An ob homicidium omnino caſuale violetur Eccleſia. ibid.
R. Vt certum : Quod non. ibid.
7 An ſi quis exiſtens intra Eccleſiam, telo, lapide, aut alio inſtrumento occidat aliquem exiſtentem extra Eccleſiam, maneat tunc polluta Eccleſia. ibid.
R. Vt certum : Non manere, ibid.
8 An ſaltem maneat Eccleſia polluta, ſi quis exi-

ſtens

Digitized by Google

ſtens extra Eccleſiam, aliquem intra illam manentem ſcienter occidat. p.279
R. Vt certum: Manere tunc. ibid.
9 An polluatur Eccleſia ex eo quod Iudex ſuſpendat in ea aliquem. ibid.
R. Vt certum: Pollui. ibid.
10 An item maneat Eccleſia polluta, ſi Iudex ſuſpendat hominem ſuper tectum Eccleſiæ, aut ſubter eam in ſpecu, aut in pariete exteriori eiuſdem. p.280
R. Tunc non manere pollutam. ibid.
11 An polluatur Eccleſia caſu, quo mors alicui intra eam, ſine ſanguinis effuſione inferatur. ibid.
R. Vt quid certum: Pollui. ibid.
12 An ſi quis intra Eccleſiam lethaliter percutiatur, ſine vulnere tamen, & ſanguinis effuſione, & extra Eccleſiam moriatur, Eccleſia violetur. ibid.
R. Probabilius: Violari. ibid.
13 An ſi quis ſe ipſum voluntariè interficiat, aut percutiat, ita vt effundatur in Eccleſia ſanguis, maneat ipſa polluta. ibid.
R. Vt certum: Manere. ibid.
14 An ſi quis extra Eccleſiam percuſſus, fugiens ad Eccleſiam multum ſanguinem effundat, ibique moriatur, tunc Eccleſia ſit violata. ibid.
R. Quod non. ibid.

§. II. *De violatione Eccleſiæ per voluntariam ſanguinis effuſionem.* ibid.

15 An per quamcunque ſanguinis effuſionem intra Eccleſiam factam, etiamſi non ſit voluntaria, aut iniurioſa, polluatur, & violetur Eccleſia. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
16 An ex quauis modica effuſione ſanguinis iniurioſa, & voluntaria facta intra Eccleſiam, maneat violata; & polluta. p.281
R. Vt certum: Quod non, quidquid alij dicant. ibid.
17 An polluatur Eccleſia quando in rixa puerorum, aut aliorum, magna ſanguinis quantitas è naribus in illa effunditur. ibid.
R. Æquè probabiliter: Quod non polluatur. ibid.
18 An polluatur Eccleſia effuſione ſanguinis, per iniuriam facta homini mortuo in Eccleſia ipſa exiſtenti. ibid.
R. Probabilius: Pollui. ibid.
19 An effuſio ſanguinis animalium inducat violationem Eccleſiæ. p.282
R. Vt certum: Quod non. ibid.
20 An menſtrua mulierum in Eccleſia fluentia ipſam violent. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
21 An effuſio ſanguinis copioſa ex ludo, aut ioco cauſata, Eccleſiam violet. ibid.
R. Quod non. ibid.
22 An violet Eccleſiam percuſſio grauis facta pugno, alapa, virga, aut baculo intra Eccleſiam, ſi ex illa nec vulnus, nec mors, nec ſanguis oriatur. ibid.
R. Probabilius: Non violari. ibid.
23 An polluat Eccleſiam Chirurgus, qui dum vulnus curat in Eccleſia, aut venam incidit, copioſè ſanguinem fundit. ibid.
R. Vt certum: Quod non. ibid.
24 An violet Eccleſiam Iudex, ſi intra illam ferat ſententiam mortis, aut ſanguinis in aliquem. ibid.
R. Vt certum: Non violare, dummodo mors extra Eccleſiam ſit facta. ibid.

§. III. *De violatione Eccleſiæ per humani ſeminis effuſionem in ea.* ibid.

25 An pollutio facta in ſomnis in Eccleſia, polluat ipſam. ibid.
R. Vt certum (quidquid alij dicant) *quod non.* ibid.
26 An ſaltem violetur Eccleſia per pollutionem, quam Confeſſarius inuitus patitur audiendo Confeſſiones. ibid.
R. Vt certum: Nec per hanc violari Eccleſiam. ibid.
27 An per quacumque illicitam ſeminis humani effuſionem factam intra Eccleſiam hæc polluatur, & violetur. p.283
R. Vt certum: Quod ſic. ibid.
28 An ad violandam Eccleſiam ſufficiat habere in illa voluntariam pollutionem in parua quantitate, vnius videlicet, vel alterius guttæ. ibid.
R. Probabilius: Non ſufficere ibid.
29 An per copulam matrimonialem exercitam in Eccleſia, hæc polluatur, & violetur. ibid.
R. Probabilius: Violari, niſi aliàs ex iuſta cauſa copula exerceatur. ibid.
30 An vt Eccleſia maneat polluta, ſatis ſit vt effuſio illicita ſeminis fiat in locis Eccleſiæ ipſi adhærentibus. ibid.
R. Non eſſe ſatis. ibid.
31 An vt effuſio ſanguinis, aut ſeminis violet Eccleſiam, opus ſit vt hæc in Eccleſiæ pauimento cadant. p.284
R. Vt certum: Non opus eſſe. ibid.
32 An per homicidium, vel effuſionem ſanguinis, aut ſeminis, aut alias actiones, quibus polluitur Eccleſia, occultè factas, violetur Eccleſia, ita vt reconciliatione indigeat. ibid.
R. Tanquam certum: Non violari, ita vt reconciliatione indigeat. ibid

§. IV. *De violatione Eccleſiæ per ſepulturam in ea excommunicati, infidelis, aut Pagani.* ibid.

33 An Eccleſia violetur ex eo quod in ea ſepeliatur aliquis hæreticus, vel excommunicatus non toleratus. ibid.
R. Vt certum: Violari. ibid.
34 An item violetur Eccleſia, ſi in ea excommunicatus toleratus, ſeu non vitandus ſepeliatur. ibid.
R. Non violari. ibid.
35 An maneat polluta Eccleſia, ſi per Epiſcopum nominatim excommunicatum reconcilietur, conſecretur, aut benedicatur. ibid.
R. Probabiliter: Non manere pollutam. p.285
36 An polluatur Eccleſia per ſepulturam in ea Pagani, aut infidelis cuiuſlibet. ibid.
R. Vt certum: Pollui. ibid.
37 An ſi filius fidelis moriatur ante baptiſmum, & ſepeliatur in Eccleſia, hæc maneat polluta. ibid.
R. Vt certum: Manere, quidquid alij dicant. ibid.
38 An etiam maneat polluta Eccleſia, ſi puer mortuus in vtero matris fidelis, ſimul cum illa ſepeliatur. ibid.
R. Vt certum: Tunc non manere pollutam. ibid.
39 An caſu quo mater moriatur prægnans, & poſt mortem ex negligentia non aperiatur, ſed ſepulturæ tradatur cum fœtu viuente in vtero, qui poſtea moriatur, tunc maneat violata Eccleſia. ibid.
R. Tunc manere violatam. ibid.

40 An ſi Catechumenus in Eccleſia ſepeliatur, illa remaneat polluta. ibid.

R. Quod non. ibid.

§. V. *De violatione Eccleſiæ ex deſtructione parietum ipſius.* ibid.

41 An ex deſtructione, vel combuſtione omnium ſimul Eccleſiæ parietum, maneat Eccleſia violata. ibid.

R. Potius manere deſtructam, quàm violatam. ibid.

42 An quando Eccleſiæ parietes ſucceſſiuè decidunt, & ſucceſſiuè reparantur, tunc Eccleſia indigeat noua conſecratione. p.286

R. Probabilius: Quod non. ibid.

43 An violatio habeat locum in omni Eccleſia conſecrata, aut benedicta. ibid.

R. Vt longè multò probabilius: Quod ſic. ibid.

44 An violata Eccleſia, cenſeatur etiam violatum cœmeterium illi contiguum. ibid.

R. Vt quid certum; Cenſeri. ibid.

45 An etiam è contra, polluto cœmeterio, cenſeatur polluta Eccleſia illi contigua. ibid.

R. Vt quidem certum: Quod non cenſeatur. ibid.

46 An ſi duo cœmeteria ita ſint ſibi vnita, vt inter ea ſolus ſit medius paries, in quo ſit porta, per quam tranſeatur de vno in aliud: vtrum vno eorum polluto, cenſeatur pollutum alterum. ibid.

R. Vt certum: Quod non. ibid.

47 An ſaltem maneant polluta duo dicta cœmeteria, ſi in medio portæ poſitæ inter illa fiat humani ſanguinis, vel ſeminis effuſio. p.287

R. Diſtinctione multiplici. Legatur quæſtio. ibid.

48 An ſi ſanguis, vel ſemen effundatur in porta Eccleſiæ, tunc maneat violata. ibid.

R. Manere, ſi fundatur in parte interiori verſus Eccleſiam: ſecus ſi in exteriori. ibid.

49 An Eccleſia polluatur propter furtum, vel rapinam in ea commiſſam. ibid.

R. Vt mihi certum: Quod non. ibid.

50. An Eccleſia per violationem amittat priuilegia immunitatis. ibid.

R. Negatiuè. ibid.

DISPVTATIO II.

De peccatis & pœnis impoſitis his, qui in Eccleſia violata celebrant. ibid.

QVÆST. I. An ſit peccatum mortale celebrare Miſſam, vel alia officia diuina in Eccleſia violata publicè. ibid.

R. Tanquam certum: Eſſe ex genere ſuo. ibid.

2 An caſu, quo poſt celebrationem Miſſæ publicetur Eccleſiæ violatio occulta, ſit tunc neceſſarium Eccleſiam reconciliare. ibid.

R. Quod ſit neceſſarium; quidquid alij ſententiant. ib.

3 Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, quando ipſo celebrante, Eccleſia polluitur. ibid.

R. Quod ſi accidat violatio poſt canonem inchoatum, tunc debeat perficere Miſſam: ſecus ſi ante Canonem. ibid.

4 An celebrans in Eccleſia publicè violata irregularitatem incurrat. p.288

R. Vt quid certiſſimum: Non incurrere. ibid.

5 An ſaltem incurrat ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, qui in Eccleſia publicè violata celebrat. ibid.

R. Vt longè multò probabilius: Quod non. ibid.

6 An in feſtis, in quibus iure ſuſpenditur interdictum loci, liceat in loco publicè violato celebrare. ibid.

R. Non licere. ibid.

7 An poſſit Epiſcopus impertiri licentiam, vt in Eccleſia violata (ſi vrgeat neceſſitas) diuina ante reconciliationem celebrentur. ibid.

R. Probabilius longè: Poſſe. ibid.

DISPVTATIO III.

De Miniſtro, à quo reconcilianda eſt Eccleſia violata. ibid.

QVÆST. I. An ſi Eccleſia polluta erat conſecrata ab Epiſcopo, ab ipſo ſolùm reconciliari poſſit. ibid.

R. Vt certum: Poſſe ſolùm ab ipſo, vel ab alio Antiſtite ex eius conſenſu. ibid.

2 An Epiſcopus poſſit committere ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. p.289

R. Vt certum: Non poſſe. ibid.

3 An ſaltem Summus Pontifex poſſit delegare ſimplici Presbytero reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. ibid.

R. Tanquam certum: Poſſe. ibid.

4 An Superiores Regulares poſſint reconciliare eorum Eccleſias conſecratas, virtute ſuorum Indultorum. ibid.

R. Poſſe. ibid.

5 An ſi Eccleſia, quæ eſt polluta, non erat conſecrata, ſed ſolum benedicta, poſſit reconciliari per ſimplicem Sacerdotem. ibid.

R. Vt quid certum: Poſſe. ibid.

6 An vt ſimplex Sacerdos poſſit reconciliare Eccleſias benedictas violatas, requiratur licentia Epiſcopi. ibid.

R. Probabilius: Non requiri. ibid.

7 An reconciliata Eccleſia violata, maneat reconciliatum cœmeterium contiguum. p.290

R. Vt certum: Manere. ibid.

8 Quonam modo reconcilianda eſt Eccleſia polluta, quia in ea ſepultus fuerit aliquis infidelis, vel Paganus, vel excommunicatus vitandus. ibid.

R. Quod debet exhumari corpus, &c. ibid.

TRACTA

TRACTATVS PRIMVS.
DE IRREGVLARITATE.

TRACTANT de hæc materia D.Thomas *in Addit q.39. & in 4. diſt.25.q.2.& 3.* & ibi Sotus,& alij Scholaſtici. Maiolus *in ſuo lib. de irregul.* vbi refert triginta Authores, qui de illa ſcribunt. Henriquez *in Summ.lib.14.* Suarez *tom.5 de Cenſur. diſp.40.& ſeq.* Valentia *part.4.diſp.7.q.19.* Sayrus *in Theſauro lib 6. & 7.* Ægidius *de Cenſur diſp.18.* Auila *de Cenſur.part.7.* Filliuc *tract.19.* Bonac. *de Cenſur.à diſp.7.* Bauny *de Cenſur.tract.11.* Hurtad.*de Cenſur.tract.de Irregul.* Cornejo *in 3. p.S.Thomæ,tract. de Irregul. à q.5.* Luyſius Terrianus *de Cenſur lib.8.* Agunt etiam Canoniſtæ *tit.de Homicidio,& alibi.* Nauarr.*Summ.c.27.à n 191.* Couarr.*in Clement.Si furioſus.de Homicid.* Villalobos *tom.1.Summ. tract.12.* Machado *tom.1. lib.1.part.3. tract.15.* Diana *part.4.tract.2.*& alibi. Tolet.*lib.1.Summ c.52.* Reginald.*lib.30.tract.2.* Pelliziarius *tom.2.tract.7.à c.5.* Summiſtæ verb.*Irregulritas.* Palao *tom.6.à diſp 6.* Gibalinus *tom. de Irregul. per ſex capita,* & alij in decurſu tractatus citandi.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura,& Quidditate Irregularitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vndenam Irregularitas dicatur.

RESPONDEO dicendum, quod Irregularis dicitur, qui eſt ſine regula: & Irregularitas, id à quo formaliter quis dicitur Irregularis. Deſumitur enim ab, *i*, quod eſt *ſine,& a regula.* Significat ergo hæc vox, quodcunque impedimentum, ratione cuius homo fit incapax illius gradus, qui eſt communis aliis, ita vt extra regulam generalem ab Eccleſia præſcriptam, fiat. Sic Suarez, Auila, Pelizzar. Filliuc. Bonac. Cornejo, & citati.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Irregularitas.

REſpondeo dicendum: quod eſt, *Inhabilitas, ſeu impedimentum Eccleſiaſticum, iure canonico introductum, ex ſe, directè, ac primario impediens perceptionem Ordinum, & indirectè, & conſequenter eorum vſum.* Sic communis Doctor. quoad rem ipſam, licèt verbis differant. Suarez *diſputat. 40. ſect. 1. num.2.* Filliucius *tractat.19.c.1.quaſt.1.numer.2.* Auila *part.7. diſput. 1. dubit. 1. concl. 1.* Hurtadus *diff.1.* Bonac. *diſp. 7.q.1.punct.1. n.2.* Nauarr. Villalob. Machad. & alij.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit Irregularitas.

REſpondeo dicendum, quod irregularitas diuiditur *Primò*, in irregularitatem, quæ prouenit ex defectu, & in irregularitatem quæ prouenit ex delicto. Rurſus Irregularitas, quæ prouenit ex defectu ſubdiuiditur in multas ſpecies. Nam *prima* prouenit ex defectu animi. *Secunda* ex defectu corporis. *Tertia* ex defectu natalium. *Quarta* ex defectu ætatis, & libertatis. *Quinta* ex defectu Sacramenti. *Sexta* ex defectu lenitatis. Deinde Irregularitas quæ prouenit ex delicto, etiam ſubdiuiditur in multas ſpecies. Nam *Prima* oritur ex iteratione Baptiſmi. *Secunda* ex indebita ſuſceptione, vel vſu Ordinis. *Tertia* ex actu infidelitatis aut hæreſis. *Quarta* ex infamia. *Quinta* ex homicidio illicitè pattrato.

Secundò principaliter diuiditur Irregularitas in totalem & partialem. Totalis eſt illa, quæ priuat omni Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti exercitio: qualis eſt illa, quæ oritur ex bigamia, & homicidio. Partialis verò eſt illa, quæ priuat aliquo Ordine tantum, vel ex parte temporis, nempe pro tali ætate, vt ætas viginti annorum priuat tantum Ordine maiori, non minori: vel ex partè defectus, quia priuat

aſcenſu ad ſuperiores Ordines, non autem executione Ordinis iam ſuſcepti, *cap. 2. de Cler. non ordin.* cap. *de his 3. diſt. 50.* & alibi. Legantur Suarez *diſp. 40. ſect. 3.* Filliuc. *tract. 19 c. 1. q. 3.* Bonacin. *diſp. 7. q. 1. punct. 2. num. 6.* & Bauny *tract. 11. q. 8.* & alij.

QVÆSTIO IV.

An aliqua irregularitas ſit iure diuino introducta.

AFfirmarunt olim quidam, exiſtimantes irregularitatem ortam ex bigamia eſſe introductam iure diuino, iuxta illud Pauli 1. *ad Timoth. 3.* dicentis, *Epiſcopum debere eſſe vnius vxoris virum.* Et irregularitatem ex homicidio, ex illo: *Non ædificabis mihi templum, quia vir ſanguinum es. 2. Reg. 7.* Ita Abbas *in c. Sicut dignum, de Homic. n. 12.* & Socin. *in c. Ad audientiam, de homic. n. 6.* Et inſinuat Palud *diſt. 25. q. 3. n. 14.* dum ait: Petrum, & Paulum fuiſſe irregulares ex homicidio, & mutilatione, Chriſtum tamen cum eis diſpenſaſſe. Citat etiam Cornejo pro hac parte Nauarr. *in cap. Ad audientiam, cit.* Sed falsò omnino. Vnde.

Tanquam certum, Reſpondeo nullam eſſe irregularitatem diuino iure, aut naturali introductam; ſed omnem eſſe impoſitam iure Canonico, & Eccleſiaſtico. Probatur ex cap. *Is qui, de ſentent. excom. in 6.* vbi expreſsè dicitur, nullam irregularitatem incurri, niſi in caſibus à iure expreſſis; per *ius* autem, intelligitur ius canonicum: ergo nec iure diuino, nec naturali incurritur aliqua irregularitas. Nec loco Pauli aliud probatur, quàm quod irregularitas bigami inducta fuerit à tempore Apoſtolorum, non ex diuino præcepto, ſed ipſorum Apoſtolorum, atque adeo Eccleſiaſtico, vt benè docet Bellar. *lib. 1. de Cler. c. 23.* Sic ille Et anteà Nauarr. *c. 27. n. 19.* Ad locum autem deſumptum ex lib. Reg. dicendum eſt (quidquid alij dicant) non ideo prohibitum fuiſſe Dauidi templum ædificare, quia aliqua lege prohibitum eſſet, humanum bellatorem templum ædificare, aut inſeruire eius miniſteriis, ſed vt eo exemplo oſtenderetur, quàm grata ſit Deo pax. Sic Suarez *diſp. 40. ſect. 4. n. 2.* dicens, hanc ſententiam eſſe certam & communem Theologorum *in 4 diſt. 25.* & Canoniſtarùm *in c. Ad audientiam, de homic.* & in cap. *Is qui, de ſent. excomm. in 6.* Nauar. *loc. cit.* Couarr. *in Clem. 1. de Homic. 1. part. in princ.* legatur Henriq. *lib. 14. c. 1.* Cornejo *de Irregul diſp. 2. dub. 1.* Loyſius *lib. 7. diſp. 57. dub 2.* Gibalin. *de Irregul. c. 2. q. 1. n. 3. pag. 11.* Pelizzatius *tom. 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 1. num. 4.*

QVÆSTIO V.

An Irregularitas incurratur aliquando in caſu à iure non expreſſo.

AFfirmandum videtur. Quia iterationi Confirmationis, & Ordinis eſt annexa irregularitas; ſicut annexa in iure iterationi Baptiſmi: at illa irregularitas non eſt expreſſa in iure: ergo. Ita docet ex S. Anton. Nauarr. *c. 27. n. 247.* Caſtro *de lege pænali lib. 1. c. 7. docum. 3.* His fauet Layman citandus infra *q. 14.* quam vide.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo dicendũ, quod irregularitas nunquam incurratur niſi in caſibus à iure expreſſis, & determinatis. Quia id habetur expreſsè in cap *Is qui, de ſent. excom. in 6.* ibi: *Cum non ſit expreſſum in iure*: & ratio eſt. Nam irregularitas, ſolùm eſt inducta Canonico iure, vt nuper eſt habitũ: ergo conſequens eſt, vt nulla alia ſit irregularitas, niſi illa, quæ eodem iure exprimitur. Nec, vt irregularitas contrahatur, eſt ſatis, quod in ſimili caſu, vt vult Nauarr. poſita ſit, ſed neceſſe eſt, vt in propria ſpecie talis cauſæ, vel delicti, lata ſit: quoniam quod ſolum per argumentum à ſimili elicitur, non poteſt dici, in iure expreſſum. Vnde neganda eſt maior argumenti Nauarri; quia in tota hac materia non valet argumentum à ſimili, & ideo nec hoc, nempe, iterationi Confirmationis, & Ordinis. Sic Hoſtienſ. Panormit. Ioan. And. Tiraq. Couar. quos citat, & ſequitur Suarez *diſp. 40 ſect 4. n. 15.* Sayrus *lib. 6. c. 2. n. 4.* Scotus *diſt. 7. in 4. q. vltim.* Loyſius *lib. 7. diſp. 57. dub. 3. in fine.* Hurtad. *diſp 1. de Irregul. diff. 3.* Cornejo *diſp. 1. dub. 2.* Filliuc *tract. 19 cap. 2. q 2. n. 35.* Bonac. *diſp 7 de Cenſ. q. 1. punct. 2. n. 4* Palao *tom. 6. diſp. 6. punct 2 num. 1.* Gibalin. *cap. 1 quæſt. 1. num. 4.* Pellizzarius *tomo 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 1. num. 5.*

QVÆSTIO VI.

An omnis Irregularitas ſit à iure, nulla ab homine.

NEgarunt apud Suarium Scotus, Gabriel, & alij exiſtimantes irregularitatem poſſe infligi a Iudice, ſecundum iura.

Sed, vt certum Reſpondeo, omnem irregularitatem eſſe à iure, nullam eſſe, neque poſſe eſſe ab homine, de lege ordinaria. Probatur ex dictis. Quia nulla incurritur irregularitas, niſi in iure ſit expreſſa: ergo omnis eſt à iure; nulla imponitur ab homine. Dixi, *nec poſſe imponi ab homine de lege ordinaria*: quia de lege extraordinaria aut de plenitudine poteſtatis haud dubium eſt, quin a Pontifice imponi poſſit (cum ſit ſupra ius Canonicum) aut à Concilio generali: non verò ab Epiſcopo, aut ab Archiepiſcopo, aut ab alijs Prælatis Papâ inferioribus, vt *diſp. 2.* diximus. Sic communis. Sotus *in 4. diſt 22. art. 1. q 3.* Suar. *diſp 40. ſect 4. n 3* vt leges apud Petrum Cornejo, & penes illum, Ledeſma, Caſtro, Nauarrus, Couarr. & Villalobos, Cornejo *diſp. 2 dub. 2* Bonac. *loc. cit. num. 1.* Lublinus *verb. Irregularitas, n. 1.* Auila *p. 7. diſp. 1. dub. 3.* Palao *loco citato, n. 2.* Gibalin *cap. 2. q 1. n. 6 pag. 13.* Pellizzarius *loc cit. n. 4.*

QVÆSTIO VII.

An ad incurrendam irregularitatem ex delicto ortam, requiratur peccatum mortale.

NEgant quidam DD. exiſtimantes, ſufficere peccatum veniale ad incurrendam dictam irregularitatem. Quia excommunicatio minor non eſt minor pœna, quam irregularitas, ſiquidem priuat receptione omnium Sacramentorum: at ſic eſt, quod illa incurritur ob peccatum veniale, vt habitum eſt *tract. 1. de Cenſur.* ergo & hæc poteſt incurri. Ita Caiet. *verb. irregularitas, & 2. 2. quæſt. 64. art.* 8. Silueſt. *v. Ebrietas, q. 4.* Armilla *verb. Irregularitas. n. 14.* Corduba *lib. 2. quæſt.* 26. Molina *tract 3 diſput. 77.* Caſtro *lib. 1. de leg. pæn. cap. 5. docum. 4.* Manuel 1. *tom. ſum. 2. edit. cap. 175. n 5.*

Sed longè multò probabilius Reſpondeo dicendum, quod ad incurrendam irregularitatem ortam ex delicto, neceſſariò requiratur culpa mortalis, nec venialis ſufficiat. Quia pœna debet proportionari delicto, cap. *Felicis de pæn. in 6.* at ſic eſt, quod irregularitas, quæ ob delictum incurritur, eſt pœna grauiſſima, cum priuet vſu Ordinum, quos habet, & promotione ad altiores: ergo non debet incurri, niſi ob grauem culpam. Confirmatur. Quia de facto nulla irregularitas eſt impoſita in iure, niſi pro culpa

morta

Digitized by Google

mortali:ergo vt illa ineuitatur, hæc prærequiritur. Sic Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 9* Nauarr. *c. 27. n. 249. 251. & 263.* Henriquez *lib. 14. c. 3.* Suar. *diſp. 40. ſect. 3. n. 17.* (non 19. vt offendes apud Bonacinam) Auila *p. 7. diſp. 2. dub. 3.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 31. n. 29.* & penes illum etiam Nauarr. *lib. 2. de Reſtit. c. 1. dub. 6. n. 61* Manuel *tom. 2. ſum. 2. edit. cap. 67.* n. 1. Barthol. de Ledeſma *dub. 5. de excomm. concl. 1. col. 994.* Bañez *2. 2. q. 64. art. 8. de irregul. part. 2. dub. 2. fol. 371.* Salon *eod. art. 8.* Ludou. Lopez *2. p. inſtruct. c. 13. de excomm. ad finem, in ſolut. ad 3.* & Sa *verb. irregularitas, cap. 1. verſ. Ad irregularitatem ex delicto.* His addi poſſunt Filliuc. *tract. 19. c. 1. q. 8. n. 24.* Ægidius *diſp. 18. dub. 2. n. 13. & dub. 4. n. 27.* Reginald. *lib. 30. n. 201.* Bonacina *diſp. 7. q. 1. punct. 3. n. 1.* Palao *tom. 6. diſp. 6. punct. 3. n. 2.* Baldellus *1. p. Theolog. moral lib. 5. diſp. 23. num. 6.* Diana *p. 3. tract. 6. reſol. 51.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 7. c. 5. ſect. 1. q. 6. n. 8.*

Nec obſtat argumentum contrariorum, nam illis optimè reſpondet Sanchez ex Nauarro, dicens excommunicationem minorem eſſe ſecundum quid grauiorem pœnam, quàm irregularitas, ſed ſimpliciter minus grauem; quia videlicet, illa eſt medicinalis, & facilè tollitur; hæc autem non niſi per Pontificiam diſpenſationem, priuatque Ordinum miniſterio, eorumque habilitate. Legantur dicta a nobis *tract. de ſuſpenſ. diſp. 2. quæſt. 9.*

QVÆSTIO VIII.

An ſaltem Papa poſſit imponere Irregularitatem abſolutè pro culpa veniali.

AFfirmant apud Bonacinam (præter Doctores citatos pro prima ſententia quæſtionis præcedentis) Suar. *diſp. 40. ſect. 3. num. 17.* Auila *loc. cit. concl. 2.* Filliuc. *n. 24.* & Ægidius *dub. 2. n. 14.* Sed certè ex his authoribus ſolus Auila hanc partem docet Nam Ægidius *loc. cit. n. 13.* abſolutè docet ex Suario *loc. cit.* non poſſe Pontificem purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem, quia alias pœna ſuperaret delictum, quod iniquum eſt. Sic ille, quamuis *n. 14.* in alio ſenſu id concedat. Idem tenet Filliuc. Quare.

Probabilius Reſpondeo nec Pontificem poſſe imponere abſolutam irregularitatem, purè ob peccatum veniale. Quia vt diximus, tunc pœna ſuperaret delictum, quod eſt iniquum. Sic Suarez, Filliuc. Ægidius *loc. cit.* & Bonac. *loc. cit. n. 2.* quamuis dicat oppoſitum eſſe valde probabile Palao *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO IX.

An Irregularitas, quæ oritur ex delicto, incurratur per delictum internum: v. g. ob intentationem recipiendi ordines in excommunicatione, aut occidendi aliquem, &c.

AFfirmandum videtur. Quia in quibuſdam Bullis, & priuilegijs conceditur facultas abſoluendi ab irregularitate mentali: ergo ſignum eſt, quod incurri poſſit per actum internum. Et ideo ita tenent Gloſ. *in cap. Pernicioſè, de Pœnitent. diſt. 1.* & alij plures Doctores citati à nobis *tractat. de Cenſur. in comm. diſp. 8. q. 3.*

Sed longè multò verius, multóque probabilius Reſpondeo, Non incurri per delictum internum. Quia de facto nullum eſt ius Eccleſiaſticum, quo feratur irregularitas ob delictum, aut actum internum. Imò nec poteſt ferri, eo quòd actus internus non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, vt conſtat *ex dictis de cenſur. in commi diſp. 8. q. 3.* Sic Suarez *diſp. 40. ſect. 3. à n. 6.* & penes illum D. Thomas *1. 2. q. 20. art. 3. ad 4.* D. Anton. Sotus, Ledeſma, Corduba, Nauarrus, Couarruu. Villadiego, Silueſt. & alij. Henriquez *lib. 14. c. 3. n. 2.* Auila *part. 7. diſput. 2. dub. 1.* Bonacina *punct. 1. num. 5. 6. & 7.* Hurtad. *diff. 2.* & alij plurimi, quos in ſimili retulimus *diſp. 8. cit. q. 3.* Quibus nouiſſimè addo Caſtrum Palaum *tom. 6. diſput. 6. punct. 3. num* 1. & Pellizzarium *loc cit.*

Nec obſtat argumentum contra factum. Reſpondeo enim, quod ibi per irregularitatem mentalem intelligitur irregularitas, quæ prouenit ab actu exteriori, occulto tamen, ita vt non poſſit in iudicio probari, de quo actu ſtatim.

QVÆSTIO X.

An Irregularitas, quæ oritur ex delicto, incurratur ſaltem per delictum, aut actum occultum per accidens, ita vt probari non poſſit.

NEgant adhuc Gloſſa *in cap. vltim. de tempor. ordin.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 1. de lege pœnali, c. vlt.* dicentes, non incurri per talem actum irregularitatem, præterquam in homicidio. Horum ſententiam non carere probabilitate, nouiſſimè defendit Bauny *tract. de irregularit. quæſt. 3. aſſert. 4. pag. 447.*

Sed, vt certum Reſpondeo incurri. *Primò.* Quia Concil. Trident *ſeſſ. 14. de reformat. c. 7.* expreſsè ait, quod homicidium etiam occultum inhabilitat ad Ordines: propter quam deciſionem Caſtro *in edit. 2.* mutauit ſententiam, quantum ad homicidium. Sed (vt bene Auila) ſi vidiſſet deciſionem aliam eiuſdem Concilij in *ſeſſ. 14. c. 6. de reformat.* factam poſt duos ferè annos poſt ſeptimam ſeſſionem, generaliter mutaſſet ſententiam. Nam in *dict. c. 6.* datur Epiſcopis facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario: ergo.

Secundo. Quia delictum occultum per accidens, quantum eſt ex ſe, ſubiacet iudicio Eccleſiæ: ergo poteſt puniri pœna irregularitatis ab Eccleſia: ſicut de facto punitur, vt conſtat ex dictis. Sic Nauarr. *cap. 27. n. 294.* Suar. *loc. cit.* Auila *loc cit. dub. 2.* Bonac. & Hurtad. *loc. cit.* & alij adducti à nobis in ſimili, loquendo *de cenſur. in comm. diſp. 8. q. 4.* Quibus addi poſſunt Palao *loc. cit. punct. 3. n 1. verſ. Quocirca,* & alij penes ipſum, Pellizzarius *loc. cit. q. 7. num. 10.* Diana *p. 7. tractat. 11. reſol. 48.*

QVÆSTIO XI.

An ad incurrendam Irregularitatem requiratur, vt actus per quem incurritur, ſit non ſolùm exterior, ſed etiam completus, & conſummatus.

REſpondeo, Requiri. Quia lex non fert irregularitatem de facto, niſi ſub hac conditione, nempe vt actus ſit exterior, completus, & conſummatus. Ex quo conſtat, quod ad incurrendam irregularitatem, quæ fertur propter homicidium, vel mutilationem, non ſufficiat intentionem, aut volitionem occidendi, aut mutilandi, nec conatum ponere, aut vulnera lethalia infligere, niſi mors ſequatur, etiamſi contingat per miraculum impediri, vt

infra. Sic communis. Suarez *diſp.40. ſect.3. n.13.* Hugolin.*cap.14.§.1.*Henriquez *lib.14.cap.3.n.7.*& 8. (non *n.2.*vt leges apud Bonac.) Auila *part.7. diſp.2. concl.2.* Valentia *tom.4. diſp.3.quæſt.19. punct.2.* Filliuc.*tract.19. cap.1.quæſt.5. & 6. num.14. & ſequent.* Medina *in ſumm.lib.1.cap.11.§.11.*(non *cap.10.§.10.* vt citat Auila) Ægidius *diſp.18. dub.2.num.11.* Bonac.*diſp.7.q.1. punct.3.à n.3.*Reginald.*lib.30. tract.2. num.8.* Palao *tom.6. diſp.6. punct.3. num.1.* Villalob. *tract.21.diff.4.n.2.*& Pellizzarius *tom.2. tract.7.cap.5. ſect.1.q.6.n* 8.legantur dicta à nobis *tract.1.de cenſur. in comm.diſp.*S.*q.*8.

QVÆSTIO XII.

An ſaltem incurrat Irregularitatem ille, qui dum tentauit occidere aliquem, vulnera de ſe lethalia inflixit, tamen diligenti aut miraculoſa curatione, mors non eſt illi ſecuta.

AFfirmant in hoc caſu irregularitatem incurrere ob talem conatum, ex defectu lenitatis, Maiolus *lib.5 de irregul.cap.48.à num.3. & §.2. in princip. cum Specul.*Hugolin.*cap Signis poſt.* Gloſſa cum Ioan. Andrea,*cap. Periculoſe, de Pœnit.diſt.1.*Verucecil. *ſum. Confeſſor.lib.2.tit.1.q.23.* Supplem. *verb. Irregularitas.* Thom. Faſtol. *deciſ.14.* & refert deciſum fuiſſe in Rota. Quos omnes pro hac parte citat Henriquez *lib.14 cap.3.n.8.lit.V.*

Sed ex dictis longè multò probabilius Reſpondeo Nec illum adhuc irregularitatem incurrere. Quia reuera non eſt ſequutus effectus, nempe occiſio, aut mutilatio, propter quas lata eſt irregularitas. Sic Sotus *lib.5.de Iuſt. quæſt.1.art.1.* Henriquez *num 8. cit.* Suarez, Auila,& Bonac.*locis citatis.* Et nos latiùs infra *tract.2.diſp.13.quæſt.6.*

QVÆSTIO XIII.

An ad incurrendam irregularitatem ex delicto prouenientem, debeat interuenire dolus, ſeu contemptus legis.

AFfirmant (apud Palaum *diſp.6. punct.3.n.2. in fine*) Panormit.*in c. Paſtoralis, §.verùm, de Appellat.n.15.* Dominic.*in c Solet, & c. Is qui, de Sent. excomm.in 6* Felinus *in cap Rodulphus, de Reſcrip.n.43.*& Nauarr.*in cap. Accepta, de Reſtit.ſpoliat.ad oppoſit.8. n.84.*& Man.*c.27.n.252.* vbi prædictos authores refert ibi: Tum quia (*irregularitas, ſubintellige*) ſine contemptu non incurritur, dicente Panormit. (*loc.nuper cit.*) quod eſt pœna contemptus: quod ipſum dixit Dominic. & Felin.&c. Ita Nauarr. cuius ſententiam nouiſſimè ſequitur Baldellus *part.1.lib.1.diſp.29.n.7.*

Sed omnino oppoſitum Reſpondeo dicendum. Quia ignorantia affectata, craſſa, aut ſupina non excuſat quem ab irregularitate: vt docet Auila *p.7. diſp.2. dub. 7. concl.1.* citans Villadiego *cap.2.* & Nauarrum *cap.27. num.241.* (ſed hunc malè; nam ibi nil dicit de hac re) at ſic eſt, quod vbi adeſt ignorantia legis, verè abeſt contemptus illius: ergo. Sic *Villalob.* tract.21. diffic.4. n.5. His verbis: *Para incurrir la irregularidad baſta, que el acto ſea pecado mortal, aunque no aya menoſprecio de la ley; como conſta de vn texto (* videlicet, cap.1. de Ordinato ab Epiſcop.qui renun.Epiſc.*) donde ſe dize, que baſta ignorantia craſſa, i ſupina; cierta coſa es, que donde ay eſſa ignorancia, no ſe halla el menoſprecio de la ley de que vamos hablando.* Sic ille. Auila etiam cum communi *concl.2.* vbi explicat authores primæ ſententiæ, dicendo, quod illi accipiunt dolum pro culpa lata.

QVÆSTIO XIV.

An Irregularitates introducta, ſine iure expreſſo, per conſenſum Doctorum, vim habeant.

AFfirmat expreſsè Paulus Layman. *lib.5. part.5. tract.5.c.1.n.6.fol.mihi* 167. his verbis: Quamuis negari non poſſe videtur, quaſdam irregularitates ſine iure expreſſo, per Doctorum ita opinantium auctoritatem introductas, atque diuturna Eccleſiæ conſuetudine firmatas fuiſſe, quæ non minus, quàm aliæ cenſuræ vim obtinere debent: tum quia conſenſus Doctorum, & Eccleſiarum conſuetudo optima eſt ſacrorum Canonum,& antiquæ obſeruationis interpres tum quia vniuerſim verum eſt, quod conſuetudo per tacitum conſenſum ſit conſtitutiua iuris; etſi lex ſcripta deſideretur. Hæc Layman. Cuius ſententiam ſequitur Bauny *de Cenſuris tract.11.q.3.p.446.* & dicit probabilem Diana *part.8.tract.7.reſol.28.*

Sed vt certum ferè Reſpondetur: Minimè habere vim. Quia vt certum ferè ſupponunt communiter Doctores, ex expreſſo iure, *cap. Is qui, de ſent.excomm. in 6.* non incurri irregularitatem in iure non expreſſam; contra quod ius, nec conſuetudo, aut auctoritas Doctorum, præualere valet. Sic. *Machado* lib.1. part.3.tract.15. docum.1.n.5. ibi: *Con todo eſſe es comun dotrina, i caſi recebida de todos, fundada en derecho expreſſo, que no ſe deue admitir irregularidad, que no eſtuuiere expreſſa en el, ni por ſola la anthoridad de los Doctores que la introduzen; ni por averla admitido la coſtumbre, ni porque en el derecho la aya, i ſe incurra en caſo menor ò ſemejante.* Sic ille ex Suario *diſp.40.ſect.5.& 9.*Nauarr.*cap.27.n.194.fine* Barboſa *in collect.ad dictum cap. Is qui,* Bonac *q.1.punct.2.n.3.* Diana *loc cit.* & alij quos ex parte ſequitur Gibalinus *cap.2 q.1. conſectar 4.* Pellizzarius *tom.2. tract.7.c.5. ſect.1.q.4.n.5.* legantur dicta ſupra *q.5.*

QVÆSTIO XV.

An incurratur Irregularitas, quando non eſt certum, ſed ſolùm dubium, quod in iure ob tale factum irregularitas impoſitas ſit.

AFfirmant plures DD. Incurrere quem irregularitatem in foro conſcientiæ, non autem in externo, in præaſſignato dubio iuris. Quia, inquiunt, in foro conſcientiæ, ſemper quis videtur obligatus in dubiis tutiorem partem ſequi, *cap. Ad audientiam, & cap. Significaſti, de Homicid.* At in foro externo dum delictum non probatur, reus abſoluendus eſt, quia in iure eſt conſtitutum, quod vbi partium iura obſcura ſunt, fauendum ſit reo potiùs quam actori: ergo. Ita Nauarr.*cap.27.n.193.*Philiateus *de offic.ſacerd. tom.1. part.1.lib.4. cap.6.notab.2.* Cardin. *cap. Ad audientiam, cit n.77.*Ledeſma *2.p 4.quæſt.26 art.2.* Hoſtienſ. Ioan. Andr. Anton. Ancharan. Ananias, Silueſt. Tabiena, & alij, quos citat Sanchez *lib.1.ſum.c.10. num. 39.*

Affirmant deinde alij abſolutè, & ſine diſtinctione, docentes in tali dubio iuris incurri irregularitatem tam in foro conſcientiæ, quàm in externo, hoc eſt tam ad effectum quærendi diſpenſationem, & abſtinendi ab Ordinum vſu: quàm ad effectum, vt Iudex vt irregularem talem condemnet. Quia inquiunt, hoc deducitur *ex cap. Ad audientiam, cit.* Ita apud Palaum *diſp.6.punct.3. num.6.*Nauarr *cap. Si quis autem, de Pœnit.n.53.*Couarr.*in Clem. Si furioſus, num.3.* Suar.*diſp.40 ſect.6.n.1.*Auila *p.7.diſp.2.dub.5.concl.1.* Henriq.

Henriq.*lib.* 14.*c.*3.*n.*4.Vaſq.1.2.*q.*19. *art.*7. *diſp.* 65. *cap.*3.& *diſp.*66.*c.*1.Salas 1.2.*tract.*8.*diſp.vnica,ſect.* 19.*n.*170.& Gaſp.Hurt.*de Irregularit.diff.*3.& 4.Sed certè ex his Doctoribus malè citar pro hac parte Suarium,Auilam,Couarr.& Salas,vt infra, citat etiam Stephanus Bauny pro hac eadem parte, vltra Auilam *loc.cit.* Ægidium (ſic lege,non *Angelum*)de Coninch. *diſp.*18.*de irregular.dub.*1.Comitolum *lib.*5.*Reſponſ. q.*57.& Henriq.*loc.cit.n.*2.ſed an omnes benè , ſtatim videbis. Tenent tamen illam Garcia *de benef. part.*7. *num.*21.

Sed probabiliùs Reſpondeo : In dubio iuris,neminem eſſe cenſeodum irregularem,nec in foro externo, nec in foro conſcientiæ. Itaque quaodo noo conſtat irregularitatem eſſe ſtatutam iure,aut quãdo quis poſt debitam diligentiam factam , dubitat an tali facto ſit impoſita irregularitas, nullo modo ſe reputare debet irregularem.Quia vt conſtat *ex cap.Is qui,cit.*quando ius eſt apparens, aut ſimile,non ſufficit ad irregularitatem inducendam , eo quod non ſit expreſſa in iure: ergo à fortiori non ſufficiet,quando totum ius eſt dubium.Sic Sanch.*lib.*1.*ſum.c.*10. *n.*42. & penes ipſum Nauarr.*c.ſi quis autem,cit.à n.*36.*vſque ad* 40.Couar. apertis verbis, *cap.Si furioſus,cit.n.*3.Plaza *de delictis c.*12.*d.*11.Flores de Mena *lib* 1.*q.*9.*n.*18. Sayrus *to.*1. *lib.*6.*c.*2.*n.*16.& *in Claui reg. lib.*1. *c.*13.*n.*23. & 24. Lud.Lop.2.*p.inſtruct.vbi de irregul.c.*22.Azor. *tom.* 1. *lib.*2.*c.*19.*q.*10 & 11.Suarez *tom* 5.*diſp.*40.*ſect.*5.*n.*18. & 19.& *ſect.*6.*à n.*1.Salas *loc.cit* à Palao,*n.*170.171. 176.& 177.& *ſect.*18.*n.*168 Rebell *de inſt.*2.*p.lib.*1. *q.*3.*ſect.*2.*n.*13.& Valentia 4.*p.diſp.*7.*q.*19.*punct* 2.*notab.*3.Quibus addi poſſunt Molina *tract.*3.*de iuſt diſput.*67.*n.*5.Ægidius *diſp.*18 *cit.*à Bauny *dub.*2. *n.* 11. Auila eoam *p.*7.*diſp.*2.*dub.*4.Quos ſimul cum Suario, iterum pro hac parte citat,ac ſequitur Palaus *punct.*3. *cit.n.*7.Bonacina etiam *q.*1. *de Irregularitat. punct.* 5. *n.*3. qui & citat Nauarrum in Man.*c.*17.*n.*198.Auilam *loc.cit.dub.*5.*concl.*5.Reginaldum *n.*3. Filliucium *c.* 2. *q.*4.Toletum *lib.*1.*c.*17.Sà *verb. Irregularitas, n.*4. & alij. Sic turſus Baſſeus *v. Irregularitas* 1. *n.*9. Bauny *tract.*13.*de irregularit.q.*4.Diana *p.* 4.*tract.* 2. *reſol.*52. Machado *lib* 1.*p.*3.*tract.*15. *docum* 3. *n.*5. Cornejo *in* 3.*p.diſp.*1.*de Irregularitate dub* 2.Villalobos 1.*p.ſum. tract.*1.*diffic.*22 *num.*1. Qui benè citat pro hac parte Henriq.*eod.lib.*14.*c.*3. & 4. quem pro oppoſita citat Palaus,Pellizzarius *tom.*2.*tract.*7.*c.*5. *ſect.*1. *quaſt.* 17. *num.*23.& alij.

QVÆSTIO XVI.

An in dubio facti homicidij , hoc eſt , an quando quis dubitat an homicidium perpetrauerit ſua actione , conſilio , vel fauore ; tunc , tam in foro interno , quàm externo , iudicari debeat irregularis.

NEgat ex parte, apud Palaum, Henriquez *lib.*14. *c.*3.*n.*3 & 4.& *c.*15. *n.* 3. exiſtimaos , adhuc in præaſſignato dubio facti homicidij,neminem ſe irregularem reputare debere , quovſque ſententia iudicis accedat.Id ſentire Henriq.ait Palaus *diſp* 6. *punct.* 3. *n.*4. Sed non benè. Quia ille , ſaltem in ſpeciali caſu abortus caſualis,quando quis dubitat an fœtus eſſet maſculus,etiam animatus,& generaliter in caſu ſecreti homicidij, aut mutilationis , in caſu quo quis dabat operam rei illicitæ,oppoſitũ ſentit ; cùm expreſsè dicat, quod prædictus debet in dubio abſtinere , tanquam irregularis , ſaltem interim dum per diligencias cauſa diſcutitur. Legatur ipſe Henriq. ibid. *in gloſſa lit.G.*Addit turſus Palaus,hanc negatiuam ſententiam reputare probabilem Couarr. *Clem. Si furioſus*, 2. *p.* §.2.*n.*5.& in eadem declinate Suarium *diſp.*40. *n.*10. nec diſſentire Salas 1.2.*q.*21.*diſput.vnica ſect.*6. *n.* 70. & Rebellum *de obligat.inſt.*referre multos neothericos ita ſentire.

Sed vt mihi certum ferè, Reſpondeo : In præaſſignato caſu dubij facti homicidij , debere ſe ita dubitantem iudicare io conſcientiæ foro irregularem , & etiam in foro externo,vt talem habendum,& iudicandum,quoad effectum abſtinendi ab vſu Ordinum,& quærendi diſpenſationem.Quia mihi certum eſt ferè, ita eſſe deciſum *in c.ad audientiam, & c. Significaſti, de homicid.*vbi habetur clarè,in dubio facti homicidij obligationem eſſe à celebratione abſtinere,& ſic dubitantem tanquam irregularem habendum eſſe. Id namque Pontifices , ob periculum ſpecialis indecentiæ,ſi poſtea innoteſceret homicidam ad ſacri Altaris miniſterium aceeſſiſſe, ei in tali dubio , ab Ordinum abſtinendum vſu ſanxere.

Sie docent Sanchez *lib.*1.*ſum.c.*10.*num.*4. Nauarr. Couarruu. Plaza,Mena,Sayrus,Ludou.Lopez, Azor, Suarez,Rebellus,& Valentia,Auila etiam,Molina, & Ægidius,Bonacin.Reginald.Bauny,Palao,& alij citati ſupr. *q. antecedenti*, & eſt communis.An verò idem ſit dicendum in caſu ſpecialis aborſus , quando quis dubitat , an fœtus ſit aoimatus , dicemus infra *diſput.*14. *quaſt.*10.

QVÆSTIO XVII.

An etiam iudicandus ſit irregularis , qui vtrum mutilauerit,dubius eſt , animique anceps.

AFfirmant etiam plures Doctores.Quia io materia irregularitatis æquiparantur homicida , & mutilator:imò *in c.Si quis abſciderit,diſt.*55.mutilator dicitur homicida,& non incongruè,cum mutilatio ſit quædam partialis occiſio,nempe membri.Ita ſentiunt Gloſſa *in Clem. ſi furioſus, verb. Mutilet,de homicid.* & ibi Couarr.2.*p.*§.*vnic.n.*2.Roſella *homicidum* 4.*n.*1. Angel.*homicid.*5.*n.*3. Silueſter *homicid.* 3. *q.*4. *dicto* 1. Tabiena *Irregularitas* 1.*n.*5.Armilla *eod.verb. num.*4. Nauarr.*c.*27.*n.*206.Henriquez *lib.*14.*c.*3. *n.*4. & *c.*14. *n.* 1. quos omnes pro hac parte refert Sanchez mox citandus.

Sed probabiliùs Reſpondeo : Talem non eſſe iudicandum irregularem. Quia mutilatio non eſt propriè homicidium,ſed impropriè:at ſic eſt,quod iure,in ſolo dubio facti homicidij ſtatuitur irregularitas: ergo non eſt ad mutilationem dubiam extendenda,cùm odia potiùs reſtringenda ſint.Sic Sanch.*lib.*1.*ſum.c.*10. *n.*49. Suar.*to.*5.*diſp.*40.*ſect.*5.*n.*14.Filliuc.*tract.*19.*c.*2. *n.*47. Bonac.*q.*1.*de Irregul.punct.*5.*n.*4.Bauny *de Irregular. quaſt.*4.*col.*3. *pag.* 449. Caſtro Palao *de Cenſur. diſput.* 6. *punct.* 3. *in fine*, Barboſa *in cap. Ad audientiam* , *cit.n.*4.Machado *lib.*1.*part.*3.*tract.*15. *n.*8. Gibalinus *cap.*4.*de Irregularit.q.*1. *conſectar.*5. *num.*24. *pag.*131,&alij.

QVÆSTIO XVIII.

An non ſolùm quando quis dubitat de facto homicidij , ſed etiam quando dubitat de facto aliorum delictorum , quibus adiuncta eſt irregularitas , ſe debeat in vtroque foro gerere pro irregulari.

AFfirmant quamplures DD. Quia Pontifices in dubio facti homicidij , quemlibet reputandum

eſſe irregularem affirmant, nixi illi principio : *in dubiis tutior pars eſt eligenda* ; at hoc principium æquè in omnibus aliis delictis, quibus adiuncta eſt irregularitas procedit, vt conſtat : ergo. Ita apud Sanchèz, ſentiunt Panormitan. *in cap. Ad audientiam, cit. n.2.* Marianus, & Socinus Senior, Roſſel. *verb. dubium, num. vnico*, Angel. *n.2.* & ibi Silueſt. *q.4.n.7.* Tabiena *q.2.num.3.* Vaſquez *1.2.q.19.art.6.diſp.65. cap.3. num.9. & 13. & diſp.66. cap.1.* Azor. *tom.1. lib.2.c.19.q.19.* & Couarruuias, Lopez, Valentia, & Mena *loc.cit.ſup.quaſt.15.* Hurtad. *diſp.15.dub.1.de Irregularit.diff.4.n.19.* Luyſius Turrianus, & alij.

Sed probabiliùs Reſpondeo in aliis caſibus præter dubium homicidij, neminem eſſe irregularem cenſendum. Vnde qui dubitat, v.g. an ſit legitimus, non debet ſe gerere tanquam irregularem, & ideo poteſt ordinari, ſi placet. Ratio huius reſponſionis eſt : quia, vt conſtat *ex cap. Is qui, de ſent. excomm. in 6.* nullo modo contrahitur irregularitas, niſi in caſibus à iure expreſſis : at in iure non eſt expreſſum in dubio facti, vltra caſum homicidij irregularitatem incurri : ergo aſſerenda non eſt. *Confirmatur* Quia in pœnis mitior pars eſt amplectenda : at ſic eſt, quod hæc eſt mitior, ac ſuauior : ergo. Sic Nauarrus *cap. ſi quis autem, num.41. de pænit. diſt.7.* Suarez *tom.5.in 3.p. diſp.40. ſect.6. à num.9.* & Salas *1.2. q.21. tract.8, diſp. vnica, ſect. 18. num.168.* quos citat & ſequitur Sanchez *lib.1. ſum. cap.10. num.48.* Quibus addi poſſunt Auila *part.7. diſp.2. dub.5. concl.2.* Ægidius *diſp.18 dub.1. num.22.* Henriquez *lib.14. cap.3.* (non 13. vt oſtendes apud Dianam) *num.4. lit.I.* Bonac. *de Irregul. quaſt.1. punct.5. num 3.* Filliuc. *loc.cit.* Palaus *diſp.6. punct.3.n.9.* Maldetus *1.2.q.19. art.5. diſp.87. dub.8.* Alphonſ. de Leone *tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. tom.1. recollect.16.n.68* Layman. *lib.1. tract.1. cap.5. §.4. n.3.* Diana *part.4. tract.2. reſ.52.* Bauny *de Cenſur. tract.11. de Irregular. q.4. aſſertione 2.* Baſſeus *verbo Irregularitas 1. num.10.* Villalob. *tract.1. diffic.22. num.3.* *Barboſa in collect. ad d. cap. Ad audientiam, num.2.* Machado *lib.1. p.3. tract.15. n.7.* vbi pro oppoſita parte citat Ægidium *diſp.18 dub. 4. num.31.* Sed omnino malè : nam ibi nil de hac quæſtione, & oppoſitum docet *loc. cit.* pro hac parte Legantur dicenda infra *diſp.13. de Irregularitate orta ex homicidio.*

DISPVTATIO II.

De Cauſis Efficienti, Materiali, Formali & Finali Irregularitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Solus Summus Pontifex, aut Concilium generale, poſſint indicere Irregularitatem.

NEgant in primis, apud Palaum Sotus *in 4. diſt.25.q.1.* & Gabriel. *lect.9. in Canon. lit. D. Primo* : quia nullibi videtur prohibitum Prælatis Pontifice inferioribus, irregularitatem alicui indicere ob aliquod delictum commiſſum : ergo poſſunt. *Secundò.* Quia huiuſmodi Prælati poſſunt, vt ex praxi conſtat, depoſitionem, & degradationem inferre : ergo & irregularitatem ; cùm illæ grauiores ſint pœnæ iſta.

Negat deinde vt vidimus ſupra *quaſt.14.* Layman, aſſerens, ob authoritatem tantum Doctorum, & conſuetudinem introductam poſſe indici irregularitatem. Cuius ſententiam vt probabilem defendit Bauny *quaſt.3. de Irregular. aſſert.2.*

Sed vt certum ferè reſpondeo, ſolum Pontificem, aut Concilium generale, poſſe indicere irregularitatem. Quia (vt ait Palaus) omnibus aliis Prælatis, aut Iudicibus Pontifice inferioribus abrogata eſt talis poteſtas *in cap. Is qui, de ſentent. excomm.* vbi expreſſè deciditur irregularitatem contrahi non poſſe, niſi in caſibus à iure expreſſis, Si autem alij à Pontifice irregularitatem indicere poſſent, iam extra caſus à iure expreſſos, irregularitas contraheretur. Præterea non expediebat alios à Pontifice poteſtatem habere indicendi irregularitatem : quia irregularitas per ſe non inducitur ad punienda delicta, ſed ad vitandam indecentiam ortam ex eo quod irregularis in ſtatum Eccleſiaſticum aſſumatur. Statuere autem, & decernere quæ hanc indecentiam inducant, cum id commune ſit toti Eccleſiæ, proprium eſt Pontificis : ergo ſolus Pontifex irregularitatem inducere poteſt, & nullus alius. Hæc Palaus *de Cenſur. punct.2.n.2.* ex quo patet ad fundamentum contrariorum. Sic ſentiunt Nauarr. Suarez, Couarr. Bonac. Auila, Cornejo, Barboſa, Gibalinus, & alij citati ſup. *diſp.1.q.6. & 12.* Nec Sotus oppoſitum docet : Nam loco citato à Palao, nil de hac quæſtione agit. Et noſtram ſententiam apertè tenet *in 4. diſt.22. quaſt.3. art.1. col. mihi* 1030. his verbis : Nam irregularitas propriè non decernitur ab homine : quia non poteſt iudex imponere pœnam irregularitatis, niſi ſit iure decreta propter aliquod factum. Hæc Sotus. Malè ergo citat illum Palao. Benè tamen Gabrielem : nam hic expreſsè ait *loc. cit.* quod irregularitas poſſit aliquando infligi a Iudice, ſecundum iura. Fortè etiam Palaus voluit citare Scotum, qui certè loco ab ipſo citato, negatiuam ſententiam docuit, vt refert Hurtad. *diſp.1. de Irregul. diff.6.*

QVÆSTIO II.

An ſubiectum, in quod cadat Irregularitas, debeat neceſſariò eſſe vir.

NEgare deberent, quod tamen non faciunt, Palud. *in 4 diſt.25.q.3. art.1. concl.1.* & Hurtad. *tract. de Ordine, diſp.20.* cum ſentiant, poſſe fœminas ex indulto Pontificis ad Tonſuram Clericalem admitti: ergo conſequenter debent concedere, quod ſint capaces priuationis primæ Tonſuræ : ergo & ſubiectum, in quod poſſit irregularitas cadere.

Sed, vt certum, Reſpondeo dicendum, quod ſubiectum irregularitatis neceſſariò debeat eſſe vir. Quia certum eſt, quod vir ſolus, non fœmina, habet potentiam ad recipiendos Ordines, vt *2.p. tract. de Ord. diſp.5. q.3. & 4.* diximus : ergo ſolus vir priuari illis propriè poteſt ; patet, quia priuatio neceſſariò ſupponit habitum. Sic ſentiunt communiter omnes. Legantur Suar. hic, *diſp 40 ſect.7.n.1.* Sayr. *lib.6.c.2.n.2.* Filliuc. *tract.19.c.2. quaſ.8.n.52.* Ægidus *diſp.18. d.1. n.2* Bonac. *de irregul. q.1. punct.2.n.6.* Palaus *diſp.6. punct 2.n.3* Hurtad. *diſp.1. de irregul. diff.7.* Cornejo *de Irregul. diſp.4. dub.1.* Gibalinus *c.2. q.2. num.6.* & alij.

QVÆSTIO III.

An vir non baptizatus, ſit ſubiectum capax Irregularitatis.

AFfirmandum videtur ex communi Doctorum doctrina, qua aſſeritur, eum qui ante baptiſmum

duplex

duplex matrimonium contraxit, eſſe irregularem poſt baptiſmum ſuſceptum : ergo erat capax irregularitatis ante baptiſmum.

Sed vt certum, Reſpondeo: Virum non baptizatum non eſſe ſubiectum capax irregularitatis. Quia certum eſt, quod pro tunc non eſt capax Ordinis, cum baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, vt conſtat ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacram. pœnit. c.* 2. *& ex cap. veniens. de Presbytero non baptizato.* Sic omnes: præcipuè Suar. Sayrus, Filliuc. Bonac. Palaus, Hurtad. & Cornejo *loc. cit.* inter quos legendus eſt cautè Cornejo, ob defectum Typographi, vnde vbi ait, *Irregularitatis capacem eſſe*; legendum eſt, *incapacem eſſe.*

Ad argumentum autem pro ratione dubitandi factum, benè reſpondet Palaus, dicendo quod prædictus non eſt irregularis, ob irregularitatem contractam ante baptiſmum; quia hanc non potuit contrahere ante baptiſmum, vt habitum eſt, cum non fuerit Eccleſiæ ſubiectus; ſed poſito baptiſmo, eſt irregularis, ob indecentiam relictam ex duplici illo matrimonio, quæ indecentia poſt baptiſmum perſeuerat.

QVÆSTIO IV.

An Irregularitas incurratur ab impubere.

Negat Sancius in *ſelect. diſp.* 26 *n.* 18. ita dicens; Puto non incurrere irregularitatem puerum occidentem ante pubertatem : nam cum odia ſint reſtringenda, ſit excommunicationem, nec cæteras pœnas incurſuros pueros, niſi poſt annum decimum quartum. Et fœminas poſt completum duodecimum. Ita ille, qui citat Auilam *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 13. & Henriq. *lib.* 13. *cap.* 3. *n.* 4. ſed malè. Vnde.

Vt ferè certum Reſpondeo, incurri ab impubere, hoc eſt à puero maiori ſeptennio, dummodo plenum vſum rationis habeat : ſecus aliàs. Sic Auila, & non aliter, *loc. cit.* à Sancio, nec non & Henriq. & à fortiori Couar. Ioan. Andr. Villad Sà, & Nauar. apud eundem Auilam, ſiquidem docent, quod ſi puer ante ſeptennium habeat vſum rationis, & occidat, maneat irregularis. Sic etiam Gauant. & Præpoſitus, quos citat, & ſequitur Diana *p* 4 *tract* 2. *reſ* 67 Quibus adde Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *n.* 3. v. *Nec obſtat:* ex cuius doctrina conſtat, aliter eſſe philoſophandum de pueris non implentibus præceptum annuæ confeſſionis; nam huiuſmodi non incurrunt pœnas, eo quòd ſint à iure imponendæ per tranſgreſſionem dicti præcepti : hæ verò de quibus nunc loquimur, ſunt à iure ipſo facto impoſitæ. Ex quo conſtat nos non loqui inconſequenter ad ea, quæ diximus 1. *p. tract.* 5. *diſp.* 3. *quæſt.* 57.

QVÆSTIO V.

An Summus Pontifex ſit capax Irregularitatis contrahendæ.

AFfirmarunt quidam quos refert Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 3. exiſtimantes Papam incurrere hanc pœnam, ſi occidit aliquem.

Sed vt certum omnino Reſpondeo, quod non. Quia poſtquam ad Pontificiam dignitatem deuenit, omnis irregularitatis eſt incapax, ſiue de nouo incurrendæ, ſiue iam antea incurſæ, conſeruandæ; eo quod legibus Eccleſiaſticis, quantum ad vim coactiuam, ad quam irregularitatis pœna pertinet, minimè teneatur. Sic omnes. Suarez *diſp.* 40 *ſect.* 7. *n.* 7. Filliuc. *quæſt.* 8 *cit. num.* 53. Palaus *punct.* 2. *cit. n.* 4. Bonacina, Cornejo, Hurtad. & alij ſupra citati.

QVÆSTIO VI.

An Epiſcopi ligentur Irregularitatibus iure expreſſis, ſi ipſorum expreſſa mentio non fiat.

NEgat Maiolus *lib.* 4. *de Irregularit. cap.* 1. *n.* 7. eo quod in capite *Quia periculoſum, de ſent. excomm. in* 6. decernitur, Epiſcopos non ligari cenſura ſuſpenſionis, aut interdicti, niſi exprimatur, ergo nec ligabuntur irregularitate à iure lata aduerſus quoſcunque fideles, niſi id exprimatur.

Sed, vt certum ferè, Reſpondeo: Ligari irregularitatibus à iure latis, contra quoſcunque fideles; etiamſi ipſorum expreſſa mentio non fiat. Ratio eſt. Quia Epiſcopi, verè ſubiiciuntur iuri communi : ergo cum aliàs nullo textu excipiantur ab incurrenda irregularitate, dicendum eſt illam incurrere.

Nec obſtat *cap. Quia periculoſum*: Quia ibi ſolum eſt ſermo de cenſura ſuſpenſionis, & interdicti, qua Epiſcopi non ligantur, niſi exprimatur : ex qua exceptione potius colligitur ſub cenſura excommunicationis, & Irregularitatis pœna, comprehendi, cùm exceptio firmet regulam in caſibus non expreſſis. Sic communis. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 7. *n.* 7. Bonac. *quæſt.* 1. *de Irregularit. punct.* 2. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 53. Hurtad *diſp.* 1. *diff.* 7. *n.* 26. Palaus *diſp.* 9. *punct.* 2. *num.* 5. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 53.

QVÆSTIO VII.

An homo Irregularis, ſit capax alterius Irregularitatis.

REſpondeo affirmatiuè. Quia multiplicatis cauſis, multiplicantur effectus : ergo, ſi in eodem homine multiplicentur cauſæ irregularitatis, multiplicari irregularitates erit neceſſum, vt ſi illegitimus ſit homicida, bigamus, &c. ſic omnes. Legantur dicta à nobis *de Cenſur. in communi.*

QVÆSTIO VIII.

An ad inducendum Irregularitatem requirantur aliqua verba?

REſpondeo: Requiri. Quia cauſa formalis irregularitatis ſunt verba, quibus in iure irregularitas fertur, aut exprimitur. Nam cum ex ſupra dictis conſtet, nullam irregularitatem contrahi, niſi in caſibus à iure expreſſis, ſanè efficitur, vt ea verba, quibus in iure exprimitur irregularitas, ſint illius cauſa formalis. Sic Palaus *diſp.* 6. *de Cenſur. punct.* 4. *n.* 1. Bonac. *quæſt.* 1. *punct* 2. *num.* 10. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 8. Filliuc. *cap. cit. quæſt.* 9. *n.* 5. Gibalin. *cap.* 2. *q.* 2. *n.* 1. Cornejo *tract. de Irregular. diſp.* 3. *dub. vnico*, & alij omnes conuenientes etiam in eo, quod ad inducendam irregularitatem, non requiratur aliqua verborum forma, cum nulla ſit certa ab Eccleſia præſcripta, ſed potiùs diuerſis verbis ab illa ſæpe imponatur.

QVÆSTIO IX.

An verba, quibus in iure inducitur Irregularitas, debeant eſſe clarè, & expreſsè ſignificantia priuationem, ipſo facto, ſuſcipiendi Ordines, & adminiſtrandi in ſuſceptis?

REſpondeo Affirmatiuè. Ratio eſt. Quia huiuſmodi pœna non imponitur ab homine, ſed

ab ipſo iura ipſo facto operante : ergo cùm verba, quibus irregularitas inducitur, practica ſint, & efficiant ipſo facto, quod ſignificant, neceſſariò debent irregularitatem ſeu priuationem ſuſcipiendi Ordines & miniſtrandi, ſuſceptos, clarè ſignificare, vt eam cauſent, vti ſi textus dicat : *Ad Clericatum non promoueatur, aut fiat irregularis, aut irregularitatem incurrat, non ordinetur, non ſiat Clericus* : vt habetur *cap. de Clerico, c. Curandum, 34. diſt.* vel *ceſſabit a Clero, aut à ſtatu Clerici præcipitabitur, cap. Curandum, cit. A Clericalibus officiis cogatur abſtinere, cap. Conſequens, diſt.* 88. Sic Viuald. *de Irregularit. n. mihi* 2. vbi multos alios modos, quibus ſacri Canones vti ſolent ad irregularitatem notandam, congerit ex Majolo *lib. 1. c. 1. n. 4.* Suarez *diſp. 40 ſect.* 8. Henriq. *lib.* 14 *cap.* 1. Bonac. *punct. 2. cit. n.* 11. Filliuc. & Palaus *loc. cit.* Bauny *tract. 11. de Cenſur. q. 5. pag.* 449. & alij.

QVÆSTIO X.

An vt irregularitas incurratur, expectari debeat ſententia declaratoria Iudicis

AFfirmandum videtur. Quia per infamiam iuris incurritur irregularitas, *cap. Infamis 6. quæſt.* 1. Sed infamia iuris non incurritur ante ſententiam Iudicis, *cap. Qui in aliqua, diſt.* 51. ergo hæc ſaltem irregularitas non incurritur ante ſententiam declaratoriam Iudicis.

Sed vt certum Reſpondetur dicendum, quod abſolutè loquendo, & vt communiter, nullo modo debeat expectari ſententia Iudicis, vt incurratur irregularitas. Quia huiuſmodi pœna non apponitur ab homine, ſed à iure, vt ſupra eſt habitum : at ſic eſt, quod ius ipſomet operatur facto : ergo. Sic Cornejo *tract. 5. de Irregular. diſp. 3. dub. vnico.* Qui ad rationem dubitandi reſpondet concedendo, quod quando infamia non eſt lata à iure, ſed ferenda, tunc non contrahatur irregularitas ante ſententiam declaratoriam infamiæ, quia ante eam non eſt perſona illa infamis, ſed eo ipſo, quod per ſententiam infamis declaratur, manet irregularis, non quia irregularitas inferatur ab homine per talem ſententiam, cum hæc ſolùm ad infamiam terminetur ; ſed quia, ipſo iure, infertur ſtatim, ac declaratur infamis, & hoc eſt ſpeciale in irregularitate, quæ propter infamiam contrahitur Sic ille, & antea Suarez hic *diſp. 40. ſect. 4. n. 8. & 9.* Sotus, Ledeſma, Nauarr Couarru. Caſtro, Simanc. & communis penes ipſum. Poriel. *verb Irregularitas, n.* 28. Pellizarius *tom. 2. tract. 7 ſect. 1. quæſt* 10. *n.* 13.

QVÆSTIO XI.

Quæ ſit cauſa finalis, quam Eccleſia habet in imponenda irregularitatis pœna.

REſpondeo, quod non eſt alia, quàm erga ſtatum ſacerdotalem, réſque diuinas exhibenda reuerentia ab hominibus. Quia quo plura ad dignam ſacrorum celebrationem ſunt neceſſaria, quo maior in iis poſtulatur dignitas, qui in Dei Eccleſia ſacro Sacerdotij magiſtratu ad multorum commodum fruuntur, hoc Chriſtiani maiorem metum, cultumque ad ſacrum altare, diuinaque myſteria afferunt. Sic omnino Bauny *quæſt. 3. citat. aſſertione* 6. & antea Suarez *diſput. 40. ſect. 3. num.* 1. Gibalinus *cap. 2. quæſt. 2. num.* 1. ita ſcribens : Quod attinet ad cauſam finalem, ea alia non eſt, quàm Sacrorum, & Religionis Sanctitas, quæ poſtulat, vt cum decore, & ordine exerceantur ſacra miniſteria ; idcircò enim, quoſdam ab illis ſummouit Eccleſia, quia minimè decebat ipſos, propter illuſtres quoſdam defectus, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter contractos, ſacris admoueri.

DISPVTATIO III.

De effectibus Irregularitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An primarius effectus irregularitatis ſit priuatio ſuſcipiendi ordines licitè.

REſpondeo Affirmatiuè. Quia id apertè conſtat ex definitione Irregularitatis tradita ſupra *diſp. 1. q. 2. & ex cap. Curandum, diſt.* (non *num.* vt offendes apud Bonac.) 34. & ex aliis iuribus nuper *diſp. 2. quæſt.* 8. adductis. Sic docent omnes DD. legantur Auila *part. 7. diſput. 2. dub.* 6. Filliuc. *tract. 19. c. 3. q.* 1. Suarez *diſp. 40. ſect.* 2. Bonac. *de Irregularit. quæſt. 1. punct.* 4. Cornejo *diſp. 5. dub.* 1. & Pellizzarius *tom. 2. tract. 7. ſect. 1. q. 11. n.* 14.

QVÆSTIO II.

An Irregularitas non ſolùm reddat ordinis ſuſceptionem illicitam, ſed etiam inualidam.

REſpondeo tanquam certum : Minimè reddere illam inualidam. Vnde ſi quis irregularis ordinetur, dummodo cætera neceſſaria concurrant, verè Ordinatus manet. Ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt impedire valorem Sacramentorum, inhabilitando perſonam ad illa recipienda (vnum, ſi excipias Matrimonij, ratione contractus naturalis, qui in ipſo ſupponitur) ſi de facto materia, forma, & Miniſter à Chriſto requiſita adſint, ſic Suarez *diſp. 40. ſect. 2. num* 1. Auila, Bonacina, Filliucius, & Cornejo *loc. cit.* Palaus *diſput. 6. punct. 5. num.* 1. Hurtad. *diſp 1. de Irregularit. diff. 5. num.* 18. & omnes, præcipuè ſupcitati.

QVÆSTIO III.

An Irregularitas priuet etiam receptione licita prima Tonſura.

NEgant quidam Doctores, eo quòd Irregularitas eſt impedimentum Canonicum Ordinis ſuſcipiendi, vt habitum eſt ſuprà *diſput. 1. quæſt.* 2. at ſic eſt, quod Tonſura non eſt propriè, & in rigore Ordo, vt diximus *p. 2. tract. 6. de Ordine, diſp. 1. quæſt.* 5. contra nonnullos Canoniſtas : ergo. Ita tenet Aloyſius Bariola, vt refert Bonac. *infra citandus.* Cuius ſententiam eſſe probabilem, ſana indicant ille, & *Machado* lib. 1. part. 3. tract. 15. docum. 2. n. 2 his verbis : *Si bien la contraria opinion es muy probable, fundada en que es mas comun la de los Theologos, que defienden que la primera Tonſura no es Orden; porque en las coſas odioſas ſegun principio de derecho no ſe deue hazer extenſio de vn caſa à otro.* Ita ille. Huic ſententiæ adhæret Pellizzarius *loco citato, num.* 14. licèt non firmiter.

Sed

Sed probabilius longè Reſpondeo etiam priuare licita receptione Tonſuræ. Quia licet probabilius longè ſit, quod tonſura non ſit propriè, & in rigore Ordo, vt *2.p.loc.cit.* diximus, eſt tamen diſpoſitio, ad Ordines: ergo, qui eſt incapax ad ſuſcipiendos licitè Ordines, incapax conſequenter erit ad illorum diſpoſitionem. Accedit quod Tonſura, in Iure Canonico, nomine Ordinis venit, *c. cum contingat, de ætate, & qualit. Ordin.* ergo Sic Suarez *diſp.40.ſect.1.n.11. & ſect.2.n.1.* Auila *p.7.diſp.1.dub.6.concl.1.* Filliuc. *tract.19.c.2.q.1.n.59* Sayrus *lib.6.c.1.n.19.* Garcia *de benef. p.7.c.12.n.80.* Bonac. *q.1.de irregularit. punct.1.n.4. & punct.4.n.1.* Palaus *diſp.6 de cenſur.punct.6.n.2.* Cornejo *diſp.5.de irregul dub.1.* Machado *loc. cit.* Diana *p.4.tract.2.reſol.88.* & alij communiter. Citant etiam pro hac parte Auila, Bonacina, & Palaus Doctiſſimum Nauarrum *lib.1 conſil conſil 24.de tempor.ordinand. & conſil.34. & 35.de homicid.* Sed apud meum Nauarr. non inueni id in iis Conſiliis docere. Innuit tamen *conſil.11.de temporib.ordin.n.1. & 3.*

Qvæstio IV.

An Irregularitas etiam reddat inualidam ſuſceptionem primæ Tonſuræ?

Reſpondeo Negatiuè. Quia licet Eccleſia poſſet irritam Tonſuram reddere ab irregulari ſuſceptam, eo quod ſit ex eiuſdem Eccleſiæ inſtitutione; quia tamen non conſtat, id ab ea factum eſſe, dicendum eſt, quod ſicut non eſt irritus Ordo ab irregulari ſuſceptus, ita nec erit irrita prima Tonſura, Sic Suarez, & Palaus locis cit. & communis.

Qvæstio V.

An Irregularitas ſuperueniens Ordinato priuet vſu Ordinis ſuſcepti.

Reſpondeo, Priuare. Quia iſte eſt effectus ſecundarius irregularitatis, vt patet ex eiuſdem definitione ſupra *diſp.1 q.2.tradita.* Sic omnes DD. inde colligentes, peccare mortaliter irregularem, qui Ordine ſuſcepto miniſtraret, quamuis non propterea nouam incurreret irregularitatem. Legantur Suarez *diſp.40 ſect.2.n.4.* vbi bene aduertit, hanc reſponſionem debere intelligi cum proportione: nam ſi irregularitas ſit abſoluta, & totalis, prohibitio extenditur ad vſum omnium Ordinum; ſi verò tantum ſit ex parte, prohibebit tantum illum actum, cui ponit impedimentum, vt infra explicabimus. Nauar. *c.17.n.194.* Couarr. *in Clem. Si furioſus, de homicid.* Auila *p.7. diſp.2. dub.6.concl.2.* Palaus *diſp.6.punct.5.n.7.* & alij.

Qvæstio VI.

An Irregularitas prohibeat exercere quemcumque iuriſdictionis actum, aut ſacrum, vt audire Sacrum, baptizare abſque ſolemnitate, &c.

Reſpondeo quod non. Quia per irregularitatem ſolum prohibentur actus Ordinum: at prædicti actus non ſunt Ordinum, vt per ſe conſtat: ergo illi non prohibentur per irregularitatem. Sic omnes. Nauarr. *c.27.n.191.* Couarr. *in Clem. Si furioſus, cit.1.p.§.1.* Suarez *ſect.2.cit.n.8.* Palaus *n.4.* Henriq. *lib 14.c.14.n.1.* Bauny *de irregul. q.7. aſſert 1.* & Hurtad. *diſp.2. diff.5.* his verbis: Irregularis poteſt exercere quemcumque actum, qui poteſt exerceri ab initiato prima Tonſura, vt ſunt abſoluere à cenſuris, diſpenſare in votis, concedere licentiam audiendi Confeſſiones, concedere Indulgentias, aſſiſtere matrimonio, & alia, quæ non ſunt vſus Ordinis ex officio facta, quamuis ſupponant primam Tonſuram. Sic ille. Sed de his in ſingulari adhuc infra agemus.

Qvæstio VII.

An Irregularis ſit capax recipiendi omnia Sacramenta, præter Ordinem, & quæ ab eo pendent.

Negarunt nonnulli, vt refert Cardinal. in Clem. *Dudum, de ſepult.* putantes, non licere irregulari ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ; eo quòd in Extrauag. *Inter cunctas, de Priuileg. § obſeruent*, expreſsè ſignificetur, neminem poſſe à peccato abſoluere illum, cui eſt annexa irregularitas, niſi etiam poſſit irregularitatem tollere: ergo irregularis non poteſt, ſaltem ſacramentum pœnitentiæ recipere.

Sed vt certum, Reſpondetur eſſe capacem, & ideo poſſe omnia Sacramenta (excepto Ordinis Sacramento, & illis, quæ ab eo pendent) Irregularem recipere. Quia irregularitas minimè excludit à participatione paſſiua Sacramentorum, quæ laicis etiam ſunt communia: huiuſmodi autem eſt etiam abſolutio à peccatis: ergo irregularis capax eſt recipiendi omnia hæc Sacramenta. Confirmat id Bauny. Quia Bigamus poteſt confirmari, abſolui, & ſub finem vitæ ſacro oleo vngi: ergo hæc Sacramenta non ſunt ei prohibita, Dixi in reſponſione, *excepto Ordinis Sacramento, & illis quæ ab eo pendent*, vt oſtenderem, irregulari celebrare fas non eſſe; quia hoc eſt vti Ordinibus, ac in præcipuo eorum operum, quæ ſunt irregulari interdicta, verſari: & ob eandem cauſam nefas eſt communicare ſub vtraque ſpecie, &c. Sic Bauny *de irregularit. quæſt.7. dict.2.* ex Suario *diſp.40. ſect.2. n.8. & 9.* Henriquez *lib.14.c.2.n.5.lit.G*, Nauarro *c.27.n.253.* Syluestro *excomm.4. num 4.* & Layman. *lib.1.tract.3.p.5.c.1.n.3.* His adde Filliucium *tract.19.c.3.q.3. n.65. & 66.* Palaum *diſp.6.punct.5. n.4.* Hurtadum *diſp.2. diff.5.n.9.* Cornejo *diſp.5.de irregular.dub.4.* & Portell. *in dub. Regul. ver. irregularitas, n.12.* Pellizarium *tom.2.tract.7.c.5.ſect.1.q.12.n.16.*

Qvæstio VIII.

An Irregularis peccet mortaliter, excipiendo Confeſſiones.

Reſpondeo peccare mortaliter, ſi irregularis ſit denunciatus, & promulgatus à Iudice Eccleſiaſtico; imò etſi non ſit denunciatus, dummodo ſe ad excipiendas Confeſſiones ingerat. Ratio eſt: Quia verè exercet actus Ordinis, contra grauem Eccleſiæ prohibitionem. Sic Suarez *diſp.40.ſect.2.à n.43.* Villalob. *tom.1.tract.21.diff.2.n.8.* Bonac. *q.1. de irregul. punct.4.n.19.* Auila Hurtad. Cornejo, Præpoſitus, & Diana ſtatim citandi, & omnes.

Qvæstio IX.

An ſaltem validè abſoluat Irregularis non denuntiatus, & toleratus.

Negatiuam ſententiam tenere Auilam *p.7.diſp.2. dub.6.concl.7.* & Hurtadum *diſp.1. de irregular. diff.5.n.19.* dicit Machado *lib.1.ſum. part.3.tract.15. docum.2.num.4.* Sed ex his DD. Auila id tantùm negat

Digitized by Google

negat, loquendo de irregulari nominatim denunciate, non de alio: ait enim ſic: Non enim poterit abſoluere à peccatis, quia eſt actus Ordinis: Vnde ſi ſit nominatim denunciatus, non valebit abſolutio. Ita ille.

Sed, vt certum Reſpondeo validè abſoluere, ſicut valide abſolueret excommunicatus toleratus, & non denunciatus, vt diximus 1.*p.tract.*5. *de Pœnit. diſp.*5. *quæſt.*78. cum communi. Ratio eſt, quia confeſſarius irregularis toleratus, & non denunciatus non caret iuriſdictione, nec pœnitens peccat communicando cum illo: ergo. Sic Suarez *loc.cit. num.*45. Bonac. *diſp.*7.*quæſt.*1.*punct.*4.*n.*19. qui benè citat Auilam pro hac parte. Cornejo, Villalob. Leſſius, Præpoſitus, quos citat, & ſequitur Bauny *tract.*11. *de irregular. q.*6.*dict.*3. Nec credo diſſentire Hurtad. Intelligendus eſt enim loqui ſolùm de nominatim irregulari.

Qvæstio X.

An etiam valida ac rata ſint Confeſſiones, quas Confeſſarius nominatim irregularis promulgatus excipit.

Affirmant eſſe ratas, ac validas, caſu quo pœnitens non ponat obicem, ſed accedat bona fide, ignorans talem Confeſſarium eſſe irregularem nominatim denunciatum. Suarez *diſp* 40.*ſect.*2.*num.*45. Ægidius *diſp.*18. *dub.*1. *n.*7. Luyſius *lib.*8. *de cenſur. diſp.*58.*dub.*2. Præpoſitus *in* 3.*p. quæſt.* 5. *de irregularit.dub.*3.*n.*13. Cornejo *diſp.*5. *de irregularit. dub.*5. *q.*3. Villalob. *tract.*21 *diff.*2.*n.*8. quos citat, & ſequitur Diana *part.*4 *tract.*2.*reſol* 68. Quibus addi poſſunt Leſſius *de iuſt.lib.*1.*cap.*22.*dub.*8. Bonac.*q.*1. *punct.*4. *n.*20. Filliuc. *tract.*19.*cap.*3.*quæſ.*7 *n.*80.

Probatur hæc ſententia. Quia neque ex parte pœnitentis, neque ex parte Confeſſarij irregularis, deeſt aliquid, ratione cuius non ſint ratæ dictæ Confeſſiones: ergo tales debent iudicari. Antecedens probatur: quia pœnitens accedit, vt ſupponimus, diſpoſitus, & alias non peccat participando cum irregulari, quem inuincibiliter irregularem ignorat. Rurſus Confeſſarius irregularis, non ſolum habet poteſtatem Ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, cùm irregularitas non tollat iuriſdictionem, vt conſtat ex dictis præcipuè *quæſt.*6. ergo.

Negant verò contra, eſſe tales confeſſiones validas Auila *p.*7. *diſp.* 2. *dub.*6. *concl.*7. Gaſpar Hurtad. *diſp.*1. (non 12. vt leges apud Bauny) *num.*19 Comitolus *lib.*6.*Reſponſ.q.*58. Nauarr.*cap* 9.*n* 6. *dicto* 4. Quia (inquit) conceſſa peccatorum remiſſio à Confeſſario ſuſpenſo, interdicto, aut excommunicato notoriè, nullatenus eſt vitium: ſed irregularitas eſt quædam veluti ſuſpenſio ab Ordinum vſu & exercitio: ergo data ab irregulari abſolutio, erit nulla, ac inualida.

Sed clarius Reſpondeo, Eſſe validas, ac ratas caſu quo pœnitens accedat inuincibili ignorantia, ex publico, & communi errore procedens: ſecus ſi ex priuato, & particulari errore ipſius. Quia in primo caſu Confeſſiones verè ſunt validæ, non verò in ſecundo, vt diximus 1.*p.tract.*5.*diſp.*5.*q.*79. & *p.*4.*tract.*2.*de excomm diſp.*6.*q.*11. & ſic conſiderari poſſunt Authores vtriuſque ſententiæ Legantur dicta à nobis *loc.cit.*

Qvæstio XI.

An collatio beneficij facta irregulari abſolutè ſit licita.

Affirmat Bauny *quæſt.*5.*de irregularit.* verſ. *Ratio eſt*, ibi: Quare non peccat qui beneficium acceptat in irregularitate, dummodo ab ea intra anni ſpatium auctoritate Apoſtolica, aut Epiſcopali, liberari ſe curet. Ita Silueſt. *loc.cit.* Hucuſque Bauny.

Sed tanquam certum Reſpondeo, Non eſſe licitam. Quia irregularitas abſoluta, & totalis deiicit irregularem ab ſtatu, & Ordine Clericali, vt ſup. eſt habitum: ergo conſequenter ab iis, quæ Clericalem Ordinem requirunt, & quæ illius ſunt propria, vt ſunt beneficia: ergo. Sic colligitur clarè ex *cap.*2. *de Clerico pugnante in duello*, & ex Trident. *ſeſſ.*14. *c.*7. *de reformat.* (non de Confirmatione, vt leges apud Cornejum) & tenent omnes Doctores. Legantur Suarez *diſp.*40 *ſect.*2.*à n.*30. Saytus *lib.*6.*cap.*2.*n.*13. Nauarr.*c.*25.*n.*132 & *c.*27.*n.*549. Couarru. *in cap. Alma, p.*1.§.7.*n.*1. Auila *part.*7.*diſp.*2. *dub.*6. *concl.*3. & alij infra citandi.

Qvæstio XII.

An collatio beneficij facta irregulari abſolutè, non ſolum ſit illicita, ſed etiam inualida, ipſo iure, ante quamcunque iudicis ſententiam.

Affirmat communis ſententia, eo quod beneficium detur propter officium, ſeu propter exercitium Ordinis, *cap fin. de Reſcriptis*: ſed irregularis eſt omnino incapax ad officium: ergo & ad beneficium validè obtinendum. Ita tenent Nauar. *cap.* 25. & 27. *cit.* Couarr. *loco citato*, & *in regul. peccatum*, 2 *p.*§ 8. *n.* 6. & 7. Henriq. *lib.* 14 *c.* 2. *n.*5. quos citat & ſequitur Auila *dub.* 6. *cit. concl.* 3. Suarez *diſp.*40. *ſect.*2 *n.*30 Saytus *loc.cit.* Bonac. *de irregularit. q.*1. *punct.*4. *n.*6. & penes ipſum, præter citatos, Riccius *deciſ.*183 Leſſius *lib.*2. *de iuſt.c.*34.*n.*122. Reginald. *lib.*39.*n.*8. Garzias, Cochier, Sanchez, & Pariſius. Quibus adhuc addi poſſunt Luyſius *lib.*8. *de cenſur. diſp.*58.*dub.*2. Ægidius *diſp.*18. *dub* 1 *num* 6 Filliuc. *tract.*19 *cap.*3.*quæſt.*8. *num* 86 & Villalob. *tract.*21. *diff num* 12.

Negant nihilominus alij exiſtimantes, collationem beneficij factam irregulari, ſolùm eſſe illicitam, & irritandam; non verò irritam de facto, aut ipſo iure, ante Iudicis ſententiam; ideoque ſolùm indigere diſpenſatione ſuper irregularitate; non tamen noua collatione beneficij. Ratio eſt, quia nulla inhabilitas ad beneficium induci debet ſine expreſſo iure, aut Canone: at ſic eſt, quod nullus extat Canon, aut ius, inducens hanc inhabilitatem, ſeu incapacitatem in irregulari, cum nullum extet ius expreſsè irritans beneficij collationem factam irregulari: ergo. Ita tenent Silueſter *excommunicatio* 4.*num.*4. Innocent. IV. *in Canone* 6. *de Conceſſione Præbendæ*, Felin. *in canon.* 21. *Inquiſitionis*, *de Accuſation.n.*6. Layman. *lib.*1. *tract.*5.*part.*5.*c.*1.*n.*3. Quos citat, & ſequitur Bauny *de irregularit.q.*2. & 5. Quibus addi poſſunt Cornejo *in* 3. *p.D.Thom.diſp.*5.*de Irregul dub.*2.*q.*1. quem ſequitur Diana 4 *p.tract* 2.*reſol.*79. Hurtad. *diſp.* 1. *de irregul. diff.*5.*n.*21 Palaus *diſp.*6.*de cenſur punct.*5.*n.*7. Et reputant probabile Suar. Conineh, Filliuc. & alij citati.

Sed ego Reſpondeo dicendum, quod licet hæc ſecunda ſententia, in rigore iuris loquendo, & in foro interno, ſit probabilior, & in praxi ſatis ſecura; attamen loquendo in foro externo, ſecurior & probabilior, ac ideo tenenda ſit prima. Sic tandem tenet Bauny *loc.cit.* cum notet, quod Irregularis, vt ſit in foro externo ſecurus de beneficio obtento, tria præſtare debeat. *Primum* eſt, vt ſuper irregularitate contracta diſpenſationem obtineat. *Secundo* alteram ſuper inhabilitate ad idem beneficium. *Et tertium*, vt iterum idem ſibi beneficium conferatur.

Ratio

Ratio eſt : quia in foro externo , collatio beneficij facta irregulari durante irregularitate , irrita reddi poteſt, ac inanis , vt etiam authores ſecundæ ſententiæ fatentur : ergo eſt prudentiæ in irregulari , ne ſibi id accidat, Papæ poteſtati conſulere. Et de hoc foro addit Bauny , intelligi debent Doctores primæ ſententiæ, dum negant collationem beneficij factam irregulari , ratam & validam eſſe. In conſcientiæ verò foro non eſt neceſſario iteranda à ſuperiori, collatio beneficij irregulari facta , eo quod in opinione authorum ſecundæ ſententiæ , valida, ac rata fuerit.

QVÆSTIO XIII.

An Irregularitas priuet ipſo iure, & facto, beneficiatum, beneficio, vel penſione ante irregularitatem obtenta.

AFfirmant quidam Doctores , exiſtimantes irregularitatem ortam ex homicidio voluntario , eo ipſo priuare beneficiarium homicidam beneficiis ante obtentis. Ducuntur quodam decreto Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* vbi de huiuſmodi irregularitate loquens , ait : *Qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit , omni Ordine , beneficio , & officio Eccleſiaſtico perpetuè careat* : at hic eſt , quod ipſo iure , & abſque ſententia condemnatoria , caret Ordine : ergo & beneficio , & officio. Ita apud Petrum Cornejo, Barbatia *in cap. Cum non ab homine , de iudiciis, col.* 2. & apud Caſtrum Palaum , Nauolus *lib.* 5 *de Irregularit. cap.* 48. §. 4. *num* 1. & apud Stephanum Bauny , Nauarrus *cap* 27. *num.* 251. Couarru. *in reg. Peccatum , part.* 2 §. 1. *num.* 6. Auila *part.* 7. *diſp.* 3. *(lege* 2.*) dub* 6. *concl.* 3. Reginald. *lib.* 39. *cap.* 2 *& c* 9. *n.* 150. & Suarez *diſp* 40 *de Cenſur ſect.* 2. *n.* 25. *&* 36. Sed certe omnes hi Doctores à Bauny pro hac parte adducti, oppoſitum expreſsè ſentiunt.

Vnde , vt ferè certum Reſpondeo : Non priuare ipſo facto , aut iure , ante ſententiam condemnatoriam iudicis. Quia hæc priuatio ex nullo iure deducitur : ergo non eſt ipſo iure , aut facto cenſendus beneficiarius ſuis beneficiis priuatus.

Confirmatur. Quia ex iure potius colligitur & deducitur oppoſitum : nam ex *c. Cleric.* 5. *Ne Clerici , vel Monachi*, deducitur, Clericum ob irregularitatem ex homicidio prouenientem , non eſſe ipſo facto priuatum , ſed priuandum beneficiis : ergo multo minus erit priuatus ipſo facto , ob irregularitates ex aliis cauſis , cum ſint facilioris diſpenſationis. Idipſum deducitur ex cap. *Fraternitati, de Clerico excommun.* ex cap. *Poſtulaſtis*, §. *Quæſiuiſti, eod. tit.* & ex aliis. Sic expreſsè Nauarrus *cap.* 27. *num. mihi* 251. vbi ſic ait : Sextò principaliter dico , quod nulla irregularitas inducit priuationem beneficij iam quæſiti , ipſo iure, quæ videtur ſententia Innocent. *in cap. Cum noſtras , de conceſſ. præben.* communiter recepti ibi, & vbique , præſertim à Felin. *in cap. Inquiſitionis , de accuſat.* & probatur per cap. *Clerici. Ne Clerici vel Monachi* , verb. *Priuetur* ; quod probat irregularitatem ex homicidio natam , non inducere illam : & cùm illa ſit potiſſima , argum. cap. *Miror*, 50. *diſt.* à fortiori non inducent aliæ. Hæc meus Nauarrus. Auila etiam *part.* 7. *diſp.* 2. *dub* 6 *concl.* 4. vbi citat , & bene Couarru. *in cap. Alma mater*, 1. *p* § 7. *n.* 1. & in Clem. *Si furioſus, part.* 2 §. 3. *num.* 5. *in fine.* Reginald. *lib.* 30. *c.* 2. *n.* 10. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 2. *n.* 15. *& diſp.* 44. *ſect.* 4. *n.* 2. Malè ergo citauit omnes iſtos DD. Bauny. Tenent rurſus Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 1. *num.* 5. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 2. *n* 5. Valentia *tom* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 2. §. *Quinto.* Sayrus *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 21. Bonac. *quæſt.* 1. *de irregularit. punct.* 4. *num.* 8. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4 *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 1. Riccius *in praxi deciſ.* 181. Hurtad. *diſp.* 1. *diff.* 5. *n.* 21. Palaus *diſp.* 6. *de Cenſur, punct.* 5. *n.* 9. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 3. *quæſt.* 9. *n.* 88. Bauny *de Irregular. q.* 2. Cornejo *diſp.* 2. *de Irregularit. dub.* 2. *quæſt.* 2. Machado *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 15. *docum.* 2. *n.* 6, Villalob. *tract.* 21 , *diff.* 2. *n.* 9. & Pellizzarius *loc. cit. q.* 13. *n.* 17.

Ad obiectionem ex Tridentino factam, reſpondet Palaus ex Suario *diſp.* 44. *ſect.* 4. *n.* 32. quod per Concilium nihil ſit in hac parte innouatum , & ſic illius verba intelligi debent iuxta ipſarum rerum naturam, quæ eſt, vt carentia Ordinis , quam inducit irregularitas, ipſo iure incurratur : ſecùs verò priuatio beneficiorum acquiſitorum , quia plerumque expoſtulat iudicis ſententiam, niſi aliud exprimatur , ſicuti in præſenti non exprimitur.

QVÆSTIO XIV.

An Irregularitas ſuperueniens beneficiato priuet ipſum fructibus beneficij.

REſpondeo tanquam certum : Nec priuare ipſo facto , nec priuandum eſſe per ſententiam , ſi munera , quæ ratione beneficij tenebatur exercere, per ſe , vel per alium exercuerit , & exerceat. Quia habet titulum beneficij : ergo & ius percipiendi illius fructus , poſito muneris exercitio. Sic Suarez *diſp.* 50. *ſect.* 2. *n.* 20. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 1. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 3. *quæſt.* 5. *n.* 70. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 1. *corol.* 2 Bonac. *de Irregul. q.* 1. *punct.* 4. *n.* 10. Palaus *de Cenſur. diſp.* 6 *punct.* 5 *n.* 23. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 1. *q.* 13. verſ. *Vtrum verò*, & alij.

QVÆSTIO XV.

An item poßit percipere fructus beneficij, qui exiſtens irregularis beneficium recipit,

AFfirmabunt omnes Doctores citati pro ſecunda ſententia *quæſt* 12. eo quòd verè in ſua opinione habet, & retinet titulum beneficij : ergo & habet ius ad percipiendos fructus illius , dummodo ſatisfaciat per ſe, vel per alium muneri ſuo.

Negant verò contra Doctores primæ ſententiæ dictæ *q.* 12. eo quod exiſtiment , inualidè recepiſſe tale beneficium, & conſequenter nullum habere titulum beneficij , & ideo nec ius ad fructus illius : ergo. Ita expreſsè, inter alios, Suarez *diſp.* 40 *ſect.* 2. *n.* 41. *&* 42. Filliuc. *n.* 88. Bonac. *punct.* 4. *cit. n.* 7. & alij.

Ego autem iuxta ibidem dicta , Reſpondeo dicendum , quod licèt prima ſententia ſit in foro conſcientiæ ſatis probabilis, & ſecura ; tamen in foro externo, & in praxi , hæc ſecunda ſit ſequenda , ob rationem ibi aſſignatam.

QVÆSTIO XVI.

An Beneficiarius incidens in irregularitatem, teneatur ſtatim dimittere , in foro conſcientia , beneficium , & in manibus Superioris reſignare.

NEgant abſolutè aliqui DD. Quorum ratio eſt: quia huiuſmodi pœna , cum ſit priuatiua , exigit iudicis ſententiam. Ita apud Cornejo Nauarr. *lib.* 5. *conſil.* 17. *& in extrauag. Gregor. XIII. de datis per iuſtitiam* , *n* 44. *aliàs* 42. & Molina *tom.* 1. *de Iuſtit. tract* 2. *diſp.* 96. *pag.* 540.

Affirmant verò Felinus *in cap. Inquiſitionis , de accuſat,*

Digitized by Google

*Accuſat.col.*1.& Couat.*tom.*2.*p.*2.*de Sponſalib.* (*non de mandato*,vt citat Cornejo,) *c.*6.§.8. *n.*7. *in fin.* vbi amplectena doctrinam Felini ait,Delinquentem non poſſe tutè in animæ iudicio retine beneficium Eccleſiaſticum, cui eſt annexus Ordo ſacer,quem ipſe propter crimen exercere non poteſt. Legatur hic Author toto *n.*7.

Sed ego cum aliis diſtinctiùs,& clariùs Reſpondeo dicendum, quod Beneficiarius incidens in irregularitatem,non teneatur ſtatim in foro conſcientiæ dimittere beneficium ſed licitè poſſe retinere illud , donec per ſententiam iudicis priuetur : dummodo non ſit in mora petendi diſpenſationem irregularitatis, & interim beneficij muneri per ſe , vel per alium ſatisfaciat : nam aſſumere coadiutorem pro aliquo tempore ex cauſa adeo graui,nec eſt contra iuſtitiam, neque illicitum.Sic Suarez *diſp.*44.*ſect.*4.*n.*19.Auila *p.* 7. *diſput.*2.*dub.*6.*concl.*4.verſ.*Hinc ſequitur*, vbi explicat in noſtrum ſenſum Nauarr.Felin.& Couarr. Cordub. *in ſum.q.*41.*& lib.*1.*qq.q.*36.Bonac.*diſp.*7. *de Conſ. q.*1. *punct.*4.*n.*10.*verſ.Tertio.Ægid.*diſp.*18.*dub.*1.*n.*5.Hurtad.*de Irregul.diſp.*1.*diff.*5.*in fin.*Paul. Layman. *lib.*1. *tract.*5.*p.*5.*c.*1.*corol.*3.Palaus *diſp.*6.*de Cenſ. punct.* 5. *n.*11.Cornejo *diſp.*5.*de Irregul.dub.*1.*q.*3. qui attentè legendus eſt ob Typographiæ defectus.Filliucius *tractat.*19.*cap.*3.*quæſt.*4.*dicto* 2.*num.*69. Pellizzarius *loco cit.q.*13.*n.*18.

Qvæstio XVII.

An Clericus irregularis ob homicidium voluntariè patratum , priuandus ſit beneficio, & penſione obtentis.

RESpondeo tanquam certum, Priuandum eſſe beneficio ; quia ita decreuit Trid.*ſeſſ.*14.*c.*7.*de Reformat.*Sicuti etiam debet priuari ob hæreſim , ob ſimoniam , & alia ſimilia : Non verò priuandum eſſe penſione neceſſariò,nam id arbitrio Iudicis relinquitur,expectata delicti qualitate. Ratio eſt, quia penſio ſtrictè loquendo non venit nomine beneficij. Sic tenuit Sac.Congregatio Cardin.vt referunt Riccius *deciſ.*534.Barboſa,& Marzilla *in dict. loc. Trid.* Suarez *diſp.*44.*ſect.*4.*n.*34.Bonacin.*punct.*4.*cit. n.*11. Palaus etiam *punct.*5.*cit.n.*12.

Qvæstio XVIII.

An Irregularis ex delicto , ſi nolit,vel non poßit impetrare diſpenſationem, poßit renuntiare beneficium in fauorem tertij.

RESpondeo,vt certum : Poſſe renunciare illud, ac ſi nullam irregularitatem contraxiſſet , etiam pendente lite,& accuſatione facta de irregularitate. Ratio eſt, quia vſquequo accedat ſententia condemnatoria , retinet ius in beneficium : ergo poteſt illud renunciare. Sic Panormit. *in cap. Niſi eum pridem*, *n.*11.*de Renunc.* Couarr. (non Coninch. vt offendes apud Palaum) *in Clem. ſi furioſus*,2. *p.*§ 3. *n.*7. Felin. *in c. Inquiſitionis, col* 3.*de accuſat.*Ludou. Gomez *in Regul.de Annali poſſ.ſſ.q* 42.*n.*3.Sayr. *lib.*6 *c.*2. *n.*14. Suar.*diſp.*60 *ſect.* 2 *n.* 19 Palaus *diſp.*6 *punct.*5.*n.*15.& Villalob.*tract.*21.*diff.*2.*n.*10. vbi ita ait: *Aduierte Villadiego*,de irregul.cap.1.n.20. *con otros , que es buena cautela,para que el homicida no pierda el beneficio,renunciar en fauor de vn amigo fiel , antes que por ſentencia le priuen del.*Sic ille.

Qvæstio XIX.

An etiam caſu , quo durante accuſatione Irregularitatis , impetret quis beneficium , ſi fortè per ſententiam illo priuetur, poßit hilominus irregularis conſcius huius impetrationis, antequam condemnetur , beneficio abſolutè renunciare.

NEgant aliqui. Quia , inquiunt , hæc renunciatio & cederet in præiudium eius , cui eſt ius per gratiam acquiſitum , & in fraudem gratiam obtinentis : ergo talis renunciatio eſt nulla , quod colligi videtur ex *cap.Si te prabendam, de Renunc. in* 6. Ita tenent Dominic. *conſil.*105. Aufrerius *conſil.* 436. Felin. *in cap. in noſtra , de Reſcript. n.*38. & Anton. Butrius *conſ.*41.

Sed probabilius Reſpondeo : Poſſe adhuc irregularem , in dicto caſu , beneficio renunciare. Quia adhuc in eo caſu poſſidet beneficium : ergo poteſt illi renunciare , cum poſſit vti iure ſuo : in quo nullam fraudem committit , quia non renunciat beneficio , vt noceat impetranti, ſed vt ſibi conſulat. Nec ſic renuncians facit contra ius quæſitum impetranti ; quia hic non habet ius abſolutè quæſitum , ſed conditionale, & incertum, nempe ſub conditione, ſi per ſententiam priuetur, cui iuri benè poteſt derogari per renunciationem. Nec tandem contrarium colligitur ex *d.cap. Si te prabendam* : quia ibi datur manifeſta fraus. Sic Couarr. *in Clem. Si furioſus*,2 *p.*§.3.*n.*7. verſ.*Quidam tamen*, & penes ipſum Gloſſa *in Regul. Cancel.*27.Chaſſan.Ioan.Staphil. Probus, Rota,Aufrer. Ludou. Gomez , & alij. Palaus etiam *diſp.*6. *de Cenſur. punct.*5. *in fine.* Qui benè ex Couarru. notat quoad facta dicta renunciatione , nequaquam poſſit Iudex procedere ad priuationem beneficij : etenim(ait Couarru.) hic proceſſus iam inutilis erit ; cum ipſe aduerſus quem priuationis ſententia ferenda eſt, non obtineat , nec poſſideat beneficium : atque ita viſum eſt Rotæ *in nouis*,491.& Ludou.Gomez *in d.regul.de annalib.q.*42.*num.*5. Huc vſque Couarru. contra Dominicum *loc.cit.*

Qvæstio XX.

An Irregularitas reddat inhabilem ad dignitatem,& Prælaturam regularem.

NEgat Pellizzarius *tom.*2. *tract.*7. *cap.*5. *ſect.*1. *quæſt.*16.cum aliis.

Sed probabilius Reſpondeo affirmatiuè. Quia ſic colligitur ex cap. *In quibuſdam. de Pœnis, & ex cap. fin.de filiis Presbyter.* Et benè,cùm hæc nomine beneficij veniant. Sic Cornejo *diſp.*5.*dub.*2.*q.*5. Suarez *tom.*4.*de Relig.tract.*8.*lib.*2.*cap.*3.*n.*24.

Qvæstio XXI.

An Irregularis ſit omnino incapax acquirendi de nouo iuriſdictionem fori contentioſi,annexam alicui dignitati , aut beneficio.

NEgabunt qui negarunt collationem beneficij factam irregulari, eſſe ipſo iure nullam ; quia eodem modo irregularis eſt capax iuriſdictionis fori contentioſi , quo eſt capax beneficij,aut dignitatis, cui talis iuriſdictio eſt annexa : at ſic eſt quod collatio beneficij , aut dignitatis irregulari facta , eſt

(licet

(licet illicita) valida, & rata: ergo & iuriſdictio. Ita tenere debent Innocent. Felin. Bauny, & alij citati pro ſecunda ſententia *q.* 12. Et quamuis hæc ſententia ſit in rigore iuris, & in foro interno ſatis probabilis, iuxta ibi a nobis dicta.

Probabilius Reſpondeo: eſſe omnino incapacem acquirendi iuriſdictionem ordinariam fori contentioſi annexam dignitati, aut beneficio. Quia probabilius eſt irregularem eſſe in foro externo omninò incapacem acquirendi non ſolum licite, ſed etiam validè, beneficium de nouo, aut dignitatem: ergo & iuriſdictionem Ordinariam, quæ tali dignitati eſt annexa. Sic tenent authores primæ ſententiæ citati *dict. q.* 12. & expreſſe Cornejo *diſp.* 5. *de Irregul. dub.* 3. *dict.* 1.

QVÆSTIO XXII.

An ſaltem Irregularis ſit capax acquirendi de nouo iuriſdictionem, ſi hæc non poſtulat in eo, cui confertur, dignitatem, aut beneficium.

Reſpondeo. Affirmatiuè. Quia nullum eſt irritans talem collationem: ergo irregularitas ex vi ſua non priuat quem iure acquirendi talem iuriſdictionem. Hinc patet, quod iuriſdictio delegata, aut etiam ordinaria, quæ ex commiſſione alterius habetur, & non ratione dignitatis, aut beneficij, vt habent Vicarius Epiſcopi, aut Legatus Papæ, poſſit dari Irregulari, & ab eo de nouo acquiri; quia huiuſmodi iuriſdictio non habet connexionem cum beneficio Eccleſiaſtico, aut cum vſu Ordinis, & ſic independenter ab vtroque poteſt dari, & acquiri. Sic Cornejo *loc. cit. dict.* 2.

QVÆSTIO XXIII.

An Parochus Irregularis poſſit, etiam licitè, aſſiſtere Sacramento Matrimonij.

Reſpondeo vt certum: Poſſe. Quia per irregularitatem non deſinit eſſe Parochus. Sic Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 2. *n.* 25. Rota *in nouis, decis.* 429. & 750. Cornejo *loc cit. dub.* 4. *in fine*, & alij. Legantur dicta à nobis *q.* 6.

DISPVTATIO IV.

De Cauſis excuſantibus ab Irregularitate incurrenda.

QVÆSTIO PRIMA.

An ob paruitatem materiæ excuſetur quis ab Irregularitate incurrenda.

NEGABVNT Caiet. Silueſt. Armilla, Corduba, Molina, Caſtro, & Rodrig. adducti ſupr. *diſp.* 1. *q.* 7. cum exiſtiment, ad incurrendam irregularitatem ortam ex delicto, ſufficere peccatum veniale.

Sed longè multo probabiliùs Reſpondeo: Excuſari. Quia longè multo probabilius eſt, quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto, non ſufficiat culpa venialis, ſed neceſſariò requiratur mortalis, vt cum communi Doctorum *q.* 7. *cit.* diximus: ergo cum paruitas materiæ excuſet à mortali in actionibus pro quibus irregularitas incurritur, excuſabit etiam ab incurſione irregularitatis. Sic tenet expreſsè Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 7. ponens iis verbis exempla: Et ab irregularitate excuſatur dicens, vel faciens aliquid piū, vt ſi carnifici dicat, permittitur tibi facere officium tuum, quia ego iam feci officium meum in confeſſione, vel exhortatione. Et qui parum cooperatur, non cenſetur moralis, & propinqua cauſa influens (quia parum pro nihilo reputatur) vt ſi pungat aſinum eius qui ducitur ad furcam, vel ſi reo dicat, vt aſcendat alterum gradum ſcalæ, neque qui ob vitandum dedecus impetrat à Iudice, ne reus ducatur per plateam, & domum vxoris, aut parentum; quamuis per accidens ex breuiori via ſequatur aliqua acceleratio. Nec qui inexpertum lictorem docet modum, quo dandus eſt nodus funi, aut voluendus cippus (parum enim eſt quod docet) vt nec qui docet artem, & modum digladiandi. Huc vſque Henriquez. Et penes illum, *lit. c.* & *f*, Sotus *lib.* 5. *de Iuſt. quæſt.* 1. *art.* 9. *col.* 4. *in fine*, vbi irridet ſcrupulum eius, qui pupugit aſinum illius, qui ducebatur ad furcam. Et alij Recent. Villalob. etiam *tom.* 1. *tract.* 21. *difficul.* 27. *num.* 13. & Diana *part.* 5. *in addit ad reſol.* 46. *tract.* 5 & alij communiter. An autem omnia exempla a ducta ab Henriquez, conueniant ad excuſandum quem ab incurſione irregularitatis, infra examinabimus.

QVÆSTIO II.

An Ignorantia craſſa, aut vincibilis iuris, aut facti, delicti cui annexa eſt Irregularitas, excuſet quem ab incurſione Irregularitatis.

Reſpondeo: Vt certum, non excuſare. Quia cum hæc ignorantia non excuſet à mortali, ita non excuſat à pœna irregularitatis, quando illi eſt annexa. Vnde qui ignorans craſsè quod eſt excommunicatus, & quod eſt prohibitum in iure ſub pœna irregularitatis, excommunicatum recipere Ordines, ſi ordinetur, fiet irregularis. Sic habetur in *c. Apoſtolicæ. De Cler. excommun. miniſtr.* & docent omnes, Nauarr. *cap.* 27. *n.* 141. Auila *p.* 7. *diſp.* 2. *dub.* 7 *concl.* 1. Cornejo *diſp.* 6. *de Irregular. dub.* 3. *in princ.* Villalob. *tract.* 21. *diff.* 6. *n.* 1. & 2. & conſtat ex dictis *de Cenſur. in communi, tract* 1. *diſp* 9. *q.* 14.

QVÆSTIO III.

An ignorantia inuincibilis iuris, aut facti, ob cuius violationem Irregularitas fertur, excuſet quem ab Irregularitatis incurſione.

Reſpondeo vt certum: Excuſare. Quia excuſat à culpa: ergo & à pœna. Sic omnes. Præcipuè Hurtad *diſp.* 1. *de Irregul. diff* 8. vbi hæc ait: Supponimus ea omnia, quæ excuſant opus delicti à culpa mortali, excuſare delinquentem ab Irregularitate ob illud delictum lata. Ita Auila *diſp.* 1. (lege 2.) *dub.* 7. & Ægid. *diſp.* 18 *dub.* 4. Quia Irregularitas quæ fertur ob delictum, non incurritur niſi ob delictum mortale. Vnde ignorantia inuincibilis, & defectus plenæ aduertentiæ, & conſiderationis, ſiue iuris, ob cuius violationem fertur irregularitas, ſiue facti, quo dictum ius violatur, excuſant ab irregularitate, quia excuſant à culpa mortali: ſic ille. Et colligitur ex dictis à nobis *tract.* 1. *de Cenſur. in com diſp.* 9. *q.* 2. & *ſeqq.* Legatur Diana *p.* 4 *tract.* 2. *reſol.* 85.

QVÆSTIO IV.

An incurrat quis irregularitatem latam ob delictum, etiam iure naturali prohibitum, vt ob mutilationem, aut homicidium, caſu quo inuincibiliter ignoret tale delictum eſſe lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum.

AFfirmant plures Doctores, præcipuè Hurtad. *diſſ.8.cit.n.27.* Quia (inquit) homicidium v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Eccleſiaſticæ, ob quod lata eſt irregularitas, eſt ſimpliciter tale delictum, v.g. homicidium, aut aliud: & quamuis in eo delicto non ſit contumacia in Eccleſiam, remanet in eo ſufficiens indecentia ad ſuſcipiendos Ordines, & ad exercendos iam ſuſceptus, ob quam euitandam fertur irregularitas. Imò in eo remanet ſufficiens culpa, vt ea pœnalitas ei infligatur, quamuis irregularitas infligeretur vt pœna: ergo abſque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Eccleſiaſticæ ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio iure prohibitum. Ita Hurtadus. Qui pro ſe citat Sotum *in 4 diſt.22. art.2.* Vazquium *de excomm. dub.16.* & Suarium *diſp.40. ſect.5.* Quibus addi poſſunt mox citandi.

Sed probabiliùs Reſpondeo, Non incurrere irregularitatem, ſi ignoret inuincibiliter præceptum Eccleſiaſticum prohibens dicta delicta, etiamſi non ignoret ea eſſe aliàs iure naturali, & diuino prohibita. Ratio eſt *Primò.* Quia pœna irregularitatis, plerumque ab Eccleſia indicitur in pœnam inobedientiæ, & contumaciæ aduerſus Eccleſiam; ſi quidem ſuperadditur violationi cenſuratum, quæ inobedientiam, & contumaciam requirunt: at ſic eſt, quod inobedientia, & contumacia in Eccleſiam nequit ſtare cum ignorantia inuincibili legis Eccleſiaſticæ: ergo.

Secundò. Quia quantitas pœnæ debet proportionari quantitati culpæ, *cap. Felix, de pœnis in 6.* Sed committens dicta delicta, licèt offendat Deum contra eius legem, non tamen offendit conditorem iuris Eccleſiaſtici, cum ipſum ius ignoret inculpabiliter, & reſpectu illius omni prorſus culpa careat: ergo ſolùm debet puniri pœna legis diuinæ, quam violat, non tamen pœna legis Eccleſiaſticæ, nempe irregularitate. Sic colligitur ex dictis *tract. de Cenſur. in comm. tract.1. diſp.9. quæſt.6.* Et tenent expreſsè Nauarr. *cap.27. num.16.* Sanchez optimè, vt ſemper, cum aliis pluribus *lib.9. de Matrimonio, diſp.32. num.9. & 17.* Quibus addi poſſunt Ægidius *diſp.18. num.29.* Palaus *tom.1. tract.2. diſp.1. punct.17. num.1. & tom.6. diſp.6. punct.6. num.1.* Cornejo *diſp.6. de Irregularit. dub.3. concl.3.* Bonac. *diſp.1. de Cenſur. q.2. punct.3. num.13.* & à fortiori alij ſtatim citandi pro noſtra ſententia.

QVÆSTIO V.

An item non incurrat irregularitatem, qui licèt ſciat aliquod delictum lege Eccleſiaſtica eſſe prohibitum, ignorat tamen inuincibiliter, tali delicto irregularitatem annexam eſſe.

NEgant communiter Doctores, exiſtimantes, quod ignorantia inuincibilis irregularitatis impoſitæ (ſi adſit ſcientia prohibitionis Eccleſiæ) nullo modo excuſet ab ea incurrenda. *Primò.* Quia vt quis huiuſmodi irregularitatis pœnam incurrat, ſat eſt quod ſit inobediens præcepto Eccleſiaſtico, & quod ſciat illum actum eſſe prohibitum, quamuis ignoret prohibitum eſſe ſub cenſura: ergo.

Secundò. Quia ſi ad incurrendam irregularitatem, neceſſarium foret cognoſcere talem pœnam delicto annecti, ſequeretur quod homicida ignorans inuincibiliter hanc pœnam, nullam irregularitatem incurreret, & ſic liberè poſſet ad ordines promoueri; quod planè falſum videtur; ſiquidem iudex iuſtè reum morti tradens irregularitatem contrahit, etiamſi ignoret irregularitatem ſuo facto eſſe impoſitam, eo quòd dedeceat, eſſe Miniſtrum Chriſti, eum qui alium vita priuauit: ſed hæc indecentia efficaciùs vrget in eo, qui iniuſtè alium occidit: ergo irregularis erit, etiamſi ignoret homicidio eſſe irregularitatem impoſitam. Ita tenent in primis omnes DD. qui de excommunicatione, & aliis cenſuris ita ſenſerunt, quos retulimus *tract.1. de cenſur. in communi, diſp.9. q.7.* Sed vltra illos, ſpecialiter de irregularitatis pœna loquentes, id tradunt Suarez *de Cenſur. diſput.40. ſect.5. num.9.* Cordub. *lib.1. qq.25.* verſ. *Item ſecundo.* Ludouic. Lopez *2. part. Inſtruct. vbi de excomm. cap.13.* Auila *part.7. diſp.2. dub.7. concl.2.* Vaſquez *de excomm. dub.16.* Hurtado *diſſ.8. in fine,* Azor. *tom.1. lib.1. cap.15. quæſt.7.* Aluarez *part.2. diſp.158. num.5.* Sotus *in 4. diſt.2. quæſt.5. art.2. in fine.* Martinus de Ledeſma *in 2. p.4. quæſt.24. art.6.* Henriquez *lib.2. de Baptiſmo, cap 4. n.3.*

Sed probabilius Reſpondeo: Nec hunc incurrere irregularitatem. Quia probabile eſt, ignorantem inuincibiliter irregularitatis pœnam ſuo delicto impoſitam, excuſari à dicta irregularitate. Vnde ſi quis excommunicatus celebret ignorans inuincibiliter eſſe impoſitam pœnam irregularitatis excommunicatu celebranti, nullo modo incurret irregularitatem.

Ratio eſt. Quia Irregularitas, quæ delicto annectitur, eſt pœna grauiſſima, & extraordinaria delicti, ſiquidem obligat delinquentem vt eam in ſe exequatur: ergo cenſeri non debet incurri ab inuincibiliter ignorante legem ſub tali pœna eſſe latam: aliàs committens tale delictum verè pateretur non ſolùm pœnas ſuo delicto proportionatas, ſed alias extraordinarias, quæ delicti grauitatem excederent.

Nec obſtat primum argumentum contrariorum; negandum enim eſt, ſufficere ad incurrendam pœnam irregularitatis, quod delinquens ſciat talem actum eſſe prohibitum, ſi ignoret eſſe prohibitum ſub tali pœna: quia etſi conſenſus delinquentis in pœnam non requiratur ad ſuſtinendam illam, vt benè arguit Hurtad. requiritur tamen conſenſus illius in culpam, prout ſubeſt tali pœnæ, quod fieri nequit abſque notitia pœnæ. Ad 2. ſtatim reſpondebimus. Vnde hanc noſtram ſententiam tenent in primis Sanchez *lib.9 de Matrimon. diſp.32. num.21.* & penes ipſum Hoſtienſ. *cap. à nobis, el 1. de ſentent. excomm.* verſ. *Addo.* Silueſt. *verb. Ignorantia, quæſt 8. dicto 1.* Angel. *d. verb. num.4.* Nauarr. *cap.23. num.47. & cap.27. num.16. & num.274.* Philiarch. *de offic. Sacerd. tom.1. part.1. lib 3. cap.4. §. Tertio obiicitur,* & Rodrig. *tom.1. ſumm. cap.195. num.3. in 2. edit.* His addi poſſunt Bonac. *de Cenſur. diſp.2 quæſt.2 punct.1. num.13.* Caſtro Palao *tom.1. tract.2. de peccat. diſput.1. punct.17. num.6. & tom.6. diſp 6. punct.6. n.3.* & licèt hic dicat priorem ſententiam, vt communem eſſe tenendam; reuera tamen noſtram defendit. Ægidius *diſp.18. dub 4. num 31.* Merolla *tom.1. diſp.1. cap 2. coroll.1. num.48.* Porrel. *in dub. regular. verb. ignorantia, num.19.* Cornejo *diſp.9. de irregularit. dub.1. concl.2.* Diana *part.4. tract.2. reſol.85* Machado *lib.1. part.3. tract.25. docum.3. num 2.* legantur dicta à nobis *tom.4. tract.1. de Cenſur. diſp.9. quæſt. citata.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An quis occidat aliquem, ignorans inuincibiliter homicidio eſſe impoſitam pœnam irregularitatis, illam incurrat.

AFfirmant, vt videmus, omnes Authores primæ ſententiæ quæſtionis antecedentis. Quibus ex citatis pro noſtra addi poſſunt Merolla *loco cit. n.*49. *&* 87. & Diana *reſol.*85.*cit.* Quia (inquiunt) irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licèt videatur eſſe ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis: ergo incurritur, licèt occidens ignoret homicidio impoſitam eſſe talem irregularitatem.

Sed non minus probabiliter Reſpondeo, nec incurrere irregularitatem, adhuc in caſu homicidij, ſi ignoret inuincibiliter talem pœnam homicidio eſſe impoſitam. Quia, vt benè Sanchez *loc. cit.* eadem eſt ratio de hac irregularitate lata in pœnam homicidij iniuſtè patrati, ac de aliis impoſitis ob alia delicta: ergo ſi in his excuſat inuincibilis ignorantia impoſitæ irregularitatis, etiam excuſabit in illa. Sic ſentiunt Sanchez, & Portel apud Dianam *locis cit.* Palaus *tom.*1. *tract.*2. *diſp.*1. *punct.*17. *num.*6. & clarius, & expreſſius *tom. 6. de Cenſur. diſp.* 6. *punct.* 6. *num.* 1. Vbi argumento ſecundo primæ ſententiæ quæſtionis antecedentis, & etiam argumento nuper facto à Merolla, & Diana, his verbis ſatisfacit: Nec item eſt inconueniens, quod Iudex ignorans ſuo facto irregularitatem annecti, eam contrahat; non tamen eam contrahat homicida ignorans irregularitatem ſuo delicto annecti: quia irregularitas Iudici non in pœnam, ſed ob decentiam poſita eſt: at homicidæ, tum ob decentiam, tum in pœnam delicti irregularitas inducitur, quæ irregularitas grauior eſt, & difficilioris diſpenſationis, ac proinde non eſt mirum, vt cognitionem legis eam inducentis expoſtulet. Hucvſque Palaus. Tenet item noſtram ſententiam Cornejo *loc. cit. concl.*3. *num.*3. vbi argumento Dianæ dicentis, in hoc caſu non incurri irregularitatem, quæ habet rationem pœnæ incurſæ propter culpam homicidij: ſed eam, quæ incurritur defectu lenitatis, ratione homicidij voluntarij, optimè reſpondet dicendo, ſtare contra hoc, quod huiuſmodi irregularitas eſt ſpecies diuerſa ab ea, quæ propter homicidium peccaminoſum incurri debet, & ſolum incurritur propter licitam hominis occiſionem, quod non poteſt in hac caſu noſtro verificari. Sic Petrus Cornejo. Tandem hanc noſtram ſententiam eſſe probabilem, apertè inſinuat *Machado* docum.3. cit. num.3. his verbis: *Si bien Portel y otros defienden, que no ſe incurre en la irregularidad del homicidio culpable, quando ſe comete con ignorancia della.*

QVÆSTIO VII.

An defectus plena aduertentia, ſeu conſiderationis iuris, aut facti, ob cuius violationem feratur Irregularitas, excuſet ab incurſione Irregularitatis.

REſpondeo: Excuſare. Quia huiuſmodi defectus eandemmet vim, ac ignorantia inuincibilis ad excuſandum a pœnis, & à culpis habet. Sic Hurtadus *diſp.*1. *de Irregular. diff.*8. *in princip.* & communis Doctorum, vt conſtat ex à nobis dictis *tom.*4. *tract.*1. *de Cenſur. in comm. diſp.*9 *q.*24.

QVÆSTIO VIII.

An item metus mortis, aut infamia, aut alterius grauis nocumenti excuſet ab Irregularitate, qua propter culpam incurritur.

REſpondeo: etiam excuſare. Quia pœnæ Eccleſiaſticæ non ligant cum tanto onere. Sic omnes, vt patet ex dictis *tract.*1. *cit. diſp.*9. *q.*25. *& ſeqq.*

QVÆSTIO IX.

An dubium Iuris, aut facti, excuſet ab Irregularitate contrahenda.

REſpondeo contra nonnullos, excuſare, vt vidimus ſupra *diſp.*1. *à quæſt.*15. Legantur

QVÆSTIO X.

An etiam excuſet ab Irregularitate contrahenda opinio probabilis Doctorum aſſerentium, non contineri eam in iure, caſu quo ſunt alij DD. probabiliter opinantes, contineri.

REſpondeo, Etiam Excuſare. Quia irregularitas, de qua viri docti ſolùm probabiliter opinantur contineri in iure, non poteſt dici, quod ſit in iure expreſſa, aliàs non eſſet opinio probabilis, quæ oppoſitum aſſerit: at ſic eſt, quod non incurritur irregularitas, niſi ea in iure expreſſa ſit, vt habitum eſt ſuprà *diſp.*1. *q.*5. ergo. *Confirmatur.* Quia ex duabus opinionibus probabilibus, licitum eſt in praxi ſequi quamlibet, etiam illam, quæ minus tuta videtur: ergo. Sic Suarez *diſp.*40. *ſect.*5. *n.*6. Qui contrarium dicit, ſi contingat opinionem aſſerentem talem irregularitatem eſſe in iure latam, ita eſſe probabilem, vt contrarium probabilitate carere iudicetur. Cornejo *diſput. de Irregular. dub.*1. *q.*2.

TRACTATVS SECVNDVS DE IRREGVLARITATE IN PARTICVLARI.

DISPVTATIO I.

De Irregularitate proueniente ex defectu animi.

QVÆSTIO PRIMA.

An defectus ſcientiæ faciat hominem Irregularem; ita vt nec ordinari, nec in ſuſcepto Ordine miniſtrare poſſit.

AFFIRMANT abſolutè Nauarr. *cap.27.n.205.* Ledeſma *in ſum. cap.7. de Ordine, concl.4.* Diana *part.2. tract.16. reſol.31.* Bonac. *de Cenſur.diſp.7.quæſt.2. punct.1. num.3.* & penes ipſum Suarez, Toletus, Filliucius, & Reginaldus, quos omnes pro hac parte adduximus *part.2. tract.6. de Ordine, diſput.7. q.1.* Et nunc addo Palaum *tom.6. de Cenſur. diſp.6. punct.10. num.1.* Auilam *part.7. diſp.4.dub.1.* Petrum Cornejo *diſp.13. de Irregularit. dub.vnico, quæſ.1.* Hurtadum *diſp.2. de Irregularit. diff.18. num.62.* & communem, Pellizzarium *tom.2. tract.7.cap.5. ſect.2.q.3.n.43.* Quia id conſtat. *ex cap. Illiteratos, diſt.36.*

Negant verò contra ex parte Henriquez *lib.10. cap.16. num.2. in corp. & in Gloſſa lit. Q. & lib.14. cap.8.num.11.lit. B.* & Garcias *part. de Benef.cap.7. num.19.* putantes, defectum ſcientiæ non conſtituere quem irregularem; quia (inquiunt) licèt præſter impedimentum Ordini ſuſcipiendo, non præſtat in ſuſcepto Ordine miniſtrare.

Sed ego, *loc. cit.* clarius, conciliando hos Doctores, reſpondi, & iterum Reſpondeo ſic. Si Ordinandus eſt omnino illiteratus, ita vt nec Grammaticum audierit, tunc defectus ſcientiæ verè conſtituit illum irregularem, ita vt nec Ordinari, nec in ſuſcepto Ordine licitè miniſtrare valeat, aut poſſit; cùm hæc ſit natura irregularitatis, vt vtrumque impediat, & hoc quamuis bona fide, & ſine culpa ordinetur, cùm hæc irregularitas non incurratur propter culpam. Si tamen ordinando adſit aliqua ſcientia, non tamen tanta, quantam requirit, & aſſignat Concil. Trident. *ſeſſ.23. cap.4.11.13. & 14.* tunc defectus ſcientiæ non faciet illum irregularem; quia nec Concilium, nec aliud ius in hoc caſu irregularitatem conſtituunt. Et hoc ſecundum tantum intendunt Authores ſecundæ ſententiæ: & primum ſolum, primæ. Sic Philibertus *de Ordine, tract.1. part.5. cap.1. n.14.* Sayrus *lib.6.cap.13.num. 8.* Vgolinus *de Irregularitat. cap.3. §.1.* & alij qui iuxta hanc diſtinctionem intelligunt textum *in c.literatos,cit.*

QVÆSTIO II.

An hæc irregularitas orta ex defectu ſcientiæ tollatur per ſcientiam aduenientem, aut per diſpenſationem.

REſpondeo, vt certum, Per vtrumque tolli. Nam imprimis tollitur per ſcientiam aduenientem: quia cum per hanc tollatur ignorantia, quæ eſt totalis, & adæquata cauſa ipſius irregularitatis, neceſſariò tollitur ipſa irregularitas, iuxta illam regulam: *Ceſſante cauſa ceſſat effectus.* Deinde tolli etiam poteſt per diſpenſationem, vt ſtatim videbimus: ergo per vtrumque tolli poteſt. Sic Suarez *diſp.41. ſect.1. num.6. & diſp 55. ſect.1. num. 21.* Filliuc. *tract. 19. num.192.& 261.* Bonac. *de Irregularit. q.5. punct.2. num.5* Cornejo *de Irregularit. diſp.13. dub.vnico,* & alij communiter.

QVÆSTIO III.

An Irregularitas proueniens ex defectu ſcientiæ ſit diſpenſabilis à Papa, quod idem eſt, ac inquirere, an Papa poſſit diſpenſare, vt illiteratus ordinetur.

AFfirmant aliqui ex Doctoribus citati *ſup. q.1.* Negant verò alij.

Sed clariùs iuxta doctrinam noſtram ibi traditam, ſic Reſpondeo dicendum, *primò.* Papa ſolus, & non alius, poteſt diſpenſare cum omnino illiterato, vt ordinetur; ſic tamen, vt non vtatur ordine quouſque ſcientiam ad vſum Ordinis recepti, ſufficientem diſcat. Quia non eſt contra ius naturale, aut diuinum, habere Ordinem, non vtendo illo: ergo ad hoc rectè poterit Pontifex cum illiterato diſpenſare. Non verò alius à Papa, quia nulli eſt in iure conceſſa talis facultas.

Dico ſecundò Papa non poteſt diſpenſare cum illiterato ad vſum Ordinis ſuſcepti, ſi caret ſcientia requiſita ex natura rei ad debitum vſum illius, quia quod quis vtatur munere, ſine ſcientia neceſſaria ad vſum illius, eſt intrinſecè malum, & contra ius naturæ, in quo Papa nequit diſpenſare: ſecus tamen, ſi careat ſcientia requiſita ſolo iure Eccleſiaſtico, cum in illo poſſit Papa diſpenſare, vt conſtat. Sic communiter Doctores, Nauarr. *cap.27. num.205.* Suarez, Sayrus, Molfeſ. Reginaldus, & alij apud

Philiber

Philibert.*de Ordin.tract.1.p.5.c.1.in fin.* Cornejo *loc. cit.*& nos etiam *2.p.tract.6.de Ordine,diſp.7.q.3.*

Qvæstio IV.

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt ordinetur ille qui linguam latinam parum callet, Si tamen bona ſit indolis, & de eo habeatur ſpes, quod poſtea addiſcet opportuna.

NEgant Ledeſm.*in ſum.de ord.c.7.concl.*4.Sanch. *tom.2.conſil.c.1.dub.45.n.*14 & alij.

Sed probabiliùs Reſpondeo: In hoc caſu, Poſſe. Quia ſic videtur colligi ex Trid.*ſeſſ.23.c.*11. dum decernens ſcientiam neceſſariam pro minoribus Ordinibus,ſubdit:*Niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur.* Deinde,quia ſicut Scholaſticus magni ingenij nõ eſt à laurea Doctoratus repellendus, etiam ante quinquennium,quando ſpes addiſcendi manet: ita ſimiliter,non erit ab Ordinibus repellendus Clericus bonæ indolis,& pro ætate docilis,etiamſi Latina lingua non ſatis polleat; quod à fortiori conuincitur quis ad id aſſerendum,accedente diſputatione Epiſcopi. Sic Henriq.*lib.14.c.8.n.*11,*litt.E.*& penes ipſum Perez, Hoſtienſ.& alij Sic etiam Hieron.Rodrig.Peyrinus, Menoch.& Tamburin,quos referunt, & ſequuntur Philibert.*c.1.cit.n.*10.& Diana *3.part.tract.2.reſol.*86. & alij aduertentes,id eſſe valdè obſeruandum ab examinatoribus Epiſcoporum.Legite me ipſum *2.p.tract.6. de Ordine,diſp.7.q.4.5.& 6.*

Qvæstio V.

An poſſit diſpenſare Epiſcopus, vt in ſuſceptis Ordenibus adminiſtret ille, qui ignarus litterarum eos recepit.

AFfirmat abſolutè Henriq.*lib.*14 *c.8.n.*11. *in fine* iis verbis: Suſcepto iam Ordine,idiota,ſeu ignarus literarum,ex diſpenſatione Epiſcopi non prohibetur miniſtrare.Ita ille. Et penes ipſum *in marg. lit. G,* Perez *ſup.c.Sedulo,c.Nullus,*38.*diſt.* & Specul *tit. de diſpenſ.§.Nunc,verſic.*27.

Sed clariùs Reſpondeo: Poſſe quidem Epiſcopum cum prædicto Ordinato diſpenſare, vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtret,dummodo,non ſit omnino ignarus,ita vt careat ea ſcientia, quæ ad præſtandum munus Ordinis ſuſcepti iure naturali, & diuino requiritur;quia tunc,vt ex dictis conſtat, nec Sum. Pontifex diſpenſare poteſt. Sic Auila *de Cenſ. p.7. diſp.4.dub.1. concl.*3.Palaus *diſp.6.de Cenſ.punct.*10.*n.*3.& alij, addentes omnes ex Trid.*ſeſſ.*21. *c.6.* quod Parocho illiterato dandus ſit Coadjutor, deſignata congrua ſuſtentatione.

Qvæstio VI.

An amentia perpetua conſtituat irregularem.

REſpondeo tanquam certum: Conſtituere irregularem,tam diuino, quàm naturali,& humano iure, Quia qui non poteſt Ordines exercere, inhabilis eſt ad illos ſuſcipiendos, & conſequenter irregularis. Quamuis ſi de facto ordinaretur, verè reciperet characterem, nec eſſet Ordo reperendus, ſi poſtea fieret mentis compos,vt conſtat ex dictis 2.*p tr. de Ordine, diſp.5.q.8.& ſeq.*Sic omnes.D.Thom.D.Bonau.Scot. Sot.Valent.*ibid.cit.*Nauar.*c.22.n.*203.Suarez *diſp.*51. *ſect.1.num.*2.Filliuc.*tract.19.c.7.num.*186. Henriquez *lib.*14 *cap.7.num.*9.Ægidius *diſp.*18. *n.*106. Bonacina *diſp.7.de Cenſur. quæſt.2.de Irregular.punct.1.num.*1. Palaus *diſp.6.punct.*10.*n.*4. Gibalinus *c.3. q.3. à n.* 2.

Pellizzarius *tom.2.tract.7.c.5.ſect.2.q.2.n.*40.& communis.

Qvæstio VII.

An etiam maneat irregularis ille, qui habet lucida internalla.

REſpondeo tanquam certum: Etiam manere irregularem, quantum ad ſuſceptionem Ordinum. Quia id conſtat ex tota *diſt.*33.Sic Henriq.*num.9 cit.* ibi: Quod ſi propter organi læſionem habeat etiam inculpatè frequentem furiam inſaniamve (*ſic lege, non infamiamvè*)non eſt permittendus celebrare,quamuis habeat lucida interualla. Sic ille. Et penes ipſum Maiol.Alberic.Roſella, Tabien.Angel.Anton.D,Thomas. & alij.Cornejo *de Irregul diſp.13.dub.vnic. q.2,* Suar,Filiiuc.& alij locis citatis.Quod amplius conſtabit ex infra dicendis.

Qvæstio VIII.

An furioſi perpetuò,aut lunatici irregulares ſint.

REſpondeo tanquam certum, Irregulares eſſe, ex *cap. Maritum,& ex cap.Communiter,diſt.*33. Sic Nauarr.*c.27.n.*204.*verſ.Decimoquarto*,Henriq *lib.*14. *c* 8.*n.*9.Filliuc.*c.7.cit.q.2.n.*187.Bauny *de Irregularit. q. 9.pag.*455. Viuald. *de Irregular.num. mihi* 175.*& ſeqq.*vbi ait,lunaticum illum appellari, qui ideo quia in interlunio genitus fuit,cum ipſa luna mutabili, defectum atque mutabilitatem patitur, mentéque abalienatam, ita vt inſaniat. Furioſus verò nuncupatur ille,qui bili flaua,vel atra,ita eſt plenus,vt tali bili aduſta, & petenti caput, illum faciat omninò inſanire, debaccharique cum cogit,hominumque ſocietates,atque commercia fugere, ſimulque errare per inuia & ſolitaria. Sic ille ex Ariſt.*ſect.3. probl.1.* & ex Maiolo *lib.1.de Irregul.c.*15.Gibalin.*c.3.q.3.n.2.* Pellizzarius *loc. cit.*

Qvæstio IX.

An etiam maneat perpetuò irregularis,qui ſemel tantum incidit in furiam, vel amentiam.

REſpondeo: Manere irregularem perpetuò in ordine ad receptionem Ordinum, etiamſi iudicium rationis reſtitutum ſit.Quia ſic colligitur *ex c. Maritum,diſt.*33.ibi: *Neque illum,qui in furiam aliquando verſus inſaniuit.* & Ratio eſt, quia qui ſemel in furiam,vel amentiam incidit, rarò præſumitur perfectè ſanus,abſque timore reincidendi in eandem ægritudinem,ideòque non admittitur ad Ordines, vel ſaltem deſideratur Prælati approbatio, vt prius ei conſtet de ſanitate recuperata,vt infra *q.78.& ſeqq* in ſimili dicemus.Sic Gratian.*in §.vlt.* 15 *q.1.*Suar.*diſp.*51. *ſect.* 1 *n.*4.verſ.*Statim verò*.Filliuc.*tract.1.c.7 q.2.n.*187. Henriq.*lib.14.c.8.n* 8.& 9.Bonac.*q.2 de Irreg. punct.* 2.*n.*3.Cornejo *de Irreg.diſp.*13.*q.*2. Viuald. *de Irreg. n.mihi* 181.Palaus *diſp.6.punct.*10. *n.*4.& communis apud Pelliz.*loc.cit.n.*41.verſ.*Notandum ergo.*

Qvæstio X.

An furia,vel amentia ſuperueniens Clerico iam Ordinato, reddat etiam irregularem illum quoad vſum Ordinis ſuſcepti.

REſpondeo vt certum, Non reddere illum perpetuò irregularem, quantum ad vſum Ordinis

ſuſcepti; ſed ſolùm quandiu talis defectus durat, aut eſt periculum in talem defectum incidendi, & aliquam Sacramento irreuerentiam irrogandi. Quia ſic colligitur ex cap. *Mariſum, cit. diſt.* 53. & ex cap. *Illud* 7 *q.* 1. & ex can. *In tuis literis*, 7. *q.* 2. Requiritur tamen, vt omninò ſit ſanus, & Epiſcopus iudicet de ſanitate recuperata, antequam dictus Clericus Ordinibus miniſtrandis ſe immiſceat; aut alius doctus, & pius Vir attentis omnibus temporis, & ægri circunſtantiis. Tempus autem ad iudicandum, an à dicta infirmitate conualuerit, eſt ſpatium vniusanni, vt habetur in can. *Communiter, diſt.* 33. Quamuis Suarez dicat, non eſſe neceſſarium expectare ſpatij tantum ad hoc faciendum iudicium, eo quod non ſit in vſu, ſed relinquendum eſſe prudentis arbitrio. Sic Suar. *loco cit. n.* 5. Pellizzar. Filliuc. Bonac. Cornejo, Viuald. & Palao *loc. cit.* & omnes.

QVÆSTIO XI.

An in Irregularitate contracta ab eo, qui ſemel in furiam, aut amentiam incidit, & ſanitatem recuperauit, poſſit Epiſcopus diſpenſare, aut declarare, aptum eſſe, non ſolum ad vtendum Ordinibus ſuſceptis, ſed etiam ad alios ſuſcipiendos.

AFfirmat Maiol. *de Irregularit. c.* 14. Cui videtur adhærere Sayr. *lib.* 6. *Theſaur. c.* 13. *n.* 3. Tabien. & alij apud Reginald. Barboſ. *in collect.* ad *cap. communis. cit. n.* 1. & Barth. *ab Angelo dialog.* 5. §. 180.

Sed probabilius Reſpondeo: Dicendum, quod quamuis (vt vidimus) Epiſcopus poſſit diſpenſare cum prædicto irregulari ad hoc, vt Ordinibus ſuſceptis vti valeat: non tamen ad hoc, vt promoueatur ad alios Ordines: quia id ſpectat ad Romanum Pontificem, cum nullibi inueniatur conceſſa Epiſcopo talis poteſtas: ergo. Sic Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 7. *q.* 2. *n.* 187. Bonac. *q.* 2. *de Irregul. punct.* 2. *n.* 21. *verſ. Tertio.* Palaus *loc. cit. n.* 5. Cornejo *diſp.* 13. *in fine.* Ita dicens: Cum eo qui vſum rationis per amentiam, vel furorem amiſſum recuperauit, poteſt Papa diſpenſare, vt Ordinetur, quia hoc impedimentum eſt purè Eccleſiaſticum. Extra Papam verò nullus poteſt, quia nulli eſt iure conceſſum: quod intelligendum eſt, exceptis Prælatis Regularium, quibus hoc ſpeciali priuilegio fuerit conceſſum. Sic Cornejo, Machad. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 17. *docum.* 11. *n.* 3. & alij.

QVÆSTIO XII.

An etiam arceantur à ſuſceptione Ordinum, qui ob febris magnitudinem, aut ob vehementem paſſionem iræ, aut amoris, aut denique ob ebrietatem, verſi ſunt in furorem, aut amentiam ad horam, aut aliud breue tempus.

REſpondeo tanquam certum: Negatiuè. Quia huiuſmodi amentia, ſiue furor, non fundantur in naturali complexione, & propria organorum ſenſuum læſione, ſed in quadam paſſione temporali, & qualitate tranſeunte, qua ceſſante, ceſſat amentia, & furor, & manent integri ſenſus. Ideóque tales ordinari abſque vlla diſpenſatione, poſſunt; eo quod amentia talis, non ſecum trahit indecentiam. Sic Nauarr. *c.* 25. *n.* 72. & *c.* 27. *n.* 203. Mainl. *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 4. Henriq *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 9. *in marg. lit. O*, Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 4. Auil. *part.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 4. Viuald. *de Irregul. num.* 182. *in antiquis.* Palaus *diſputat.* 6. *punct.* 10. *num.* 4. Gibalin. *cap.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 2. & alij ſuprà citati.

QVÆSTIO XIII.

An Dæmoniacus, aut Energumenus (qui dicitur ille, quem ſpiritus malignus corporaliter vexat) ſit omninò irregularis.

REſpondeo tanquam certum: Eſſe omninò irregularem, tam ad Ordines ſuſcipiendos, quàm ad vſum ſuſceptorum; caſu quo actualiter ſit à Dæmone vexatus. Quia ita conſtat ex iure, *cap. Maritum, & cap. Clerici, diſt.* 33. Et meritò addit Henriquez) nam Energumenus ſuſpectus eſt de malitia animi, & de anandria (ita enim vocat Dionyſ.) cum dæmone ſuccubo. Sic Nauarr *cap.* 27. *n.* 203. Et penes ipſum D. Anton. & Villad. Suarez *diſput.* 51. *ſect.* 1. *num.* 7. Viuald. *de Irregularit. num.* 180. *in antiq.* Toler. *lib.* 1. *cap.* 62. (non 49. vt citat Bonacina) *n.* 2 Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *quæſt.* 9. *verſ. Septimum, de Dæmoniacis.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 8 Bonacin *q.* 2. *de Irregularit. punct* 2. *n.* 24. Machado *docum.* 11. *cit. n.* 8. & omnes apud Gibalinum *cap.* 3. *de Irregularitat. q.* 2. *conſectar.* 9. & Pellizzarium *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 66.

QVÆSTIO XIV.

An etiam ſit omninò irregularis, quoad ſuſceptionem altioris ordinis, dæmoniacus, aut Energumenus, cuius corpus, ſolùm ſemel, aut iterum fuit obſeſſum, ac vexatum; ſed miſericordia Dei iam eſt omninò à tali vexatione liber.

AFfirmat, nonnulla circumſtantia concurrente, Viualdus *de Irregularitat. num. in antiq.* 185. ita aiens: Sed (ſaluo meliori iudicio) aliter ſupradictas concordarem opiniones. Diximus enim ſupra, Dæmones homines vexare, aut in pœnam, vt in hominibus dyſcolis, & peccatoribus, &c. vel in exercitium, vt in hominibus ſpiritualibus, ac Religioſis, virtus, ac meritum augeantur. Tunc ſic: Si apertè, vel ſaltem aliquibus coniecturis, ſciri poſſet, tales iam promotos vexari in ſuorum pœnam delictorum, dicerem, amplius non eſſe admittendos. Quod ſi conſtet, vel appareat, datos fuiſſe ſpiritus in exercitationem, tunc omninò liberatos admitterem. Imò in *Canon. Apoſtol.* 78. habetur, Dæmoniacum mundatum recipiendum eſſe. Canonis verba hæc ſunt: *Si quis dæmonem habeat, Clericus non efficiatur; ſed neque cum fidelibus preces fundat: Mundatus verò recipitur, & ſi dignus fuerit, Clericus efficitur* Hucuſque Viualdus. Et hanc ſententiam nouiſſimè defendit Gibalinus *cap.* 3. *de Irregularit. q.* 2. *conſectar* 9 *per totum.*

Sed vt longè multò probabilius Reſpondeo: Eſſe omninò irregularem, quoad Ordines nondum ſuſceptos, etiamſi ſemel tantum à Dæmone vexatus fuerit. Quia ſic conſtat ex *cap. Marium, diſt.* 33. vbi expreſsè prohibetur ordinari ille, *qui in furiam aliquando verſus inſaniuit, vel afflictione diaboli vexatus eſt.* Et meritò, quia ſecus facere, indecens eſt. Sic Nauarr. *cap.* 27. *num.* 203. Suarez, Filliuc. Bonac. & Machado *loc. citat.* vbi ita ait: *El que actualmente eſtà en demoniado, ò lo ha eſtado, aunque eſte ya libre, no deue ſer admitido à Ordenes, como irregular, que es por indecencia.* Sic ille.

Ad Canonem Apoſtolorum, quem nobis obiicit Viualdus, & poſtea Gibalinus, reſpondet Suar. *n.7. cit. in fine*, vel poſterioribus temporibus exiſtere maiori numero fidelium, qui ſine his incommodis, poſſent ad hoc munus aſſumi, legem illam amplius reſtrictam eſſe: vel certè etiam tunc intelligendam fuiſſe, interueniente diſpenſatione, quæ facilè concedenda erat, virtute illius Canonis, interueniente dignitate perſonæ.

Qvæstio XV.

An ſaltem qui omnino eſt iam liber à vexatione dæmonis, poſſit abſque diſpenſatione, ad ordines minores promoueri.

Affirmat Bonac. *q.2. de Irregul. punct.2. n.24.* per hæc verba. Secundò verum eſt, eum qui liberatus eſt ab obſeſſione Dæmonis, poſſe ad ordines minores promoueri. Nam *in cap. Clerici, diſt.33.* dicitur, non poſſe aſcendere ad ſuperiorem ſacri regiminis gradum. Ita Gloſſa *ibid.* Sayrus & Toletus *loc. cit.* (ille videlicet *lib.6.c.9.n.14.* hic verò *lib.1.c.64.n.2.*) Filliuc. *tract.19 cap 6. q 9. verſ. ſeptimum.* Reginald. *lib.30.n.43.* contra Vgolinum *loc. cit. n.3.* Huc vſque Bonacin. Quem etiam citat, & ſequitur Machad. *lib.1. p.3. tract.17. docum.11. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Neque ad minores Ordines poſſe ſine diſpenſatione promoueri. Quia textus *in c. Maritum, ſupr. cit.* abſolutè, & ſine diſtinctione prohibet Ordinari, qui aliquando afflictione Diaboli vexatus eſt: ergo huiuſmodi nec ad minores Ordines promoueri poteſt. Sic in primis Toletus *loco cod.* à Bonacina pro ſe adducto; ait enim ſic: Secundò, huiuſmodi à Dæmone vexati, & nondum promoti, non ſolum nunquam ſunt ad maiores Ordines promouendi, ſed nec ad minores, hoc eſt contra Gloſſam *cap. Clerici, diſt.33.* & contra Archid. *ibid.* contra quos ſentiunt Gemin. Præpoſit. & Turrecr. *eod. can. Clerici*: quorum opinio probabilior, & Canoni conformior eſt. Sic Toletus. Tu nunc vide, ſi eſt pro Bonacinæ ſententia. Nec Filliuc. eſt pro illo, ſi attentè legatur. Tenent etiam noſtram ſententiam Nauarr. *c.27. n.203.* Suar. *diſp.51. ſect.2. n.7.* & alij communiter, apud Pellizzarium *loc. cit. n.66.*

Qvæstio XVI.

An dæmoniaci, quorum corpora aliquando fuerunt obſeſſa, poſſint in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſi omnino à tali vexatione liberi exiſtant.

Negant adhuc aliqui, exiſtimantes, adhuc minimè poſſe ſuſceptos Ordines exercere amplius, etiamſi per longiſſimum tempus liberi à Dæmonum vexatione probati fuerint. Ita ſentiunt apud Viualdum, S. Anton. Aluarus, Pelagius, Villadiego, & Nauarrus. Item Bartholom. ab Angelo *dialogo 5. §. 180.* vbi teſtatur de communi.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod ille qui fuit à Dæmone aliquando vexatus, poſt Ordines ſuſceptos, licèt non poſſit (vt nuper vidimus) ad altiores Ordines aſcendere, poſſit tamen in iam antea ſuſceptis miniſtrare, ex diſpenſatione Epiſcopi; modo conſtet, ipſum à Dæmone per ſpatium vnius anni non fuiſſe vexatum. Sic Angel. Silueſt. Armilla, & Maiolus, quos citat, & à fortiori ſequitur, quoad reſolutionem huius quæſtionis, Viualdus *de Irregular. numero in antiquis* 184. Bonac. *q.2. de Irregular. punct.2. n.24.* Qui id probat ex *c. Communiter, diſt.33.* & citat pro hac parte Vgolinum *de Irregul. c.55. n.2* Henriq. *lib.14. c.8. n.8. litt. A.* Nauarr. *c.27. n.203.* Sebaſtianum Medices *p.2 de Irregul. c.32.* Molin. *tom.4. tract.3. diſp.70. n.12.* Sayrum *lib.6. c.9. n.14.* Tolet. *lib.1. c.64* verſus *principium*, Ægid. Coninck. *diſp.18. dub.13. n.107.* Reginald. *n.43.* & Filliuc. *n.187. ad finem.*

Sed ex his, quos pro hac parte citat Bonacina, oppoſitum docet Nauar. *loc. cit.* ait namque hæc: exceptis obſeſſis à Dæmonibus, qui nunquam celebrare debent, vt ſentit S. Anton. *3. p. tit.28. c.5.* & Villadiego *col.41.* vbi *ſup.* vnde bene citauit hos auctores, Viuald. pro prima ſententia. Henriquez verò licèt noſtram doceat ſententiam, non eſt *litt. A.* ſed *F.* his verbis: At ſi poſt longum tempus appareat liber à Dæmone, poſſet Epiſcopus diſpenſare, ut miniſtret in ſuſceptis. Sic ille. Addi etiam poſſunt his Auctoribus Suar. *diſput.51. ſect.1. n.7.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi p.2. allegat.42. n.52.* Machad. *lib.1. p.3. tract 17 docum.12. n.8.* Villalob. *tract.21. diff.23. n.5.* & Gibalin. *cap.3. quæſt.2. in fine.*

Qvæstio XVII.

An non ſolùm Dæmoniaci, ſed etiam illi qui ſe tales ſimularunt, irregulares ſint.

Reſpondeo Affirmatiuè. Quia ſic decreuit ſexta Synod. general. Conſtantinopolitana *can.60.* vt docent Vgolin & Sayrus *loc. cit* Bonacin. *punct.2. cit. n.24. verſ. Addo non ſolum* Reginald. *num.43.* Viualdus *n.187.* vbi ſic ait: Si quis dæmoniacum ſe ſimulauerit, cum talis non ſit (quod non ſemel, atque iterum in mulieribus, & aliquando luxuriandi animo cum Exorciſtis ipſis vidi) eadem irregularitatis pœna eſt puniendus, ac ſi verè talis eſſet, vt præcepit ſexta Synodus Generalis Conſtantinopolitana *can. 60.* in hæc verba: *Eos qui ſe Dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate, eorum figuram, & habitum ſimulatè præ ſe ferunt, viſum eſt omnimodo puniri, & huiuſmodi afflictionibus, & laboribus eos ſubiici oportere, quibus ij qui à Dæmone verè correpti ſunt, vt à Dæmonis operatione liberentur, verè ſubiiciuntur.* Sic Viuald. ex Maiolo. *num. 7. in fine.* Gibalinus *loco cit.* & communis.

Qvæstio XVIII.

An maleficiatus ſit omninò irregularis.

Negat Bonac. *q.2. de Irregul. punct.2. n.24.* Ita ſcribens: Tertiò verum eſt, maleficiatum, qui ratione maleficij perpetui eſt inhabilis ad contrahendum matrimonium, non eſſe ineptum ad Ordines ſacros ſuſcipiendos; hac enim ratione caſtior eſt. Ita ille, & Henriquez antea *lib.14. c.8. n.8 litt. F,* ſic dicens: Maleficiatus autem, licèt ſit inhabilis matrimonio, ſed non pro Ordinibus. Ita Henriquez, & bene.

Sed clarius adhuc Reſpondeo dicendum. Si maleficiatus ſit tantum in partibus ad vſum matrimonij deſeruientibus, tunc non eſt Irregularis, & ideo licitè poteſt Ordinari. Si autem fuerit in aliis membris maleficiatus, tunc non poterit Ordinari. Sic ex D. Thoma, & Silueſtro *verb. Maleficium*, docet ad longum, Maiolus *lib. de Irregularit. cap.17. n.6.* & Viualdus *num. mihi 286. pag.224.*

QVÆSTIO XIX.

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex defectibus animæ, ſuprà enumeratis.

RESpondeo: Quod ſolus Pontifex, cum ille ſolus ſit ſupra ius commune. Sic. Nauarr. *c.27.n.203.* Villad. apud ipſum, Viuald. *de irregularit. n.*188. & omnes communiter. Et conſtat ex dictis.

DISPVTATIO II.

De Irregularitate ex defectu corporis proueniente.

QVÆSTIO PRIMA.

An defectus corporalis, ſeu vitium corporis inducat irregularitatem.

RESPONDEO tanquam certum: inducere. Quia id conſtat ex multis iuribus, quæ videri poſſunt *diſt.55. & in tit. de corpore vitiatis, & tit. de Clerico ægrotan. miniſtran.* & cap. *Maritum, & cap. communiter, diſt.33.* Sic omnes DD. legantur præcipuè DD. Thom. *in Addit. q.39. art.5.* Scholaſtici *in 4. diſt.25.* vbi Sotus, Ricard. & Palud. Nauar. *cap.27. à n.198.* Henriquez *lib.14. c.8.* Suarez *diſp.51. ſect.2.* Viuald. *de Irregul. à n.129. in antiquis.* Filliuc. *tract.19. c.6* Bonac *de irregularit. q.2. punct.2.* Palaus *de Cenſur. diſp.1. punct.11.* Pellizzarius *tom.2. tract.7. cap.5. ſect.2. à n.50.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An omne vitium corporis inducat irregularitatem.

RESpondeo: Quod non, ſed ſolum illud, quod affert publicam deformitatem, aut notabilem gignit horrorem, aut impedit decentem vſum, & exercitium Ordinis. Sic colligitur ex Iurib. citatis. Et certè idem dictat ratio naturalis. Et ideo id docent pro regula generali omnes Doctores; legantur citati. Et Auila *p.7. diſp.3. à dub.1.* Ægidius *diſp.18. dub.13.* Reginald. *lib.30. à n.46.* Hurt. *diſp.2. diff.14.* Machado *lib.1. p.3. docum.6.* Villalob. *tract.21. diff.23.* & alij.

QVÆSTIO III.

An omninò cæcus ſit irregularis omnino.

RESpondeo tanquam certum: Eſſe omninò irregularem. Quia cæcitas omnino impedit decentem vſum Ordinis, & præcipuè celebrationis Miſſæ. Sic Viuald. *de Irregul. n.*138. his verbis: Cæcus abundè ſatis eſſet, qui cæcum à natiuitate, vel infirmitate, caſúve factum, irregularem non indicaret: eſt enim omnino Canon. *Apoſt.76. & 77.* & textus *in c. Hinc etenim. §. Cæcus, 49. diſt.* & omnes. Sic Viuald. Henriq. *lib.14 c.8. n.1. & 2.* Maiol. *lib.1. c.29.* Nauar. *conſil.6. & 7. de Corp. vitiat.* Suarez. *diſp.51. ſect.2. n.13.* Filliuc. *tract.19. c.6. q.5.* Palaus *diſp.6. punct.11. n.3.* Gibalinus *cap.3. de Irregul. q.2. conſectar.1.* & Pellizzarius *loc. cit. q.12. n.57.*

QVÆSTIO IV.

An etiam ſit irregularis cæcus ille, qui licèt nihil videat, habet oculos integros, & claros.

RESpondeo tanquam certum, Etiam eſſe irregularem: Quia talis adhuc nequit celebrare abſolutè, aut ſaltem ſine periculo, & ſcandalo. Sic omnes. Qui id colligunt ex textu *in cap. fin. diſt.55.* legantur Henriquez *loc. cit. n.2.* Filliuc. *q.5. cit. num.168.* Et alij omnes, præcipue nuper citati.

QVÆSTIO V.

An adhuc ſit Irregularis Sacerdos, cui iam Sacerdotio initiato ſuperuenit cæcitas.

RESpondeo tanquam certum: Adhuc eſſe irregularem quoad celebrationem, ad minus, Miſſatum. Quia ſic conuincitur ex textu, & ratione nuper adductis. Sic D. Thom. *3. p. q.82. art.10. ad 3.* Sotus *diſt.13. q.1.* Silueſt. Maiol. Tabiena, Aſtenſ. & Nauar. quos affert, & ſequitur Henriquez *lib.14. cap.8. n.2. litt. I.* Filliuc. Viuald. & alij citati. Gibalinus *cap.3. q.2. conſectar.1.* & communis.

QVÆSTIO VI.

An ſaltem ex diſpenſatione Papæ poſſit ſacerdos cæcus celebrare Miſſam.

RESpondeo: Poſſe, caſu ſolum, quo alius Sacerdos, aut alius vir expertus, adſit ipſi cæco celebranti. Quia ita fatetur Sotus *in 4. diſt.13. q.1. fine,* ſe vidiſſe cæcum à Papa diſpenſatum. Quod idem ait Henriquez *cap.8. cit. n.2. litt. M.* affirmans, ſe vidiſſe quoſdam diſpenſatos, &c. legantur dicta à nobis *p.2. tract.7. de Euchariſt. diſp.8. q.64.* legatur Gibalinus, *loco nuper cit.* verſu *Primo,* & Pellizzarius *q.12. n.57.*

QVÆSTIO VII.

An Monoculus, ſeu qui vnum tantùm habet oculum, ſit Irregularis.

RESpondeo tanquam certum: Eſſe irregularem. Quia ita habetur *in c. Si Euangelica, diſt.55.* (non 50. vt ſcriptum inuenies apud Auilam & Dianam) his verbis. *Nam illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum Canones, Sacerdotij iura concedi. Nec enim aliquid ei prodeſt, quod oculum inuitus amiſit, cum nec volens quiſquam oculum amiſiſſe credendus eſt, nec Sacratiſſimos Canones aliquem caſum in amiſſione oculi, qui ad Sacerdotium adipiſcendum non impediret, ſuis excepiſſe regulis inuenimus: ſed hoc tantùmodo ad prohibitionem ſuffeciſſe videmus Patribus, vt qui careret oculo, Sacerdotij officium adipiſci non poſſet.* Sic Gelaſius Papa. Et ſic Gloſſ. ibid. Henriq. *lib.14. c.8. n.2.* Auila *p.7. diſp.3. dub.1.* ex Silueſtr. verb. *corpore vitiatus, q.6.* Viuald. *n.139.* & penes illum, Archid. Roſella, Tabiena, Armilla, Maiol. & Nauarr. Tenet etiam Diana *p.5. tract.6. reſol.22.* & alij.

QVÆSTIO VIII.

An etiam ſit Irregularis ille, qui habens vtrumque oculum integrum, caret viſu oculi dextri.

AFfirmare videtur Viuald. *de Irregul. n.*141. cùm in hoc caſu etiam requirat diſpenſationem, &

& ante illum Gloſſ. *in c.2.de verb. ſignif. in 6.* & alij quæſt.ſequenti citandi.

Sed Reſpondeo vt certum: Non eſſe irregularem. Quia huiuſmodi defectus non impedit decentem vſum Ordinis, nec inducit notabilem horrorem, aut deformitatem. Sic communiter omnes. Nauar.*cap.27. n.199.* Henriq *lib.14.c.8. n.2.* Auila *p.7.diſp.3. dub.1.* verſ. *Hinc ſequitur primo* Filliuc.*tract.19. c.6.quæſt.5. dict.1.n.168.* Bonac *q.2.de Irregular.punct.2.n.1.* Molin. Vgolin. Tolet. & Reginald. apud ipſum. Diana *p.9. tract.6.reſ.21.* Palaus *de Cenſur.diſp.6. punct.12.n.3.* Villalob.*tract.21.diff.35.n.14.* Gibalinus *c.3. q.2. conſectar.1.*verſ.*Tertio.* Pellizzarius *tom.2. tract.7.cap 5. ſect.2.q.12.n.58.*

QVÆSTIO IX.

An ſaltem ſit Irregularis, qui ſiniſtro oculo (qui dicitur, oculus Canonis, *) non videt.*

AFfirmat Henriquez *lib.14 cap.8.n.2.* dicens ſic: Monoculus eſt irregularis: quamuis verò vterque oculus ſit clarus, ſi ſiniſtro, qui dicitur *Canonis*, non videt, eſt irregularis; ſecus ſi eo videt, ſed non dextro oculo. Ita ibi. Addit tamen in Gloſſa *lit. X.* quod ſi oculo ſit debilis, dummodo videat librum, & lineas, non ſit irregularis, quamuis characteres non legat; aliàs qui eget ſpecillis ad legendum eſſet irregularis. Tenet etiam hanc partem Toletus *lib 1.cap. mihi 63.n.5.*verſ. *Hi omnes.* Vbi docet, quod prædictus ex ſtylo Curiæ indiget diſpenſatione; quia deforme eſſet (ait) totum caput conuertere ad legendum. Toleto adhæret Filliuc. *loc cit.* & Suar. *diſp.51. ſect.1.n.16.*

Alij etiam affirmant, prædictum eſſe irregularem, niſi alias oculo dextro tanta viſiua potentia polleret, vt eius ope, ſine deformi faciei conuerſione, Canonem legere poſſet. Ita in primis Nauarr.*cap.27.n.199.* verſ. *Quarto dico.* His verbis: Quamuis monoculus ſit irregularis *d.c.Si Euangelia*, non tamen qui caret viſu oculi dextri, qui aliis videtur ſanus, & ſiniſtro, quantum ſatis eſt ad benè celebrandum, cernit: licèt Gloſſa *in cap. 2. de verb. ſignif. lib. 6.* idem de carente oculo, & de carente eius viſu, videatur cenſuiſſe, etiamſi integer appareat, ſecũdùm Alexand. in *c. Hinc etiam, 49. diſt.* & Vvendel. *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. col.18.* Quod teneri poteſt de oculo ſiniſtro, quem Stylus Romanus *oculum Canonis* appellat, cum eſt neceſſe videre eo, vt Canonem Miſſæ ſine indecora, & nimia faciei ad populum conuerſione, legere poſſet: aliàs ſecus. Quod nuper conſuluimus ei, qui viſu dextri oculi tantum valebat, vt ſine tali conuerſione legere poſſet: magis enim deformitas, quàm defectus viſus videtur in hoc expenſus, & ideo *cap. Si Euangelia*, diſponens de carentia oculi, quæ grauem inducit deformitatem, non eſt extendendum ad carentiam viſus, quæ eam non facit. argum. *l. Odia, de Regul. Iur in 6.* Hucuſque meus Nauarrus. Quem ſequuntur Auila, Bonac. & Diana *loco citato*, Pellizzarius *loc.cit. num.58.* & Bauny, *tractat. 11. de Cenſur. quæſt.56. aſſert.4. in fine*, & penes ipſum Layman. & communis.

Sed clariùs Reſpondeo: Non manere irregularem, ob ſolum defectum viſus ſiniſtri oculi, ſi aliàs dextro rectè videat. Quia iſto ſolo, abſque deformitate legere poteſt Canonem Miſſæ: cum illa vitari poſſit, vel peculiari Canone, extra Miſſale coram ſe poſito, vt notat Filliuc. *loco cit.* vel Miſſali ita aptato, vt dextro oculo abſque oris conuerſione legere facilè poſſit, vt addit ipſemet Filliuc. Auila, & Diana *loc. cit.* ergo. Legatur Gibalin.*c.3.q.2.conſectar.4.*

QVÆSTIO X.

An ſit Irregularis qui nubem aliquam, vel maculam habet in oculo.

AFfirmant, eſſe Irregularem, caſu quo macula, ſeu nubis foris appareat: ſecus verò ſi primo intuitu non appareat, niſi inſpicienti ſubtiliter. Henriquez *lib.14 cap.8.num.2.* & Filliucius *tract. 19. cap.6.quæſt.5.dicto 1.num.168.* Viuald. mox citandus, & alij.

Sed clariùs Reſpondeo dicendum, quod ſit irregularis, ſi macula, vel nubis, quam habet in oculo, cauſet notabilem deformitatem, ſecus verò ſi leuem, quantumuis primo intuitu appareat. Conſtat *ex cap. Cum de tua, de corp.vitiatis non ordin.* Vbi in eius titulo dicitur, quod *habens in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem, etiam ad Epiſcopatum promoueri poſſit.* Sic Nauar.*c.27.num.199.* Innoc. Bern. Abb. Vincent. Raym. Gloſſa, Scal. Card. & Maiol. quos refert Viuald. *de Irregular.n.142.* Auila *p.7 diſp 1.dub.1.* verſ. *ſequitur ſecundo*, & penes illum Silueſt. Sotus, Couarr. & Menochius, Bonac. *quæſt.2. de Irregularit. punct.2.n.3.*

Aduerte tamen ex Henriquez, & aliis, quod ſolus Papa diſpenſare poteſt cum eo, qui habet inſignem maculam in oculo, etiamſi profeſſus ſit. Si tamen dubium ſit, an macula ſit digna diſpenſatione Pontificis, Archiepiſcopus cum conſilio ſuffraganeorum iudicare debet, vt conſtat ex *d cap. Cum de tua* Legatur Bauny *tract.11.q.56 pag.530.* & Suar. *diſp. 51. ſect.2.* vbi aduertit, non eſſe neceſſarium ad prædicta conſilium Suffraganeorum.

QVÆSTIO XI.

An ſint Irregulares Lippi, hoc eſt, qui lachrymantes oculos continuò habent.

AFfirmandum abſolutè videtur: eo quòd *Leuit. 22.* & D. Clemens *lib. 2. conſtitut. Apoſtolic. c.3.* vetant, eligere hos ad Sacerdotium.

Sed iuxta dicta Reſpondeo dicendum: Nullo modo eſſe irregulares, niſi alias horrorem notabilem inſpicientibus afferant. Quis autem horror iudicandus ſit notabilis, vel non, Epiſcopi arbitrio relinquitur, vt conſtat ex *cap. Cum de tua, cit.* Sic Henriq. *lib 14. c.8. num. 2.* vbi ita habet: Si oculos habet prominentes, non eſt irregularis: nec ſi valdè lippus ſit, aut ſine palpebris, niſi horrorem inſpicientibus afferat, abſque ſubtili inſpectione. Sic Henriquez. Et penes illum *lib. 6.* Maiol. Aſtenſ. Roſela, & Silueſt. Viuald. *num.143.in antiquis*, & apud illum Nauar. *cap.27. numer.199.* Gloſſa, Epiſcop. Scalenſ. Filliucius *c.6. citato num.168* & alij.

QVÆSTIO XII.

An habens oculos ſine palpebris, ſit Irregularis.

REſpondeo ex nuper dictis: Non eſſe, niſi aliàs magnum inſpicientibus horrorem afferat. Sic Henriquez, cuius verba habes quæſtione antecedenti.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIII.

An ſit Irregularis, qui habet vnum oculum grandiorem altero.

NEgant abſolutè Gloſſa *in cap. Cum de tua. De corpor. vitiat. verb. Viſum fuerit, ibi.* Item pone, quod habeat vnum oculum maiorem alio, nunquid remouebitur propter hoc? videtur quod non, *ff. de adil. edicto, l. Qui laicum, §. 1.* Hæc Gloſſa.

Sed clarius Reſpondeo: Eſſe irregularem, ſi magnam generet deformitatem: ſecus verò, ſi leuem, aut paruam. Sic Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 2.* vbi aduertit, pertinere ad Epiſcopum diiudicare, an deformitas ſit notabilis, & inducat irregularitatem, niſi aliàs ſit Regularis, quia tunc (inquit) pertinet ad proprium Prælatum de hoc iudicare, vt docent apud ipſum *lit. A.* Silueſt. Angel. & Felician. quibus addo Suar. *diſp. 51. ſect. 3. n. 16.* Sed hoc vltimum eſt contra Nauarr. *c. 27. n. 200. verb. Sextò dico*, vbi ita ait: Quis autem defectus, aut deformitas ſit talis (*hoc eſt notabilis*) determinabit Epiſcopus iuxta Innocent. in *c. 1. de Corp. vitiat. per c. 2. eiuſdem tituli*, receptum per Card. & Anton. & non Confeſſarius, neque alius Prælatus eius, qui eſt Ordinandus, quamuis ſit Religioſus. Sic ille. Imò & ipſemet Henriquez eodem *cap. 8. num. 1. lit. L.* hoc ipſum docet. Legatur Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 73.* Tenent etiam noſtram ſententiam Bonacina *quaſt. 2. punct. 2. n. 4.*

QVÆSTIO XIV.

An ſit Irregularis, qui luſcus eſt, vel ſtrabo, id eſt qui habet oculos diſtortos aut diſpares.

REſpondeo iuxta dicta: Eſſe irregularem, ſi oculos habeat nimis diſtortos, ita vt magnam deformitatem inducat: ſecus aliàs. De quo iudicium facere pertinet ad Epiſcopum, vel ad Prælatum Regularem, ſi qui Ordinandus eſt, ſit Religioſus, iuxta Doctores nuper citatos. Quamuis, vt benè Suarez *loc. cit.* ſemper erit liberum Epiſcopo, qui daturus eſt Ordines, admittere, vel reiicere tale Prælati iudicium, ſeu arbitrium. Sic Henriq. *lib. 14. cap. 8. n. 2.* Filliuc. *tract. 19. cap. 6. q. 5. n. 168.*

QVÆSTIO XV.

An omnino Surdus ſit Irregularis.

NEgare videtur Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 3.* vbi expreſsè, abſolutèque ait, quod ſurdus non eſt irregularis, licèt non ſit eligendus in Pontificem: quamuis permanere debeat, ſi eligatur. Ita *num. 3. lit. Z.* Henrico fauent ſatis Bauny *tract. 15. de Cenſur. q. 76. verſ. Primum dubium*, & Nauarr. vbi infra, quatenus docet id (etſi cum difficultate) poſſe iore defendi.

Sed vt mihi certum, Reſpondeo: Eſſe irregularem, & conſequenter, non poſſe promoueri ad Sacerdotiũ. Quia talis celebrare nõ poteſt, abſque occaſione riſus, & ludibrij, ſi nimirum recitet *Pſalm. Iudica me*, &c. non expectato fine Miniſtri, vel diù poſtquam ille abſoluit; vel vocem eleuat altiorem ſolito, &c. Sic Viuald. *de Irregul. n. 156. in antiquis*, per hæc verba: Surdus omnino, id eſt, qui ſenſu caret auditus, minimè eſt ad Clericatum admittendus, text. *in can. 76. Apoſtol.* Speculat. *tit. de arbitr. §. Poteſt, n. 3.* Hæc Viuald. Filliucius *tract. 19. c. 6. q. 5. n. 176.* ex Maiolo *lib. 1. c. 15. n. 1.* Bonac. *q. 2. punct. 2. n. 7.* Nauarr. *lib. 1. conſil. 7. & 8. de corpore vitiat. edit. 2.* Sayrus *lib. 6. c. 8. n. 17* Layman. *lib. 1. tract 5. p. 5. c. 7. n. 1.* Palaus *diſp. 6. punct. 11. n. 3.* Diana *p. 5. tract 6. reſol. 22.* & Gibalinus *cap 3 quaſt. 2. conſectar. 3* Pellizzarius *ſect. 2. cit. quaſt. 13. num. 59.* & alij.

QVÆSTIO XVI.

An etiam ſit Irregularis Surdaſter, hoc eſt, qui difficulter audit, aut vna aure tantum ſurdus eſt.

AFfirmat, apud Bauny, Comitolus *Reſponſ. lib. 6. q. 55.* eo quod ex iure *can. Priſcis, 1. diſt. 13.* nullus corpore vitiatus poteſt promoueri ad officium Clericale. Sed ſurdaſter eſt vitiatus corpore, ſurdaſtritas enim vitium eſt auditus, ſeu aurium, quæ ad corporis integritatem cum pertineant, his laborans, dici iure poteſt vitiatus corpore: ergo ſurdaſter nequit ad Clericale officium promoueri.

Sed vt mihi certum, Reſpondeo, Non eſſe irregularem. *Primò.* Quia in toto volumine Canonum non reperitur, quod huiuſmodi vitium auditus, ſeu aurium, inducat irregularitatem. *Secundò.* Quia ſurdaſter abſolutè celebrare poteſt, vitando omnem occaſionem ludibrij, & riſus: ergo. Sic expreſsè Nauarr. Maiol. Bonac. Viuald. Diana, Bauny, Gibalinus, Pellizzarius, & alij *loc. cit.*

Nec obſtat ratio Comitoli, illi namque reſpondetur ex Bauny, ſurdaſtritatem non eſſe de eorum vitiorum genere, quæ à ſacris Ordinibus arceant, cum ad diuina celebranda officia eum, quem afficit, non reddat abſolutè inhabilem, nec indecorum miniſtrum, ſed ſecundùm quid.

QVÆSTIO XVII.

An ſi poſt ſacerdotium obtentum Surdus quis fiat, poſſit exercere munia Sacerdotis.

REſpondeo: Poſſe exercere omnia Sacerdotij munera, ad quæ auditus non eſt neceſſarius. Ideoque poterit Miſſam, ſubmiſſa voce dicere, ac ſecundum aliquos, ſine miniſtro celebrare, vt ex Nauarro, & Laymanio docet Bauny *loc. cit.* Poterit etiam baptizare, ægros vngere, prædicare, &c. Non tamen Confeſſiones audire. Sic Bauny *quaſt. 56. cit. col. 9. pag. 531.* Viuald. *num. 157.* Bonac. *punct. 2. cit. n. 7.* Gibalinus *c. 3. quaſt. 2. conſectar. 3. pag. 50.* lege Caſtrum Palaum *diſp. 6. punct. 11. num. 3.* & Pellizzarium *loc. cit. num. 59.*

QVÆSTIÒ XVIII.

An carens auriculis, hoc eſt, externa illa cartilagine, qua capiti adhæret, ſit Irregularis.

NEgat abſolutè Henriquez *lib. 14. cap 3. num. 3.* Quia auricula, ſeu cartilago exterior, non eſt membrum, ſed ſolum ſeruit ad ornatum: ergo.

Sed probabilius multò Reſpondeo: Eſſe irregularem ob deformitatem, (ſaltem caſu, quo dictam deformitatem celare nequeat, de quo ſtatim.) Quia carentia auricularum magnam profectò, & publicam adducit deformitatem: ergo. Sic Nauarr. *in man. cap. 27. num. mihi 223.* verſu *Septimo infertur.* Vbi ita ait: Monemus autem, quod licèt auris, ſiue cartilago illa ſenſum auditus exornans, non videatur

eſſe

eſſe membrum, eius tamen carentia videtur inducere irregularitatem, ob deformitatem, quam in parte magis edita, & publica inducit. Sic ille ibi, & *lib. 1. conſil. concl. 5. de corp. vitiat. in 2. edit.* Bonac. Auila, Ægid. Palaus, Layman & alij mox citandi. Ex quo patet ad fundamentum Henrici. Nam dicendum eſt, non eſſe irregularem ob defectum alicuius membri, ſed ob deformitatem, quam carentia auricularum cauſat.

Qvæstio XIX.

An carens dictis auriculis, ſit adhuc irregularis, caſu quo poſſit talem deformitatem crinibus ita tegere, vt non appareat.

Affirmat Nauar. locis citatis; & affirmare debent omnes, qui affirmant, auriculam, ſeu cartilaginem, verè eſſe membrum, & ita inter membra computari. Sunt autem Maiolus ex Gloſſa *in cap. ſingula, 89. diſt.* Caiet. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. Sotus *lib. 5. de Iuſt. q.* 2. *art.* 1. quos citat, & ſequitur Viuald *n.* 158 *in antiquis.* Et licet hæc ſententia ſit probabiliſſima,

Sed probabiliùs certè Reſpondeo: In aſſignato caſu non eſſe irregularem. *Primò.* Quia probabilius certè eſt, quod auricula non ſit membrum, vt fatetur ipſemet Nauar. *loco nuper citato*, Couar. 3. *p. in princ. n.* 8. & alij Recent. quos ſequitur Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *num.* 3. *lit. T.* ergo eius defectus non inducet irregularitatem, abſolutè loquendo.

Secundò. Quia quando crinibus, aut alia via ita tegitur defectus aurium, vt minimè appareat, verè ceſſat deformitas: ergo & irregularitas, quam inducebat. Sic Henriq. à fortiori *loc. cit.* Auila *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 1. *verſ. ſequitur ſecundo.* Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 13. *n.* 108. Bonac. *de Irregularit. q.* 2. *punct.* 2. *n.* 8. qui & citat Filliucium *n.* 169. (ſed malè, quia ibi nil de hac re ſcribit.) Diana *p.* 4 *tract.* 2. *reſol.* 73 *in fine.* Palaus *diſp.* 6. *punct.* 11. *n.* 3. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 1. Baſſæus *verb. Irregularitas* 2. *n.* 5. & alij.

Qvæstio XX.

An maneat irregularis, qui in pœnam culpæ priuatus fuit auricula.

Negatiuam partem adhuc eſſe probabiliorē, haud obſcurè denotat Henriq. *lib.* 14. *c* 8. *num.* 3. *lit. A.* per hæc verba: Facta autem hac limitatione, ob infamiam, probabile eſt quod ait Nauar. *n.* 222. (*mihi* 223.) §. 7. eſſe irregularem. Et Maiol. *c.* 25. *n.* 5. quod explicat *n.* 6. ſi in pœnam fiet infamis. Hæc ille.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Manere irregularem, propter infamiam. Sic Viuald. *n.* 159. *in antiquis*, ita dicens: Fortiori longè ratione, ille erit ab Ordinibus repellendus, cui auriculæ pars aliqua, etiam minima in iudicio fuerit, ob delictum, amputata. Quemadmodum in Hiſpania latrones, qui ob furtum primùm flagellantur publicè. Si autem in eodem, vel alio furto ſunt deprehenſi, flagellantur iterum, auriculæque partes illæ teneræ inferiores amputantur. Tertiò verò delinquentes furca plectuntur. Sic Viuald. Et à fortiori Nauar. & Maiol. *loc. cit.*

Qvæstio XXI.

An qui per ſeipſum auriculam totam, vel partem amputauit, etiam ſit irregularis.

Reſpondeo: Etiam irregularem eſſe, ob deformitatem. Quia etiam modica deformitas ex culpa propria incurſa irregularitatem generat. Conſtat ex *c.* 1. *de corpore vitiatis.* Vbi Sacerdos quidam qui cum alio, ſingulari congreſſus certamine, digiti partem amiſerat, poſt peractam pœnitentiam, facultatem ab Epiſcopo recepit in ſuo ordine miniſtrandi; cum tamen hæc amiſſa pars tanta non eſſet, quo ſine ſcandalo celebrare poſſet: ergo idem eſt dicendum omnino de noſtro caſu. Sic Nauar. *c.* 27. *n.* 298. his verbis. Secundò dico, quod etiam defectum partis membri, quam ipſe per indignationem abſcidit, eam inducit, cap. *Qui partem*, 55. *diſt.* Quamuis facultatem naturalem bene celebrandi non adimat, ſi eſt notorium, quod per indignationem, & impatientiam fecit, & aliàs non, iuxta Anton. & Card. in cap. *fin. de corpore vitiat.* quamquam de eo Villadiego dubitet, vbi ſupr. *col.* 38. & poſſunt conciliari dicendo, quod non eſt irregularis ob defectum membri, ſed ob notorietatem peccati, quod abſcindendo commiſit, *d. c. fin.* Hucuſque Doctiſſimus vir. Cuius ſententiam tenent etiam Viuald. *n.* 158 Bauny *tract.* 11. *q.* 56. *aſſert.* 3. & 5. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 12. *n.* 1. & alij.

Qvæstio XXII.

An item ſit irregularis ille, à quo per vim, aut inimicorum inſidias, præciſa ſunt auriculæ.

Reſpondeo: Minimè eſſe irregularem; ſed rectè ad Ordines promoueri poſſe. Conſtat ex iure cap. *Qui partem*, cap. *lator, diſt.* 55. *cap. fin. de corp. vitiat.* & alibi. Et probatur à ſimili: nam caſtratus per vim, non eſt irregularis, vt infra dicemus: ergo nec ille, qui per vim priuatus eſt auribus. Sic Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 3. ex Maiolo *c.* 25. *n.* 5 Viualdus *n.* 160. & alij, qui idem dicunt de illo, qui fortuitò infirmitate, aut alia cauſa, ſine peccato auribus eſt orbatus.

Qvæstio XXIII.

An qui alterum auricula priuat, fiat irregularis.

Negat Henriquez *lib.* 14 *cap.* 8. *n.* 3. & penes illum Couar. 3. *p. in princ.* & Nauar. *conſil.* 75. *de ſent. excomm. lib.* 5. Quia (inquit) qui alterum auricula priuat, non eſt mutilator.

Affirmant contrà alij dicentes, eſſe irregularem. Ita Nauar. *in Man. cap.* 17. *n.* 206. & 216. §. 2. Maiolus *cap.* 90. *n.* 5. & alij.

Sed ex his ſententiis mihi probabilior eſt prima, quam infra *diſp.* 17 *q.* 7. probabimus.

Qvæstio XXIV.

An mutus à natiuitate, vel aliquo caſu factus, ſit omnino irregularis.

Reſpondeo vt certum: Eſſe omnino. Quia Sacerdos mutus, ſiue quia caret lingua, ſiue quia vſum linguæ perdidit, minimè poteſt baptizare, abſoluere, conſecrare, &c. ergo omnino eſt irregularis. Sic ex Canone 76. *Apoſtol.* tenent omnes. Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 2. *in fine.* Sotus *in* 4. *diſt.* 13 *art. fin. ad* 3. Maiol. *lib.* 1. *de Irregul. c.* 26. *n.* 2. Viuald. *de Irregular. n.* 162. Diana *p.* 5. *tract.* 6. *Reſolut.* 22. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *q.* 5. *n.* 170. Gibalin. *c.* 3. *q.* 2. *conſectar.* 3. & Pellizzarius *tom.* 2. *tractat.* 7. *c.* 5. *ſect.* 2. *q.* 14. *n.* 61. Addens ex Diana, eſſe probabile, quod ſtante neceſſitate, & abſentia Sacerdotis idonei, poſſit Sacerdos mutus adminiſtrare Euchariſtiam ab alio præconſecratam.

Qvæstio XXV.

An balbi è numero quorum erat, Demoſthenes, aut blæſi, vt Moſes erat, ſint irregulares.

NEgat abſolutè Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 2. licèt in fine ſuum dictum temperare videatur. Vnde.

Clarius Reſpondeo, Minimè eſſe irregulares balbos, aut blæſos, hoc eſt illos, qui impeditioris ſunt linguæ: niſi aliàs notabilem difficultatem in loquendo habeant, itavt vix verba explicare queant. Sic S. Th. 3. *p. q.* 8 *r. art.* 10. *ad* 3. Tabiena *verb. corpor. vitiat. n.* 2. Graffius *lib.* 3. *c.* 27. *n.* 50. Vgolin. *de Irregul. c.* 46. *§ n.* 3. *&* 4. Sayrus *lib* 6. *c.* 8. *n.* 17. *&* 21. Filliuc. Maiol. & Diana *loc. nuper citat.* Tolet. *lib.* 1. *c. mihi* 63. *n.* 4. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 35. *n.* 10. Bonac. *punct.* 2. *& cit. n.* 6. & Pellizzarius *loc. cit.*

Qvæstio XXVI.

An ille ſit irregularis, cui pars linguæ amputata eſt; tamen habet loquelam.

NEgat Ioan. de Anan. in cap. *Expoſuiſti. De corp. vitiat.*

Sed clarius Reſpondeo: Non eſſe quidem irregularem, dummodo non ſit talis loquelæ, quæ exciret notabilem deformitatem, riſum, aut abominationem, quia tunc verè permaneret irregularis. Sic Toletus *loc. cit. c.* 63. *n.* 4. *fine.*

Qvæstio XXVII.

An habens labia corroſa penitus, vel abſciſſa, ſit irregularis.

NEgare videtur Viuald. *de Irregul. n.* 163. vbi dicit, quod rarò, aut nunquam continget, aliquem ob labiorum defectum, eſſe ab Ordinibus repellendum. Sunt enim rariſſimi, vel nulli labiorum defectus. Ita ille.

Sed, vt certum Reſpondeo dicendum, eſſe omnino irregularem illum, qui habet labia penitus corroſa, vel abſciſſa, quia magnum cauſat horrorem, aut ſcandalum, ob deformitatem qua laborat. Sic Maiol. *lib.* 1. *c.* 21. vbi dicit, illum eſſe irregularem, qui ob labia corroſa, cibum ore vix continere poteſt. Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 3. Bonac. *de Irregul. q.* 2. *punct.* 2. *n* 6. Filliuc. *tract.* 29. *c.* 6. *q.* 5. *n.* 171. Bauny *tract.* 11 *q.* 56. *aſſert.* 3. *verſ. Patet tertiò.*

Qvæstio XXVIII.

An habens os diſtortum, ſit irregularis.

NEgandum videtur, eo quod oris diſtorſio nequaquam impedit vſum Ordinis ſuſcepti, aut ſuſceptionem non habiti: ergo non parit hic defectus irregularitatem.

Sed diſtinctione Reſpondeo dicendum, quod verè ſit irregularis, qui habet os diſtortum valdè, itavt magnam pariat in facie deformitatem: ſecus verò ſi paruam. (De quo iudicare debet Epiſcopus.) Ratio eſt, quia huiuſmodi defectus, quando notabilis eſt, verè tollit faciei, ac vultus claritatem: at hic defectus irregularitatem parit, vt docet D. Thom. *diſt.* 52. *quaſt.* 1. & ex illo Bauny *quaſt.* 56. *citat. Aſſert.* 3. *in fine:* ergo. Sic hic Auctor *loc. cit. Aſſert.* 5. Et antea Maiol. *cap.* 21. *num.* 1. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *q.* 5. *dicto* 4. *n.* 171. & Gibalin. *c.* 3. *q.* 2. *conſectar.* 2.

Nec obeſt ratio dubitandi, nam reſpondendum eſt, quod licèt dictus defectus non impediat exercitium Ordinis; tollit tamen claritatem faciei, quod ſatis eſt ab inducendam irregularitatem.

Qvæstio XXIX.

An carens omnino dentibus ſit Irregularis.

REſpondeo: Non eſſe. Quia priuatio dentium nec impedit vſum Ordinis, nec inducit notabilem deformitatem: ergo nec irregularitatem. Sic Maiolus *lib.* 1. *de Irregul cap.* 24. Archid *in cap. Maritum, diſt.* 33. Tabiena, & Roſella; quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 2. *litt. S.* Sayrus *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 16. Vgolin. *de Irregularit cap* 69. Filliuc *loc. cit.* Viuald. *de Irregularit. num.* 154. Bonac. *de Irregularit quaſt.* 2 *punct* 2. *num.* 6. Bauny *loc. cit. Aſſert.* 9. *pag.* 530. *col.* 2. Gibalin. *cap.* 3. *quaſt.* 2. *conſectar.* 2. & communis.

Qvæstio XXX.

An prominentia dentium extra os Irregularitatem inducat.

REſpondeo: Inducere. Quia magnam profectò parit deformitatem in facie. Sic Maiol. *loc. cit.* Vgolin. *cap.* 10 *num.* 3. Bonac. & Bauny *loc. cit.* Qui addunt, licitè ſibi quemque poſſe dictos prominentes dentes reſcindere, ſi inde nullum periculum immineat vitæ; quo caſu dato, iam irregularitas ceſſabit. Sic etiam Gibalinus *loc. cit.*

Qvæstio XXXI.

An maneat irregularis, qui ſibi furore iracundia, dentes extraxit.

NEgat Narbona mox citandus ex Bonac Viualdo, & Barboſa. Sed clarius. Reſpondeo, Manere, ſi cum notoria culpa id fecerit: aliàs non. Sic Viuald. *tract. de Irregul. num.* 156. his verbis: Nihilominus tamen, ſi auulſio dentis, etiam ex indignatione, occulta ſit, etiamſi defectus ſit manifeſtus, non impedit illum ab Ordinibus, ſecundum Abbat. in cap. *Ex parte, circa med. de corp. vitiat. q.* 4. quem refert & ſequitur Maiol. *lib.* 1. *c.* 24. Ita Viuald. Quod certè, & non aliud, ſentit Nauarr. *cap.* 27. *n.* 198. *verſ.* 2. vt conſtat ex eiuſdem verbi *relat. ſup. q.* 21. Sic etiam Henriq. *lib.* 24. *c.* 8. *n.* 2. illis verbis: Non facit dentium defectus, niſi per indignationem, cum notoria culpa ſibi euulſerit. Ita ille. Et penes ipſum *litt. T.* Specnlat. Archid. Tabiena, & Roſella.

Qvæstio XXXII.

An qui pugno euulſit dentes alterius, ſit irregularis.

NEgat expreſsè Victoria *in Sum. vbi de Sacram. Ordin. §. mihi* 239. per hæc verba: Qui autem pugno extrahit dentem, non dicitur mutilator, ac proinde nec eſt irregularis: quia pœnæ iuris ſunt reſtringendæ, non ampliandæ. Hæc Victoria. Quem citat, & ſequitur Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 2. *in marg. litt. S.* Ita etiam Narbona *de ætate ad human. actus requiſita, ann. in c.* 13. *n.* 16. Gibalin. *c.* 3. *quaſt.* 2. *conſectar.*

conſectar. 2. Et debent hanc ſententiam amplecti omnes qui dicunt, dentes non eſſe membrum hominis principale, ſed ſolum ſerui oris: ſunt autem Innocent. Bartholom. Socin. quos citat, & ſequitur Viuald. *num.* 554. Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *num.* 1. *litt. A.* Couarr. *in Clement. Si furioſus, in princip. n.* 8. Nauarr. *c.* 27. *n.* 206. Bauny mox citandus, & communis.

Affirmant verò alij, qui contrà exiſtimant, nomine membri in homine, etiam venire dentes, digitos, &c. Quia in hac materia, inquiunt, membrum dicitur omnis pars corporis, quæ ſpecialem aliquam operationem habet cum membro principali. Sic ſentire debent Sotus, Caiet. & Suarez apud Bauny *tract.* 11. *quaſt.* 25.

Sed ego Reſpondeo dicendum, hanc ſententiam eſſe probabilem, ſed primam vti tutiorem, & probabiliorem eſſe ſequendam, vt infrà *diſput.* 17. latiùs dicemus.

QVÆSTIO XXXIII.

An ille qui naturaliter (aut alias) caret omnino, vel ex parte, naſo, ſit irregularis.

RESpondeo vt certum, Eſſe irregularem. Quia caret membro venuſtiſſimo, ex cuius carentia oritur in homine deformitas maxima, & ſcandalum, & inde conſequenter irregularitas. Non tamen eſt difficile huic irregularitati occurri alio naſo refecto ex carne, vel alia materia carnis colore. Sic omnes. Legantur text. *in cap. penult. & fin. de corpore vitiat.* Abbas, & Villadiego cum Nauarro *c.* 27. *n.* 200. *verſ. Sextò.* Hoſtienſ. etiam, Raymond. Goffred. & Innoc. quos ſequitur Sum. Confeſſ. *lib.* 3. *tit.* 18. *in fine.* S. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 2. Sotus *ibid. quaſt.* 1. *art.* 3. Maior. *lib.* 1. *c.* 21. *in fine.* Viuald. *n.* 150. Molin. *tom.* 2. *tract.* 3. *diſput.* 70. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *q.* 5. *dicto* 4 Bonac. *quaſt.* 2. *de Irregularit. punct.* 2. *n.* 5. Henriq *lib.* 14. *c* 8. *n.* 3. Gibalin. *c.* 3. *q.* 2. *conſectar.* 2. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 2. *q.* 16. *num.* 64. & alij.

QVÆSTIO XXXIV.

An etiam ſit irregularis, qui naſum habet nimis paruum, aut magnum nimis, vel diſtortum.

RESpondeo etiam eſſe irregularem, ſi ex dictis defectibus magna conſurgat deformitas, arbitrio Epiſcopi. Eſt enim expreſſus textus *in cap. Hinc etenim, diſt.* 49. vbi Gregor. Papa à Miniſterio altaris excludit illum, *qui cæcus fuerit, ſi claudus, ſiue paruo, vel grandi, & torto naſo.* Sic omnes, Albert. Specular. Hugo, & Sotus, quos ſequitur Viuald. *n.* 149. Henriquez *cap.* 8. *cit. n.* 2. Filliuc. Bonac. & alij nuper citati.

QVÆSTIO XXXV.

An qui caret odoratus ſenſu ſit irregularis.

RESpondeo vt certum: Quod non, quia ad Ordines ſuſcipiendos parum refert odoratus, dum naſum habeat quis integrum. Sic Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *quaſ.* 5. *num.* 171. Gibalin. *c.* 3 *q* 2. *conſectar.* 3. ita dicens: Qui caret ſenſu odoratus, integro tamen naſo, & non corroſo, aut difformi, irregularis non eſt, quia hic ſenſus vix neceſſarius eſt ad ſacra miniſteria exercenda.

QVÆSTIO XXXVI.

An abſtemius (id eſt, qui guſtare vinum nequit abſque periculo vomitus) ſit irregularis.

RESpondeo, vt certum: Eſſe. Quia non poteſt peragi ſacrificium Miſſæ à præfato propter periculum vomitus in ſumendis ſpeciebus vini. Sic Nauarr. *c.* 27. *n.* 104. ex Gloſſa ſing. *in c.* 2. *Ipſi Apoſtoli,* 2. *q.* 7. Maiol. *c.* 25. Reginald. *n.* 58. Bonac. *de Irregularit. q.* 2. *punct.* 2. *n.* 26. Tolet. *lib.* 1. *c.* 64. *n.* 4. Lublinus *verb. Irregularitas, num.* 23. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 7. *q.* 17. *n.* 66. & omnes.

QVÆSTIO XXXVII.

An Pontifex poſſit cum Abſtemio diſpenſare, vt ad Sacerdotium promoueatur.

AFfirmare tenentur, qui ſuſtinent, Papam poſſe diſpenſare, vt ſub vna tantum ſpecie fiat conſecratio in Miſſa. Hi ſunt, Maior, Adrianus, Claudius, Gabr. Albert. Alanus, Tabiena, Henriquez, Fagundez, Azor. Sanchez, & alij quos citauimus 2. *p. tract.* 8. *de Sacrif. Miſſa, diſp.* 1. *q.* 19.

Sed probabilius Reſpondeo: Non poſſe. Quia probabilius eſt, non poſſe Papam diſpenſare, vt Sacrificium Miſſæ ſub vnica ſpecie peragatur. Vt ſentiunt D. Thom. Vaſquez, Suarez, Sotus, Ægidius, Hurtad. Nuño, Bonac. Lugo, Cornejo, Monteſinos, Valentia, & alij quos loco citato retulimus: ergo. Sic debent ſentire ipſi.

QVÆSTIO XXXVIII.

An habens cicatrices in facie ſit irregularis.

RESpondeo, vt certum: Eſſe, ſi tales cicatrices pariant notabilem deformitatem, quod iudicio Epiſcopi relinquitur: ſecus aliàs. Sic Filliuc. *tract.* 19. *c* 6. *quaſ.* 5. *dicto* 4. *n.* 171. & antea Viuald. *n.* 147. Quia (inquit) ad excellentiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum celebrandum, in quo Chriſti diuinitas, & humanitas continetur, claritas perſonæ in interiori, atque exteriori homine requiritur. Gibal. *loc. cit. conſectar.* 2.

QVÆSTIO XXXIX.

An color Æthiopis, aut Mauri faciat irregularem.

AFfirmat Vgolinus *de Irregularitate, cap.* 50 *num.* 4.

Negant verò è contra Maiolus *lib.* 1. *c.* 21. *num.* 2. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 2. Bonac. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 21. Viuald. *n.* 148: Pellizzarius *ſect.* 2. *cit. q.* 10. *n.* 55. ex Diana *p* 4 *tract.* 2. *Reſol.* 84. Quia (inquiunt) huiuſmodi niger, aut fuſcus color non parit deformitatem, aut terrorem.

Sed probabilius Reſpondeo: Dictum colorem nullo modo facere irregularem apud Gentes nigras: ſecus verò apud Gentes candidas, inter quas Sacerdos niger facilè incutit riſum, aut terrorem. Sic ſentire videtur Filliucius *num.* 171. *citato*, & clarius Bauny *de Cenſur. tract.* 11. *cap.* 56. *Aſſert.* 1. his verbis: Quia ceſſante cauſa, ceſſat quoque effectus, *can. ceſſante* 6. *de Appellat.* ideò vbi horrori non eſt, aut

ſcandalo membri additio, aut defectus, ceſſat irregularitas: quare leproſus inter leproſos, Æthiops inter Æthiopes rite Ordinatus, celebrare ſine culpa poteſt. Sic ille.

Qvæstio XL.

An qui gibbum (Hiſpanè, Louanillo) habet in facie, ſeu in collo, ſit irregularis.

Reſpondeo eſſe, ſi talis ſit, quod ad riſum, horrorem, vel ſcandalum moueat: quod iudicium Epiſcopi relinquitur arbitrio. Sic ex Abbate, Innoc. Ioan. Andr. & Maiol. docet Viuald. *de Irregul. n.* 148.

Qvæstio XLI.

An qui ſenos digitos in manibus habet, ſit irregularis.

Negat abſolutè Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 3. *in fine*, & penes illum Nauarr. *c.* 27. *n.* 200. *§. ſeptimo.* Maiol. D. Anton. Felician. & Hoſtienſ. Sed ex his Nauarr. *loc. cit.* nihil de hac quæſt. tractat.

Sed clarius Reſpondeo: Non eſſe irregularem, niſi aliàs illos in tali diſpoſitione habeat, quod notabilem cauſet deformitatem, aut vſum aliorum digitorum impediat, vt accidit quando index, & pollex ſub communi vngue exiſtunt. Sic Bauny *de Cenſur. tract.* 11. *q.* 56. *in fine*, & antea Aula *part.* 6. *diſp.* 3. (*non* 13. vt citat Bauny) *dub.* 1. *verſ. ſequitur tertio.* Tolet. *lib.* 1. *Summ. cap. mihi* 63. *n.* 5. Bonac. *punct.* 2. *cit. n.* 11. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 6. *q.* 4. *n.* 165. Reginald. *n.* 46. & Gibal. *c.* 3. *q.* 2. *conſectar.* 5.

Qvæstio XLII.

An illi, qui ſex digitos in manu habet, poſſit ſine periculo irregularitatis, præſcindi vnus.

Reſpondeo: Poſſe. Quia per hoc non tollitur ratio membri, ſed monſtri. Sic Henriq. *loc. cit.* & apud ipſum *littera O.* Felician. cum Gloſſ. *cap. Partem, distinct.* 55 Maiol *c.* 14 & 24. *in fine*, & Syluest. *verb. Corpore vitiat.* §. 3. Zerola etiam 1. *p. praxis Epiſcop. verb. Irregularitas, verſ Tertio*, ex Nauarr. *c.* 27. *n.* 206. ſic dicente: Secundò, quod Caietan. confitetur quod ille, cui vnus digitus abſſcinditur, ſine quo benè celebrare poteſt, non eſt irregularis. Sic ille, & alij ſuprà citati.

Qvæstio XLIII.

An qui caret digito pollicis, vel indicis, ſit irregularis.

Reſpondeo, vt quid certum: Eſſe. Quia nequit aptè, & decenter celebrare, & contrectare Sacramentum. Secus dicendum ſi ſolùm careret parte digiti pollicis, vel indicis, ob quam non impediretur celebratio. Sic Zerola *in praxi Epiſcop. part.* 1. *verb Irregularitas*, ex Nauarr. *conſil.* 1. *de Corp. vitiat.* Villalob. *tract.* 1. *diff.* 35. *n.* 11. his verbis: *Lo meſmo es del que tiene ſeca la mano, ò el dedo pulgar, ò el indice, que eſto baſtan para que no pueda exercer las Ordenes deuidamente. Y lo miſmo ſeria ſi le faltaſe los otros dedos, aunque tubieſſe el police, i el indice, por la fealdad, i ſcandalo, como dice Vgolino,* n. 13. *Mas no es irregular, ſi le falta la vña del dedo pulgar, o indice, con tal que pueda tomar bien la Hoſtia, i quebrantarla, como conſta de vn texto, cap. in. de corp. vitiat.* Sic ille. Tolet. *lib.* 1. *c.* 63. *n.* 3. Lublin. *verb. Irregularitas, n.* 23. & Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 1. Gibalin. *c.* 2. *q.* 2. *conſectar.* 3. *verſ. Quarto.* Pellizzar. *tract.* 7. *c.* 3. *sect* 2. *q.* 16. *n.* 64.

Qvæstio XLIV.

An etiam ſit irregularis, qui caret digito alio præter digitos pollicem, & indicem.

Affirmare videtur Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *quæſ.* 5. *dubio* 5. *n.* 172. his verbis: Qui manu vtraque, vel altera careret, in quibus potiſſimum viget ſenſus tactus, irregularis eſt. Patet, quia inhabilis eſſet ad exercendum munus Sacerdotale. Item, ſi nullo modo Hoſtiam contrectare, vel tenere poſſit, vel tremulas adeò habeat, vt periculum eſſet calicis effundendi; vel denique vno, aut pluribus digitis careat, iis præcipuè, quibus Sacramentum contrectatur. Hùc vſque Filliucius. Cui omninò adhæret Pellizzarius *loc. cit.*

Sed clariùs Reſpondeo: Non eſſe irregularem, niſi caſu, quo defectus digiti eſſet talis, quod vel induceret notabilem deformitatem, vel eſſet impedimentum ad aptè celebrandum. Sic colligitur apertè ex *cap Lator, diſt.* 55. Gloſſa *verb Siniſtra.* Toletus *in* 3. *cit. in fine.* Lublin. *n.* 23. his verbis: Carens digito, ſine quo poteſt Hoſtiam frangere, non eſt irregularis. Bonac. *q.* 2. *de Irregul. punct.* 2, *n.* 32. ibi: Sicut nec eſt irregularis, qui digitum manus non neceſſarium ad Eucharistiam eleuandam, vel frangendam, vel ad faciendum ſignum Crucis in infirmitate amiſit, &c. Gibalin. *loc. cit.*

Qvæstio XLV.

An ſaltem ſit irregularis, qui caret digitis dextera, quibus in Miſſa ſit Crucis ſignatio.

Reſpondeo: Eſſe irregularem ob notabilem deformitatem, quam carentia dictorum digitorum cauſat. Sic Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8 *n.* 1. & penes illum *litt. L*, Nauarr. Couar. Viuald. Syluest. Card. Panormit. Maiol. & Roſella. Legatur Gloſſa citata *in cap. Lator, verb. Siniſtra.* Bonac. *quæſt.* 2. *de Irregularit. puncti.* 2. *num.* 32. *citato.*

Qvæstio XLVI.

An qui in dextera, aut ſiniſtra habet digitum medium, & indicem coniunctum, ſine diuiſione ſit irregularis.

Affirmat apud Henriq. Maiol. *lib.* 1. *c.* 14 *n.* 14. & probari id ex dictis ſuprà poteſt. Quia qui digitum pollicem, & indicem habet omninò coniunctum eſt irregularis, vt habitum eſt *q.* 42. ergo & qui ita habet digitum indicem, & medium.

Sed probabilius Reſpondeo: Ob id non eſſe irregularem. Quia horum digitorum coniunctio non impediret debitam celebrationem Miſſæ, ſicut impediret coniunctio aliorum: ergo ſi aliàs hic defectus non cauſet notabilem deformitatem, non efficiet irregularem. Sic Henriq. *loc. cit. n.* 1. & penes illum *litt. M*, Anton. Albetic. Roſella, & Tabiena. Quibus adde Syluestr. *verb. Corp. vitiati, q.* 3. *n.* 4.

Qvæstio

QVÆSTIO XLVII.

An maneat irregularis ille cui deeſt vngula pollicis, aut indicis.

AFfirmant Maiol. *cap.* 14. *n.* 13. Tabien. *verb. corp. vitiat.* Roſella, & alij apud Henriquez *lib.* 14. *c.*8. *n.* 1. *litt. N.* Quibus facilè quis addere poteſt Armillam *verb. corp. vitiatus, n.*5. ſi cautè illam non legat: ait enim ſic: Amittens vngulam pollicis dando operam rei licitæ, ſine diſpenſatione celebrare non poteſt, quod trahitur per contrarium ſenſum ex *cap. finali, iuncta gloſſ. de corp. vitiatis.* Ita ille. Sed hic Auctor ſolùm loquitur in caſu, quo quis amiſerit vnguem dando operam illicitæ rei, non licitæ, vnde mendoſa eſt litera *rei licita*, legendum enim eſt *rei illicita.* Quod facilè colligitur ex probatione ex *c. fin. cit.* quam adducit Armilla, & ex Silueſtro *verſ. de corpore vitiatis, n.* 3. *in fine.* Ita dicente: Ex quo iuncta gloſſa per contrarium ſenſum elicitur, quod amittens vngulam pollicis caſualiter dando operam illicitæ rei, ſine diſpenſatione celebrare non poteſt. Sic Armilla. Vnde credo, quod ſolùm in hoc caſu loquantur Authores citati ab Henriquez, non in alio.

Negat verò contrà hic Auctor *c.*8. *n.* 1. *cit.* & ita acriter, vt aſſerat, quod non ſit irregularis, etiam caſu, quod non poſſit bene frangere Hoſtiam. Quia contrarium (inquit) nullo iure probatum.

Sed ego clariùs Reſpondeo: Non manere quidem irregularem; caſu tamen, quo talis maneat potens cum pollice ad frangendam Euchariſtiam. Hæc reſponſio eſt certiſſima, cùm expreſsè habeatur *in cap. vltimo, de corp. vitiatis*, his verbis: *Thomas Monachus propoſuit, quod cùm in annis puerilibus eſſet conſtitutus, quadam barra ferrea ſuper dextera ſua pollicem fortuito caſu cadens, vngulam auulſit ab eo. Quocirca mandamus, quatenus ſi ad frangendum Euchariſtiam ſit in pollice ipſo potens, & aliud canonicum non obſiſtat, propter deformitatem huiuſmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoueas Sacerdoti;* Sic totus textus. Quo nullus alius clarior. Legantur Gloſſa ibi, & Doctores nuper citati, & dicta à nobis *q.*44.

QVÆSTIO XLVIII.

An qui tremulas habet manus, ſit irregularis.

REſpondeo: Eſſe irregularem, ſi adeò tremulas habeat manus, vt periculum ſit ſubuertendi Calicem. Sic Filliuc. *cit. q.* 45. Lublinus *verb. Irregularitas, num.*23. Pellizarius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.*5. *ſect.*2. *q.*16. *num.*64.

QVÆSTIO XLIX.

An qui habet manum aridam ſit irregularis.

REſpondeo: Eſſe, quia nequit decenter celebrationem Miſſæ peragere. Sic Llamas 1. *part. Method. c.*12. §.5. *pag* 185. hiſce verbis: Demùm, quicunque membri defectus impediens celebrationem, ſiue vſum alicuius ſacri Ordinis, conſtituit irregularem quoad illum actum, quem facere non poteſt. niſi indecenter, & cum notabili turpitudine, vt ſi quis totaliter brachium vnum nullatenus eleuare poſſit, ſed cogatur vnico tantum Hoſtiam faciam, & Calicem eleuare, vel alicuius manus totalem vſum amiſerit, vt fractionem Hoſtiæ nequeat facere am-

babus, &c. Sic ille. Et Henriq. *lib.*14. *c.*8. *n.*4. *in fine*, ibi: Quare hic debilitatus per accidens dicitur irregularis ob manum aridam: quæ ſi exquiſito, aut miraculoſo remedio viuificetur, deſinet hic debilitatus eſſe irregularis. Hæc Henriq. & Gibalin. *c.*3. *q.*2. *conſectar.*3. *verſ. Quartò.*

QVÆSTIO L.

An maneat irregularis, qui in infirmitate perdidit omnes digitos pedum.

REſpondeo; Negatiuè. Quia ex huiuſmodi defectu nec oritur deformitas, nec ſcandalum, aut debilitas impediens Miſſæ celebrationem: ergo nec irregularitas. Sic Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.*1. *verſ. Sequitur tertiò*, qui & citat Nauarr. *lib* 5. *conſil. conſ.*65. *de excōmunicat.* Sed certè Nauarrus ſolùm agit, & id negat loquendo de Clerico, qui per infirmitatem perdidit omnes digitos vtriuſque pedis, exceptis pollicibus; docens, ob id non eſſe irregularem, ſed poſſe Ordinari maioribus. Sic tenet *in nona edit.* non *conſil.*65. *de excommun.* ſed *conſ.*4. *de corp. vitiatis, lib.*1. *conſ.*. Sed noſtra, & ſua ratio etiam conuincit caſu, quo etiam pollicibus pedum quis careat. Legatur Toletus *lib.*1. *c. mihi* 63. *n.*6. & 7.

QVÆSTIO LI.

An Claudus ſit irregularis.

AFfirmat Filliuc. eſſe irregularem, ſi nullo modo poteſt accedere ad Altare, aut ſtare, aut non ſine baculo, vel pede ligneo, ex *cap. Nullus Epiſcopus, de Conſecr. diſt.*1. Gloſſa ibi, & ex *cap. Si quis in infirmitate, diſt.*55. & ex Nauarr. *c.*27. *n.*199. Quod ſi ſtare poſſit per ſe, & accedere ad Altare, facilè diſpenſari poſſe. Hæc ille *tract.*19. *c.*6. *q.*5. *dicto* 6. *n.*173. cui conſentit Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.*5. *ſect.* 2. *q.*16. *num.* 64.

Alij verò aliter ſentiunt, dicentes nullo modo eſſe irregularem caſu, quo dictus poſſit ſtare ad Altare, & in illo eſſe abſque baculo, aut pede ligneo: ſecus aliàs. Ita Nauar. *c.*27. *n.*199. *verſ. Tertiò dico.* Felician. *c.*6. *pag.*425. quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.*14. *c.*8. *n.*1. *litt. F.* Quibus addi poſſunt Llamas 1. *p. Method. c.*12. § 5. Vuald. *n. mihi* 173. *verſ. & quia Auctores*, ex Gloſſa *in cap. Si quis in infirmitate, cit.* Panormit. apud Tolet. & Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.*1.

Sed clariùs, & probabiliùs Reſpondeo dicendum, quod Claudus ille, qui ſine baculo ambulare non poteſt, omninò ſit irregularis, vt omnes concedunt: contrà verò, ſi ſine baculo poſſit ad altare accedere, & ibi eſſe; niſi aliàs cum hoc ſit deformitas magna, quæ benè poteſt eſſe, etiamſi non ſit neceſſarius baculus. Sic Tolet. *lib.*1. *c.*63. *n.*5. Gibalin. *loc. cit.*

QVÆSTIO LII.

An carens pede, ita vt non poßit ſine pede ligneo ambulare, ſit irregularis.

REſpondeo, vt certum: Eſſe. Quia dictus defectus magnam infert deformitatem. Sic omnes Auctores citati nuper *quæſt. anteced.* Et Lublinus *verb. Irregularitas, n.*23. Anton. Butr. *cap. vlt. de corp. vitiatis.* Qui addunt poſſe in hoc cum Religioſo facilè diſpenſari, quia defert veſtes oblongas, ſub quibus latet defectus. Sed, vt benè vidit Tolet. *loc. cit.* eadem de cauſa poteſt diſpenſari cum Clerico laico, quia etiam veſtes longas habet, & defert.

QVÆSTIO LIII.

An etiam ſit irregularis, qui crura diſtorta habet.

NEgant abſolutè Filliuc. *tract.* 19. *cap.*6. *q.*5. *in fine*, *n.*173. Bonac.*n.* 14. & Gibalinus *loc.cit. verſ. Quintò*, & Pillizzarius *loc.cit. n.*64. Quia hoc vitium facilè veſtis oblonga tegere poteſt.

Sed clariùs Reſpondeo : Per ſe non eſſe irregularem qui crura diſtorta habet; poſſe tamen eſſe per accidens, ſi tale vitium magnam deformitatem afferat, quia hæc irregularitatem parit.

QVÆSTIO LIV.

An gibboſus ſit irregularis.

AFfirmant abſolutè apud Henriquez *lib.*14.*c.*8. *n.*2. *litt.O*, Maiol. *c.*21.*n.*2. & Abbas.

Sed clariùs Reſpondeo : Non eſſe irregularem, niſi gibboſitas coniuncta ſit cum nimia deformitate, aut debilitate, vt accidit quando gibboſus nequit ſe erigere, aut ſtare erecto capite. Sic Bonac. *q.*2. *de Irregularit. punct.* 2. *n* 9. & penes illum Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.*1. *in fine*, Molina *tom.*4. *de Iuſt. tract.*3. *diſp.*70. Vgolin. *de Irregularit c* 50 *n* 6. & Reginald. *n.*52. His addi poſſunt Henriq. *loc.cit.* Sylueſt. *verb. Corpore vitiatus*, *n.* 5. *verſ. Sexto*, cum Archidiac. Nauarr. *c.*27. *n.*199. Viuald. *n.*173. Lublin. *verb. Irregularitas*, *n.*23. Llamas 1 *p. Method. cap.*12. §.5. Tolet. *lib.*1. *c.*63. *n.*5. & alij communiter.

QVÆSTIO LV.

An qui caret, abſque culpa, teſticulis, ſit irregularis.

AFfirmant apud Henriquez Sotus *lib.* 5. *de Iuſt.* *q.* 2. *art.* 1. & Caiet. 2.2. *q.*65. *art.*1.

Sed vt certum Reſpondeo : Non eſſe irregularem, quia ex huiuſmodi defectu nulla exter or deformitas, nulla inhabilitas ad Altaris miniſterium, nullumque oritur ſcandalum : ergo nec irregularitas. Vnde minimè eſt irregularis, qui teſticulis caret, ſiue quia in cunabulis ſectus eſt, vt habetur *c.*3. *de corp. vitiat.* ſiue quia ob infirmitatem abſciſſi ſunt, *can.* 5. *eod. tit. can. Si quis per ægritudinem, diſtinct* 55. ſiue quia ſic natus eſt, vel in perſequutione ei cæſi ſunt, *can. Eunuchus, diſtinct.* 55. Sic omnes. Nauarr. *in Man. cap.*27. *n.* 199. *& lib.* 1. *conſil. conſ.* 2. *de corp. vitiat. in edit. noua.* Henriq *lib.* 14 *c* 8. *n.*1. *in fine*, Viuald. *de Irregular. num. mihi* 169. Tolet. *lib.* 1. *cap.*67. *n.*7. *verſ. Ex hac regula*, ex Innocent. *cap. ſignificauit, de corp. vitiat.* Filliuc. *tract.* 19. *c.*6. *q.*2. *n.*159. Bonac. *q.*2. *punct.* 2. *n* 31. Lublinus, & Llamas *loc. cit.* Gibalin. *c.* 3. *q.* 2. *conſectar.* 4. & alij penes ipſos, qui ſecus dicunt, caſu quo ex culpa propria talia prouenirent, vt ex dicendis conſtabit.

QVÆSTIO LVI.

An qui abſque iuſta cauſa ſibi virilia amputauit, vel permiſit amputari, ſit irregularis.

REſpondeo vt certum : Eſſe, & conſequenter nec poſſe Ordines ſuſcipere, nec ſuſceptos exercere. Quia ſic habetur *in cap. Si quis abſciderit, & cap. ſeq. diſt.* 55. & *in can.* 21. *Apoſtol.* vbi ſic habetur : *Qui ſibi virilia amputauit, Clericus non efficitur : ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.* Sic docent omnes Doctores, præcipuè nuper citati.

QVÆSTIO LVII.

An qui ob vocis conſeruationem ſe per ſe, aut per alios caſtrauerunt, ſint irregulares.

NEgat Palaus *diſp.*6. *de Cenſur. punct.* 2. *n.*4. Quia nullus eſt textus qui hanc irregularitatem inducat. Palaum videtur ſequi Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 7. *c.*5. *ſect.* 2. *q.*16. *n.*64. *verſ. Quod autem.*

Sed probabilius longè Reſpondeo : Eſſe. *Primo*, quia ſic habetur *in cap. Presbyterum*, & *in cap. Continebatur, de Homicid. Secundo*, quia qui culpabiliter virilia ſibi amputauit, aut amputari permiſit, manet irregularis : ergo & qui ſe, ob vocis conſeruationem caſtrauit, aut caſtrari permiſit. Sic Viualdus *de Irregular. num mihi* 160. Llamas 1. *p. Method. c.*12. §.4. *pag.* 184. Bonac. *q.*2. *punct.* 2. *n.* 34. & penes ipſum Molina, Nauarr. Auila, & Filliuc. Lublinus etiam *verb. Irregularitas*, *num.* 28.

QVÆSTIO LVIII.

An qui zelo caſtitatis ſibi per ſe, vel per alios virilia amputarunt, aut caſtrarunt, ſint item irregulares.

REſpondeo vt certum : Eſſe irregulares, etiamſi occulte id fecerint, & ex ignorantia, putantes per hoc ſe obſequium gratum præſtare Deo, vt fecit Origenes, vt refert Henriquez ex Nicephoro *lib.* 5. *hiſtoria, cap.* 8. Sic colligitur *ex cap. Si quis ſe*, *cap. Hi qui*, *diſtinct.* 55. Sic etiam docent omnes. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 73. *n.* 11. *verſ. Vltima regula.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 6. *q.* 2. *n.* 160. Viuald. *n.* 165. *verſ. De illis autem.* Bonac. *loc. cit.* Vbi rationem reddit, quia ſe hoc modo ſecare eſt illicitum etiam ob caſtitatem ſeruandam; præſertim quia huiuſmodi ſectio non eſt medium ad caſtitatem; cùm huiuſmodi caſtrati, & ſecti maioribus vexentur ſtimulis carnis, vt fatentur communiter Doctores.

QVÆSTIO LIX.

An etiam ſit irregularis ille cui maritus mulieris cum qua fuit deprehenſus, virilia abſcidit.

NEgant apud Dianam Præpoſitus *in* 3. *part. q.* 5. *dub* 114. *n.* 117. Hurtad. *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 14. *n.* 52. Acuña *in Decret.* 1. *p. diſtinct.* 33. *c.* 2. *n.* 6. & Ægidius *n.* 108. Quia (inquiunt) ſi iura imponentia hanc irregularitatem in rigore inſpiciantur, omnia loquuntur de propria culpa ſeipſum mutilandi ex indignatione, aut ex aliquo zelo indiſcreto : at verba in hac materia ſunt in rigore accipienda : ergo. Dictis Auctoribus addi poſſunt Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 4. vbi ita ait : At ſi adulter prævidens periculum, captus à marito adulteræ fuit exſectus, non videtur irregularis. Sic ille. Et penes ipſum *litt. C.* Recentiores aliqui. Tolet. etiam *lib.* 1. *cap.* 6. *in fine.* Et licèt hæc ſententia ſit ſatis probabilis, vt docent Suar. Filliuc. Bonac. & alij.

Sed nihilominus probabilius Reſpondeo : Eſſe irregularem. Quia probabilius eſt, quod ſi alicui ob ſuam culpam, aut delictum, membrum, aut pars membri abſcindatur, ſiue à Iudice, ſiue ab alio, in vindictam delicti quod cõmiſit, incurrit irregularitatem:

ergo

ergo probabilius eſt, quod adulter, cui membrum virile, aut teſticuli abſcinduntur, vel à marito adulteræ, vel à Iudice in vindictam delicti, quod commiſit, maneat eo ipſo irregularis: non quidem ex ſpeciali ratione mutilandi ſe voluntariè, quod ſolum conuincit fundamentum contrariorum; ſed ex ratione mutilandi, quia videlicet fuit cauſa ſuæ mutilationis, licèt indirecta. Sic Nauar. *cap.* 27. *n.* 198. *in principio*, qui id probat ex text. *in c. fin. de temp. Ordin.* Hoſt. Abbas Innoc. Ioan. Andr. Angel. Silueſt. Armilla, Sotus, Maiol. & Epiſcopus Scalenſ. quos citat, & ſequitur Viuald. *de Irregularit. num. mihi* 166. *pag.* 219. Quibus addi poſſunt Sayr. *lib.* 6. *c.* 7. *n.* 15. Molina *tom.* 4. *de Iuſt. tract.* 3. *diſput.* 70. *n.* 18. Bonac. *de Cenſur. diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 29. *&* 33. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 5. *num.* 47. Villalob. *tom* 1. *tract.* 21. *diff.* 35. *n.* 6. & Ioan. de la Cruz *in direct. p.* 2. *de Irregul. lib.* 2. *concl.*.. Quos adducit, & ſequitur Diana *part.* 4. *tract.* 2. *Reſolut.* 60. Tenent etiam Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 2. *n.* 8. Luyſius *de Cenſur. diſp.* 72. (non 62. vt citatum leges apud Dianam) *dub.* 4. Filliuc. *loc. cit. n.* 77. Auila *de Cenſur. p.* 7. *diſp.* 3. *dub* 1. *verſ. ſequitur tertiò*, & penes illum Couarr. & Bern. Diaz, Lublinus *verb. Irregularitas, num.* 28.

QVÆSTIO LX.

An qui ob ægritudinem, aut aliam neceſſitatem ſibimet virilia abſcidit, maneat irregularis.

AFfirmant abſolutè Tolet. *lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 7. *verſ. Ex hac regula*, & Balſamon *in can.* 24. *Apoſtolorum.*

Sed melius cum diſtinctione Reſpondeo: Non manere irregularem caſu, quo dictus non haberet alium hominem peritum, qui talem actionem exercere poſſet: ſecus aliàs ſi haberet. Sic Silueſt. *verb. Corp. vitiatus, quæſ.* 2. *n.* 3. ex Raym. Maiol. *lib.* 1. *cap.* 15. Quos citat, & ſequitur Viuald. *n.* 170. Gibalin. latè *conſectar.* 4. *verſ. Dico tertiò, pag.* 55.

QVÆSTIO LXI.

An ſit neceſſum, quod Clerici caſtrati teſticulos in puluerem redactos ſecum portent, dum Miſſam celebrant.

REſpondeo vt certum: Non eſſe neceſſarium. Quia id nullo iure probatur. Sic Nauar. *cap.* 27. *n.* 200. per hæc verba: Quintò dico eſſe errorem vulgi dicere, oportere eum, cui abſciſſa ſunt virilia, ea arefacta, aut in puluerem redacta ſecum geſtare ad celebrandum, vt ait gloſſ. ſing. recepta *in c. Eunuchus,* 55. *diſt* & Hoſtienſ. *in c. fin. de Corp. vitiat.* dicit, melius etiam fore, quod nonnulli neque virilia geſtarent, cuius falſum dictum eſt verum, quando ob illud non eſſent irregulares. Sic Nauarr. Silueſt etiam *loc. cit.* Tolet. *lib.* 1. *c.* 63. *n.* 7. *in fine*, ex Gloſſa *in cap. Eunuchus, diſt.* 55. Anchar. & Ioan. Andr. Llamas 1 *p. Method. c.* 12. §. 5. Auila *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 1. Bonac. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 31. & omnes.

QVÆSTIO LXII.

An monſtruoſus, hoc eſt habens duo capita, quatuor manus, aut pedes, &c. ſit irregularis.

REſpondeo vt certum: Eſſe irregularem. Quia huiuſmodi facilè mouet ad riſum, aut horrorem. Sic colligitur ex *cap. Qui in aliquo, diſtinct.* 51. & tenent omnes. Legantur. Viuald. *num.* 129. Bonacina *loc. cit. num.* 10. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 3. *litt. I.* Gibalinus *cap.* 3. *de Irregularit. q.* 2. *conſectar.* 5. *pag.* 56.

QVÆSTIO LXIII.

An etiam difformitas cauſet irregularitatem.

REſpondeo, vt certum: Cauſare etiam. Vnde irregularis omninò eſſet, qui caput haberet Gigantis, aut contrà valde diminutum cum oculis magnis. Sic tenent omnes. Legantur Henriquez, & Viuald. *loc. cit.* Sotus *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. Maiol. *cap.* 13. *num.* 2. & alij.

QVÆSTIO LXIV.

An Gigas procerus ſit irregularis.

REſpondeo: Non eſſe irregularem, ſi proportionata habeat membra, vt habuit Rex Saül, & B. Chriſtophorus. Secus ſi membrorum imparitatem haberet. Sic Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 3. Viuald. *n.* 132. *&* 133. Quibus adhæret Gibalinus *cap.* 3. *q.* 2. *conſect.* 5. *verſ. Tertiò.*

QVÆSTIO. LXV.

An Pygmei ſint irregulares.

NEgare videtur Maiol. *lib.* 1. *de Irregul. cap.* 13. *num.* 9. vbi ait, Pygmeos baptizari, & initiari poſſe, etiam Sacerdotio: quia in illorum natione ceſſat deformitas. Hunc Auctorem citat, & ſequitur Viualdus *n.* 133. *cit.* per hæc verba: Illud autem eſt ſciendùm, quod quamuis Gigas, & Pygmeus, & alij ſimiles eſſent apud nos irregulares, & minimè admittendi, apud ſimiles tamen populos eſſent idonei, atque initiandi. Maiolus *ſup.* Ita Viuald. Et hos ſequitur Gibal. *loc. cit.*

Affirmat contrà Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 3. *litt. L.* Quia (inquit in marg. *litt. L.*) Pygmei dicuntur, quia ſunt vnius cubiti, nec videntur eſſe homines rationales.

Sed ego diſtinctius Reſpondeo: Non eſſe per ſe irregulares in ſua natione: & ideo poſſe initiari, etiam Sacerdotio; ſi aliàs homines rationales ſint, & ſufficienti ſcientia polleant, &c. Secus dicendum apud nos, eo quòd intuentes facilè ad riſum prouocarent.

QVÆSTIO LXVI.

An Pumiliones, aut Nani (Hiſpanè Enanos) *ſint apud nos irregulares.*

NEgare videtur Henriquez *loco citato* in Gloſſa *litt. L.* vbi explicans ſententiam Maioli nuper adductam, dicit eam eſſe veram intellectam de Pumilione, & Nano.

Sed iuxta dicta Reſpondeo: Etiam eſſe apud nos irregulares ob deformitatem corporis, & quia intuentes in Altari facilè mouerent ad deſpectum, & riſum: ergo apud nos irregulares ſunt. Secus dicendum in terris, vbi Pygmei habitant, aut in natione, in qua omnes Nani eſſent.

QVÆSTIO LXVII.

An etiam ſint apud nos irregulares homines puſilli corpore.

REſpondeo : Quod non. Quia cùm multi apud nos ſtatura parua ſint, non generant homines puſilli notam, aut cauſant riſum. Vnde D.Gregor. in Dialog. refert de quodam puſillo Sacerdote, & B. Gregor. Turonenſis ſtatura fuit paruus : ergo. Sic Henriquez *lib.14.cap.8.n.3. lit.M.* dicens, hoc eſſe verum in Natione vbi multi ſunt puſilli. Legatur Gibalin. *cap.3. q.2. conſectar.5.pag.56.*

QVÆSTIO LXVIII.

An Hermaphroditus, in quo præualet ſexus virilis, ſit irregularis.

AFfirmant Nauarr. *cap. 27. n. 203.* Henriquez *lib. 14. cap. 8. n.6.* Suarez *diſp. 61.ſect. 2.* Sà *verb. Ordo, num.34.* Sanchez, Filliuc. Bonac. Villalob. Sayrus, Vaſquez, Molfeſ. & Philibert. quos pro hac parte adduxi *2.p. tract.6. de Ord. diſput.5. q.6.* Quibus addi poſſunt Viuald. hîc *num. 135. & ſequent.* Lublin. *verb. Irregularitas, n. 24.* Auila, *p.7.diſput. 3. dub.5.* & alij, quos ſequitur Gibalin. *cap.3. q.2. conſectar.6.*

Sed probabilius iterum Reſpondeo : Non eſſe irregularem, quia contrarium nullo iure probatur. Sic Toletus *lib. 1. cap. 63. n. 13.* Fornerius *de Ordine c.3. n.1.* & Hurtad. hîc *diſput.2. diff.14.* & penes ipſum Turrecremata, Philibertus tandem, & Machado, quos citauimus *loc. cit.*

QVÆSTIO LXIX.

An febri continua laborantes ſint irregulares.

AFfirmant quidam. Quia verè ſunt impediti ad debitè celebrandum, ſecus aiunt eſſe dicendum de laborantibus quartana, aut alia breui febricula, quæ non impedit celebrationem debitam. Ita Bonac. *q.2. punct.2. n.17.*

Sed clarius Reſpondeo dicendum, quod licèt dicti infirmi ſint actualiter impediri ad vſum Ordinum : non tamen ſint omninò irregulares, niſi alias ſint ab infirmitate continua, qua laborant, incurabiles. Sic Filliuc. *tract.19. cap.6 q.9. n.181.* ex Maiolo *lib.1.cap.21.& 22.*& Sayro (ſic lege, non Suario) *c.9. n.4.* Qui idem dicit loquendo de illis, qui patiuntur dolorem capitis, articulorum manuum, & pedum, nempe hæc, & alia ſimilia afferre impedimentum actuale : non tamen efficere irregularem, niſi ſint morbi incurabiles. Sic etiam Gibalin. *c.3. q.2. conſectar.7.*

QVÆSTIO LXX.

An laborantes morbo Gallico ſint irregulares.

AFfirmant abſolutè Maiolus apud Auilam infrà, & Llamas *1.part. Method.c. 12. §. 5.* ibi: Quod autem ibi decernitur de lepra, illo *cap.* inuolutè decernunt, & intelligunt de quocunque fœdo contagio exteriori graui : quale eſt illud Gallici, ſiue Indici morbi, ſiue lepræ, quem Hiſpani *Bubas* vocamus : præcipuè quando ſunt ſpeciei nobilioris, quod ita exterius exeunt, vt horrorem cauſent, & ſcandalum in ſacroſanctorum Sacramentorum adminiſtratione, &c. Ita ille. Cui adde Pellizzarium *tom.2. tract.7. cap.5. ſectione ſecunda, quæſt.2. num.66.*

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo, Non eſſe irregulares, niſi alias, hic morbus foris appareat in vulneribus, generetque horrorem, aut ſcandalum, aut infamiam. Sic Filliuc. *tract.19.cap.6. q.9. n.181.* his verbis : Tertium de laborantibus morbo Gallico, vel alio contagioſo. Et reſpondetur in huiuſmodi morbis vltra deformitatem, & inhabilitatem, quam poteſt adducere, eſſe etiam attendendam infamiam, quam perſæpe ſecum afferunt, quia orti ex peccato. Si ergo aliquid horum efficerent, procuidubio promouendus non eſſet : ſi nihil eorum, ſed tantùm adſit interius dolor, aut cruciatus, & nulla ſit apparens deformitas, non ſunt vllo iure irregulares. Sic ille. Et antea Auila *part. 7. diſp. 3. dub.4.* Henriq. *lib.14.c.8. n.8.* Vgolin. *cap.55. §.2.* & Molina *n.16.* quos citat & ſequitur Bonac. *q. 2. punct.2. n.19.* Villalob. *tract.21. diff. 33. n. 10.* Gibalin. *c.3. q.2. conſectar.7. verſ.Tertiò.*

QVÆSTIO LXXI.

An laborantes lepra, aut ſcabie multa, ſint irregulares.

AFfirmat abſolutè Llamas *§.cit.* his verbis Idem dicimus de leproſo, irregularem eſſe, tam reſpectu ſuſcipiendorum Ordinum, quos non habet, quàm reſpectu adminiſtrationis in ſuſceptis, vt expreſsè decernitur *cap.Cùm percuſſio 7. q.1. & cap. de Rectoribus, & cap.Tua nos, de Clerico ægrotante.* Ita ille. Et ex parte Henriquez *infrà*, & Pellizzarius *loc.cit.*

Sed clarius Reſpondeo dicendum, quod tali morbo laborantes verè ſint irregulares, caſu quo ſcandalum, aut deformitatem notabilem dictus morbus inducat, vt clarè probant textus adducti : ſecus aliàs. Sic expreſsè *in c. Tua nos, cit.* vbi ſic dicit Clemens III. *De Sacerdote, qui diuino iudicio lepra morbo percuſſus in Parœciali Eccleſia prælationis officio fungitur, dicimus quod pro ſcandalo, & abominatione populi ab adminiſtrationis debet officio remoueri, ita quod iuxta facultates Eccleſiæ ſibi neceſſaria, quoad vixerit, miniſtrentur.* Sic Pontifex, & Nauar. *c.27.n.102.v. Decimotertiò.* Henriq. *loc.cit.* Bonac.*n.20.* & penes ipſum, Vgol. Maiol. & Molina, Auila *loc.cit.* Villalob. etiam *n.9.* Bauny *de Cenſur. tract.11. q.57.* Filliuc. *loc.cit.verſ. Quartum de leproſis*, legantur etiam Suar. *diſp. 51.ſect. 2. n.17.* & Gibalin. *loc.cit.*

QVÆSTIO LXXII.

An dicti laborantes morbo Gallico, lepra, & ſcabie, poſſint aſſumi ad Ordines, ſaltem vt inter ſui ſimiles celebrent.

REſpondeo : Non poſſe. Sic Filliuc. *loc.cit.* Quatenus hæc ait: Quartum de leproſis, & reſpondetur non eſſe aſſumendos ad Ordines, nec etiam vt celebrare poſſint inter leproſos. Hæc ille. Et eandem ſententiam tenuiſſe Nauarrum *c.27.n.201.* ait Bauny *q. 57. cit.* his verbis : Quare ſine Papæ diſpenſatione, leproſo ad Ordines aſpirare, etiam vt inter ſui ſimiles miniſtret, non eſt ſecundum Nauarrum *n.202.* licitum. Sed certè mendosè citatur hic Auctor, quia *loc. cit.* nullum verbum de hac difficultate pronunciat.

Qvæstio LXXIII.

An ad minus leproſis, & morbo gallico laborantibus iam Ordinatis, concedi poſſit, vt inter ſui ſimiles, aut in ſecreto Miſſam celebrent.

Reſpondeo : poſſe concedi, niſi aliàs manus, facieſve inquinata plus æquo, eos tam alto miniſterio indignos faceret. Sic D.Thom. *in 4. diſtinct. 9. art. 4.* Tabiena *verb. cap, vitiat.* & Regin. *n. 55.* quos citat, & ſequitur Bauny *loc. cit.* Vilalob. etiam *tract. 21. diff. 33. n. 9.* vbi ſic ait : *Lo miſmo ſe ha de deZir de los leproſos, que tambien ſon irregulares, como dicen* Silueſtro, Nauarro, Vgolino, *y otros. Y es por raZon del eſcandalo, i abominacion, i aſco que haze eſta enfermedad. Y aunque ſean Sacerdotes, no ſe les ha de permitir adminiſtrar, como conſta del derecho,* c. 3. & ſeq. de Cleric. ægrot. *mas podrian adminiſtrar en ſecreto, como dicen Syluestro*, verb. lepra, q 6. *Angelo* verb. leproſus, in fine, *y otros : Porque ya alli ceſſa el eſcandalo. Y por la miſma razon dizen tambien, que podrian celebrar publicamente delante de otros leproſos. Y coligeſe de vn texto* c. 2. de Eccleſ. ædif. *en que ſe permite a los leproſos, que tengan Ygleſia apartada, y cemoterio. Y entiendeſe en caſo, que eſtauan Ordenados antes, y que la enfermedad no ſea tal, que les impida exercitar las Ordenes.* Sic ille. Bonac. *loc. cit.* & Filliuc. Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 8.* vbi totam hanc noſtram ſententiam docet, Gibalinus etiam *c. 3. q. 2. confeſſ. 7.* & Pellixzar. *n. 66. cit.*

Qvæstio LXXIV.

An qui podagra, aut chiragra laborant, ſint irregulares.

Affirmant : Eſſe irregulares communiter Doctores, vt Henriq. *loc. cit.* & alij.

Sed clariùs : Reſpondeo dicendum, quod ſi illi, qui podagra, aut chiragra laborant, ita acuta ſit, & acris, quæ eos in altari conſiſtere non ſinat, vel vſum manus ad debitam tractationem Euchariſtiæ impediat, tunc verè ſint impediti ad recipiendos Ordines, & adminiſtrandos ſuſceptos, & ideò pro tunc irregulares : ſecus verò ſi podagra, aut chiragra non ſit acris, aut acuta, aut tandem non incurabilis. Sic, licèt non ita clarè, Bauny *tract. 21. q. 57. in fine*, ex Gloſſa *in can. ſi quis, diſt. 55.* & Panormit. *ad cap. 2. de Clerico ægrotant.* Gibalin. *cap. 3. q. 2. confeſſ. 7.* & alij.

Qvæstio LXXV.

An laborantes peſte ſint Irregulares.

Reſpondeo : Eſſe irregulares, dum tali morbo laborant, propter periculum infectionis aliorum. Sublata autem peſte, aufertur etiam irregularitatis pœna. Sic Bonacin. *q. 3. punct 2. n. 21.* ſequitur Gibalin. *c. 3. q. 2. confeſſ. 7.* Qui abſolutè non eſſe irregulares tenet, licèt addat eſſe impeditos ob periculum infectionis ad coram aliis celebrandum : in quo parum à nobis differt.

Qvæstio LXXVI.

An etiam ſint irregulares, qui laborant tuſſi, aut qui cibum, & potum non poſſunt in ſtomacho retinere.

Reſpondeo : Etiam eſſe irregulares, dum talis defectus in illis permanet, ob periculum illi coniunctum in retinenda in ſtomacho Euchariſtia, aut in illa ſuſcipienda. Sic Henriq. *lib. 14. cap. 8. num. 7. in fine*, ex Nauar. & Maiol. Bonac. etiam *loco citato*.

Qvæstio LXXVII.

An qui epilepſia, ſeu morbo caduco laborant. (*Hiſpanè*, los que tienen mal de Corazon, gota coral, ò deſmayos) *poſſint ad Ordinem Sacerdotalem promoueri.*

Negat Bonac. *q. 2. de Irregularit. punct. 2. n. 22.* ita ſcribens. Decimo octauo, laborantes morbo caduco irregulares eſſe, imò non poſſe ad Ordines promoueri, quamuis iam fuerint ſani effecti, & liberati, ſemelque tantùm fuerint correpti morbo, *cap. Maritum, & cap. Communiter, diſt. 33.* ſunt enim irregulares, & inhabiles ad Ordines, propter periculum incidendi de nouo in eundem morbum. Ita communiter Doctores, teſte Vgolino *c. 54. §. 1.* Huc vſque Bonacin. Et ante illum Henriquez *cap. 8. cit. n. 8.* Nauarr. *cap. 27. n. 203. in princip.* & alij multi penes ipſos. Lubin. *verb. Irregularitas, n. 33.* Vinald. *de Irregular. à n. 177.* Villalob. *tract. 21. diff. 33. n. 6.* Bauny *tract. 21. q. 57. col. 2.* Filliuc. *tract. 19 cap. 6. quæſt. 9. num. 181. verſ. Sextum de laborantibus*, & Sayr. *lib. 6. cap. 9. n. 11.* Gibalin. *c. 3. q. 2. confeſſ. 8.* Et quamuis hæc ſententia ſit communis.

Ego tamen clarius adhuc Reſpondeo dicendum, quod qui hoc morbo laborant, ſunt in duplici differentia. Alij namque ſunt, qui vehementiſſimè corripiuntur, cadunt ſubitò, ſtrident, fremunt, ſpumant, & colliduntur furioſiſſimè : & ij tales, morbo perſeuerante, ſunt omninò irregulares, tam ad ſuſcipiendos Ordines, quàm ad miniſtrandum in ſuſceptis, præcipuè in Miſſarum celebratione, vt expreſsè decernitur in *can. in tuis litteris 7. q. 2.* Vnde dum durat hæc infirmitas, irregularitas ab illa prouueniens non eſt diſpenſabilis, niſi à ſolo Summo Pontifice. Alij verò ſunt, qui ex humectatione quadam putridi humoris ad cor, & cerebrum emoriuntur, & deficiunt, ſed non ſic furioſè ; & inſuper habent quædam præuia ſigna aduentus illius accidentis paſſionis, & ſic caſum præuenire poſſunt ; & cum huiuſmodi epilepticis licitè poteſt Epiſcopus diſponere, & etiam Abbates, & alij Religionum Prælati cum ſuis ſubditis, vt miniſtrent in Ordinibus ſuſceptis : & ſi ceſſabit morbus per annum integrum, poſſunt diſpenſari, vt ſuſcipiant alios, quos non habent Ordines. Quod expreſsè colligitur ex reſponſo Alexandri II. citato *can. In tuis litteris.* Sic omninò Doctus Hieronym. Llamas *1. p. Meth. cap. 12. §. 6.* per totum, vbi in fine aduertit ex experientia, morbum iſtum ante vigeſimum quintum ætatis annum, conſumi ætatis progreſſu ; ſed ſi illuc vltra perſeuerat, aut tarò, aut nunquam.

Qvæstio LXXVIII.

An ſaltem, qui tantùm ſemel in vita hoc caduco morbo correpti ſunt, & iam ſunt à tali paſſione omninò liberi, poſſint ad Sacerdotium promoueri.

Negant Bonac. in. Henriquez, Nauarrus, Villalob. & Filliuc. vt vidimus quæſtione antecedenti.

Sed, iuxta nuper dicta Reſpondeo : Non poſſe promoueri ſine Prælati diſpenſatione, & approbatione de ſanitate recuperata : benè tamen cum illa.

Quod intelligendum eſt de illis, qui morbo caduco cum præſcientia aduentus illius laborant, de quibus diximus *quæſt. antecedenti.* Sic vt vidimus Llamas. Secus verò dicendum eſt loquendo de alijs, iuxta dicta in ſimili *ſub q.* 11.

QVÆSTIO LXXIX.

An ſaltem huiuſmodi Epileptici poßint abſque diſpenſatione ad Ordines minores promoueri.

AFfirmat Maiolus apud Bauny mox citandum. Deberentque idem ſentire Bonac. & alij citati *ſuprà quæſt.* 15.

Sed probabilius Reſpondeo: Non poſſe abſque diſpenſatione promoueri. Sic Bauny *tract.* 11. *q.* 57. ibi: Ita ſentit Maiolus *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 16. cap. tamen 16. *n.* 12. contrà ſentit de comitialibus, non ſatis conſentaneè, & ſine fundamento: nititur enim textu, qui nihil eum iuuat: ſolus Papa cum eo diſpenſare poteſt, vt vult Nauar. *n.* 203. nec tantùm hi morbi impediunt promouendos, ſed etiam promotos deiiciunt, id eſt, inhabiles ad vſum Ordinum reddunt, vt pâtet ex *diſtinct.* 33. *can. communiter,* & D.Thom. 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 10. *ad* 3. Huc vſque Bauny. Legantur dicta *q.* 15. & Palao *diſput.* 6. *punct.* 11. *num.* 4.

QVÆSTIO LXXX.

An laborantes prædicto morbo caduco, licitè poßint abſque vlla diſpenſatione in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare.

NEgat abſolutè, & ſine diſtinctione, vt nuper vidimus, Bauny. Cum diſtinctione Bonacina, his verbis: Poſſunt tamen in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, modo liberati fuerint eo morbo. Si verò nondum plenè liberati ſunt, ſed tantùm raro, v.g. ſemel in menſe cadunt in terram abſque clamore, vel ſpumarum emiſſione, vel horribili corporis agitatione, poſſunt celebrare, adiuncto ſibi ſocio Sacerdote ieiuno, qui perficiat ſacrificium, ſi fortè incepto Canone alter corripiatur morbo caduco, *cap. Nuper, diſt.* 7. *q.* 2. Ita ille. Et penes illum Sayrus, Molina, D. Anton. Vgolin. Bartholom. ab Angelo, & Reginald. Quibus addu Nauarrum *n.* 203. Viuald. *n.* 183. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 8. Auilam *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 4. Filliuc. *n.* 181. *cit. verſ. Sextum.* Lublinum *n.* 33. & Villalob. *loc. cit. num* 6.

Sed ego ſuppoſita diſtinctione illorum, qui hoc morbo caduco laborant, *ſupra q.* 78. aſſignata, clarius per partes, & probabilius dico ſequentia.

Reſpondeo igitur tanquam certum, *Primò.* Omnes iam promoti, qui à prædicto morbo caduco, qualecumque illud fuerit, omninò ſunt liberi, licitè, & abſque vlla diſpenſatione poſſunt in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Quia verè in illis ceſſauit irregularitas, cùm ceſſauerit à cauſa, à qua ortum habebat. In hoc conueniunt omnes, præcipuè citati.

Reſpondeo: *Secundò.* Qui à tali morbo caduco non eſt plenè liber, ſi frequenter eo laborat, non poteſt miniſtrare; ſi verò (id eſt, per menſem plus minuſve) & ita, vt cùm corripitur, cadat in terram cum vocis emiſſione, & ſpumæ iactatione, tunc nec poteſt miniſtrare, eo quòd præſumatur dæmoniacus. Secus, ſi rarò laborans, blandè cadit abſque clamore, & ſpuma, &c. quia tunc licitè poterit celebrare, dummodò habeat Sacerdotem ſocium, qui Miſſam perficiat, ſi fortè ille cadat poſt inceptum Canonem. Sic Auctores citati, præcipuè Villalob. his verbis: *Los enfermos de* Epilepſia, *que por otro nombre llaman*, morbus comitialis, ſeu caducus, *que es gota coral, tambien ſon irregulares, como conſta del derecho* (tota diſt. 33.) *y ſi les vine la enfermedad deſpues de Ordenados, han de ſer prohibidos celebrar, ſi les dà frequentemente, como dize vn texto,* cap. 1. 7. quæſt. 2. *que es de Alexandro II. y dà la razon, diziendo:* Indecens enim eſt, & periculoſum, vt in conſecratione Euchariſtiæ morbo victus epileptico cadat. Si verò Dei miſericordia conualuerit, (quandoquidem non culpa, ſed infirmitas eſt cauſa) eum ſacrificare iam non interdicimus. *De ſuerte que en eſtando conualecido bien puede celebrar. Mas ha ſe de aduertir que ſi le ſucede muchas vezes, y echa eſpuma por la boca, ò coſa ſemejante, que cauſe indecencia, y horror, no ha de celebrar: mas ſi le ſucede ſin eſſa circunſtancia, y raras vezes, podra celebrar eſtando preſente vn coadjutor.* Sic ille. Et benè, ſi intelligantur hæc omnia de eo, qui laborat ſpecialiſſimè morbo caduco primi generis lati *q.* 78. quod amplius ex mox dicendis conſtabit.

Reſpondeo *Tertiò.* Illi qui morbo caduco ſecundi generis laborant, & caſum præuenire poſſunt, eo quòd multò antea habeant præuia ſigna aduentus talis morbi, ſeu paſſionis, licitè poſſunt etiam abſque ſocio Sacerdote celebrare, eo quòd moraliter ceſſet in huiuſmodi Epilepticis periculum indecentiæ in celebratione Miſſæ, vt experientia multi temporis vidimus in quodam noſtro Religioſo Sacerdote hoc morbo laborante, qui ſpatio duarum fermè horarum, antequam talem paſſionem miſerè pateretur, eius cognoſcebat aduentum, & ita illo die ſe à celebratione Miſſæ abſtinebat: alijs verò non, in quibus tamen nulla accidit irreuerentia circa Euchariſtiam. Sic Llamas *cit. quæſt.* 78. Legantur de hac tota materia Auctores citati nuper, circa quam addunt aliqui eorum ad Epiſcopum pertinere iudicium, an aliquis liberatus ſit eo morbo, facta obſeruatione à tempore recuperatæ ſalutis per vnum annum, prout Epiſcopus iudicauerit: Ego autem cum Diuo Anton. Auila, & Bonacina, dico quod huiuſmodi probationes relinquantur Epiſcopi, vel alterius viri prudentis arbitrio, penſatis conditionibus morbi, & perſonæ.

QVÆSTIO LXXXI.

An ad Epiſcopum ſolum pertineat iudicare in dubio, an defectus corporis, aut deformitas ita nobilis ſit, vt inducat irregularitatem.

AFfirmat Bonacin. *quæſt.* 9. *punct.* 2. *num.* 36. *in fine*, per hæc verba: Ad Epiſcopum verò pertinet iudicare, vtrùm defectus, vel deformitas induceat irregularitatem, vt patet ex *cap.* 2. *de corp. vitiat.* Hoc idem iudicium aliqui Doctores extendunt ad Prælatos Religioſorum exemptorum reſpectu Religioſorum ſibi ſubditorum. Sed hoc mihi videtur falſum, cùm nullo iure probetur hoc priuilegium illis conceſſum eſſe. Ita Auila *parte* 7. *diſput.* 3. *dub.* 3. Couarrun. Vgolin. Filliuc. Suar. Reginald. & alij locis citatis. Huc vſque Bonacina. Cui adde Silueſt. Henriquez, & Nauarrum apud Auilam mox citandum, Barboſam, Campanil. & Hieronymum Rodrig. apud Dianam infrà citandum.

Sed probabilius Reſpondeo, Non ſolùm ad Epiſcopum, ſed etiam ad Prælatos Religioſorum, reſpectu illorum pertinere de dictis rebus iudicium facere. Sic expreſſe Auila *diſp.* 3 *citata* à Bonac. *dub.* 2. (vbi de hac agit quæſtione) ita ſcribens: Concluſio, quod pertinet ad Epiſcopum, non ad Confeſ-

ſarium,

ſatium, eſt communis, vt habetur ex *cap. 2. de corp. vitiat.* vtrum verò in Religioſis exemptis pertineat ad ſuum Prælatum. Syluestr. *verb. corp. vitiat. q. 1.* negat, & Nauarr. *n.* 200. & P. Henriquez *num.* 1. Probat Syluestr. quoniam artifex inferior nunquam iudicat de materia, circa quam artifex ſuperior operatur. Contrarium tenet Angel. *verb. corp. vitiat. n. 5.* Armill. *n. 3.* Tabien. *eod. in fine*, & hoc iudico probabilius. Imò idem tenet P. Henriquez *num. 2. litt. A.* ſuimet oblitus. Nec obſtat dictum *cap. 2.* nam ibi fuit rogatus Pontifex de macula cuiuſdam electi in Epiſcopum, & ideò remittit iudicium ad Archiepiſcopum. Hæc omnia Auila. Ex cuius verbis conſtat, contrarium eſſe ſententiæ Bonacinæ. Idem ſentit Suar. *diſp. 51. ſect. 2. a. 16.* quem pro hac parte citatum ſequuntur Villalob. *tract. 21. diſſ. 35. n. 15.* & Layman. *lib. 1. Summ. tract. 5. p. 5. cap. 7. a. 6.* ſic dicendo. In dubio, num corporis aliquis defectus notabilis ſit, vt irregularitatem inducat, ad Ordinarium Prælatum pertinet arbitrari, arg. *cap. 1. de corp. vitiat.* Quod ſi is ſit Prælatus, v. g. Ordinarius ab Epiſcopo exemptus, qui dimiſſorias dare poteſt, ipſi hoc arbitrium ferre licebit, ſicuti contra Sylu. & Nauarr. *n.* 200. docent Angel. *v. corp. vitiat. n. 5.* Auil. *cit. diſp. 3. dub. 2.* Armill. *num.* 3. Suar. *diſp. 51. ſect. 1. num.* 16. qui tamen rectè addit, Epiſcopum Ordines conferentem poſſe tale arbitrium vel admittere, vel rejicere. Hucuſque Layman. Vt videas quàm malè citet Bonacina Suarium. Nec alij Doctores ſibi conſentiunt, tenent rurſus noſtram ſententiam, vltra citatos Authores, Peirinus, Miranda, Bartholom. de Vecchis, & Cornejo, quos citat, & ſequitur Diana *4. p. tract. 2. reſol. 73.*

Qvæstio LXXXII.

An Epiſcopus poßit diſpenſare cum Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis in irregularitate ex vitio corporis prouenient.

Respondeo: Non poſſe, niſi ſolùm Pontificem. Quia ad hunc ſolum, tanquam ad legiſlatorem legis pertinet relaxare pœnam in illa inſtitutam. Sic communiter omnes. Legantur Nauarr. *n.* 200. *cit.* Auil. *diſp. 3. cit. dub. 3.* Suar. *n.* 18. Bonac. *num.* 36. Palaus *diſp. 8. de cenſur. punct. 12. in fine.* Couarr. *Clem. ſi furioſus, 1. p. initio n. 7.* & alij ſuprà citati.

Qvæstio LXXXIII.

An ſaltem poßit Epiſcopus cum Religioſo diſpenſare in irregularitate contracta ob defectum corporalem.

Affirmant Angel. *verb. corpor. vitiatus, n. 1.* ex Hoſtienſ. Tabiea. & Roſell. *eod. verb.* Syluestr. ibid. in fine, ita dicens: Decimò quæritur, quis in prædictis poſſit diſpenſare? Et dico, quod iuxta Aſtenſ. *de mente Hoſt. in apparatu*, Epiſcopus diſpenſare poteſt cum ſponte mutilato, quantum ad membrum occultum, excepto caſtrato. Vnde dicit, quod cum Religioſo diſpenſare poteſt, vt celebret cum ligneo pede; ſed ſi membrum apparet, cum eo diſpenſare non poteſt niſi Papa, quando fuit in culpa vitiationis. Ita Syluestr. Horum authorum ſententiam refert Auil. *loc. cit. dub. 3. concl. 1.* & pro illa citatur à Palao ſimul cum Maiol. *lib. 1. cap. 14. num.* 15. Sed certè Auila ſolùm illam refert, & tranſit. Sed quidquid ſentiat

Ego omninò oppoſitus Reſpondeo dicendum, quod non poſſit. Quia abſque fundamento vllo hæc poteſtas reſpectu Religioſorum Epiſcopis conceditur. Sic Palao *de cenſur. diſput. 6 punct. 12. in fine*, cum Nauarro, Suario, Sayro, & aliis. Cornejo etiam *tract. 5. de Irregul. diſp. 12. dub. vnic. quæſt. vltim.* vt mox videbimus.

Qvæstio LXXXIV.

An prouinciales Regulares, & alij Prælati, quaſi Epiſcopali auctoritate gaudentes, poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex vitio corporali orta.

Negat Cornejo *loco nuper cit.* his verbis: Quare falluntur Syluestr. & alij, quos refert Auila *p. 7. diſp. 3. dub. 3. concl. 1.* dicentes, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Religioſo; imò & proprium Prælatum regularem, ſi defectus poſt profeſſionem acciderit, vt claudus cum pede ligneo celebret. Ita ille.

Sed, vt certum Reſpondeo, Poſſe dictos Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis, in irregularitate ex vitio corporis proueniente, dummodo vitium non ſit tam fœdum, vt ex eo ſcandalum oriri rationabiliter formidetur. Quia licèt id non habeant vi iuris communis, habent tamen vi priuilegiorum; & ideò id poſſunt authoritate Apoſtolica ſibi ſpecialiter per dicta priuilegia delegata. Sic Miranda, Ioan. de Cruce, Hieronym. Rodrig. quos citat & ſequitur Dian. *part 4. tract. 2. Reſol. 73.* vbi ait in facti contingentia ſe conſuluiſſe, quod poſſet Prælatus diſpenſare ad Sacros Ordines ſuſcipiendos cum ſuo ſubdito, qui digito carebat, non tamen pugillari, ſiue pollice. Palao etiam *diſp. 6 punct. 11. in fine.* Villalob. *tom. 1. tract. 21 diſſ. 9 num. 15. 16. 17. 18. & 21.* vbi ſic ait: *Tambien pueden los Prelados Regulares diſpenſar para recebir Ordenes con los que eſtan irregulares por vicio del cuerpo, con tal que el defecto noa ſea eſcandaloſo, ni por ſu culpa, como reſuelve el P. F. Manuel* tom. 1. qq. Regul. quæſt 14. art. 3. *con Syluestro y otros: porque puede en eſto diſpenſar el Obiſpo por no eſtar reſervado. De ſuerte que no pueden diſpenſar con aquel aquien le falta el dedo pulgar, ò el ojo del Canon, ò es leproſo, ò caduco, ni con otros ſemejantes. Mas pueden diſpenſar, quando falta otro dedo, y aun ſi falta vn pie, y puede andar con pie de palo.* Sic ille. Et in ſubſtantia, & puncto noſtræ quæſtionis, benè, in aliquibus tamen ſcrupuloſè nonnihil, vt ex infrà reſoluendis conſtabit.

Qvæstio LXXXV.

An Prælati Regulares poßint diſpenſare cum ſubdito, qui carens pede, ambulat cum pede ligneo, vt celebret.

Negat, vt vidimus, Petrus Cornejo. Affirmat verò Maiolus *lib. 1. cap. 18* caſu tamen ſolùm, quo tale impedimentum adueniat Religioſo non Ordinato. Maiolo conſentit Roſell. *verb. corp. vitiat.* vt refert Auil. *dub. 3. cit. concl. 1.*

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe diſpenſare, etiamſi tale impedimentum acciderit Religioſo, antequam Ordines reciperet. Quia ex tali impedimento non oritur ſcandalum, aut horror, cùm Religioſus deferens veſtes longas, facilè illud cooperiat: ergo vt conſtat ex dictis, optimè poterunt Prælati Regulares cum ſuo ſubdito in dicto impedimento diſpenſare. Sic Rodriguez, Villalob. & Dian. *loco citato.*

Qvæstio LXXXVI.

An etiam poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſubdito, qui caret oculo Canonis, ſeu ſiniſtro.

NEgat Villalobos, vt vidimus *q.* 85.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe cum illo diſpenſare, vt celebret, caſu ſolùm, quo dictus ſubditus, oculo dextro tanta virtute viſiua polleat, vt eius ope, ſine deformitate Canonem legere poſſit. Quia tunc, vel non eſt irregularis, & ſic nulla indiget diſpenſatione; vel ſi eſt, eſt diſpenſabilis à Prælato vi priuilegiorum. Sic Diana *part.*4. *tract.*2. *Reſol.*73. his verbis: Idem etiam dicendum puto de Religioſo, ſi careat oculo dextro; nam cum ipſo poteſt Prælatus diſpenſare, vt tenet Vecchius *loc. cit.* Cui adde Peirinum *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *conſtit.* 2. *Iulij* 11. §. 19. *n.* 118. qui citat Ioan. de la Cruz. Imò licèt orbatio oculi ſiniſtri irregularitatem inducat, ſi oculus dexter tali polleat virtute, vt ſine difformi faciei conuerſione Canon legi poſſit, ad quam rem inſeruire poteſt Miſſalis accommodatio, puto in tali caſu non adeſſe irregularitatem. Sic ille. Et penes illum Layman Legantur dicta à nobis.

Qvæstio LXXXVII.

An Prælatus Regularis poſſit diſpenſare cum ſuo ſubdito Sacerdote habente manus tremulas, vt ſacrificare valeat, ſaltem in occulto.

REſpondeo: Poſſe ex vi priuilegiorum, non iuris communis. Sic tenet Diana *Reſol.*73. *cit.* ita dicens: Ex quibus omnibus ego olim conſului, poſſe Prælatum diſpenſare cum Sacerdote ſibi ſubdito, & maximè in oculto, ad offerendum ſacrificium Miſſæ, qui quidem Sacerdos, ob manus tremulas, vel ob chiragram, vel ob aliud huiuſmodi impedimentum, laboraret aliqua inhabilitate obſeruandi aliquas ceremonias in celebratione Miſſæ conſuetas; dummodò hæc impotentia non ſit tanta, vt ex ea graue oriatur ſcandalum, & diſpenſatus poſſit ſine periculo explere miniſterium, & maximè ſine effuſione ſanguinis, ſi habet manus tremulas. Sic Diana ex Vecchio *in prax. nouit. diſput.* 9. *dub.* 21. *num.* 6.

Qvæstio LXXXVIII.

An Papa poſſit diſpenſare cum Sacerdote totaliter cæco, vt Miſſam dicere poſſit.

NEgauit Nuñus *in* 3. *p quæſt* 74. *art.* 5. *dub* 4. *ad* 2. *argum.*

Sed vt certum Reſpondeo: Poſſe. Quia id aliquando fecit Pontifex. Sic teſtatur Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *art.* 5. *col.* 4. his verbis. Noui enim Tridenti Antiſtitem cæcum diſpenſatione Pontificis Sacrum quotidie facientem. Sic ille. Quod & repetit *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 10. *fine.* Henriq. etiam *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 2. vbi ſic ait: Cæcus eſt irregularis: quod ſi iam Sacerdotio initiatus fiat cæcus, non poteſt celebrare, niſi Pontifex diſpenſet. Sic ibi: & in Gloſſ. *lit. M.* ait, ſe vidiſſe quoſdam diſpenſatos. Et in facti contingentia, eſſe neceſſarium, vt alius Sacerdos, aut vir expertus adſit cæco celebrant Sic etiam Auil. *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. Ioan. Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 64. *artic.* 2. *dub.* 2. *num.* 15. Diana *part.* 5. *tract.* 6. *Reſolution.* 17. Legantur dicta à nobis *parte* 2. *tractat.* 7. *de Euchariſt. diſput.* 8. *quæſt.* 64.

Qvæstio LXXXIX.

An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos qui vna caret manu, Miſſam celebret.

REſpondeo: Poſſe, & licitè, ſi adſit cauſa. Sic Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 4. vbi *lit. Q.* teſtatur, ſe vidiſſe quemdam Regularem, qui ob morbum impeditus erat manu, diſpenſatum, vt celebraret aſſiſtente ſibi miniſtro.

Qvæstio XC.

An etiam poſſit libitè diſpenſare Pontifex, vt celebret Sacerdos vtraque truncatus manu.

NEgat Auila *loc. cit* exiſtimans, nullam ob cauſam poſſe Papam in tali irregularitate licitè diſpenſare.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Poſſe, & licitè, exiſtente iuſta, & rationabili cauſa. Sic enim ſentit Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 4. in Gloſ. *lit. Q. cit.* cui, verbis illius, nuper à nobis reatis, hæc adiungit: Nec liceret diſpenſatio, ſi truncatus eſſet vtraque manu, niſi vrgente cauſa, ita vt per manum alterius Sacerdotis Hoſtiam eleuaret, frangeret, & ſumeret. Sic ille.

DISPVTATIO III.

De Irregularitate ex defectu natalium, ſeu illegitimitatis, proueniente.

Qvæstio Prima.

An quicumque ſit illegitimus, irregularis ſit.

RESPONDEO, vt certum: Eſſe. Quia ſic habetur in iure, *c.* 1. *& fin. de filiis Presbyt. in decretal. & in* 6. *c. Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi*, & aliis cap. relatis *diſt.* 56. Trident. *ſeſſ.* 21. *de Reform. c.* 20. *& ſeſſ.* 23. *c.* 5. *&* 8. Pius V. in Bulla, *Quæ ordini.* Sixtus V. in Bulla *Sanctum & ſalutare.* Sic docent omnes Theol. *in* 4 *diſt.* 55. D.Thom. *in addit. q.* 39. *art.* 5. *& q.* 68. Richard. *art.* 4. *q.* 3. Sot. *q.* 1. *art.* 3. Palud. *diſt.* 41. *q.* 3. Nauar. *c.* 27. *n.* 101. Couar. *in Clem. ſi furioſus, in* 2. *p.* §. 3. *n.* 4. Henriq. *lib.* 14. *cap* 8. *à n.* 10. Saur. *lib.* 7. *Theſauri, c.* 10. Auil. *p.* 7 *diſp.* 3. *à dub.* 6. Suar. *de Cenſur. diſp.* 51. *ſect.* 3. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 5. *à princip.* Bonacin *de Irregul. q.* 2. *punct.* 3. Tolet. *lib.* 1. *c.* 53 Viuald. *de Irregul. à num.* 107. *in antiq.* Palao *de Cenſur. diſp.* 6 *punct.* 9. Philibert. Marchinus *de Ordine p.* 10. *c.* 1. Villalob. 1. *p. tract.* 21. *diff.* 32. Gibalin. *de Irregul. c.* 3. *q.* 1. *n.* 3. Pillizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 5. *à n.* 59.

QVÆSTIO II.

Cur illegitimos ab ſtatu Clericali excludit Eccleſia.

RESpondeo dicendum, quod ob varias rationes. *Prima eſt*, ob reuerentiam Ordinibus debitam, quia Dignitas Ordinis claritatem requirit;& ideò non debet ſordeſcere ex iis,quæ obſcuro genere nati ſunt, nec deturpari vitioſa eorum origine. *Secunda* eſt, propter periculum incontinentiæ in prole ex imitatione paterna. *Tertia* in pœnam, & deteſtationem paterni criminis. *Quarta*, quia illegitimi pleni ſunt vitiis, vt tradunt Cardin. Paleot. *tract. de nothis, ac ſpur.* & Anton. Fonſeca *in addit. ad Caiet.* 23. *Deuteronom.* Legantùr Henriq *loc cit. in Gloſſa litt.* C. Vgald. *n.* 11 t. Maiol. *lib.* 1. *de Irregular. c.*4. *n.* 1. Bonac. Palao, & alij *loc.cit.* Quintaduen. *tom.* 2. *ſingul. tract.* 16. *ſingul.* 5 *n.*4. vbi docet contra Zerdam, minime poſſe illegitimum ſine diſpenſatione prima tonſura initiari.

QVÆSTIO III.

An etiam patrem filij illegitimi ab ſtatu Clericali Eccleſia excludat.

RESpondeo: Quòd non. Quia nullo iure id cauetur. Sic omnes, præcipuè Philibert. *cap.cit. n.*2. vbi rationem reddit,cur pater illegitimi ad Ordines admittatur, & non filius; dicendo, patrem in illegitimo qualitatem incontinentiæ imprimere, ac proinde lex præſumit in illegitimè nato maximam ad incontinentiam propenſionem naturalem ortam ex modò originis illius, quæ fuit ex ſola veſana libidine: quam propenſionem intrinſecam ex modo originis non præſumit lex in patre orto ex maritali affectu. Sic ille. Et poſtea Gibalin. *loc.cit. n.* 3.

QVÆSTIO IV.

An ſi filius illegitimus occultus ſit, & communiter reputatus pro legitimo, adhuc ſit irregularis.

NEgat Alphonſ.de Caſtr. *lib.* 2. *de lege pœnali cap. vltim. concl.*3 ſequutus Vincentium relatum ab Angelo *verb. Homicidium* 5. *quæſt.*1. exiſtimans, illegitimum occultum poſſe abſque vlla diſpenſatione ad Ordines promoueri. Quia (inquit) ſi illegitimus reputatus legitimus irregularis cenſeretur, cogeretur ſuum vitium occultum manifeſtare, ſaltem Epiſcopo, vel Pontifici, à quo impetranda eſt diſpenſatio: at iniquum eſt obligare quemlibet, vt ſe ipſum infamet: ergo dictus illegitimus, non eſt cenſendus irregularis.

Sed vt certum Reſpondeo: Adhuc eſſe irregularem, quamuis occultus, & communiter legitimus reputatus ſit. Quia textus iuris communis, Concil. Trident. & Pius, & Sixtus V. citati *q.* 1. abſolutè ab Ordinibus excludunt illegitimum nulla facta diſtinctione de publico, vel occulto: ergo. Sic Henriq. *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 10. his verbis: Irregularis eſt in vtroque foro, etiam ille qui ob adulterium coniugatæ occultum, aut ob aliam cauſam, reputatur in foro exteriori legitimus. Facilè tamen obtinebit occultam diſpenſationem Papæ. Sic ille. Et Nauarrus *c.*37. *n.*201. Couarr. *Clem. ſi furioſus*, 2. *p.* §. 3. *n* 4. *verſu Hinc illud*, Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.*6. *concluſ.* 1. Axor. 2. *p. lib.*6. *c.* 3. *q.* 23. Ægid. *diſput.* 18. *dub.* 12. Bonac. *punct.* 3. *cit. n.* 2. Hurtad. *de Irregul. diff.* 16. Villalob. *diff.* 32. *n.* 3. Philibert. *de Ordine part.* 10. *c.* 1. *n.* 1. dicens, nunc non carere errore opinionem Caſtri. Cornejo *tract.* 5. *de Irregularit. diſput.* 15. *dub.* 1. *in princip.* & Palaus *diſp* 6. *punct.* 9. Qui ad argumentum Caſtri reſpondet, illud ſolùm vim habere caſu, quo Eccleſia illegitimum reputatum legitimum obligaret ad Ordines ſuſcipiendos: at Eccleſia neminem ad id obligat, ideoque falſum eſt obligare quem, vt ſeipſum infamet. Quod ſi in aliquo caſu graue damnum illegitimus vitare non poſſet, niſi Ordines ſuſcipiendo, ceſſaret obligatio irregularitatis, alia maiori obligatione ſuperueniente; non tamen inde probatur, non fore irregularem. Gibal. *c.* 3. *de irregular. q.* 1. *n.* 4. Pellizzatius *ſect.* 2. *cit. q.* 21. *n.* 91. & apud Layman. *c.* 5. *n.* 1.

QVÆSTIO V.

Quiſnam ſit, & appelletur filius illegitimus.

RESpondeo dicendum, quòd filius illegitimus eſt ille,qui non eſt ortus ex legitimo matrimonio, ſed ex copula fornicaria. Quæ quidem quia multiplex eſt, ideò multiplex eſt ſpecies illegitimorum. Vnde qui natus eſt ex ſoluto & concubina domi retenta,dicitur *filius naturalis.* Qui ex meretrice, dicitur *Manſer.* Qui ex coniugato, & ſoluta, dicitur *Nothus.* Qui ex coitu in iure ciuili damnato,veluti ex raptu,inceſto, ſtupro, aut ſacrilegio, dicitur *Spurius* à Spurcitia in iure reprobata. Sic omnes. Bonac. *q:* 2. *punct* 3. *n.* 1. & penes illum Conarr. Sayr. Suar. Vaſquez, Molina, Leſſius, & Filliuc. ſic etiam Philibert. *c.* 1. *cit. n.* 3. Palao *tract.* 13. *de benef. diſp.* 4. *punct.* 1. §. 1.

QVÆSTIO VI.

An filij expoſiti habendi ſint illegitimi, & ab Ordinibus conſequenter arcendi.

AFfirmant quamplures Doctores. *Primò.* Quia Hoſpitalia, in quibus expoſiti aluntur, communiter vocantur Hoſpitalia illegitimorum: ergo quia communi hominum æſtimatione tales cenſentur.

Secundo. Quia præſumptio ſumenda eſt ex his, quæ frequenter contingunt: ergo cùm frequentiſſimum ſit, vt experientia docet, hos filios expoſitos ex illicitis congreſſibus natos eſſe; & ratò ſuccedat ex matrimonio eſſe generatos,pro illegitimis habendi ſunt. Ita apud Philibert. Honded. *conſ.* 47. *num.* 13 *lib* 2. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 53. *num.* 3. Couarr. *p.* 2. *de matrim. c.* 8. §. 7. Alciat. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumptione* 1. *num* 2. Caſtill. *quotidian. quæſtionib. lib.* 2. *c.* 19. Rota apud Seraphinum agens de expoſitis Hoſpitali Spiritus Sancti in Vrbe Garcias *p.*7 *de Benef. cap.* 2. *à num.* 9. Vgolin. *de offic. & poteſt. Epiſcopi*, *c.* 44. §. 7. Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *de cenſur.* Sayr. *lib.* 6 *cap.* 10. *num.* 39. Rebell. *de obligation. iuſtitiæ*, *part.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 15. Vaſquez 1 2. *diſp.* 66. *num.* 48. & Bonac *quæſt.* 1. *de Irregularit. punct.* 3. *num.* 10. & Philibert. *tract.* 1. *de Ordine, part.* 10. *cap.* 1. *difficult.* 1. His addi poſſunt apud Bonacin. Filliuc. *num.* 141. Reginald. *num.* 77. & Auila *part.* 7. *diſput.* 3. *dub.* 10. Rurſus

Salzedo

Salzedo *in praxi, cap.* 14. Hurtad. *de irregularitat. diſſ.* 14. *n.* 47. Villalob. 1. *p. tract.* 13. *diff.* 57. *n.* 7. Viuald. *de Irregularit. n.* 123. Rocaful. *praxi* 3. *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 56. Quintanaduen. *tom.* 2. *ſingul. tract.* 16. *ſingul.* 5.

Sed probabilius Reſpondeo: Non eſſe habendos pro illegitimis, ſed pro legitimis; & ſic poſſe ordinari abſque diſpenſatione. Ratio eſt *Primò.* Quia filij expoſiti nullo iure decernuntur illegitimi, imò potiùs Gregor. XIV. in quadam Bulla edita *anno* 91. in gratiam Confraternitatis de Vrbe pro expoſitis declarauit, expoſitos pro legitimis eſſe habendos, atque ad omnes honores, & præbendas eſſe admittendos, vt notant Henriquez, Auila, Cornejo, Diana, & alij mox citandi: ergo.

Secundò. Quia filij ex legitimo matrimonio procreati ob paupertatem parentum ſæpiſſimè exponuntur: ergo ne illis præiudicium fiat, omnibus à iure legitimitatem concedi credendum eſt.

Tertiò. Quia quilibet præſumendus eſt legitimus, dum non probetur contrarium; tum quia in dubiis pars benignior eſt præferenda. Tum eſto concedamus, vt contrarij volunt, frequentius contingere dictos expoſitos ex ſolutis naſci; quia tamen hæc præſumptio ex frequentiùs contingentibus, infamiam filiis irrogat, & in parentibus culpam ſupponit, cedit hæc præſumptio præſumptioni, quod ſiot ex matrimonio generati, eſto non ita frequenter contingat: quia cùm duæ præſumptiones in vno actu concurrunt, ſemper præualere debet, quæ delictum excludit, & fauorem continet, vt probat Menoch. *caſu* 89. *n.* 23. ex quo patet ad argumentum ſecundum. Nec primum quid vrget, cùm denominatio ex fine ob quem Hoſpitalia ſunt inſtructa ſolùm proueniat. Sic tenet Diana 2. *part. tract.* 15. *reſol.* 22. & *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 58. & penes ipſum Ananias *in c.* 1. *n.* 11. *de infant. expoſitis.* Felin. *in cap. cum deputati, n.* 1. *de iudiciis.* Cardin. Paleſt *de ſpuriis cap.* 63. *à n.* 3. Gratian. *in diſceptation. forenſ p.* 1. *c.* 134. *n.* 1. Molfeſ. *in p.* 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *diſput.* 87. *in fine.* Salas *in* 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſputatione vnica, ſect.* 24. *num.* 245. Sanctarel. *variar. reſol. quæſt.* 44 Ægid. *de Sacrament. diſp.* 18. *dub.* 12. *num.* 105. Taſſon. *in pragmat. de Antefato, verſ.* 13. *obſeruat.* 1. *n.* 78. Squillante *de priuileg. Clericor. cap.* 4. *dub.* 2. *n.* 39. Mercer. *in* 3. *part. de Sacram. q.* 14. *dub.* 12. *quæſ.* 2. Malder. *in* 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *diſp.* 87. Præpoſit. *quæſt.* 5. *de Irregul. dub.* 16. *n.* 127. Peſantius *in addit. ad* 3. *part. q.* 10. *diſp.* 5. Luyſ. Turrian. *de cenſur. lib.* 9. *diſp.* 71. *dub.* 1. Cornejo *tract.* 5. *de Irregularit. diſp.* 15. *dub.* 1. *n.* 4. Peyrinus *tom.* 1. *de Relig. Prælat. quæſt.* 2. *c.* 5. §. 9. *n.* 136. Henriquez *lib* 14. *c.* 10. *in gloſſa litt. L.* vbi ait, Gregorium XIV. (ſic lege, non IV.) in Bulla ſupra citata decreuiſſe, vt expoſiti habeantur pro legitimis, & puri ſanguinis ad omnes præbendas. Auila etiam *part.* 7. *diſput.* 3. *dub.* 9. (non 7. vt leges apud Dianam) vnde malè citat illum Bonacina pro ſe. His omnibus auctoribus addi adhuc poſſunt Palao *de cenſur. diſput.* 6. *punct.* 9. *num.* 3. & *tract.* 13. *de Benef. diſput* 4. *punct.* 1. §. 2. *num.* 8. Baſil. de Leon *de Matrim. lib.* 11 *cap.* 6. *num.* 4. Piaſec. *in praxi, prima parte, cap.* 1. *artic.* 4. *num* 15. Bauny *de cenſur. tract.* 11 *quæſt.* 14. *de Irregularit. in fine.* Sà *verb. Filius, num.* 8. Baſſæus, *verb. Expoſitus, in fine.* Gabalinus *cap.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 5. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 2. *quæſt.* 20. *num.* 70.

QVÆSTIO VII.

An ſit cenſendus etiam legitimus, & conſequenter non irregularis ille, qui non eſt expoſitus; dubitatur tamen an ſit legitimus, eo quòd non reperiantur parentes eius.

NEgat Philibertus *tract.* 1. *de Ordine, p.* 10. *c.* 1. *difficult.* 1. *n.* 5. Quia (inquit) ex *c.* 2. *de Infantibus expoſitis*, conſtat illos illegitimos dici, qui nequeunt parentes ſuos oſtendere: at prædicti nequeunt oſtendere parentes: ergo pro illegitimis, ac proinde pro irregularibus ſunt habendi.

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe cenſendum, & reputandum pro legitimo, & conſequenter pro non irregulari. Quia, vt ex dictis ſup. *tract.* 1. *diſp.* 1. *q.* 18. conſtat, in dubio, excepto caſu homicidij, nullus debet ſe irregularem cenſere. Sic tenet Auila *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 10. & Cornejo *de Irregularit. diſp.* 15. *dub.* 1. *q.* 2. Addentes, & Villadiego, quod caſu quo dictus fuerit infamatus de illegitimitate, teneatur ſe purgare.

QVÆSTIO VIII.

An Filius genitus à coniugatis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, & vtriuſque coniugis, aut alterius in Religione profeſſionem, ſit illegitimus, & conſequenter irregularis.

AFfirmat eſſe irregularem, ac canonicè illegitimum, quamuis ciuiliter, & materialiter legitimum, Cornejo *de Irregularit. diſp.* 15. *dub.* 1. *quæſt* 4. Cuius primam reſolutionis partem probat ex textu in cap. *litteras, de filiis Presbyt.* Secundam verò, ſic ille, quia ille eſt ex vero matrimonio procreatus, cùm matrimonium præcedens diſſolutum non fuerit quoad vinculum per Sacros Ordines, nec per profeſſionem ſolemnem: & benè ſtat, quod ciuiliter ſit legitimus, quantum ad hæreditatem, irregularis verò, & illegitimè genitus canonicè, quantum ad Ordines, de quo Suarez hìc *ſect.* 2. *num.* 4. Sayr. *lib.* 4. Sanchez *tom.* 3 *de Matrim. lib.* 7. *diſp* 83. per totam. Hucuſque Cornejo. Sed non benè in multis, vt mox videbis.

Reſpondeo ergo, vt certum: Dictum filium eſſe illegitimum, & conſequenter irregularem. Sic Sanchez, non loco citato à Cornejo, ſed *lib.* 9. *diſputat.* 38. *num.* 4. per hæc verba: Si ante matrimonij conſummationem, vterque coniux, aut alter tranſeat ad Religionem, & profeſſione facta filium concipiat ex priori coniuge, ſoboles eſt ſpuria. Conſtat, quia iam omninò prius matrimonium eſt ſolutum (*contra prolatum Corneji*) nec poteſt validum inter parentes conſiſtere matrimonium, impediente profeſſione vtriuſque, vel alterius. Sic Maiolus *de Irregularit lib.* 1. *c.* 4. *n.* 14. Et concluſio eſt certa apud omnes. Non eſt autem idem dicendum, ſi vir tunc ad Ordines Sacros promoueatur. Quoniam, cùm non diſſoluatur matrimonium, *extrauagag. antiqua, Ioann. XXII. de voto*, idem iudicandum eſt, ſiue ante conſummatum, ſiue poſt id accidat, vt benè aduertit Maiol. *eo c.* 4. *num.* 8. Sic Sanchez. Et ſic etiam Suarez loco à Cornejo *cit. n.* 3. Bonac. *de Irregular. quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 9. Azor. 2. *part. lib.* 2. *c.* 6. *quæſt.* 8. Palao *de Beneſic. tract.* 13. *punct.* 1. §. 1. *num.* 4. & alij, & conſtat ex à nobis dictis *de Matrimonio, tract.* 9. *diſputat.* 5.

Digitized by Google

à quæſt. 9. ex quibus patet, hanc noſtram ſententiam eſſe certam in caſu, quo proles ſit genita poſt profeſſionem alterius tantùm coniugis; & probabiliorem, etiam poſt profeſſionem vtriuſque.

QVÆSTIO IX.

An filius habitus ex parentibus poſt matrimonium conſummatum profeßis ſit legitimus.

AFfirmant Sanch. & Maiol. *eſſe illegitimum quoad ſucceßionem, & hæreditatem*: irregularem verò quoad Ordines, ob paternam incontinentiam. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 38. *n.* 7. & Maiol. *lib.* 1. *de Irregul. c.* 4 *n.* 9.

Sed abſolutè Reſpondeo: Eſſe legitimum, & conſequenter non irregularem. Quia certum eſt, talem filium eſſe ortum ex legitimo matrimonio, cùm per profeſſionem non fuerit ſolutum matrimonium conſummatum, vt conſtat ex habitis *de Matrim. diſp.* 5. *cit. q.* 11. ergo eſt legitimus: ergo non ſolùm eſt aptus ad hæreditatem, & ſucceſſionem, verùm etiam ad Ordines. Nec contra id obſtat incontinentia paterna, vt ex mox dicendis conſtabit. Nec textus *in cap. litteras*, de quo infr. *q.* 13. quia loquitur de alio caſu.

QVÆSTIO X.

An etiam ſit illegitimus filius procreatus à parentibus, voto ſimplici caſtitatis, mutuo conſenſu aſtrictis.

NEgant nonnulli Doctores, exiſtimantes talem eſſe illegitimum, & conſequenter irregularem, eo quòd ſit genitus ea copula illicita, & irreligioſa. Ita apud Sanch. *diſp.* 38. *cit. n.* 1. Ancharan. Abb. Angel. Supplem. Gabriel. Brunell. Gregor. Lop. Siunica *de voto q.* 3. *n.* 63. Rodrig. *tom.* 2. *ſum. c.* 90. *n.* 6. & Veg. 2. *tom. c.* 129. *caſu* 69 *mihi* 68. ibi. *Y lo tiene tambien Manuel Rodriguez, el qual dize ſiguiendo à Innocencio, y a Panormitano, a Hoſtienſe, y a otros muchos, que ſi deſpues tubieren copula, los hijos nacidos della ſerian eſpurios, porque aunque no dexan de eſtar caſados, quanto a las coſas ſubſtantiales del matrimonio, pero en quanto à tener vno con otro copula, quedan como ſi no eſtubieſſen caſados. Y aſſi es neceſſario, que quando hazen eſte voto, conſideren bien lo que hazen, pues los hijos concebidos deſpues del, quedan illegitimos, y no pueden ſer admitidos à la herencia, como los legitimos.* Hucvſque Vega.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Etiam eſſe legitimum, & conſequenter non irregularem. Quia ille eſt legitimus filius, qui concipitur à parentibus vero matrimonio iunctis, vt ſuprà eſt habitum: at talis eſt hic filius: ergo.

Nec obſtat fundamentum contrarium. Dicendum enim eſt, quod licèt illa copula ſit illicita, & irreligioſa, eo quòd ſit contra votum, non tamen eſt fornicaria, vt eſſet inter ſolutos, quod ſufficit, ne filius ſit illegitimus. Sic Sanch. *loc. cit. n.* 3. & penes illum Cardin. Alexand. de Neuo. Mayron, Maior, & alij. Palao *de Benef. tract* 13 *punct.* 1. §. 1. *num.* 6. dicens, praxi receptum eſſe, hos filios hæredes relinqui, & abſque vlla diſpenſatione ad beneficia, & Ordines promoueri. Azor. 2. *p. lib* 2. *c.* 6. *q.* 8. Villalob. 1. *part. tr.* 13. *diff.* 57. *n.* 10. Pellizz. *c.* 5. *cit. ſect.* 2. *quæſt.* 22. *num.* 74. ex Ægid. *diſp.* 18. *de cenſur. num.* 104. Suario, & Laymano.

QVÆSTIO XI.

An filius genitus ex coniugibus, quorum alter poſt conſummatum matrimonium, altero ignaro, aut ſciente, & contradicente profeßionem emiſit, ſit illegitimus, & conſequenter irregularis.

NEgant aliqui apud Sanchez mox citandum. Sed Reſpondeo vt certum: Eſſe legitimum, quia profeſſio fuit omninò inualida, vt conſtat ex cap. *Quidam, & cap. Placet, de conuerſ. coniugat.* ergo filio nihil præiudicat. Sic Maiol. *lib.* 1. *de Irregul. c.* 4. *n.* 5. Sanch. *lib* 9. *de Matrim. diſp.* 39. *n.* 5. Villalob. *loc. cit. n.* 5. Addentes, idem eſſe dicendum caſu, quo vir, conſtante matrimonio rato, ſiue conſummato, ad Ordines Sacros, ignorante vxore, aut contradicente, aſcendiſſet; quia licèt Ordines validè tunc recepiſſet, tamen quia contra iuris diſpoſitionem, non poſſent matrimonio, & ſoboli officere. Sic illi, & penes eos Syluest. & Henriquez.

QVÆSTIO XII.

An ſaltem filius ſit illegitimus caſu, quo concipiatur ex coniuge iam profeſſo, aut ad Sacros Ordines promoto, altero coniuge ſciente, & conſentiente, aut non contradicente, ſed tacente.

AFfirmant aliqui, eſſe illegitimum abſolutè, & conſequenter irregularem. Villalob. *loc. cit. n.* 6. per hæc verba: *El que ſe ordeno legitimamente de Orden Sacro, deſpues de eſtar caſado, porque le dio ella licencia, y era ya anciana, &c. ò profeſſo en Religion, ſi deſpues tubieſſe hijos de ſu muger, los tales hijos ſerian illegitimos, como tiene Sylneſt.* verb. illegitim. n. 6. *Alexand. de Neu.* cap. tuæ, cl 2. de Iureiur. *Henriq.* lib. 11. c. 10. n. 1. *y vna Gloſſa* in cap. Miniſtri, diſt. 18. verb. Propr. *y ſe colige de vn texto de derecho*, cap. litteras, de filiis Presbyt. *ſegun elqual no pueden ſer promouidos à Orden Sacro ſin diſpenſacion, loqual arguye ſer illegitimo.* Ita ille.

Alij verò contrà, ex parte tantum dicunt, dictum filium verè eſſe legitimum quoad ſucceſſionem, & hæreditatem: illegitimum verò quoad Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, vt beneficia. Ita Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 38. *num.* 7. & penes ipſum Rayner. Anton. Abb. Card. Aſtenſ. Bellet. & Maiol. Huius ſententiæ videtur eſſe Suarez *diſp.* 50. *ſect.* 2. *num.* 4. Sayr. *lib.* 4. & Cornejo *de Irregular. diſp.* 15. *dub.* 1. Ego verò

Reſpondeo primò. Certum eſt, talem filium eſſe irregularem, nec poſſe ad Ordines ſine diſpenſatione Pontificis promoueri. Quia ſic expreſsè habetur in iure cap. *literas*, *cit.* his verbis: *Intelleximus quod Henricus in Sacerdotio genitus, de vxore legitima natus, & conceptus affectauit à pueritia miniſtrare Domino in officio Clericali. Verùm licèt à filiis paterna incontinentia modis omnibus propellenda naſcatur, ſi tamen aliter dignus inuentus fuerit, permittimus ipſum ordinari in Clericum, & ad Eccleſiaſticum beneficium, (vnde commodè ſuſtentari valeat) promoueri.* Sic Clemens III. ex cuius verbis clarè conſtat, talem filium eſſe irregularem, propter quod vocari poſſe canonicè illegitimum, non abſolutè, & ſimpliciter ſatis conſtat. In hoc dicto conueniunt omnes.

Reſpondeo *Secundò*: Dictus filius ſic procreatus, poteſt

poteſt dici filius legitimus ciuiliter, & materialiter, vt aiunt aliqui; imò & abſolutè, & ſimpliciter. Patet, quia ille eſt ex vero matrimonio procreatus, cùm matrimonium præcedens non fuerit ſolutum per ſacros Ordines, vt conſtat: ergo abſolutè eſt, & poteſt dici filius legitimus: ergo ex vi legitimitatis aptus ad Ordines, & ad hæreditatem, & ſucceſſionem. Si ergo irregularis exiſtit, non eſt ex defectu legitimitatis, ſed ex ſpeciali, & expreſſo iure lato in dicto *cap. litteras.* Per hæc poſſunt in concordiam redigi Auctores vtriuſque ſententiæ. Legantur de hac re, Bonac. *punct.* 3. *cit. n.* 11. Filliuc. *n.* 136. *&* 137. Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 2. *n.* 5. & alij.

Qvæstio XIII.

An filius natus ex Parentibus matrimonio inualido ligatis, ſit legitimus, & non irregularis.

RESpondeo vt certum: Eſſe legitimum, & non irregularem, ſi adſit bona fides, ſaltem ex parte vnius coniugis, ſecus aliàs. Quia bona fides excuſat copulam fornicariam, ac proinde illegitimitatem. Sic habetur expreſsè *in cap. Ex tenore, cap. Cùm intér, cap. Perlatum, cap. Quod nobis. Qui filij ſint legitimi.* Sic tenent Couarr. 2.*p. de Matrim. c.*8.§.1. *n.*2.*&* §.3. *n.*6. Maiol. *lib.* 1.*c.* 5. *n.*1. Sayr. *lib.*6. *de Irregul. c.*10. Auila 7.*p. de Cenſur. diſp.* 3. *dub.* 6. *in princip.* Baſil. de Leon *lib.*11. *de Matrim. cap.* 8. *n.*2. Pellizzar. *loc. cit. q.* 23. *n.*75. Gutierr. *de Matrimon. c.*71. *n.*2. Palao *tract.*13. *de Benef. punct.*1. §. 1. *n.*6. Qui addit in foro externo ex longa coniugum habitatione præſumptionem oriri, matrimonium legitimè celebratum eſſe, filioſque inde natos eſſe legitimos: longum verò tempus eſſe ſecundum aliquos decennium, ſecundum omnes tricennium. Sic etiam Philibert. *de Ordine, tract.*1. *p.*10. *c.* 1. *n.*21. Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 1. *n.* 11. Filliuc. *n.*132. Bonacin. *q.* 2. *de Irregularit. punct.* 3. *n.* 3. Qui cum aliis iungit filium genitum à parentibus, qui inualidè matrimonium contraxerunt, non teneri ſe tanquam irregularem gerere, niſi ei conſtet de mala fidè parentum; nam in dubio non debet præſumi parentes deliquiſſe.

Qvæstio XIV.

An filius teneatur credere matri aſſerenti cum iuramento ipſum eſſe illegitimum.

RESpondeo: Non teneri illi credere. Quia aliàs facilè poſſent matres filios exhæredare. Vnde licèt matris dictum aliquam præſumptionem faciat; per hanc tamen filius non ſe debet priuare iure legitimitatis, neque per Iudicem priuandus eſt. Sic ex Suario *diſputatione* 50. *ſectione* 4 *numero* 5. docet Philibert. *loc. cit.* ita ſcribens: Imò nec tenetur filius credere matri, etiam in articulo mortis aſſerenti, ipſum non eſſe legitimum, etiamſi id iuramento ad ſuam conſcientiam exonerandam in bonum filiorum legitimorum, ſe id facere teſtetur. Sic etiam Filliuc. *tract.*19. *cap.*5. *q.* 5. *n.* 144. ex Nauar. *cap.* 27. *n.* 201. & Maiol. *lib.* 11. *c.*7. *n.*3. Sic etiam Palaus *tr.*13. *de Benef. diſp.*4. *punct.*1. §. 1. *num.* 7. Baſil. de Leon *lib.*11. *de Matrim. c.*9. *n.* 3. Bonac. *punct.* 3. *cit. n.* 5. Diana *p.*4. *tract.* 2. *reſol.*59. §. *Notandum.* Pellizzar. *tom.*2. *tract.*7. *c.*5. *ſect.* 2. *q.*21. *n.*72. & alij.

Qvæstio XV.

Quibus modis tollatur irregularitas hac orta ex defectu natalium.

RESpondeo dicendum: Quod quatuor modis. *Primo*, per ſubſequens matrimonium. *Secundo*, per abſolutam legitimationem Pontificis. *Tertiò*, per Diſpenſationem: & *Quartò*, per Profeſſionem in approbata Religione. Sic omnes Doctores, præcipuè Palao *tract.*13. *de Benef. diſp.* 4. *punct.*1. §. 2. & *tom* 6. *de Cenſur. diſp.*6. *punct.*9. *à n.*4. Couarr. 1.*p. de ſponſal. c.*8. §. 8. *n.*2. Molina *tract.* 2. *de Iuſtit. diſp.*171. ex quibus, & aliis aduerte, quod legitimatio nihil aliud ſit quàm Natalium reſtitutio quoad ea, quæ poſitiuo iure filiis illegitimis denegata ſunt. Vnde cùm hoc iure poſitiuo, tam Canonico, quàm Ciuili plura filiis illegitimis denegentur, quæ alioquin legitimis conceſſa ſunt, ſi hæc illis reſtituantur, legitimi fient. Reſtitui verò hæc poſſunt quadruplici modo aſſignato.

Qvæstio XVI.

An filius illegitimus fiat legitimus, & conſequenter tollatur irregularitas per ſubſequens matrimonium.

RESpondeo vt certum: Fieri legitimum, & conſequenter habilem, tam ad ſucceſſionem hæreditariam, & dignitates ſæculares, quàm ad Ordines, & Eccleſiaſticas dignitates (excepto Cardinalatu, vt infrà) dummodo Parentes, tempore ſaltem copulæ habiles ad contrahendum extiterint. Quia fictione iuris in fauorem prolis matrimonium ſubſequens quaſi retrotrahitur ad tempus conceptionis, & prolem ante conceptam legitimam reddit, ac ſi conſtante matrimonio genita eſſet. Sic deciditur expreſsè *in cap. Tanta. Qui filij ſint legitimi*, his verbis: *Tanta eſt vis matrimonij, vt qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur*, & conſonat lex 13. *tit.* 1. *p.*4. Sic omnes. Legantur Henriq. *lib.*11. (non 13. vt offendi apud Bonacinam) *&* 1. *de Matrim. c.* 20. *n.*2. & *c.*21. *n.*2. *&* *lib* 14. *c.*8. *n.*10. Suarez *diſp.*50. *ſect.*1. Bonac. *q.*2. *de Irregul punct.* 3. *n.*6. Palao *loc. cit.* & Couar. 2.*p. de ſponſal. c.* 8. §. 2. *n.*18. Qui notant, matrimonium dictum hanc vim habere non à ſe, ſed à iuris diſpoſitione, & beneficio Principis. Bauny *de Irregul. q.*14. *dicto* 1. Pellizzar. *loc. cit. q.*14. *n.*76. & Baſil. *de Matrim. lib.*11. *c.*1. *n.*7. *&* 8.

Qvæstio XVII.

An per ſubſequens matrimonium fiat filius illegitimus legitimus, caſu quo Parentes eſſent habiles ad contrahendum, non tempore conceptionis, ſed natiuitatis prolis.

NEgant plures Doctores: Quia delictum (inquiunt) in coïtu committitur, non in natiuitate: ergo non eſt inſpicienda natiuitas, ſed conceptio prolis: hæc ergo concepta ex inhabilibus parentibus, licèt ſit nata ex habilibus iam ad contrahendum nequit reddi legitima matrimonio ſubſequenti. Ita tenent Suarez *diſput.* 50. *ſect.*1. *num.*3. Garcias *de Benefic.* 7. *part. cap.* 2. *à num.* 38. Maiolus *de Irregularitate lib.*1. *cap.* 4. *num.* 14. & Filliucius *tractatu* 19. *capito quinto, numero* 231. Sarmiento *lib.* 1. *ſelectar. interpret. capite* 5. *num.* 10. Præpoſitus *in*

3.*part.*

3.*part.q.5.de Irregul. dub.*16.*n.*126. Auil.*p.7.diſp.*3. *dub.*8. ex Syluest. *verb. illegitimus*, *q.* 3. & Anton. Gomez *l.*4. *Tauri, n.*56. Quibus videtur conſentire, non ita clarè, Bauny *loc.cit.* & clarè Viuald. *de Irreg. num. mihi* 112.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, talem filium eſſe legitimum, iam ad ſucceſſionem hæreditariam, quàm ad dignitates, & Ordines Eccleſiaſticos ſine diſpenſatione ſuſcipiendos. Sic colligitur ex cap. *Tanta. Qui filij ſint legitimi*, vbi non ſolùm conceptionem (vt contrarij volunt) ſed etiam natiuitatem filij ab impeditis videtur ſpectaſſe, ne filius ſubſequenti matrimonio legitimaretur, ſed ſpurius remaneret. Inquit enim textus, *ſi vir, viuente vxore ſua, aliam cognouerit, & ex ea prolem ſuſceperit, &c.* at ſic eſt, quod proles natiuitate ſuſcipitur: ergo non ſolùm conceptio, ſed natiuitas ſpectatur ad legitimum impedimentum. Deinde apertiùs probatur ex *leg.*11. *Tauri*, quæ hodie eſt *lex* 9.*tit.*8. *lib.*1.*recopil.* ibi: *Porque no ſe pueda dudar, quales ſon hijos naturales, Ordenamos, y mandamos que entonces ſe digan ſer los hijos naturales, quando al tiempo que nacieron, ò fueron concebidos ſus Padres podrian caſar con ſus Madres juſtamento, ſin diſpenſacion.* Ergo ex hac lege manifeſtè conſtat, quod vt filius ſpurius, ſubſequenti matrimonio legitimari non poſſit, debeat non ſolùm concipi, ſed naſci à parentibus, toto illo tempore contrahere impeditis. Sic tenent Sanch. *lib.*8. *de Matrim. diſp.* 6.*n.*16. & penes illum Couarr.4. *decret.*2.*p.c.*8.§.2.*n.*15. dicens, eſſe communem ſententiam. Gregor. Lop.*l.*2.*tit.*15.*verb. ſino el fijo,q.*9. *verſ. ſed pone.* Molin.*tom.*1. *de Iuſt.tract.*2. *diſp.* 172. *col.* 2.Ceruant *lib.*11. *Tauri,n.* 153. & alij. Sic etiam Baſil. de Leon *lib.*11 *.de matrim.cap.* 3.*num.*2.Fachin. *lib.* 5.*controu. cap.*50. Sayr. *lib.*6. *de Irregul. cap.* 10. *n.*19. Azor 2.*p.lib.*2.*c.*13.*q.*8. Gutierr. *tract. de matrim.cap.*72.*à n.*6 Bonacin.*de irregul.queſt.*2. *punct.*3. *num.*6. Palao *tom.* 2.*tract.*13. *de Benefic. diſput.*4. *punct.*4. *à num.*5. Philibertus *de Ordine tract.*1. *part.* 10 *difficult.*6.*num.*40. Villalob.*tom.*1. *tract.*13. *diff.*58. *num.*7. Concejo *in* 3.*p. tract.*5. *de Irregul. diſp.*15. *dub.* 2. *q.* 6. verſ. *Sed quid ſi tempore.* Diana *p.*4. *tract.* 2. *Reſol.* 59. ibi: Nota ſecundò, non eſſe illegitimum filium, quando tempore quidem conceptionis intercedebat impedimentum dirimens, tamen eo ſublato, tempore eius natiuitatis parentes validè poterant contrahere, vt quando v.g. quis carnaliter cognouit ſuam conſanguineam, quam impetrata diſpenſatione in vxorem accipit, antequam proles naſcatur. Hæc Diana. Baſſæus etiam *verb. Irregularitas* 3. *n.* 3.Barboſa *tract de Appellat.verb.iuris, appell.*148. *n.*7. Pellizzar. *tom.*2. *tract.*7.*c.*5 *ſect.*2. *q.*24.*n.*76. & putat probabile Ægid.*n.*504.

Qvæstio XVIII.

An filius illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium inualidum, exiſtimatum tamen validum, & verum.

NEgant plures Doctores, docentes filium naturalem ante matrimonium genitum, nullo modo legitimum reddi per ſubſequens matrimonium nullum, etiam bona fide contractum. Ita Suarez hic, *diſp.* 50. *ſect.*1. *n.* 11. & penes illum Socin. *conſ.*31. & Couarr. 2.*p. de Matrim. c.*8. §.2.*n.*17. *in fine.* Ita etiam Filliuc. *tract.* 29.*cap.*5. *q.*1. *num.*132. *in fine*, & alij.

Sed probabilius Reſpondeo: Fieri legitimum per tale matrimonium bona fide, etiam vnius contractum. Quia matrimonium reputatum idem operatur ac verum: cùm titulus putatiuus operetur eundem effectum, quem verus operatur, vt conſtat in materia iuriſdictionis ex lege *Barbarius*. *ff. de offic. Prætor.* Sic Anton. apud Couarr. *loc.cit. n.* 16. in fine, quem ipſe videtur quoad hanc partem ſequi, vt benè ait Villalob. 1.*part. tract.* 13. *diff.*58. *ſub n.*8. his verbis: *Lo miſmo ſe ha de dezir quando el matrimonio fueſſe nullo, hauiendo buena fee, que como baſta para legitimar los hijos que ſe ſiguen, tambien baſta para legitimar los que antecedieron, como dize el miſmo Couarruuias*, vbi ſup. *y otros, y conſta de lo dicho:* ſic ille. Bonac. etiam *de Irregul q.*1 *punct.* 3.*n.*6 *verſ. A lait Suar.* Philibert. *tract.*1. *de Ordine, p.*10. *c.* 1. *à n.* 21. & alij.

Qvæstio XIX.

An filius conceptus, & natus tempore, quo parentes eius inhabiles ad contrahendum extiterunt, ſed aliquo intermedio tempore, quo in ventre extitit, habiles fuerunt, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium.

NEgabunt conſequenter Suarez, Filliuc. Molinos Sarmiento, Præpoſitus, Auila, & alij citati *q.*17. cùm exiſtiment eſſe neceſſarium ad hoc, vt filius illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, vt parentes fuerint habiles ad contrahendum tempore copulæ: at in noſtro caſu non extiterunt habiles tunc: ergo.

Sed probabilius, conſequenterque Reſpondeo: Fieri legitimum. Sic declarans quæſtionem, tenet Ferdinand. Palao his verbis. Caſus eſt contingens. Potes namque, viuente tua vxore concubinam cognoſcere: moritur vxor, ecce habilis es ad contrahendum cum concubina, ſed antequam filius naſcatur, cognoſcis eius conſanguineam in ſecundo gradu, ob quod delictum impeditus es ad contrahendum. Filius ergo ſic conceptus, & natus legitimabitur ſubſequenti matrimonio? Credo legitimari. Moueor ex l. *qui in vtero eſt*, *ff. de ſtatu hominum*, ibi: *Qui in vtero eſt, perinde eſt, ac ſi in rebus humanis eſſet conſtitutus, quando de commodis eius agitur.* Sed ſi filius eo medio tempore, quo in vtero eſt, & parentes eius ſunt habiles, naſceretur, legitimus eſt cenſendus, eſto tunc non naſcatur. Deinde filius ancillæ libertatem obtinet, ſi eius mater tempore conceptionis, vel partus, vel dum illum in ventre habuit, libertatem obtinuit, §. 1. *Inſt. de ingenuis.* Ergo idem dicendum eſt de legitimitate ob matrimonium ſubſequuturum, cùm ſit eadem ratio, nempe filiorum. Et ita tenet Baſil. Legion. *lib.*11. *de matrim. c.*3. *n.*9. Hucvſque Palao *tom.*2. *tract.*13. *de Benef. diſp.*4. *punct.*1. *num.*7.

Qvæstio XX.

An filius natus ex coniugato, & ſoluta, quæ ignorabat virum eſſe coniugatum, fiat per ſubſequens matrimonium legitimus.

NEgant plures Doctores, quia in cap. *Tanta, Qui filij ſint legitimi*, nulla fit diſtinctio de bona, vel mala fide; ſed abſolutè dicitur, non legitimari filium conceptum ex aliena, viuente vxore propria, per matrimonium ſubſequens: ergo. Ita tenent Couarr. 2.*part. de Matrim. cap.*8. (non 6. vt leges apud Palaum) §.2. *n.*17. *in fine*, & *n.*18. Fa-

quod ætas debita aduenit, poteſt ſine diſpenſatione exercere ſuſceptos Ordines; ita & is, qui adhuc illegitimus Ordinatus eſt, poteſt prædicto modo factus legitimus in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Hæc omnia Reginald. & ex illo Dian. *part.3. tract. 2. de Irregul. Reſol.59. §. Nota tertiò.* Quibus Authoribus ego addo Petr. Cornejo *in 3. p. tr. de irregul. diſp.15. dub.2. q.6. prope finem*, ſic dicentem: Sed quid, ſi filius illegitimus ante matrimonium ſubſequens parentum ad Ordines de facto ſine vlla diſpenſatione promoueatur: Reſpondeo, ſequuto matrimonio, nulla alia diſpenſatione indigere, vt Ordine ſuſcepto vtatur, & ad alios ſuperiores aſcendat, quia per tale matrimonium auſertur illegitimitas: ergo etiam irregularitas, quæ ex illa oritur. Nec ex eo, quod ante matrimonium parentum promotus fuerit ad Ordines, contrahit nouam irregularitatem; ſed ſolùm peccauit mortaliter recipiendo Ordines ſine diſpenſatione: ergo factus legitimus per ſubſequens matrimonium caret irregularitate. Sic Cornejo. Bonac. etiam *de Irregul. q.2. punct.3. n.8.* qui citat pro hac parte Sayr. *lib 6. c. 10. num. 30.* & Ægidium *diſp. 18 dub.12. num.105.* ſed ex iis, ſaltem Ægidium malè, quia de hac difficultate nihil tractat.

Qvæstio XXIV.

An Filius conceptus, aut natus ex parentibus habilibus ad contrahendum validé, non tamen iuſtè, ſeu licitè legitimetur per ſubſequeni matrimonium.

Reſpondeo vt certum: Legitimari. Quia ad hoc ſufficit, quod filius conceptus ſit ex parentibus habilibus ad contrahendum validè. Sic Villalobos *tract.13. diff.58. n.9.* vbi ſic dicit: *Lo quarto ſe infiere, que los hijos, que nacen deſpues que el padre ſe deſpoſo de futuro con vna, y los uvo de otra ſoltera, ò ſi los uvo deſpues de hauer hecho voto de caſtidad, todos eſtos ſe hazen legitimos por el matrimonio ſiguiente. Porque todos eſtos ſon naturales, que entre los padres podia hauer matrimonio valido quando los huuieron, porque no auia impediemiento que dirimieſſe. Aſſi lo dizen Sanche* lib.1. diſp.8. num.8. *Molin.* 1. tom. de Iuſtit. diſp.167. *y Henriq.* de Matrim. lib.11. cap.10. *Los quales dizen, que la ley de Toro, que pide para que ſean los hijos naturales, que puedan contraer iuſtamente, ſe ha de entender validamente. Y coligeſe de vn capitulo del derecho* (cap. Portò, de diuort.) *que dize que es officio del Obiſpo diſolver los matrimonios que ſe hizieron ilicitamente, que quiere dezir inualidamente.* Sic Villalob. Cui poſt ab ipſo citatos, adde Baſil. de Legion. *lib. 11. de Matrim. c.2. n.5. & 6.* Sayr. *lib.6 de Irregul. c.8. n.17.* Pelliz. *loc. cit. q 22. num.74.* Palaum *tom.2. tract.13. de Beneſ. diſp.4. punct.1. § 3. n.1.* Qui addit idem dicendum de filio nato ex parente in minoribus Ordinibus conſtituto, & beneficium habente; nempe, quod ſubſequenti matrimonio legitimetur, quia Ordines Minores, & beneficium non reddunt parentem inhabilem ad contrahendum.

Qvæstio XXV.

An filij naturales reddantur legitimi per ſubſequens matrimonium factum in articulo mortis.

Negauit Baldus *in l. Eam quam, n. 27. Cod. de fideicommiſſ.* vbi licèt fateatur dictum matrimonium valere; negat tamen efficax eſſe ad legitimandam prolem anteà habitam. Quia *l. Nuper, Cod. de natural. liber.* dicitur, matrimonium habere vim legitimandæ prolis, quando ſpe ſobolis initur: at id non reperitur in matrimonio inito in mortis articulo: ergo.

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo: Reddi legitimos per matrimonium factum in articulo mortis. Quia in *cap. Tanta. Qui filii ſint legitimi*, generaliter virtus legitimandi prolem vero matrimonio tribuitur: at tale eſt matrimonium initum in articulo mortis: ergo. Nec obſtat ratio in contrarium adducta. Nam vt communiter reſpondent Doctores, id matrimonium etiam rectè dicitur initum ſpe prolis, eo quòd ineatur ad ſuſcipiendam prolem legitimam ratione matrimonij, quæ ex illigitimo concubitu ſuſcepta fuerat; & ideò proles illa cum ea noua qualitate, eſt effectus ex hoc matrimonio conſurgens, & dicitur quaſi noua proles. Sic omninò Thom. Sanch. *lib.7. de Matrimon. diſput.105. num. 5.* & penes ipſum Ioan. Andr. Anton. Ancharan. Cardin. Præpoſit. Tiraquel. Ciſuentes. Rodrig. & alij quamplures. Cum quibus addit *num. 6.* hanc ſententiam habere verum, etiam caſu quo parens in ætate decrepita conſtitutus contrahat matrimonium. His Authoribus addi poſſunt Philibert. *tract. 1. de Ordine, part. 10. cap. 1. num. 28.* Rota apud Farinacium *deciſ.171. num.11. part.1. recentiorum.* Villalob. *tom.1. tract.13. diff.58. num. 6.* dicens eſſe ſententiam omnium. Cornejo *in 3. part. tract.5. de Irregul. diſp.15. dub. 2. ſub quæſt. 6.* verſ. *Sed quid ſi matrimonium*, vbi quamuis bene citet Diuum Thomam Sanchez; ſed mendoſè valde citat locum, vbi id teneat Baſilius *de Matrim. lib.11. c.1. §.1. n.6.* & alij.

Qvæstio XXVI.

An filij naturales legitimentur per ſubſequens matrimonium, ſi id ſit confectum abſque dotalibus inſtrumentis.

Negare poſſet aliquis. Quia *textus ciuilis, Auth. Quibus modis naturales efficiantur legitimi, §. illud quoque*, verſ. *Quantum verò.* Expreſsè requirit ad legitimationem per ſubſequens matrimonium, vt contrahatur cum dotalibus inſtrumentis: ergo. Pro hac parte citant aliqui Matthæum de Afflictis, *lib. 3. feudorum, titul. ſi de feudo fuerit controuerſia inter dominum, & agnat. capite primo, §. Naturales, num. 31.* vbi apertè dicit, deſiderari, vt matrimonium legitimet prolem, vt in eo interueniant inſtrumenta dotalia.

Sed vt quid certum Reſpondeo: Legitimari per tale matrimonium. Quia in iure Canonico, cui in hac re ſtandum eſt, cap. *Tanta. cit.* generaliter decernitur filios naturales legitimari per ſubſequens matrimonium: & id eſt etiam confectum ſine inſtrumentis dotalibus, cùm hæc non ſint de neceſſitate canonica matrimonij: ergo.

Nec textus ciuilis pro contrario adductus, quid contra nos probat: Quia, vt diximus, hac in re non eſt ſtandum diſpoſitioni iuris ciuilis, ſed canonici (vt ingenuè tandem fatetur Matthæus de Afflictis *n.34.*) quia huius eſt diſponere de matrimonio, ac eius acceſſoriis: ius autem canonicum generaliter loquitur, nec talem ſolemnitatem exigit. Sic optimè Sanch. *lib.3. de Matrim. diſp.44. n.2.* dicens, hanc eſſe fortè omnium ſententiam. Citatque pro illa Gloſſam, Fabrum, Hoſtienſ. Abbatem, Angel. Tabien. Armill. Couarr. Molin. & alios. Quibus adhuc addi poſſunt Philibert. *loco citato, num. 24.* Baſil. de

Leon. *lib.* 11. *de Matrimon. cap.* 1. §. 3. *n.* 20. & 22. & alij penes ipſum.

QVÆSTIO XXVII.

An filius naturalis natus ex nobili viro, & vili perſona, v.g. meretrice, aut ancilla, legitimetur per ſequens matrimonium.

NEgauit ex parte Mencbaca *lib.* 3. *controuerſ. vſufrequent. c.* 41. aſſerens, talem filium non legitimari quoad ſucceſſionem filiorum, & alios iuris ciuilis eff.ctus

Sed vt certum Reſpondeo: Legitimari. Quia tale matrimonium (dato, & non conceſſo, quod iure ciuili non conſiſteret) iure canonico eſt validum, vt conſtat ex *c.* 1. & 2. *de coniugio ſeruorum*: ergo per illud verè legitimatur dictus filius, etiam quoad omnes effectus. Sic Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 44. *num.* 2. & penes illum Tiraquel. Acoſta, Couarr. Anton. Gomez, Menochius, & alij plures. Quibus addi poſſunt Fachineus *lib.* 3. *controuerſ. iuris*, *c.* 63. Riccius *collect.* 107. Ludouic. de Sardis, & alij quos citat, & ſequitur Philibertus *tract.* 1. *de Ord. part.* 10. *cap.* 1. *n.* 25. & 26.

QVÆSTIO XXVIII.

An Pontifex poßit illegitimos legitimare ad Ordines, & ad beneficia.

REſpondeo vt certum, poſſe. Quia cùm à iure lato ab ipſomet Pontifice ſint inhabiles ad Ordines, & beneficia; optimè poteſt quos maluerit à tali iure eximere. Poterit ergo ad hæc legitimare illegitimos. Sic omnes, vt ſupponunt Palao *tom.* 2. *tract.* 13. *de Benef. diſp.* 4. *punct.* 2. §. 5. *n.* 4. Philibert. *tract.* 1. *de Ordine*, *p.* 10. *c.* 1. *num.* 18. Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *n.* 2. & alij.

QVÆSTIO XXIX.

An legitimati à Papa ſint habiles ad omnes Ordines, beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas.

REſpondeo vt certum: Eſſe habiles ad omnes Ordines, beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas, excepto Cardinalatu ex proprio motu Sixti V. *anno* 1595. *tertio Nonas Decemb.* incipiente, *Poſtquam*. Sic omnes. Legantur Philibert. *loc. cit.* Couarr. *in* 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 8. §. 8. Auila *part.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 6. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 5. *q.* 7. & 8.

QVÆSTIO XXX.

An Pontifex poßit legitimare quemcunque ſibi ſubditum, non ſolùm ad ſpiritualia, vt vidimus; ſed etiam ad temporalia, & ad ius ſuccedendi.

REſpondeo vt certum: Poſſe. Quia certum eſt, in ſibi ſubditum vtramque poteſtatem, nempe ſpiritualem, & temporalem habere: ergo quemcunque ſibi ſubditum legitimare poteſt, non ſolùm ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia. Sic docent omnes, præcipuè citati.

QVÆSTIO XXXI.

An etiam poßit Pontifex directè, & liberè alienos ſubditos legitimare ad temporalia, & vocare ad ſucceßiones, etiam in præiudicium vocatorum.

AFfirmant aliqui Doctores. Et probant *Primò* ex illis duobus gladiis, quos Chriſtus Petro contulit. *Ecce duo gladij hic.* Qui quidem apertè ſignant duplicem Papæ poteſtatem, ſpiritualem, & temporalem in omnia Regna mundi: ergo omnes, etiam extra loca ſuæ temporali ſubiecta iuriſdictioni degentes, poterit adhuc ad temporalia directè legitimare.

Secundò probant apertis exemplis. Nam de facto Clemens IV. filios Alphonſi III. Portugaliæ Regis ex Beatrice illegitimè ſuſceptos, viuente adhuc Methilda eius vxore legitima, eadem poſtea mortua legitimauit, Regnoque ſucceſſerunt: vt teſtatur poſt alios Barboſa *de offic. Epiſcop. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 101. Rurſus vt conſtat ex *cap. per venerabilem*, §. *Rationibus igitur. Qui filij ſint legitimi.* Innoc. III. filios Philippi Auguſti Francorum Regis ad effectum ſuccedendi in paterno regno legitimos effecit: ergo cùm conſtet hac poteſtate Pontifices de facto vſos fuiſſe, non videtur de illa poſſe amplius dubitari. Ita Hoſtienſ. Præpoſitus, Anton. de Butrio, Calder. Ioan. Andr. *in d. c. Per venerabilem.* Quos pro hac parte refert, nec impugnat, ſed potiùs ſequi videtur Philibert. *tract.* 1. *de Ord. part.* 10. *c.* 1. *à n.* 45.

Sed clarius, & tanquam quid verum Reſpondeo: directè id non poſſe Pontificem; benè tamen indirectè, concurrente aliqua vrgentiſſima cauſa, in qua facere valdè expediat talem legitimationem Religioni Chriſtianæ.

Prima pars probatur. Quia Pontifex non habet iuriſdictionem temporalem in aliena Regna, niſi tantùm indirectè, id eſt, quando id poſtulat cauſa ſpiritualis, vt colligitur ex *cap. Per venerabilem, cit.* § *Non ſolùm*: ergo directè non habet facultatem liberam, & plenam alienos ſubditos legitimandi, & vocandi ad ſucceſſionem. Confirmatur: Ideo Princeps ſæcularis nequit legitimare quoad Eccleſiaſtica, quia caret iuriſdictione Eccleſiaſtica, cuius id eſt: ergo nec Pontifex poterit quoad temporalia extra loca ſuæ ditionis, cùm in eis careat directè iuriſdictione temporali, cui id incumbit. Solùm ergo poterit legitimare non ſubditos, ſi id cauſa ſpiritualis poſtulet, quæ valdè Religioni Chriſtianæ expediat, & quando ſæcularis Princeps, ad quem alioquin ea legitimatio ſpectat, eam efficere renuat, aut non tam cito velit, aut poſſit, vt res poſtulat. Quia in Ordine ad bonum ſpirituale integrum eſt Pontifici ſæcularium Principum negligentiam ſupplere. Ex quo iam manet probata ſecunda pars noſtræ ſententiæ, quam ſolùm probant argumenta contrariæ. Cuius auctores nobiſcum in re conueniunt, ſi benè intelligantur. Sic Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *num.* 1. Couarr. 4. *decret.* 2. *part. c.* 8. §. 8. *n.* 18. Molina *lib.* 3. *de primogen. cap.* 2. *n.* 1. & alter Molina *tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 173. *init.* Peregrin. *de fideicommiſſ. art.* 23. *n.* 11. Baſil. de Leon. *lib.* 11. *de Matrim. c.* 5. §. 1. *n.* 6. Corduba *in ſuis qq. lib.* 8. *diſp.* 2. Barboſa *de offic. Epiſcopi part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 101. & 104. Palao *tom.* 2. *tract.* 31. *de Benef. diſp.* 4. *punct.* 1. §. 5. *n.* 4. & communiter, præcipuè ſecundam partem noſtræ ſententiæ, tenent omnes, vt fatetur Philibert. *loc. cit. num.* 52. ſic dicens: Sed quidquid ſit de hac Summi Pontificis poteſtate in aliena Regna,

vel

vel legitimandi alienos ſubditos, ſaltem id ab omnibus concedendum eſt ineſſe Pontifici, ſaltem indirectè hanc poteſtatem legitimandi alienos ſubditos ob commune bonum fidei, & religionis, veluti ad ſedanda bella inter Chriſtianos Principes futura, vel ſi Princeps Chriſtianus petatur in matrimonium ab infideli, quæ cum ſuo Regno ad fidem vult conuerti, ſiue etiam ob alios fines iudicet Papa hanc legitimationem Chriſtianæ Reipublicæ expedire.

Qvæstio XXXII.

An poßit Pontifex illegitimos quoſcunque, etiam alienos ſubditos legitimos adhuc ad temporalia reddere, diſpenſando in radice matrimonij nulliter contracti ob impedimentum à iure Pontificio introductum.

NEgant nonnulli Doctores. Quia Pontifex non poteſt facere, quod matrimonium illud inualidum (etiam ob impedimentum canonicum, ac proinde à ſeipſo diſpenſabile) ex quo genitus fuit illegitimus, non fuerit inualidum; & conſequenter, quod ex illo non fuerit illegitimus, & inhabilitates illegitimorum prouenientes, non ſolùm à iure canonico, ſed à ciuili etiam non contraxerit: at ſic eſt, quod Pontifex nullam poteſtatem habet ſupra ius ciuile: ergo neque ad talem filium legitimandum. Ita ſentiunt Molina *tom 3. de Iuſt. tract. 2. diſp 614 num. 3.* Additionator ad Nauarrum *lib. 4. conſ. in 2. edit. tit. Qui filij ſint legitimi, conſ.* 2. vbi ait Gregor. XIII. *anno* 1584. negaſſe diſpenſationem huiuſmodi à ſe petitam, ac addidiſſe ſe non poſſe ſic diſpenſare. Anton. Milis, & Cernantes, quos omnes pro hac parte citat Sanch. *lib 8. de Matrim. diſp 7. n. 3.*

Sed verius, ac probabilius Reſpondeo: Poſſe Pontificem, prædicto modo, quoſcunque illegitimos legitimos reddere, tam quoad ſpiritualia, quàm temporalia, honores, ſucceſſiones, &c. Ratio eſt (inquit Palao) quia licèt Pontifex facere non poſſit, quod matrimonium illud, ex quo genitus eſt illegitimus, inualidum non fuerit: at poteſt effectus ex illo prouenientes omnino tollere reuocando illam legem, quæ tale matrimonium irritum fecit, ac ſi nunquam edita fuiſſet, quod conſtat ex *Clement. vnica de Immunit. Eccleſiar.* Vbi Clemens V. reuocat quaſdam prædeceſſorum conſtitutiones, etiam quoad effectus anteà productos, ibi: *Quidquid ex eis ſubſequutum eſt, vel ob eas penitus reuocamus, & eas habere volumus pro infectis.* Sed vnus ex præcipuis effectibus illius irriti matrimonij eſt illegitimatio: ergo facta reuocatione illius legis, & ſublata per diſpenſationem illegitimitate, quam illegitimo illud matrimonium nullum reliquit, perit omnis inhabilitas, tam iure Canonico, quàm Ciuili inducta, quæ in nullitate illius matrimonij fundabatur. Hæc Palao *tract. 13. cit. diſp. 4. punct. 1. §. 5. n. 8.* ex quo fundamentum contrariorum ſolutum manet. Sic tenent communiter Doctores. Iacob. de Puteo, referens ſic in Rota deciſum, *deciſ. 482. n. 2 & 3 lib. 2.* Nauarr. *lib 4 conſ. in 1. edit. tit. de ſponſal. conſ. 3. n. 12. & tit. Qui filij ſint legitimi, conſ. 2. n. 12.* Couar. *4. decret. 2. p. cap. 8. §. 1. n. 14.* Molina *de primogen. lib. 3. c. 2. n. 12.* Maiol. *de Irregularit. lib. 1. c. 4 num. 20.* Henriquez *lib. 11. de Matrim. cap. 10. n. 2.* Ludou. Lopez *2 p. Inſtruct. vbi de Matrim. cap. vltim.* Savr. *tom. 1. lib. 6. c. 10. n. 17. & c. 15. n. 6.* Angel. Roſella, Syluest. Tabiena, & alij quamplures, quos refert, & ſequitur Sanchez *loc. cit. num. 4.* Qui ad reſponſum Gregorij XIII. ſup. relatum reſpondet, de illo non conſtare; & ſi ita eſſet, fuiſſe reſponſum tanquam Doctoris priuati, quod forte fuerit prioris opinionis. His auctoribus adhuc addi poſſunt Baſilius *de Matrim. lib. 11. cap. 5. n. 91* Garcia *de Benef. part. 7. c. 2. n. 41. & 42.* Philibertus *de Ordine tract. 1. part. 10. cap. 1. n. 53.* dicens, nefas eſſe hanc poteſtatem negare Pontifici.

Qvæstio XXXIII.

An vt poßit Pontifex diſpenſando in radice Matrimonij legitimare illegitimum, ſit opus, vt parentes huius viuant, & denuò matrimonium contrahant.

AFfirmat apud Palaum Gutierrez *de Matrimon. cap. 74. n. 10.* motus ex facto Gregor. XIII. negantis hanc diſpoſitionem.

Sed conſequenter vt certum Reſpondeo: Non eſſe opus. Quia talis illegitimus non fit legitimus in hoc caſu per matrimonium denuò contrahendum, ſed per diſpenſationem Pontificis in radice matrimonij nulliter contracti, & remotionem illegitimitatis inde prouenientis. Vnde ſtat, quod etiamſi parentes illegitimi mortui ſint, legitimari hac via poſſit. Sic Molina *de primogen. lib. 3. cap. 2. num. 12.* Saytus *lib. 6. c. 12. n. 6.* Baſil. *lib. 11. de Matrim. cap. 5. num. 19.* Palao *punct. 1. cit. § 5. n. 9.* Sanchez *lib. 8. de Matrim diſp 7. num. 6.* & penes ipſum Anchar. Boerius, Iacob. de Puteo, Angel. Syluest. Nauar. & Peregrinus, Philibert. *c. 18. cit. n. 59.* ex Rota *deciſ. 207. part. 1. diuerſorum, & deciſ. 287. num. 13. part. 2. recent.*

Qvæstio XXXIV.

An etiam poßit Pontifex legitimare dictum illegitimum ad temporalia etiam, honores, & ſucceßiones, caſu, quo cedat in præiudicium vocatorum, qui iam in hæreditate ſucceſſerunt.

NEgant in primis Laurent. Vincentius, & Tancredus relati à Gloſſa *in cap. Per venerabilem, verſ. Habeat poteſtatem, in fine.* Deinde Angel. *verb. Legitimatio, n. 7. & verb. Papa, n. 4.* ibi: Quod limito verum quoad iſtud vltimum, niſi ius eſſet quæſitum alteri, putà quia patre mortuo ſucceſſerunt iam agnati. Vnde licèt poſtea legitimaret filium, non excluderet agnatos, ſed in iure quærendo valeret. Ita Angel. & Syluest. *verb. Papa, q. 18.*

Negant deinde alij, non abſolutè, ſed ſub diſtinctione. Dicunt enim dupliciter poſſe hanc legitimationem concedi à Papa. *Primò* ex voluntate parentis, cui ſucceditur, qui adhuc ſuperſtes petiit ſic diſpenſationem expediri, aut iuſſit peti; & tunc poſſe à Pontifice concedi, non obſtante præiudicio eorum, qui in hæreditate iam ſucceſſerunt, aiunt Iacob. de Puteo *deciſ. 483. n. 2. lib. 2.* & Peregrinus *de fideicommiſſ. art. 24. fine. Secundò*, quando parentis conſenſus non præceſſit, & tunc non poſſe à Papa fieri talem diſpenſationem, ſeu legitimationem, dicit Iacob. de Puteo nuper citatus.

Sed probabilius abſolutè Reſpondeo: Adhuc poſſe Pontificem in dicto caſu legitimare, etiam quoad ſucceſſiones illegitimum. Ratio eſt. Tum quia Pontifex dum tollit legem ſuam Eccleſiaſticam, cuius abrogationem retrotrahit ad tempus præteritum, vtitur iure ſuo; & conſequenter nemini facit iniuriam. Tum quia poſita illa legis abrogatione, filius legitimatus efficitur habilis ad illam hæreditatem adeundam, quam vocati, illa conditione tacita

 adierunt,

adiecunt, niſi alij habentes potius, & firmius ius exiſtant. Sic Philibert. *tract.*1 *de Ord part.*10.*c.*1.*n* 56. & anteà Decian. *conſ.*5. *n.* 67. *& ſeq. lib.* 1. Aochar. Peregrin. & alij, quos citat, & ſequitur Sanch. *lib.*8. *de Matrim. diſp.*7.*n.*6. Baſil. *lib.*11.*de Matrim. c.*5. §.1. *n.*10. Barboſa *ad cap. Per venerabilem, Qui filij ſint legitimi, num.*6. Palao *tom.* 2. *tract.*13. *de Benef. diſp.*4. *punct.*1. §.7. Nauarr. *lib.*4. *conſ. in* 1.*edit. tit. Qui filij ſint legitimi, conſ.*3. *& in* 2 *edit. tit. Qui filij ſint legitimi, conſ.*3.*à n.*15. vbi benè notat (& ex illo Sanch. *n.* 5. Baſil. & Palao *cit.*) Pontificem grauem culpam committere, ſi abſque cauſa legitima hanc legitimationem concederet (quamuis valida eſſet, eo quòd in ſolo iure humano facta ſit) quia cedit in grauē damnum ſuccedentium in eam hæreditatem, ſi proles non legitimaretur. Quare nunquam cenſendum eſt, hanc legitimationem à Pontifice concedi, ſtante tertij præiudicio, niſi clarè id exprimatur, vt aiunt Sanch. *n.*6. Palao, & alij.

QVÆSTIO XXXV.

An per hanc clauſulam apponi ſolitam pro matrimonio reualidando, nempe: Vt non obſtante impedimento, matrimonium inter ſe contrahere liberè, & licitè valeant, auctoritate noſtra diſpenſes, prolem ſuſceptam ſi quæ ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo; *diſpenſet Papa in radice matrimonij, & legitimet prolem ante diſpenſationem genitam, non ſolum quoad ſpiritualia, ſed etiam quoad ciuilia.*

NEgat Sanch. *lib.*8.*de Matrim. diſp* 8. *à n.*14.& penes ipſum Couar. vterque Molin. & Ludouic. Lopez, & Gutierr. *de Matrimon. c.* 74. *à num.* 10. apud Palaum.

Sed probabilius Reſpondeo: diſpenſare Papam in radice matrimonij, & legitimare prolem, ſubſequenti matrimonio celebratā, etiam quoad Ciuilia per præfatam clauſulam. Quia negari non poteſt (ait Paulus) poſſe Pontificem fauore matrimonij, & prolis ſuſceptæ conceſſionem extendere, vt matrimonium non ſolùm legitimet filios naturales, ſed etiam ſpurios, & inceſtuoſos: quod ergo poteſt lege, & conſtitutione præſtare, id præſtat illo ſpeciali caſu per illam clauſulam. Tum quia eodem tenore verborum decernit prolem ſuſcipiendam, & ſuſceptam fieri legitimam: ergo eodem matrimonio legitima redditur. Tum quia hic modus legitimandi prolem nobilior eſt, & excellentior: ergo credendum eſt Pontificem id præſtare. Sic ille *tom.*1.*tract.*13. *diſp.*4. *punct.*1.§.5 *n.*12. Sic autem Rota *in tribus deciſionib. Pampilonen. illegitimatis* coram Iuſto, 10. *Iunij* 1609. quas de verbo ad verbum allegat, & ſequitur Baſil. *lib.* 11. *de Matrim.c* 5.§.1.& Garcias *de Benef p.*7.*c.*2. *à n.*399. latè Philibert. *tract.*1. *de Ord.p.*10.*c.*1. *à n.*61.

QVÆSTIO XXXVI.

An cenſeatur Pontifex legitimare prolem, ſi matrimonium, quod nullum erat, ratum habeat, aut in illo perſeuerare concedat, illud rinulidando per hanc clauſulam, Diſpenſamus vt validè ineatur matrimonium prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo.

NEgat Sanch. *lib.*8.*cit.diſp.*7. *n.*23. *& ſeq.* & penes ipſum Couarr.4. *Decret.* 2.*p. c.*8.§.8. *n.*13.

Henriq. *lib.*11 *de Matrim. c.*20. *n.*2. & Ludou. Lopez 2. *p. Inſtruct. vbi de Matrim. c. vlt. col.*2. *concluſ.* 3. Sed certè ex his Henriquez non omninò eſt pro hac ſententia, quia ſolùm dicit: filios inceſtuosè procreatos non legitimari, quamuis ex diſpenſatione Papæ concedatur manere in eodem matrimonio, niſi Papa facta mentione filiorum, aut eius malæ fidei, dicat ſe legitimare, & reualidare illud matrimonium perinde ac ſi nunquam fuiſſet impedimentum inter eos. Hæc Henriq. At ſic eſt, quod Papa in prædicta clauſula facit mentionem filiorum inceſtuosè procreatorum, exinde legitimos decernendo: ergo. Vnde

Probabilius Reſpondeo: Affirmatiuè. *Primò*, quia hæc clauſula, *legitimamus matrimonium, & prolem*, nullo addito, diſpenſat in radice matrimonij, & pleniſſimam reddit quoad omnia legitimationem, vt fatetur idem Sanch. *loc.cit.n.*28. cum Couarr. Lopez, & aliis: at verba iſta: *Decernimus prolem ſuſceptam, ſi quæ eſt eſſe legitimam*, clariora, & fortiora ſunt iſtis: *Matrimonium legitimamus, & prolem*, cùm de iſtis maior ſit dubitandi ratio, an Summus Pontifex intendat legitimum reddere iſtud matrimonium, ſolùm vt reſpiciat futurum, non vt præteritum tempus: ergo ſi iſta verba retrotrahuntur ad tempus præteritum, multo magis eadem interpretatio prioribus verbis neceſſariò adhibenda venit.

Secundò id probatur, & conuincitur deciſionibus Rotæ *ſuprà* allegatis, quas ſequuntur Garcias, Baſil. Palao, & Philibertus *ſupra* citati.

QVÆSTIO XXXVII.

An Pontifex poſſit legitimare filium genitum ex matrimonio nullo ab impedimentum ab illo indiſpenſabile, v. g. quia defuit conſenſus, aut prima vxor viuebat.

REſpondeo: Non poſſe legitimare illum, diſpenſando in radice matrimonij prædicti, quia non poteſt nullitatem illius matrimonij tollere; & conſequenter, nec matrimonium radicem legitimationis honeſtare. Sic omnes. Sanch. *lib.* 8. *diſp.*7. *n.*8.*&* 10. Baſil. *lib.*11. *de Matrim.c.*5.*n.*8. Palaus *tom.* 2. *tr.*13. *de Benef. diſp.*4. *punct.*1. §. 5. *n.*6. Qui benè limitant quando impedimentum eſt certum, ſecus ſi dubium ſit, quia in dubio non eſt expoliandus Pontifex poſſeſſione poteſtatis, quam habet ad diſpenſandum.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Pontifex poſſit ſubſequenti matrimonio legitimare filios ſpurios.

REſpondeo vt certum: Poſſe. Quia ſicut poteſt Pontifex illegitimos naturales, legitimos efficere matrimonio ſequenti; ita poteſt illegitimos ſpurios. Sic tradit Rota apud Baſil. *lib.*11. *de Matrim.c.*5. *n.*1. & apud Garz. *p.*7. *de Benef. c.*2. *n.*4. Palaum *tom* 2. *tract.*13. *de Benef. diſp.*4. *punct.*1. §.5. *n.*6. Qui benè addit, non eſſe credendum id à Pontifice fieri, niſi clarè conſtet; cùm ſit derogatio communis iuris ſtatuti, *cap. Tanta. Qui filij ſint legitimi.*

QVÆSTIO XXXIX.

An irregularitas proueniens ex illegitimitate, auferri etiam poſſit per diſpenſationem.

REſpondeo vt certum: Poſſe. Quia huiuſmodi irregularitas eſt à ſuperiori iure communi inducta

Digitized by Google

ducta : ergo poteſt à Superiore, à quo fuit inducta, per diſpenſationem auferri. Sic omnes, vt notauimus *q.* 15. Legantur Bonac. *q.* 1. *de Irregul. punct.* 3. *n.* 14. Palao *tom.* 6. *de Cenſur. diſp.* 6. *punct.* 9. vbi benè ſupponit non poſſe eſſe quæſtionem de Pontifice, cùm ab ipſo, vt diximus, irregularitas emanauerit.

Qvæstio XL.

An eo ipſo, quod Pontifex diſpenſet cum aliquo in irregularitate illegitimitatis, legitimet conſequenter illum, tam quoad ſpiritualia, quàm quoad temporalia.

Respondeo vt certum : Quod non. Quia diſpenſatio valdè differt à legitimatione. Nam hæc eſt quoad omnes effectus, cùm ſit quædam habilitas perſonæ, & illius ad primæuam naturam reſtitutio. Illa verò reſpicit effectus particulares, radicali inhabilitate perſonæ remanente. Ex quo conſtat, quod non eo ipſo quod Pontifex diſpenſet cum aliquo illegitimo, legitimat adæquatè, & omninò quoad omnes effectus illum. Sic Couarr. 4. *decret.* 2 *p. c.* 8. §. 8. *n.* 1. ita dicens: Vnde à diſpenſatione legitimatio plurimùm diſtat, eo quòd diſpenſatio ad aliquem actum, vel certis quibuſdam legibus aliquem legitimum efficiat : at legitimatio omninò legitimum quem conſtituit. Sic ille ex Anton. Butrio, Abbate, Paul. Iaſon. & aliis. Legantur Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *num.* 8. Palaua *tom.* 6. *de Cenſur. diſp* 6. *punct.* 9. *n.* 6. colligentes hinc, quod legitimatus à Pontifice ſit habilis ad Ordines, beneficia, & dignitates æquè ac legitimus ; non verò ſic diſpenſatus, eo quòd diſpenſando ſint verba diſpenſationis ſtrictè interpretanda, eo quòd ſit relaxatio iuris communis.

Qvæstio XLI.

An diſpenſatio illegitimi ad Ordines ſimpliciter, vel ad Clericatum, extendatur quoque ad Ordines ſacros.

Affirmant Philippus, & Anton. *in cap. literas, de filiis Presbyter. in* 6. *n.* 10. Quibus videtur aſſentire Suar. *diſp.* 41. *ſect.* 3. *n.* 3. quatenus ait difficile eſt vniuerſaliter acceptare hanc regulam, vt dicta diſpenſatio intelligatur ad ſolos Ordines minores. Quia in his rebus (inquit) indefinita æquipollet vniuerſali : & ideò iuxta materiam ſubiectam, & maximè iuxta receptum verborum ſenſum, & vſum in particulari iudicandum eſt. His auctoribus nouiſſimè adhæret Philibert. *de Ordine, tract.* 1. *part.* 9. *cap.* 4. *num.* 10. Quia, ait petens illam diſpenſationem à Summo Pontifice intendit eam impetrare pro omnibus ſacris Ordinibus : Nam cùm Epiſcopus quoad ſolos minores cum eo diſpenſare potuiſſet, non recurriſſet ad Summ. Pontificem, qui cùm abſolutè ad Ordines eum diſpenſet, pro omnibus, & conſequenter etiam pro ſacris diſpenſaſſe non irrationabiliter præſumitur. *Secundò*, licèt diſpenſatio ſit odioſa, & ideo reſtringenda, ſemper tamen debet ſaluari rigoroſa verborum ſignificatio : ſed nomine Ordinum in omni rigoroſa ſignificatione, intelliguntur etiam ſacri Ordines, qui magis propriè præ cæteris ſunt Ordines : imò verbum abſolutè prolatum rectè intelligitur pro primo analogato : & ſic pro ſacris Ordinibus. *Demùm* non eſt veriſimile bis petendam eſſe diſpenſationem in defectu natalium : primò pro minoribus : ſecundò pro ſacris, itavt poſt minores adhuc ligatus maneat, nec poſſit amplius aſcendere : & ideò hanc noſtram ſententiam ſequitur Suar. *de Cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 3. *n.* 3. Huc vſque Philibertus. Et ſatis probabiliter.

Sed adhuc probabilius Reſpondeo : Talem diſpenſationem non extendi ad Ordines ſacros : niſi aliàs illegitimus eſſet iam in minoribus conſtitutus, & id noſſet Pontifex : quia tunc, ne diſpenſatio fruſtranea eſſet, & vt verba aliquid operarentur, extenderetur ad ſacros, vt omnes fatentur. Ratio noſtræ reſponſionis eſt. Quia diſpenſatio, cùm ſit relaxatio iuris communis, eſt ſtrictè interpretanda : ergo ſatis eſt, vt in minoribus Ordinibus ſuum effectum ſortiatur. Nec tamen ad primam tonſuram eſt talis diſpenſatio reſtringenda, eo quòd permiſſio in genere mediocritatem reſpicit, *l. fin.* §. 1. *C. communia de legat. & l. legato generaliter ff. de legat.* 1. *ai.* Ordines minores medij ſunt inter ſacros, & primam tonſuram : ergo. Sic ſentiunt Gloſſa *in cap. literas, verb. Ordinari, de filiis Presbyter.* Marul. *de Irregul. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. Archid. Abbas, Hoſtienſ. Felin. Iaſon, Siluest. Angel. Armilla, Tabiena, & alij Canoniſtæ vſque ad 27. quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 1 *num.* 26. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 2. & *lib* 14. *cap* 8. *num.* 10. Sà *verb. diſpenſatio, num.* 11. Sayrus *tom.* 1 *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 10. Azor. *p* 2. *lib* 6. *cap* 3. *quæſt.* 6. Campanilis *in diverſ. iur. canon. rubr.* 11. *cap* 13. *num* 95 Barboſa *de Offic. Epiſcop. alleg.* 45. *num.* 4. Reginald. *lib.* 30. *tract* 3. *num* 75. Maſtrius *in Summ. tract* 7. *cap.* 16. *num.* 8. Bonac. *tom* 2 *diſp.* 1. *de priuileg quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 10. Salas *diſp.* 17. *ſect.* 8. *num.* 49. Auila *de Cenſur part* 7. *diſp.* 3. *dub* 6. *verſ* Maiolus *lib.* 1. Palao *de Cenſur. diſp.* 6 *punct.* 9. *num.* 6. qui tamen malè citat (ſicuti Bonacina) Suarium pro hac parte.

Qvæstio XLII.

An ſi in diſpenſatione illegitimi ad Ordines contineretur hæc clauſula, Diſpenſo tecum ad omnes ordines: *tunc ſaltem, talis diſpenſatio intelligenda eſſet etiam de omnibus ſacris?*

Negatiuam adhuc ſententiam, tenere Maiolum, Sayrum, & Henriquez, aiunt Sanchez, & Philibertus *loc. cit.* Et certè Henriquez hæc verba habet : Dum Pontifex in diſpenſatione dicit, *Legitimamus N. quoad omnia* ; intelligitur ad minores Ordines tantum. Niſi aliunde *(addit in marg. litt. N.)* mens Papæ colligatur : quia ſat eſt, diſpenſationem quæ eſt res odioſa, habere aliquem effectum, & reſtringenda eſt. Ita ille.

Sed vt certum mihi Reſpondeo : Tunc talem diſpenſationem, etiam de omnibus Ordinibus ſacris eſſe intelligendam. Quia ſi adiecta (ait Sanchez) particula *omnes* ad ſolos Ordines minores extenderetur, cùm idem ſit ea non appoſita (vt diximus) redundaret vtique. Cùm tamen nec vlla ſyllaba in decretis Pontificum ſuperflua eſſe debeat. Sic ille *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 1. *n.* 26. *in fine.* Philibert. *de Ordine tract.* 1. *p.* 9. *c* 4. *n.* 10. *in fine*, & à fortiori etiam Suar. *q.* 41. pro prima ſententia adductus, & alij.

Qvæstio XLIII.

An illegitimus ad Ordines minores dumtaxat diſpenſatus ; intelligatur etiam diſpenſatus ad beneficia ſimplicia ſolita conferri Clericis minoribus initiatis.

Affirmant Sayrus (apud Philibertum) *lib.* 7. *de Cenſur. c.* 14. & (apud Sanchez) *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 22.

*num.*22. Sà *verb. diſpenſatio, num.* 14. vbi adiuncto *n.* 13. apertè ſentit (quidquid aliud dicat Sanchez) quod diſpenſatus ad Ordines minores, optimè poſſit ſimplex beneficium accipere. His adhæret nouiſſimè Belletus *diſquiſitionum Clericalium p.* 1. *tit. de diſciplina regulari*, § 3. *n.*39. cum aliis.

Sed multò probabilius Reſpondeo: Non ideò intelligi diſpenſatum ad beneficia ſimplicia. Quia hæc duo verè ſunt ſeparabilia, & executio vnius poteſt ſtare ſine alterius executione: ergo cùm diſpenſatur cum illegitimo ad Ordines minores, non ideò diſpenſatus remanet ad beneficia ſimplicia obtinenda. Sic Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.* 1. *n.*27. Nauar. *lib.* 1. *conſ. de ætat. & qualit. Ordinand. ad* 5. *quæſt.* Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.* 6. *verſ. Quarto notandum*, & penes illum Siluest. Tabiena, & Couarr. Bonac. *de Irregul. q.* 2. *punct.*3. *n.*14. *verſ. Aduertendum eſt*, Palao *de Cenſur. diſp.*6. *punct.*9. *n.*6. qui non bene citat pro hac parte Sayrum. Azor. *p.*2. *lib.*6. *c.*3. *q.*5. Barboſa *alleg.*45. *n.*6. Philibert. *cap.*4. *cit. n.*11. & alij.

Qvæstio XLIV.

An ſaltem ſi illegitimus diſpenſetur ad Ordines ſacros, intelligatur diſpenſatus ad beneficium ſimplex.

Affirmat Sanchez *n.*27. *cit.* Quia, inquit, Ordinibus ſacris inſeparabiliter eſt annexum aliquod beneficium; cùm ex Trident. *ſeſſ.*21. *de reformat. c.* 2. nullus poſſit abſque beneficij titulo ad Ordines ſacros promoueri: ergo diſpenſatus ad Ordines ſacros, conſequenter intelligitur diſpenſatus ad beneficium.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec intelligi tunc diſpenſatum ad obtinendum beneficium ſimplex, ob rationem nuper factam, nempe quia hæc duo adhuc ſunt ſeparabilia, & executio vnius poteſt ſtare ſine executione alterius. Conſtat enim ex eodem Concilio, poſſe quem initiari ſacris cum patrimonio ſufficienti dumtaxat, vt vidimus 2. *p. tract.* 6. *de Ordine, diſp.*9. *q.* 3. ergo. Sic ſentiunt omnes Auctores citati nuper *q.* 43. pro noſtra ſententia, præcipuè Philibertus, & penes ipſum Gloſſa *in c.* 2. *de filiis Presbyter.* Gemin. ibi, Borghaſius, Tabiena, Rebuff. Campanilis, quos etiam refert, & ſequitur Barboſa *de Offic. Epiſcopi alleg.*45. *n.*7. Marius Antoninus *lib.* 1. *var. reſol. c.*19. *n.*10. Azor. *loc. cit.* Syluest. Tabiena, Nauarr. & Couarr. quos allegat, & ſequitur Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub.*6. *cit.* Angel. etiam verb. *Beneficium, n.*23. Quia, inquit, diſpenſatio non trahitur ad conſecutiua eius ſuper quo diſpenſatur, quando diſpenſatio imprimit effectum validum ſuper actu in quo diſpenſatur abſque eo, quod extendatur ad illud conſequutiuum, ſecundùm Gem. *in d. c. is qui.* Sic Angel. ex quo etiam conſtat ad rationem Thomæ Sanchez.

Qvæstio XLV.

An illegitimus diſpenſatus à Papa quoad omnes Ordines, beneficia etiam curata, & dignitates, cenſeatur diſpenſatus ad Epiſcopatum.

Affirmat Henriquez *lib.* 14. *cap.*8. *n.* 10. *litt. O.* (non *C.* vt legos apud Auilam) vbi citat Syluestrum, *beneficium* 3. §. 16. Angelum, & alios Iuriſperitos Salmanticæ conſultos. Quos omnes ſequitur Auila *p.*7. *diſp.*3. *dub* 6. *verſ Quarto notandum, fine.* Et tenent ante illos Gemin. *in cap. is qui, de filiis Presbyt. in* 6. & alij. Quia (inquiunt) in dicto caſu vitium tollitur ex toto: ergo habilis eſt ad totum.

Sed probabilius, & magis conſequenter ad dicta, Reſpondeo in dato caſu non cenſeri diſpenſatum ad Epiſcopatum. Quia ſicut diſpenſatus ſimpliciter ad Ordines, intelligitur ſolùm ad minores diſpenſatus, vt habitum eſt ſuprà *q.* 41. ita diſpenſatus ad dignitates, intelligendus eſt diſpenſatus ad minores dumtaxat dignitates obtinendas, eo quòd diſpenſatio eſt exorbitans à iure, & ideò reſtringenda. Sic expreſsè Bonac. *de Irregular. q.*2. *punct.*3. *n.*14. *verſ. Admittendum eſt*, vbi ait, quod diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas non cenſeatur diſpenſatus ad Epiſcopatum, citatque pro hac parte Sayrum, Couarr. & alios qui hoc expreſsè non tuentur. Tenet tamen, & à fortiori, Palaus *de Cenſur. diſp.*6. *punct.*9. *n.*6. *fine*, vbi docet, quod ſub diſpenſatione ad dignitates minimè comprehendatur dignitas maior Eccleſiæ Cathedralis, & principalis Eccleſiæ Collegiatæ. Et ratio eſt, quia huiuſmodi dignitates debent propter earum qualificationem neceſſariò exprimi.

Qvæstio XLVI.

An illegitimus diſpenſatus ad beneficium ſimpliciter obtinendum, intelligatur de vnico ſimplici, & non curato.

Reſpondeo vt certum: De vnico ſimplici, & non curato intelligi. Quia ſic clarè deducitur ex *c.* 1. *de filiis Presbyt. in* 6. §. *ille verò*, vbi expreſsè habetur, illegitimum cum quo diſpenſatur ad beneficium, non poſſe niſi vnicum obtinere. Sic tenent ibi communiter Canoniſtæ, ex quibus aliquos refert, & ſequitur Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.*31. *n.*6. & 8. Bonac. & Palao *loc. cit.* Barboſ. *de Offic. Epiſcop. allegat.*45. *n.*6. & alij.

Qvæstio XLVII.

An præfatus illegitimus diſpenſatus abſolutè ad beneficium, poſſit vi huius diſpenſationis poſt primum aliud ſucceſſiuè obtinere, illo primo relicto.

Affirmatiuam ſententiam eſſe ſatis probabilem, his verbis affirmat Sanchez *lib* 8. *de Matrimon. diſp.*31. (non 51. vt offendes apud Palaum) *num.* 11. Tertiò, quia quando abſolutè diſpenſatur cum illegitimo ad beneficium, eſt ſatis probabile, eam diſpenſationem non arctari ad primum beneficium, ſed eo dimiſſo extendi ſucceſſiuè ad aliud. Quod tuentur Ioan. Andr. *cap.* 1. *de filiis Presbyter. in* 6. & *cap. Non poteſt*, *n.* 5. *in* 6. Angel. *verb. Beneficium, num* 24. & ibi Armilla *num.*29. Sylueſt *verb. Benef.*3. *quæſt.*11. *num.*14. Tabiena *verb. Beneficium* 2. *q.*17. *num.* 19. & reddit Ioan. Andr. rationem, quia diſpenſatio illa reddens illegitimum capacem, non reſpicit beneficium, ſed perſonam. Hucvſque Sanches. Et ſatis probabiliter. Cuius ſententiam, aliis citatis, tenet Philibert. *tract.*1. *de Ord. part.* 9. *c.*4. *num.* 13.

Sed probabilius Reſpondeo: Non poſſe abſolutè. Quia, vt ſæpè diximus, diſpenſatio eſt ſtricti iuris, & ideò ſtrictè eſt intelligenda, ideoque non includit niſi primum actum ſubſequentem, atque eo completo extinguitur. Sic tenent expreſsè Couarr. *in* 4. *decret.* 2. *p cap.*8. §.8. *num* 5. *verſ. Sextò infertur* (inquiens) legitimatum à Romano Pontifice poſſe primo beneficio dimiſſo ſecundum obtinere, neque indigere alia licentia. Si verò cum eo diſpenſauerit

Ron

Rom. Pontifex, vt non obſtante natalium defectu, poſſet beneficium Eccleſiaſticum aſſequi, poterit primum beneficium obtinere; non tamen ſecundum, primo dimiſſo. Lapus, & Dominic. *in cap.* 1. *§. fin. col.* 2. *de filiis Presbyter. in* 6. Hucvſque Couarruuias. Sic etiam Sayr. *lib.* 6. *c.* 11. Palao *de Cenſur. diſp.* 6. *punct.* 9. *n.* 6. citans pro hac parte Sanch. *n.* 11. Tenent etiam hanc noſtram ſententiam Angel. Syluest. Armilla citati à Sanchez pro contraria. Nam omnes hi Doctores, iiſdemmet ferè verbis ſic prædicto caſui cum diſtinctione reſpondent: aut enim diſpenſatio cum illegitimo fuit facta ſuper certo beneficio, & tunc non poteſt poſt primum habere aliud vi talis diſpenſationis, caſu quo culpâ ſua illud non habe-ret; aut non fuit in culpa, aut diſpenſatio fuit ſuper incerto beneficio, & ſic poterit poſt primum aliud habere. Sic illi, & benè, ſed pro nobis potiùs quàm pro contrariis, vt conſideranti patet. Sic tandem tenent Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 10. & ipſo citato, Auila 7. *p. diſp.* 3. *dub.* 6. *verſ. Praterea.*

QVÆSTIO XLVIII.

An illegitimus diſpenſatus, vt poſsit habere curata beneficia, poſsit per hoc habere Canonicatum.

RESpondeo vt certum: Quod non. Tum quia iſta ponuntur vt diuerſa, *in cap. fin. de filiis Presbyter.* ergo vno conceſſo, non venit aliud. Tum etiam, quia Canonicatus eſt dignitas, vel quaſi dignitas, quæ non venit nomine beneficij curati: ergo. Sic Gem. quem citat, & ſequitur Angel. *verb. beneficium, n.* 15. Et omnino ex illo non citato, Syluest. *beneficium* 3. *n.* 15. *q.* 12. & Armilla *verb. Beneficium, n.* 30. Sic etiam Philibert. Palaus, Sayr. *loc. cit.* Barboſa *de Offic. Epiſcop. alleg.* 45. *num.* 8. & 9. & communis. Ex quibus dictis clarè etiam colligitur, quod illegitimus diſpenſatus ad beneficium ſimplex, non ideò cenſeatur diſpenſatus ad beneficium curatum, vt ait ſpecialiter Bonac. *q.* 2. *de Irregular. punct.* 3. *n.* 14. *in fine*, aliis multis allegatis.

QVÆSTIO XLIX.

An Pontifex ſolus poſsit diſpenſare cum illegitimo, cuius vitium eſt cognitum ad maiores Ordines, Dignitates, Pralaturas, & beneficia duplicia.

RESpondeo vt certum: Quod ipſe ſolus poſſit. Quia eius ſolius eſt infirmare Canones, cùm eſt neceſſe, cuius eſt firmare; at ſic eſt, quod iure canonico eſt firmatum, *ne Sacerdotum filij, & alij non legitimè nati, ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolica promoueantur, imò & promoti ab iis amoueantur*, cap. *Nimis in eua, de filiis Presbyter.* ergo ſolius Papæ eſt in dictis abſolutè diſpenſare, non Epiſcopi, aut aliorum inferiorum Prælatorum. Sic omnes. Legantur Bauny *tract.* 12. *de Cenſur. quaſt.* 19. Palao *diſp.* 6. *punct.* 9. *num.* 7. Bonac. *de Irregularitate, quaſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 15. Philibert. *tract.* 1. *de Ordine, part.* 10. *cap.* 1. *num.* 13. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 2. *quaſt.* 20. *num.* 70.

QVÆSTIO L.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum quocunque illegitimo ad Ordines minores, & beneficium ſimplex.

RESpondeo vt certum: Poſſe, quia ſic habet expreſsè Canon *primus, & ſecundus de filiis Presbyter. in* 6. Quem ſequuntur omnes Doctores, præcipuè nuper citati. Necnon Rebuff. *part.* 2. *praxis, tit. ſuper defectu diſpenſat. §. videamus.* Nauarr. *conſil.* 31. *de temporib. ordin. in* 1. *edit. in* 2. vbi infrà. Vgolin. *de Offic. Epiſcop. cap. vltim. §.* 4. *n.* 2. *& de Cenſur. cap.* 44. *§.* 2. *n.* 2. Sayr. *lib.* 6. *de Cenſur. cap.* 11. *à n.* 10. Garcia *de Benef. part.* 2. *c.* 2. *n.* 27. Barboſa *de Offic. Epiſcopi allegat.* 45. *per totam.* Leſſius *de Iuſtit. & iure lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 18. *n.* 86. & alij.

QVÆSTIO LI.

An etiam Capitulum, Sede vacante, poſsit diſpenſare cum prafato illegitimo ad ordines minores, & beneficium ſimplex.

NEgatiuam ſententiam amplecti videri Gloſſ. *in Clem.* 1. *§.* 1. *verb. Capituli, de haret.* ait Nauarr. *vbi infrà.* Huic Gloſſæ fauent Ioan. And. Dominic. & Francus *in cap.* 1. *de filiis Presbyt. in* 6. quatenus dicunt, hanc Papali deciſione indigere propter varias opiniones, quæ verſantur ſuper poteſtate Capituli, Sede vacante, ad diſpenſandum. Nihilominus tamen.

Probabilius, & verius Reſpondeo: Poſſe. Quia verius, & probabilius eſt, quod Capitulum ſuccedat Epiſcopo regulariter in omnibus, quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, prætetquam in caſibus expreſsè exceptis: at ſic eſt, quod conſtat, diſpenſationem illegitimorum pertinere ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi, & quod in nulla parte iuris ille caſus excipiatur ab hac regula: ergo ſtandum eſt ei. Sic Nauar. *lib.* 1. *conſil. conſ. mihi* 7. *de filiis Presbyt.* ſequitur Panormitanus *in cap. Cùm olim, de Maiorit. & Obed.* Franciſcus Panninus *in tract. de Offic. Cap. Sede vacant. c.* 7. *p.* 1. *&* 2. *p. c.* 1. *n.* 5. Federicuſque Senenſ. *conſ.* 46. *& melius conſ.* 30. Bauny *tract.* 11. *cit. q.* 17. *aſſert.* 1. Auila *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 6. *concluſ.* 1. *verſ. Secundò notandum.* Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *num.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *Reſol.* 64. & Palao *diſp.* 6. *punct.* 9. *n.* 11.

QVÆSTIO LII.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum illegitimo ad beneficium ſimplex, etiam caſu, quo huic ſit annexum curatum.

NEgant Sayr. *lib.* 6. *c.* 11. *n.* 11. ibi. Item ſi beneficium ſimplex ſit tale, quod habeat Eccleſiam curatam annexam, Epiſcopus ad illud legitimare, ſeu diſpenſare non poteſt. Gloſſa *in c.* 1. *in verb. tale,* & ibi Gemin. *de filiis Presbyt. lib.* 6. Panormit. *in cap. Nimis, num.* 2. *de filiis Presbyter.* & Tabiena *verb. Beneficium* 2. *§.* 14. *in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe. Quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, cui adhæret: ergo qui potens eſt diſpenſare cum illegitimo ad principale, conſequenter eſt potens ad acceſſorium. Sic Gonzal. *regul.* 8. *Cancell.* gloſſa 5. *§.* 7. *n.* 18. Vaſquez

de Benef. c.3. §.1. dub.3. in fine, num.7. Barboſa *de Offic. Epiſcop. allegat.45. num. 24.* Palao *hic diſp. 6. punct. 9. num. 7.*

QVÆSTIO LIII.

An item cum ſuo familiari triennali illegitimo poſsit Epiſcopus diſpenſare ad minores Ordines, & beneficium.

AFfirmandum videtur. Quia in Concil. Trident. *ſeſſ.22. in c.9. de Reformat.* cautum eſt, quemlibet Epiſcopum poſſe Ordinare familiarem ſuum triennalem: ergo conſequenter poterit diſpenſare cum eo, ſi eſt illegitimus ad minores Ordines, & beneficium ſimplex. Et confirmari poteſt ex dictis *q. 50.*

Sed abſolutè Reſpondeo dicendum, quod licèt Epiſcopus rectè poſſit Ordinare familiarem ſuum triennalem, ſi aliàs ſit habilis, vt diximus *2 p. tract.6. de Ord. diſp.8.q.21.& ſeq.* non tamen eo ipſo poſſit eum facere habilem ad minores Ordines, nec ad beneficium adhuc ſimplex, legitimando eum ſuper defectu natalium, ſi aliàs non eſt ei ſubditus. *Primò*, quia ſublato vno de duobus impedimentis diſtinctis, non cenſetur alterum ſublatum, *l. ſi domus, ff. de ſeruit. vrban. præd. & cap. Ex tuarum, ac auctor. & vſu pal.* & duo impediunt, cur illegitimus non poſſit ordinari ab alieno Epiſcopo, putà defectus natalium, & quia non eſt ſubditus: ergo quamuis familiaritas triennalis auferat impedimentum ſubiectionis, non tamen defectum natalium. *Secundò*, quia concilium *loc.cit.* non facit familiarem triennalem ſubditum Epiſcopi, cui ſeruit, niſi quoad collationem Ordinum; nam nullam aliam iuriſdictionem dat ei ſuper illum, vt ex tenore ipſius textus conſtat: ergo. Sic optimè meus Nauar. *conſ.13. aliàs 27. de tempor. Ordin.* quem citat, & ſequitur Auila *p.7. diſp.3. dub.6. concl.2.* Garcia *2.p. de benef. c.5. n.86.* Cenedo *pract. Canon. qq. q. 38. num.31.* Riccius *Reſol. 266. in fine.* Barboſa *de Offic. Epiſcop. alleg.5. n.14.* Palao *tom.4. tract.27. de Ordine, diſp. vnica, punct.15. num.6. & tom. 6. de Cenſur. diſp.6. punct.9. num. 7.*

QVÆSTIO LIV.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum illegitimo ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis.

AFfirmant abſolutè quidem Doctores, eo quòd exiſtiment, Canonicatum neque eſſe dignitatem, neque perſonatum, ſed beneficium ſimplex reſidentiam requirens, vt tradunt Gloſſa *in c.1. de filiis Presbyt. in 6. verb. beneficium*, & ibi Archid. & Gemin. Nauar. *conſ.43. de Prabend. n.1.* per textum *in cap. Statutum, de reſcript. in 6.* & alij: ergo, &c. Sic tenet Nauarr. *conſ.3. de ætat. & qualit. Ordin. ad 5.* & apud ipſum Innocent. & communis. Quos citat, imò & videtur ſequi Auila *p.7. diſp.3. dub.6. concl.2. verſ. Tertiò notandum.* Tenetque ex parte Azor. *vbi infrà*, & abſolutè Villalob. *tract. 13. de Matrimon. diſſ. 60. num. 5.*

Sed longè probabilius Reſpondeo dicendum, quod ſpectato iure nouo, minimè poſſit iam Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, eo quòd ex diſpoſitione Conc. Trident. *ſeſſ. 24. c. 12. de Reformat.* dictus Canonicatus requirit Ordinem ſacrum: at ſic eſt quod Epiſcopus nequit diſpenſare cum illegitimo ad Ordines ſacros, vt ſuprà *q. 49.* eſt habitum: ergo nec poterit conſequenter diſpenſare cum illo ad beneficium, cui Ordines ſacri annectuntur; ſiquidem abſque illorum ſuſceptione nequit talis Canonicatus, aut beneficium retineri.

Si dicas cum Azorio *2.p. inſtit. moral. lib.6.c.3.q.15.* Canonicatum non requirere Ordinem ſacrum actualiter cùm recipitur, ſed ſolùm vt intra annum accipiatur, & ſic ſtare poſſe, quod Epiſcopus ad prædictum Canonicatum cum illegitimis diſpenſet, quin diſpenſationem concedat ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & conſequenter quod ipſe illegitimus ſuſcipere poſſit ex diſpenſatione Epiſcopi Canonicatum, & poſtmodùm adire Pontificem, vt ad Ordines ſacros diſpenſationem concedat, aliàs Canonicatui renunciabit. Reſpondetur cum Palao, id non obſtare, quia ſatis eſt, quod Ordo ſacer ex obligatione ſuſcipiendus annectatur Canonicatui, vt non poſſit Epiſcopus diſpenſare in Canonicatu cum illegitimo, cùm non poſſit in Ordine ſacro: nam eo ipſo quod Ordo ſacer Canonicatui annectatur, debet Canonicatum ſuſcipiens habilis eſſe ad eum Ordinem ſuſcipiendum, quod abſque diſpenſatione Pontificis præſtari non poteſt. Sic ipſe *diſp.6. de Cenſur. punct.9. n.8.* Et penes ipſum hanc noſtram ſententiam tuentur Henriq. *lib.14. c.8. n.10. in fine*, Sayr. *lib.6. c.11. n.13.* Auila *loc. cit.* (Sed hic auctor non eſt pro nobis.) Garcia *p.7. de Benef. c.2. n.65. & 68.* Barboſa *de Offic. Epiſcop. alleg.45. n.14. & 32.* Bonac. *diſp.7. q.2. punct.3. circa finem*, & Leſſius *lib.2. de Iuſt c.34. dub.18. n.86.* Quibus addi poſſunt Philibert. *de Ordine tr.1. p.10. c.1. n.13.* Vgolin. *de Offic. Epiſcop. c. vltim. §.4. n.2.* & alij, addentes, quod conceſſa ſemel Pontificia diſpenſatione ad ſacros Ordines, optimè poterit illegitimus ex Epiſcopi diſpenſatione ad Canonicatum, ſeu portionem Eccleſiæ Cathedralis, & ad quodlibet aliud beneficium ſimplex ordinem requirens promoueri, quia ceſſat obſtaculum. Legantur Garc. Palao, ac Leſſius *loc. cit.* Comejo *in 3.p. de Irregul. diſp.15. dub.2. q.1.*

QVÆSTIO LV.

An ſaltem poſsit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad dimidiam portionem Eccleſiæ Cathedralis, & ad Canonicatum Eccleſiæ collegiatæ.

REſpondeo vt certum: Poſſe. Quia Epiſcopis conceſſa eſt hæc poteſtas *in c.1. de filiis Presbyter.* & benè, cùm hæc beneficia non habeant Ordinem ſacrum annexum. Sic Garcia *7.p. de Benef. c.1. n.68.* Gonzal. *ad reg. Cancel. gloſſa 5. n.98.* Henriq. *lib.14. c.8. n.10. litt. X.* Auila *p.7. diſp. 3. dub 6. concluſ. 2. verſ. Tertiò notandum.* Palao *loc. cit. n.8.*

QVÆSTIO LVI.

An ſi hæc irregularitas ex occulto delicto parentum proueniat, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis quoad maiores Ordines, beneficium Curatum, &c.

AFfirmant plures Doctores. Quia Concil. Trident. *ſeſſ.24. de Reformat. cap.6.* concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in quacunque irregularitate ex delicto occulto proueniente: ergo ſi hæc proueniat ex delicto occulto parentum, diſpenſabilis erit ab Epiſcopo. *Confirmatur*, quia ideo Concilium conceſſit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, ne animæ illaqueatæ inueniantur, ſi obligarentur Sedi

Apoſtolicæ

Apoſtolicæ crimina, ad diſpenſationem obtinendam detegere: at hæc ratio verè currit in præſenti caſu: ergo. Ita tenent Auila *part.7. diſp.3. dub.7.* citans pro ſe Henriquez *lib.14. cap.8. num.10. poſt litteram L,* & alios viros doctos. Cuius ſententiam tenuit Diana 1. *part.tract.15.miſc.Reſol.21.* & poſt illum Barboſa ab ipſomet Diana pro hac parte citatus, *part.4. tract.2. Reſol.64.* Præpoſitus *in 3.part. q.5. de Irregularit. dub.16.n.135.* Peyrinus *tom.2. de relig. Prælat.quæſt.1.cap.5.§.9 n.156.* & alij. Quorum ſententiam dicunt probabilem, Ægidius Cornejo, Layman, Bauny, & alij vbi *infra.*

Sed probabilius longè Reſpondeo: Non eſſe diſpenſabilem ab Epiſcopo. Ratio eſt, quia Concilium ſolùm tribuit Epiſcopis facultatem diſpenſandi ſuper irregularitates contractas ex delicto: ſed irregularitas ex defectu natalium non eſt ex delicto: ergo. Sic communis. Philibert. *tract.1. de Ordine, part.10. cap.1. num.14. & 15.* per hæc verba: Vbi tribuit Epiſcopis Tridentinum facultatem diſpenſandi in quacunque irregularitate ex delicto occulto, certè non loquitur de impedimento natalium, quod non eſt delictum illegitimi, ſed defectus: delictum verò parentum non eſt delictum infantis illegitimi: Concilium autem apertè loquitur de irregularitate orta ex delicto proprio, non ex alieno. Quare interrogo aduerſarios; Quis, quæſo, eſt in hoc impedimento diſpenſandus: parentes, vel infantes. Non parentes, qui nullam contrahunt irregularitatem, vt omnes fatentur, & dixi *ſup. num.2.* Si infans eſt ille, qui diſpenſatur, quomodo iſte dicitur diſpenſatus in irregularitate ex delicto, quod non ipſe, ſed alius commiſit. Sic, & bene, Philibertus, & penes ipſum Nauar. *in Manual. cap 27. n.194.* Vgolin. *tract de Irregular.c.44.§.2.n.2. & 4.* Sayrus *lib.6. & cap.11.n.10.* Suarez *de Cenſur.diſp.50 ſect.5. num.5.* Fillinc. *tom.1. tract.19. cap.6.n.152.* Bonacina *quæſt.2. de Irregular. punct.3. in fine,* & Toletus. His addi poſſunt Ægidius *de Sacram.diſp.18.dub.14.num.111.* (non 117. vt offendes apud Dianam) Layman. *lib.2. tract.5. part.5. cap.5. num.2.* (non *tract.10. part.1.* vt citat Diana) Piaſecius *in praxi Epiſcop. part.1.c.1.num.56. & 60.* Reginald. *lib.30.tract. 2.cap.7.num.73.* Cornejo *in 3. p.tract.de Irregul. diſp.5.dub 2. q.1.* Hurtad. *de Irregularit. diff.30.n.65.* Bauny *tract.15. de Cenſur.q.15. Aſſert.3.verſ. Quid ſi defectus.* Caſtro Palao *de Cenſur. diſp.6. punct.9. num.10.* Diana tandem, mutans ſententiam, *part.4.tract.2.Reſol.64.*

QVÆSTIO LVII.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo Ordinato in ſacris, mala fide, vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtret.

AFfirmat, quamuis timidè, Layman. *lib.1. tract.5. part.5. cap.5. num.2.* ſub iis verbis: Si tamen bona fide aliquis Ordinatus fuerat, cognitio deinde natalium defectu, haud dubiè Epiſcopus diſpenſare poteſt, vt in ſuſceptis miniſtret, ſicuti notavit Henriquez *lib.14.cap.8.num.16.* (*lege* 50) *lit. H.* Auila *part.7. diſp.3. dub.6. notab.6.* Imo fortaſsè, etiamſi mala fide Ordines accepit, occultum natalium defectum ſubticendo, ſicuti colligi videtur ex *cap. Niſi cum pridem, §. Perſona. de renunc.* (ibi) *Licet irregularitatem non potuerit ſubticere: ſi tamen & culpa latet, & cauſa, cum eo qui laudabiliter ſuum impleuit officium (iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari) poteſt non minus vtiliter, quàm miſericorditer diſpenſari.* Huc vſque Layman. Cuius ſententiam non videri improbabilem, ait Palao *de Cenſur.diſp.6. punct.9.*

num.10. in fine, & videtur ſequi Diana *p.4. tract.2. reſol.64. in fine.*

Sed, vt mihi ferè certum, Reſpondeo: Non poſſe, Quia id clarè conſtat ex *cap.5. de filiis Presbyt. in 6.* vt ſtatim dicemus, adhuc loquendo de illegitimo, qui Ordines ſacros bona fide ſuſcepit. Et docent communiter Doctores.

QVÆSTIO LVIII.

An ſaltem, poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo promoto bona fide ad Ordinem ſacrum, v.g ad Subdiaconatum, vt in eo adminiſtret, & ad ſuperiores Ordines aſcendat.

AFfirmat vtrumque Nau. *conſ.4. de filiis Presbyt. n.2. quæſt.2. & 3.* & ſic illum citat Henriquez *lib.14.cap.8.n.10. lit. H.* pro hac parte.

Alij verò, media via incedentes dicunt, Poſſe quidem Epiſcopum diſpenſare cum præfato, vt in ſuſcepto Ordine miniſtret, non verò, vt ad ſuperiores aſcendat. Ita Henriquez *loc. cit. vbi in corpore,* & in Gloſſa hæc conſequenter dicit: Si bona fide iam initiatus Sacerdotio, perſuadet ſibi ſe illegitimum, diſpenſare poſſit Epiſcopus ad vſum Ordinis. Fatetur Nauar. *conſil.3. tit.14. de ætate. lib.1.* Gratian. *ad cap. Non initiati 9. quæſt.1. §. his authoritatibus,* per *cap. Lugdunenſis, eod. tit. ſup.* Item quia Sotus *diſt. 22.q.31.* Silueſt. *verb. ſuſpenſus,* & quidam Recent. hanc potius vocant ſuſpenſionem ab exercitio Ordinis habiti, quam irregularitatem. Et quidam id Trident. *ſeſſ.24. de refor. cap 6.* ex delicto extendunt ex delicto alieno (ſic enim illegitimus punitur ob delictum patris, *ſup.*) & quia Trident. concedit Epiſcopis omnem caſum occultum, vt dictum eſt *lib.2. de Matrim. cap.3. §.2.* Sic Epiſcopus diſpenſat in quadam irregularitate ob infamiam prouenientem ex delicto parentum. At nimis extendit Nauar. *d. conſ.* quod Epiſcopus diſpenſat cum iſto illegitimo vt promoueatur ad vlteriores Ordines. Hæc Henriquez. Cuius ſententiam ſequuntur, præcipuè quoad primam partem, Auila *part.7. diſp.3. dub 6. verſ. Sexto notandum,* & à fortiori Layman, Palao, & Diana *locis ſupra quæſt.57. citatis.* Quorum fundamentum eſſe poteſt, quod propter bonam fidem acquiſitum fuit ius per Ordinationem ad vſum eius: ergo rationi conſentaneum eſt, vt Epiſcopus poſſit tale impedimentum tollere.

Sed probabilius Reſpondeo: In prædicto caſu nec poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illegitimo, quoad vſum ſacri Ordinis, v. g. Subdiaconatus ſuſcepti, nec quoad aſcenſum ad Superiores Ordines, nempe Diaconatum, & Sacerdotium. Secunda pars huius reſponſionis (ait doctiſſ. Suarez) eſt certa. Nec videtur credibile, Nauarrum in contrario ſenſu fuiſſe loquutum, quando dictum *cap.1. de filiis Presbyt. in 6.* generaliter negat Epiſcopo hanc poteſtatem, & exceptio in illo caſu nullo alio iure fundata eſt, nec vlla probabili ratione. Cur enim propter vnum Ordinem malè ſuſceptum habebit Epiſcopus nouam poteſtatem diſpenſandi, vt alius etiam ſuſcipiatur, Quæ ratio æquè probat primam partem de vſu Ordinis ſuſcepti, verbi gratia Subdiaconatus. Quia illud impedimentum (proſequitur Suarez) manens in huiuſmodi ſic ordinato, non eſt ex cenſura, vel ſuſpenſione denuò contracta, ſed ex vi prioris irregularitatis, quæ ſemper manet: illam autem non poteſt auferre Epiſcopus, nec error commiſſus nouam ei poteſtatem contulit. Hæc Suarez *diſputat.50. ſect.5. num.4.* Qui ad fundamentum contrariorum bene reſpondet, ſolùm conuincere,

eſſe congruam rationem, vt Papa concedat hanc poteſtatem, ſi velit, hactenus tamen eam non conceſſiſſe. Sic ſentiunt etiam ex Suario Filliuc. *tract.* 19. *c.* 5. *q.* 8. *n.* 152. & Cornejo *tract. de Irregular. diſp.* 15. *dub.* 2. *q.* 1. *verſ. Sed quid ſi illegitimus.* Nec Nauarrum ſenſiſſe contrarium, aduertit eius Additionator in fine illius conſilij citati, dicens diſpenſationem Epiſcopi, de qua ibi loquitur Nauarrus, non reſpicere impedimentum proueniens ex defectu natalium, ſed illud quod prouenit ex eo quod ſine diſpenſatione Papæ aſſumpſit ſacros Ordines ab alieno.

QVÆSTIO LIX.

An Epiſcopus electus, & confirmatus, non tamen conſecratus, poſsit diſpenſare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium.

RESpondeo: Poſſe. Quia ad vſum huius poteſtatis non Ordo, ſed iuriſdictio requiritur: at ſic eſt, quod Epiſcopus electus, & confirmatus, licet conſecratus non ſit, poteſt exercere iuriſdictionem Epiſcopalem, *cap. Transmiſſam, de electione*: ergo. Sic Suarez *loc. cit. n.* 6. Palao *diſp.* 6. *punct.* 9. *n.* 11. Barboſa *de offic. Epiſcop. alleg.* 45. *n.* 25. Qui idem dicunt de Capitulo Sede vacante, & de aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

QVÆSTIO LX.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum proprio filio illegitimo ad minores Ordines, & ſimplex beneficium.

NEgat Maiolus *lib.* 1 *de Irregular. c.* 12. *n.* 13. ibi: Pater Epiſcopus, qui illegitimos diſpenſare iure poteſt, vel ex propria, vel ex delegata auctoritate, proprios filios legitimare, diſpenſareve non poteſt ad Ordines, aut beneficia. Ita ille.

Sed vt ferè certum, Reſpondeo: Poſſe Quia *c.* 1. *de filiis Presbyt. in* 6. abſolutè, & ſine reſtrictione hanc diſpenſandi cum illegitimo facultatem concedit Epiſcopis: ergo licèt non deceat, vt Epiſcopus per ſe cum proprio filio illegitimo id faciat, ſi tamen faciat, tenebit. Sic Suarez *diſp.* 50. *sect.* 5. *n.* 6.

QVÆSTIO LXI.

An in impetranda legitimatione ſpurij, neceſſarium ſit mentionem facere qualitatis ſpurietatis, & adulterij vtriuſque parentis.

NEgat in primis Aretinus *ad cap. Si Clerici, §. De adulteris, num.* 42. *de iudiciis*, exiſtimans validam, non ſubreptitiam eſſe legitimationem ſpurij, etiamſi ſolùm declaretur, eum eſſe ſpurium, tacitis qualitatibus, & circunſtantiis coitus ex quo procreatus eſt. Sed hæc ſententia communiter ab omnibus improbatur, & præcipuè à Felino *in cap. Poſtulaſti, num.* 2. *declarat.* 5. *de Reſcript.* & à Thoma Sanchez cum aliis *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 14. *n.* 3.

Negant deinde alij, dicentes non teneri quem in legitimationis dictæ impetratione, vtriuſque parentis adulterium narrare; ſed ſatis eſſe narrare, ſe ex coniugato, & ſoluta natum eſſe, quia ſic explicat ſe ex adulterio eſſe habitum. Ita ſenſere Angel. *conſ.* 204. *n.* 1. & Præpoſit. *ad cap. Per venerabilem, §. Quod autem, n.* 24. *Qui filij ſint legitimi.*

Sed omnino oppoſitum, Reſpondeo dicendum, nempe, neceſſarium eſſe in impetratione legitimationis ſpurij, declarare vtriuſque parentis adulterium, aliàs talem legitimationem irritam eſſe, & inualidam. Sic tenent communiter Doctores. Præcipuè Angel. *in Summ. verb. Legitimatio, n.* 5. ex Ioan. Andr. & Panormit. Quia, inquiunt, omne tacitum per id quod Papa, vel Princeps, non ita de facili conceſſiſſet, ſi illud ſciuiſſet, facit reſcriptum ſubreptitium, & vitiat, Silueſt. *legitimus, q.* 3. *dict.* 2. Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 8. *§.* 9. *num.* 2. & 3. cum aliis pluribus, quos citat, & ſequitur Sanch. *loco cit. n.* 5.

QVÆSTIO LXII.

An in petitione legitimationis declaranda ſit qualitas filij; nempe an ſit naturalis, vel ſpurius, vel inceſtuoſus, aut ſacrilegus.

REſpondeo Affirmatiuè. Quia ſic colligunt ex *cap. Poſtulaſti, de Reſcript.* & aliis iuribus, Abb. Corn. Iaſon, Decius, & alij, quos citat, & ſequitur Couarr. *§.* 9 *cit. à n.* 1. Vbi hanc materiam latè, & doctè proſequitur. Sic etiam Pellizzar. *tom.* 2. *Manual. Regular. tract.* 9. *c.* 3. *sect.* 4. *q.* 16. *n.* 132. ita dicens: Moneo hìc ſolum ex Miranda *tom.* 2. *q.* 2. *art.* 13. ad diſpenſandum cum illegitimo requiri, quod illegitimus exponat qualitatem illegitimitatis, ſit-ne ſpurius, an naturalis, an ſacrilegus, an inceſtuoſus, an adulterinus, &c. hæ enim qualitates cum aliquibus circumſtantiis, maximè duplicatis, poſſunt deterrere, aut mouere ad diſpenſandum, ſicut etiam notat Portel *de dub. Regul. verb. Illegitimus, n.* 21. Hæc Pellizzarius.

QVÆSTIO LXIII.

An per Profeſsionem in Religione approbata tollatur, ſaltem quoad Ordines, etiam ſacros, irregularitas in illegitimo quocumque.

NEgat Anton. de Roſellis *tract. de legitim. lib.* 3. exiſtimans, tolli ſolum in filiis naturalibus, non in ſpuriis.

Sed, vt certum Reſpondeo: in omnibus tolli. Quia ſic abſolutè & indiſtinctè ſtatuitur *in cap.* 1. *de filiis Presbyt.* iis verbis: *Vt filij Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad ſacros Ordines non promoueantur: Niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione canonice regulariter viuentes: Prælationes verò nullatenus habeant.* Sic textus. Qui quidem adhuc ſuam vim retinet. Nam licèt Sixtus V. ita fecerit illegitimos inhabiles ad Religionem, vt conſequenter irritum reddiderit hoc ius ad hunc effectum, tamen Gregor. XIII. Conſtitutionem illam ad terminos iuris communis poſtea reduxit, anno 1588. Sic omnes. Legantur Suarez *diſp.* 50. *sect.* 5. *à n.* 12. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 5. *quæſt.* 9. Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 10. Nauarr. *cap. Non dicatis, n.* 22. & *tit. de Regul. lib.* 3. *conſil.* & *tit. de filiis Preſbyt. lib.* 1. & *in Summ. cap.* 27. *n.* 107. Palaus *de Cenſur. diſp.* 6. *punct.* 9. *n.* 12. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 2. *q.* 2. per totam. Sanch. *lib.* 5. *Summ. c.* 5. *à n.* 9 & *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 86. *n.* 4. Gibalin. *c.* 6. *q.* 3. *à n.* 2. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *sect.* 1. *q.* 21. *n.* 34. Peyrinis *in Conſtitut.* 2. *Iulij II. §* 29. *n.* 89.

QVÆSTIO

Qvæstio LXIV.

An etiam ſtando in terminis iuris communis, per Profeſſionem in Religione tollatur irregularitas illegitimitatis, etiam quantum ad effectum habendi Prælationes.

Affirmatunt nonnulli apud Mirandam *quæſt.* 2. *citat. artic.* 1. Quorum ſententiam eſſe probabilem, ſatis innuunt ipſe, & Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Regul. in quæſt.* 23. *artic.* 5. Exiſtimatunt namque per Profeſſionem comparari, iure diuino, integram, ac perfectum legitimationem, qua illegitimi quicunque redduntur omnino idonei ad omnes Prælationes, & dignitates Eccleſiaſticas, etiam Epiſcopatus, ac ſi legitimo matrimonio nati eſſent. Probant. Quia difficilius eſt tolli vinculum matrimonij rati, vtpotè quod iuris diuini naturalis eſt, quam huius irregularitatis, quæ eſt iuris humani, vinculum: at ſic eſt, quod per Profeſſionem Religionis tollitur iure diuino vincolum matrimonij rati: ergo per eandemmet profeſſionem, eodem iure tolletur irregularitas ex illegitimitate conſurgens, etiam quoad Prælaturas, & dignitates obtinendas.

Sed tanquam certiſſimum, Reſpondeo: Nullo modo, ſtando in terminis iuris, tolli per profeſſionem irregularitatem illegitimitatis; quantum ad effectum habendi Prælationes, & dignitates. Quia ſic habetur expreſsè (vt nuper *quæſt.* 63. vidimus) *in cap.* 1. *de filiis Presbyter.* ibi: *Prælationes verò nullatenus habeant.* Et *in cap. finali, eodem tit.* & alibi: ergo illegitimi, ſecundum ius commune, nequeunt Prælationes habere, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, etiamſi Monachi per profeſſionem efficiantur.

Nec argumentum contra factum quid conuincit: nam reſpondetur *primò*, quod ſatis probabile eſt, quod matrimonium ratum, ſolo iure humano per profeſſionem diſſoluatur, vt diximus 2. *part. tract.* 9. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *Secundò*, quod licèt probabilius ſit, vt ibidem diximus, id eſſe ex iure diuino poſitiuo, nempe ex priuilegio Chriſti Domini, vt volunt contrarij, tamen probandum illis reſtat, idem priuilegium profeſſioni fuiſſe conceſſum, quoad omne illegitimitatis vitium auferendum, quod non faciunt. Ideoque hanc noſtram ſententiam tuentur Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. & penes ipſum *litt.* Z. Nauar. *in Man. cap.* 27. *num.* 201. §. 10. Ricard. Palud. Corduba, Tahiena, Rebuff. Ledeſma, & Felician. Sanchez etiam *lib.* 5. *Summ. cap.* 5. *num.* 16. citans pro hac parte Anton. Abbat. & Cardin. *ad cap.* 1. *de filiis Presbyter.* Maiolum *de Irregul. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. & Sayrum *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 2. ſic deinde Miranda & Rodriguez *loc. cit.* Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. Auila *part.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 6. *verſ. Sexto notandum.* & alij penes ipſos. Legantur etiam Diana *p.* 4. *tract.* x. *Reſol.* 65. & *p.* 10. *tract.* 13. *Reſol.* 39. & Pellizzarius, & Peyrinus *loc. cit.*

Qvæstio LXV.

An vt illegitimus profeſſus fiat Prælatus in Religione, ſit neceſſaria diſpenſatio Pontificia.

Negat Archidiac. *ad cap. Quàm ſit*, 18. *quæſt. ſecunda*, *num.* 3. vbi docet, ſufficere diſpenſationem Epiſcopi.

Sed vt certum, Reſpondeo dicendum, quod attento iure communi, & ſecluſis Religionum priuilegiis, omnino ſit neceſſaria diſpenſatio Pontificia. Quia id clarè conſtat ex *cap.* 1. *de filiis Presbyter.* ibi: *Prælationes nullatenus habeant.* Nam dictio *Nullatenus*, negat Epiſcopo facultatem diſpenſandi, vt ex Gloſſa *in Clement.* 2. *verb. Nullo modo, de ætate, & qualit.* Imola, & Cardin. & aliis probat Sanchez *loc. cit. num.* 17. Deinde id etiam conſtat ex *cap. ſimili, eodem tit.* vbi ſtatuitur, nullum illegitimum poſſe ad dignitates, & beneficia parochialia promoueri abſque Pontificis diſpenſatione: at Prælatum eſſe in Religione, eſt dignitas: ergo. Vnde hanc ſententiam tenent Suarez *loc. cit. num.* 16. Sanchez *lib.* 5. *Summ. cap.* 5. *num.* 17. & penes ipſum Richard. Palud. D. Anton. Rebuff. Nauar. Maiolus, Viuald. Graffius, & alij.

Qvæstio LXVI.

An non ſolùm Profeſſio, ſed etiam ingreſſus Religionis, aut Nouitiatus, aboleant ex natalium defectu irregularitatem, quoad Ordines ſacros ſuſcipiendos.

Affirmat Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 13. *art.* 4. vbi ait, id ſenſiſſe viros doctiſſimos. Quia iura id concedentia, non loquuntur de profeſſione, vt conſtat ex *cap.* 1. *cit. de filiis Presbyter.* ibi: *Illegitimè nati ad Ordines non promoueantur, niſi aut Monachi fiant, aut in Congregatione canonica regulariter viuentes.* Sed ſic eſt, quod nouitius verè appellatur Monachus, aut religioſus, cum verè participet aliquo modo religionis ſtatum: ergo. Tenent etiam hanc ſententiam Ioan. de Bobadilla *in Enchirid. MS.* apud Mirand. *tom.* 1. *quæſt.* 25. *art.* 10. & Hieron. Rodrig. *in Comp. qq. Regul. Reſol.* 76. *n.* 7.

Sed vt ferè certum, Reſpondeo: Solam ſolennem profeſſionem abolere hanc irregularitatem. Quia dictus textus *cap.* 1. petit ad hunc effectum (vt vidimus) illegitimos fieri Monachos, aut Canonicos Regulares: at Nouitius, non eſt verè Monachus, aut Religioſus cum effectu, donec profeſſionem emittat: ergo dumtaxat per profeſſionem abolebitur hæc irregularitas. Vnde ad argumentum in contrarium dicendum eſt, quod quanquam vulgari modo Nouitius etiam ſoleat Religioſus appellari, quia iam eſt in via, & participat aliqua priuilegia Religionis; non eſt tamen veriſimile, Pontificem velle comprehendere illos ſub illis verbis, *Monachi fiant*; cum altera ſit horum verborum ſignificatio magis propria. Sic Suarez *diſp.* 50. *ſect.* 5. *num* 12. & penes illum Sotus *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 3. Maiol. *lib.* 2. *de Irregul. c.* 10. Ricard. Palud. D. Anton. & Greg. Lopez. Quibus addi poſſunt Sayrus *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 3. Nauar. *c.* 27. *n.* 201. Viuald. *hic n.* 125. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 10. Azor. *lib.* 12. *c.* 5. *q.* 12. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 5. *Summ. c.* 5. *n.* 12. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 5. *q.* 9. *n.* 153. Villalob. *tom.* 1. *Summ. tract.* 13 *diff.* 60. *n* 6. Caſtro Palao *tract.* 16. *diſp.* 2 *punct.* 8 *n.* 10. Miranda *loc. cit.* Gibalinus *cap.* 6. *q.* 3. *conſect.* 1. & Barboſa apud illum.

Qvæstio LXVII.

An etiam ius commune interdicat illegitimis Monialibus profeſſis Prælationes, ita vt nequeant eſſe Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, &c.

Negant nonnulli DD. *Primò.* Quia textus *cap.* 1. & *finali, de filiis Presbyt.* interdicentes illegitimis Prælationes, & dignitates, ſolummodò loquuntur de viris, & maſculis: ergo dicti textus cùm ſint odioſi, non ſunt ad fœminas extendendi.

Secundo. Quia eſſe Abbatiſſas, aut Prioriſſas, non eſt habere prælationem, aut dignitatem Eccleſiaſticam, cum fœminæ nequeant eſſe propriè prælatæ, ſed quaſi ex commiſſione eo munere funguntur ob periculum habitationis Prælati cum Monialibus, vt ait D. Thom. 4. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2. ergo in iure huiuſmodi, non interdicitur impropria Prælatio fœminæ.

Tertiò. Quia Sixtus V. qui eiuſmodi illegitimos maximè exoſos habuit, in ſua Conſtitutione edita *anno* 1588. *duodecimo Kalend. Nouemb.* qua ipſos ad omnes dignitates, & honores, inhabiles fecit, cum de Religioſis viris expreſsè loquatur, de fœminis nullum verbum prorſus fecit; imo expreſsè dixit Conſtitutionem ſuam cum Monialibus illegitimis non debere intelligi, nec ad eas extendi: ex quo planè ſequitur, quod neque prædicta iuris communis capita, quæ de illegitimis loquuntur, in præfatis Monialibus locum habent. Poſſunt ergo, dictis textibus non obſtantibus, Moniales illegitimæ eligi, abſque vlla diſpenſatione in Abbatiſſas, & Prioriſſas. Quapropter ita olim ſenſere Tabiena *verb. Virginum conſecratio, num penult.* Palud *in* 4. *diſt.* 41. *quaſt.* 3. *artic.* 2. *num.* 14. Rodriguez *tom.* 1. *quaſt. Regul. quaſt.* 13. *art.* 21. & Miranda *in Man. Prælator. tom.* 1. *tract. de Monial. quaſt.* 6. *art.* 3. vbi dicunt, ita ſentire Ioan. Andr. Geminian. Felin. Anchar. & & Cynum. His addi poſſunt Portel. *in dubiis Regul. verb. Abbatiſſa, num.* 6. Hieronymus Rodriguez *in Compend. qq. Regular. Reſolut.* 2. *num.* 22. quos pro hac parte citat, neſcio an ſequatur, Diana *part.* 3. *tract.* 2. *Reſolut.* 101. vbi addit Iulium Lauorium *in variis elucubr. tit.* 4. *cap.* 24. *num.* 38. adnotantem, ſacram Cardinal. Congregationem declaraſſe, quod fœminæ ex illegitimo thoro natæ, non comprehendantur ſub Conſtitutione Sixti V. lata contra Regulares illegitimos, quominus ad officium, vel dignitatem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ eligi poſſint. Idemque notauit Auguſt. Barboſa *in Summ. Apoſtolic. deciſ. verb. Monialis, collect.* 506. *num.* 18. ex Ioan. Maria Nauarr. *verb. Monialis, num.* 15. *in vna Cordubenſi de anno* 1598. & tenet nouiſſimè Gibalinus *cap.* 6. *de Irregularit. quaſt.* 3. *conſectar.* 6. *pag.* 423.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo dicendum, quod attento iure communi, & ſecluſis Religionum priuilegiis, nullo modo poſſit illegitima Monialis eligi in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, abſque diſpenſatione Summi Pontificis.

Ratio eſt. Quia multò longè probabilius eſt, quod textus *in cap.* 1. *& finali, de filiis Presbyter.* vbi filij illegitimi profeſſi excluduntur ab omni Prælatura, & dignitate, extendantur ad fœminas illegitimas profeſſas. Tum, quia longè Probabilius eſt, quod nomine filij, veniant etiam filiæ, ſeu fœminæ, vt latè probat Barboſa, multis allegatis *tract. de Appell. verbor. iuris ſignif. verb. Filius, à n.* 48. ex illo principio generaliter recepto, nempe maſculinum concipere fœmininum. *leg. Qui duos* 60. *in fine, ff. de legat.* 3. *l. inter ſtuprum* 101. *ff. de verb. ſignif.* quod principium etiam tenet verum, loquendo de materia pœnali, & odioſa, præcipuè quando militat eadem ratio, vt hîc, videlicet timor imitationis incontinentiæ paternæ, qui quidem tam reſpectu maſculi, quàm fœminæ eſt experientia æqualis: ergo.

Tum etiam. Quia in dictis textibus, omnes illegitimi profeſſi excluduntur ab omni prælatura & dignitate; at ſic eſt, quod eſt probabilius, quod officium Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ, vera ſit dignitas & Prælatio, vt multis citatis probat Sanchez *vbi infra*: ergo.

Tum denique tertiò. Quia quando Pontifices volunt ſuas leges non extendi ad fœminas, id expreſsè notant, vt fecit Sixtus V. qui volens ſuum motum proprium latum contra illegitimos, non habere locum in Monialibus; id planè expreſſit in poſteriori motu, quem in declarationem prioris edidit: ergo ſignum eſt, quod quæcunque Conſtitutio Pontificis, ſeu diſpoſitio, etiam pœnalis, & correctoria loquens de maſculis, & viris, extendatur ad fœminas, ſi has expreſsè non excludat, vt non excludunt textus *in cap.* 1. *& finali de filiis Presbyt.* ſup. adducti. Ex quibus ſoluta remanent fundamenta Contrariorum. Ideoque hanc noſtram ſententiam tuentur Gloſſa *in cap. Indemnitatibus*, §. *Sanè, verb. Canonica*, & ibi Monachus, Archidiac. Ioan. Andr. Dominic. Anchar. & Francus, Abbas etiam *in cap. Cum in cunctis, de elect.* Decius, & Bellarmera *ibid.* (Quare aliqui ex iis Doctoribus malè citantur pro ſe à contrariis, vt probat Sanchez *infra.*) Sic deinde tenent Nauarr. *Commentar.* 2. *de Regul. num.* 60. *& in Summa, cap.* 7. *num.* 201. Maiol. *lib.* 1. *de Irregularitate, cap.* 10. *fine, & cap.* 29. *num.* 10. Viuald. *in* 2. *edit. part.* 3. *cap.* 5. *num.* 10. Sayrus *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 11. *numer.* 3. Suarez *diſputat.* 50. *ſect.* 5. *num.* 15. Quos, & adhuc alios, citat, & ſequitur Sanchez *in Summ. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 19. Quibus addi poſſunt Caſtellinus *de elect. cap.* 17. *num.* 5. Homobonus *de ſtatu part.* 1. *cap.* 14. Naldus *verb. Abbatiſſa, num.* 2. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi part.* 3. *allegat.* 100. *num.* 13. *& in Summ. Apoſtol deciſ. verb. Abbatiſſa*, per hæc verba: Abbatiſſa eligi non poteſt Monialis, quæ eſt illegitima, abſque diſpenſatione Apoſtolica, alias electio de illa facta eſt, attento iure communi, irrita, circumſcriptis Religionum priuilegiis. Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul. in Sarzen. 15. Iulij 1616. S. Congr. Concilij, 25. *Aprilis* 1630. Cuius meminit Ioan. Maria Nouar. *in lucer. a Regul. verbo Abbatiſſa, n.* 10. Et ſic recedi videtur à contraria deciſione antiquiori, de qua Gauant. *d. verb. Monialium Officiales, num* 7. Lauorius *variar. incubr. tit.* 4. *cap.* 24. *num.* 10 *&* 38. Lezana *tom.* 1. *cap* 16. *n.* 6. Caſtellin. *de elect. cap.* 17. *num.* 14. Tamburin. *de Iure Abbatiſſar. diſp* 28. *q.* 12. *n.* 1. *verſ.* Quod intellige. Huc vſque Barboſa, ex quo, quid ſit reſpondendum deciſioni adductæ à contrariis conſtat.

QVÆSTIO LXVIII.

An illegitimus factus Religioſus, poſſit ſecundum ius commune eſſe Vicarius Epiſcopi.

RESpondeo, vt certum, Non poſſe. Quia certum eſt, quod Vicarius eſt quædam dignitas, vt conſtat: ergo repugnat illegitimo eſſe Vicarium Epiſcopi, per textum *in cap. finali, de filiis Presbyter.* in quo ſic loquitur Gregor. IX. *Nimis in tua Prouincia Eccleſia deformatur honeſtas, ex eo quod filij Sacerdotum, & alij non legitimè nati ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolica promouentur. Quocirca mandamus, quatenus prædictis perſonis à perſonatibus, & dignitatibus, & huiuſmodi beneficiis prorſus amotis, ea perſonis idoneis conferri facias*, &c. Sic textus. Ergo per illum, obſtat illegitimo eſſe Vicarium Epiſcopi. Sic Maiolus *libro primo, capite decimo, numero tertio.* Sayrus *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quaſt.* 13. *articul.* 13. & Sanchez *in Summ. lib.* 5. *cap.* 5. *numer.* 16. Qui bene ſubdunt, nec poſſe virtute priuilegiorum Religionis diſpenſari quoad hoc cum profeſſis illegitimis; quippe virtute

illorum

Digitized by Google

illorum ſolùm poſſunt legitimari quoad prælationes in Religione. Sic etiam Barboſa. *de Iure Eccleſiaſt. c.52.n.197.*& Gibalinus *c.6.de Irregul.q.2.conſectar.5.in fine.*

QVÆSTIO LXIX.

An illegitimi profeſſi, diſpenſatione non præuia, excludantur, attento communi iure, ab officiis Miniſtrorum Generalium, Prouincialium, & Conuentualium.

RESpondeo, vt quid certum, Excludi attento iure communi, ſaltem per textum iuris nuper allegatum. Quia huiuſmodi officia, dignitatem, & perſonatum, necnon & prælationem important, vt conſtat: cum omnes prædictis officiis gaudentes iuriſdictionem Ordinariam habeant: ergo. Sic omnes Doctores. Præcipuè Silueſt. *verb. prælatus, quæſt.2.* loquendo de Prælatis ſui Ordinis Prædicatorum, & aliorum Mendicantium. Miranda *tom.2.directorij Prælator.q.2.art.8.*

QVÆSTIO LXX.

An etiam dicti illegitimi excludantur, attento iure communi, ab officiis Diffinitorum.

NEgare poſſet quis ex Nauarro *lib.1. Conſil. de filiis Presbyter, conſil.6. num.3.* quatenus docet, quod illegitimi poſſunt habere in Religione omnia officia, quæ ſunt manualia; & quod ſunt manualia omnia officia, quæ non ſunt capita Conuentuum: atqui Diffinitores minimè ſunt capita Conuentuum: ergo.

Nihilominus tamen Reſpondeo, vt certum, Etiam excludi. Quia certum eſt, quod Officium Diffinitorum (præcipuè in noſtro Cœleſti Ordine) perſonatum, & dignitatem importat, imò & Prælationem, cum iuriſdictionem habeant: ergo ad huiuſmodi officium non poſſunt promoueri profeſſi illegitimi, iuxta præfatum textum *ſup.q.68.* adductum. Antecedens conſtat apertè ex doctrina, quam tradit Sylueſt. *verſ. Dignitas, n.2.& 3.* vbi explicans quid ſit Perſonatus, ait, quod eſt quædam prærogatiua in Eccleſia ſine iuriſdictione, vt habere ſtatum honorificum in choro, in proceſſionibus, in vocibus dandis, & ſimilibus, pluſquam alij ſui Ordinis Canonici, &c. Sic tenent expreſsè Miranda *loc cit. art.8. concl.1. verſ. Secundò infertur.* loquendo de Diffinitoribus ſui Ordinis, & Prædicatorum. Qui addit idem dicendum eſſe de Officiis Diſcretorum, aut Procuratorum, qui cum voce actiua, & paſſiua mittuntur ad Capitula Generalia, ſiue Prouincialia; eo quòd talia officia, nomine Perſonatus, & dignitatis veniant. Sic enim Gibalin. *c.6. q.3.conſect.5. verſ. Ex his*, vbi ita ait: Ex his conſequitur primò, quod illegitimus Religioſus non poteſt ſine diſpenſatione eſſe Diffinitor, quia definitoriatus eſt perſonalis dignitas, vti contendit Rodriq.*q.13. cit.art.*18. latè Peyrinus *in Conſtitut.2. Iulij II §.29. n.91.* & Sanchez *lib.5.in Decalog. cap.5.n.16.*

QVÆSTIO LXXI.

An item repugnet iuri communi, quod profeſſus illegitimus Officium Vicariatus, aut ſubprioratus alicuius Conuentus habeat.

NEgat repugnare Rodriguez *tom.1. qq. Regular. q.13 art.20.* aſſerens, poſſe illegitimum eſſe Vicarium Conuentus, ſub Guardiano, vel Priore, cum talis non habeat iuriſdictionem Ordinariam, ſed delegatam. Hanc ſententiam, vt valde probabilem, & piam, ſequitur Hinojoſa *in directorio deciſion. Regul. verb. Illegitimus, verb. Additurque*, cum hoc tamen addito, quod ſi moriatur, vel amoueatur Prior, cuius eſt talis Vicarius à Prouinciali inſtitutus (alias finitur cum Priori) inhabilis eſt ad Vicariatus Officium obtinendum, & exequendum: quia iam fungitur iuriſdictione Ordinaria, & ſimiliter ſubprior. Ita Hinojoſa.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Repugnare etiam iuri communi: & ideo attento illo, minimè poſſe habere Officium Vicarij, aut ſubprioris Conuentus. Quia illegitimi nequeunt habere ea officia, quibus de poſſibili iuriſdictio ordinaria, & cura animarum ſit annexa, vt conſtat ex *cap. finali, de filiis Presbyter. quæſt.68.* adducto: at ſic eſt, quod Vicarius, aut ſubprior Conuentus, in aliquo caſu ſunt Ordinarij iure ſpeciali; quando ſcilicet Prior, ſeu Guardianus eſt abſens, aut amotus ab officio, ſeu mortuus: ergo. Sic ex Palud. *in 4.diſtinctione* 41. docet Silueſt. *verb. Prælatus, quæſt.3.* Miranda *art.8. cit.verſ. Primò, quod ſupradicti.* Sanchez etiam, quamuis non ita in ſpecie, *lib.5. Summ.cap.5. num.16.* ex Nauarr. *lib.1.conſil. tit. de filiis Presbyter. in 1. edit. conſil.3.in 2.conſil.6.num.2.3.& 5.*

QVÆSTIO LXXII.

An ſaltem non repugnet iuri, quod illegitimus profeſſus ſit Vicarius, ſeu confeſſor Monialium.

REſpondeo: Non repugnare. Quia huiuſmodi munus, & officium non eſt Prælatio, Perſonatus, aut dignitas; nec dictus Vicarius habet curam, aut iuriſdictionem ordinariam annexam, ſed ſolùm forſan in aliquo caſu ſubdelegatam. Quæ ſubdelegata iuriſdictio non videtur prædictis illegitimis iure interdicta. Sic Silueſt. & Miranda *loc. cit.* Qui addunt, non ex hoc ſequi, quod prædicti illegitimi eſſe poſſint Vicarij Miniſtri Generalis, aut Prouincialis; imò nec Viſitatores Prouinciarum, bene tamen Magiſtri Nouitiorum. Sic etiam tenent Rodriquez, & Hinojoſa locis ſupra citatis, & alij. Qui etiam addunt, poſſe dictos illegitimos habere alia officia honorifica, vt Prædicatoris, Lectoris, & ſimilia. Legantur Nauarr. *loc. citat.* Palaus *diſputat.6. de Cenſur. punct.9.n.26.* & Gibalinus *loc.cit.*

QVÆSTIO LXXIII.

An non attento iure communi, ſed priuilegiis Religionum, omnis illegitimus reddatur per profeſſionem ſolemnem legitimatus & aptus ad omnes Prælaturas, & dignitates intra Religionem obtinendas.

AFfirmat Villalobos *tom.1. Sum tract.13.diff.60. num.10.* per hæc verba: *Aduertaſe grandemente con el. P. Portel* verb. illegitimus, num.9. *que los Padres de la Congregacion de S.Iuan Euangeliſta, en Portugal, tienen vn priuilegio de Eugenio IV. concedido al Conuento de San George de Allega de Orden, para que entre ellos*, Admiſſus ad profeſſionem, ſi habet defectum natalium, ipſo facto, ſit diſpenſatus, non ſolum ad Ordines, ſed etiam ad omnia ſolita gubernari per fratres illius Ordinis, Prioratus,

ſeu Præpoſituras, Rectorias, aut officia inuicem compatientia. *De ſuerte que entre ellos, el profeſſo, no ſolamente quedado diſpenſado à las Ordenes, ſino tambien a los officios, i dignidades de la Orden. Y dize el P. Portel, que le dixe vn Padre, que fue General de aquella Orden en Portugal, que ſe practicaua entre ellos aſſi: i auiendo communicacion de priuilegios, me parece que podria gozar deſte, non obſtante que por ignorancia no ſe aya vſado del. Porque Nicolas IV.* (vt refertur in comp. Man. verb. priuileg §.33.) *concedio a los Padres de la Cartuza, que puedan vſar de los priuilegios à ellos concedidos, aunque por ſimplicidad ò ignorancia del derecho, no ayan vſado dellos en tiempos otros, como no ſe aya preſcripto contra ellos, ni eſtan derogados. Y preſupueſto que gozamos de todos los priuilegios, que eſtan concedidos a las demas Ordenes, parece que podemos gozar tambien deſte. Y ſupueſto que Sixto V. Clemente VIII. y Paulo V.* (vt refert Manuel in Bullar. fol. 1152.) *en las confirmaciones que hizieron de los priuilegios de nueſtra Orden, no puſieron la clauſula,* quatenus ſunt in vſu, *por todo eſto me parece que ſe podria vſar de eſte priuilegio,* ſaluo meliori iudicio. Huc vſque Villalobos. Cuius verba etiam refert Diana *p.4. tract.2. Reſolut.65.* & videtur hanc approbare ſententiam, ſicut etiam facit Machado *tom.1. Summ. lib.1. p.3. tract.17. docum.2. n.6.* Gibalin. *c.6. queſt.3. conſectar.4.* & Leander de Murcia *in cap.4. ſuper 2. Regul. D. Franciſ. §.2. n.17. & c.5. §.3. num.33.* Cuius verba etiam refert Diana *p.10. tract.13. Reſol.39.*

Ego autem Reſpondeo dicendum, non ſolum hanc ſententiam eſſe probabilem, ſed certam, ſi certum eſt, vt videtur, dictam Congregationem S. Ioannis Euangeliſtæ gaudere priuilegio relato, nec eſſe contra illud præſcriptum, aut aliàs illi derogatum, vt exiſtimat Lezana *in Summa qq. Regular. tomo 3. verbo Illegitimi Regular. numero decimoſeptimo*, dicens, tale; priuilegium reuocatum fuiſſe per Sixtum V. & Gregor. XIV. in Bulla *Circumſpecta*. Sed vt de hac materia, quod eſt certiſſimum tradamus, videndum eſt, quis ex, Regularium Prælatis poſſit cum illegitimis ſibi ſubditis diſpenſare ad Prælaturas, & dignitates quaſcunque intra Ordinem obtinendas. Sit ergo

QVÆSTIO LXXIV.

An ex Summ. Pontificum priuilegiis poſſint nunc Prælati Regulares, Generales, aut Prouinciales, diſpenſare cum illegitimis ſibi ſubditis, ad quaſcumque Prælaturas, & dignitates ordinis habendas.

NEgandum videtur. Quia licèt olim Sixtus IV. conceſſerit Generali, & Prouincialibus, & eorum Vicariis Ordinis Minorum facultatem diſpenſandi cum illegitimis ſibi ſubditis ad quaſcunque dignitates, & Prælaturas Ordinis. Quod idem omnino, ac ſub iiſdem verbis idem Sixtus IV. conceſſit Generali Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicariis, prædictis mortuis vel amotis, quia tunc illorum loco ſubrogantur, vt referunt Collector priuileg. Mendicant. *verb. diſpenſatio, §.12. & 13.* Rodrig. *tom.1. qq. Regul. q.13. art.11.* Miranda *tom.2. q.2. art.2.* Hinojoſa *in director. deciſ. regular. verb. illegitimus*, & alij; tamen huiuſmodi facultas diſpenſandi, ſublata fuit eis poſtea à Sixto V. in duabus conſtitutionibus editis ab ipſo contra illegitimos; prima, anno Domini 1587. *ſexto Kal. Decembris*, & altera *anno* 1588. *duodecimo Kalend. Nouemb. Pontificatus ſui anno quarto*: ergo.

Sed omnino Reſpondeo: Nunc iam poſſe. Quia Gregor. XIV. per ſuam Conſtitutionem latam anno 1590. *Idibus Martij, Pontif. ſui anno 1.* quæ incipit, *Circumſpecta Romani Pontificis*, declarauit, ac moderauit ſupradictas Conſtitutiones Sixti V. & decreuit, licere Generali, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, & Congregationum, cum ſuis ſubditis illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouinciales, cum Generali, ſeu Prouinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs, ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, dignitateſque obtinendas diſpenſare. Sic referunt, ac ſentiunt iam omnes Doctores: præcipuè Rodriguez, & Hinojoſa *loco citato*, Miranda *artic.2. citat. & artic. 3.* vbi hanc reſponſionem latè explicat. Baſſæus *etiam, verb. Irregularitas III. num. 7. verſ. Ex variis autem*, & alij. Qui omnes conueniunt, poſſe prædictos Prælatos in ſuis Capitulis generalibus, prouincialibus, aut intermediis diſpenſare cum illegitimis ad Dignitates, & Prælationes intra Ordinem obtinendas. An autem id etiam per ſeipſos poſſint, iam dico. Sit ergo.

QVÆSTIO LXXV.

An etiam nunc poſſint prædicti Prælati Regulares, nempe Generales, & Prouinciales, ſeorſum per ſeipſos, & extra capitulum diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis, ad prælationes, & dignitates ordinis habendas.

NEgat Miranda *tom.2. directorij Regul. q.2. art.2. in fine*, iis verbis: Sed poſtea Gregor. XIV. in alia ſua Conſtitutione prædictas Sixti V. modificando, conceſſit, vt fieri poſſit cum ipſis diſpenſatio, ſed non niſi in Capitulo generali, vel Prouinciali, vt ſtatim dicemus. Ita quod iam ſublata eſt à dictis Prælatis Regularibus facultas ſimpliciter, & abſolutè, ac ſeorſum diſpenſandi cum illegitimis, ad Prælationes obtinendas, & poſſidendas, per Conſtitutionem Gregorij: nam dictæ diſpenſationes fieri nullatenus poſſunt ab ipſis ſeorſum, vt anteà poterant, ſed neceſſariò fieri debent ab eiſdem cum Generali, vel Prouinciali Capitulo. Sic Miranda. Cui accedit Hieron. Rodrig. *in Comp. Regul. Reſol.42. num.10.* & Villalob. *tract.13. diff.60. n.6.*

Sed probabilius longè Reſpondeo: Poſſe ſeorſum per ſe ipſos, & extra Capitulum, Quia (ait Baſſæus) virtute Confirmationum Apoſtolicarum de priuilegiis Regularium, quæ emanarunt poſt dictam Conſtitutionem Gregorianam, vt eſt illa Clementis VIII. facta Patribus de Obſeruantia, quæ incipit, *Ratio Paſtoralis*, 20. *Decembris* 1597. & illa Pauli V. iiſdem patribus, quæ incipit, *Inimicti nobis*, 1. *Decemb.* 1609. In quibus Confirmationibus appoſitæ ſunt clauſulæ, *Ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, &c. *Motu proprio*, &c. ſine vlla reſtrictione, poſſunt Prælati Regulares prædictis priuilegiis vti, ſecundum eorum tenorem pro vt iacent, & non ſecundum diſpoſitionem ſupradictæ Conſtitutionis Gregor. XIV. id eſt, Generalis, vel Prouincialis (*adde tu, & Conuentualis Prælatus*) ſeu eorum Vicarij (*iiſdem mortuis, vel amotis*) per ſe, abſque conſenſu Capituli, ſeu Definitorij, poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis illegitimis ad quaſcunque dignitates, & officia Ordinis: quia hæ clauſulæ operantur, vt reſtituantur, & reualidentur priuilegia reuocata, vt communiter docent Doctores, & præcipuè Suarez *de leg. lib.8. c.19.* Rodriguez *tom.1. quæſt.8. artic.3. & tom.2. quæſt. 34. artic.4.* & noſter Sigiſmund. Bononia *tractat. de elect. dub.73. num.67.* Diana *p.3. tract. 2. Reſol.102.* Portel.

verb.

verb. illegitimus, *num.*10. & alij apud Dianam. Huc vſque Baſſæus *verb. Irregularitas* 3.*num.*7. verſ. *Ex varijs*. Sic etiam expreſsè tenet cum aliquibus ex præcitatis authoribus, Diana *Reſol.*102. *cit.* vbi ſic ait: Sed his non obſtantibus, ex alio priuilegio Gregor. XIV. conceſſu Clericis Regularibus miniſtrantibus infirmis *in tom.*2. *Bull. in Gregor.XIV.conſtit.*17. apparet, poſſe Generales Ordinum, & de eius licentia Priores locales, atque Prouinciales, cum illegitimis diſpenſare ad dignitates, & officia Ordinis, abſque Capitulo Generali, vel prouinciali. Et ita hanc ſententiam tenet Sigiſmundus à Bononia *loc. cit.* Aſcan. Tamburin. *de iure Abbat. tom.*1. *diſput.*5. *q.*14. *n.*10. Laurent. de Peyrin. *in priuileg. Minim. tom.*1. *conſtit.*2. *Iulij II.* §.29. *num.*96. Imò Laurentius Portel. *in dub. Regul verb. Illegitim. n.*10. putat hoc eſſe verum, etiam in terminis prioris Bullæ Gregorij XIV. quam affert pro ſua opinione Rodriguez. Sic Diana. Poſſunt ergo nunc Miniſtri Generales, Prouinciales, & Conuentuales, ſeu locales Prælati, aut eorum vicarij (eiſdem mortuis, vel amotis) ſeorſum per ſe ipſos, abſque Capitulo, & ſine vlla Superiorum licentia (quidquid limitet Diana) diſpenſare cum illegitimis ad obtinendas dignitates, Prælationes, & alia officia Ordinis. Sic nouiſſimè tenet Pellizzar. *tom.*2. *tract.*9. *cap.*3. *ſect.*4. *quæſt.*16. *num.*131. vbi abſolutè ait, poſſe Generales, vel Prouinciales, vel etiam Superiores locales, etiam extra capitulum generale, aut prouinciale diſpenſare cum ſubditis defectum natalium patientibus ad dignitates, & officia Ordinis.

QVÆSTIO LXXVI.

An ad diſpenſandum cum illegitimis, vt Prælatias & dignitates habeant, requiratur neceſſariò cauſa.

RESpondeo, vt certum: Requiri neceſſariò cauſam rationabilem, & iuſtam, (alias contrarium facientes peccabunt mortaliter, ſi Prælati ſint Papa inferiores, vt communiter docent DD. cum Nauarr. *in Man. cap.*25. *num.*74. Syluest. *verb. diſpenſatio*, *num.*4. & 5. & aliis.) Sic colligitur expreſsè ex ſupra dicta Conſt. Gregor. XIV. vbi agendo de diſpenſatione illegitimorum ad Prælatias, poſt alia, hæc apponuntur verba: *Vt ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia, &c. diligenter eorum & mores inquirant, & ita demum eos recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præ ſe ferant, aut tot eis merita ſuffragentur, vt natalium ſuppleant defectum*, &c. Et infrà, *Cum illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Prouinciales, &c. ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, &c.* Sic in ſubſtantia Pontifex. Ex cuius verbis conſtat, hanc diſpenſationem cum illegitimis cum cauſa debere fieri. Sic Miranda *tom.*2. *q.*2. *art.*11. & Hinojoſa *verb. illegitimus, fol.* 289.

QVÆSTIO LXXVII.

Quænam ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum cum illegitimo quocunque.

RESpondeo dicendum, quod ſufficiens cauſa eſt multiplex. *Prima* namque (inquit Sylueſter *verb. diſpenſatio*, *num* 3. *quæſt.*1.) *eſt tempus*, cap. *Neceſſaria*, & cap. *Pro remedio* 1. *quæſt.*7. quia defectus noſtri temporis, quibus non ſolùm merita, ſed etiam corpora ipſa defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram, *diſt.*34. *Fraternitatis*. *Secunda* eſt vtilitas, ſcilicet, vt alij facilius reuertantur ad bonum, 2.2. *quæſt.*4. *Ipſa pietas*, & 1.*q.*7. *tali*. *Tertia*. Qualitas perſonæ, & meriti, & ſcientiæ: *dicto cap. Tali*. & cap. *Didici*. cum alius æquè dignus ſit. *Quarta* eſt neceſſitas. Vt in dicto *cap. Tali*. *Quinta* pietas. *Sexta*, euentus rei. *Septima*, multitudo, ſiue ſcandalum multitudinis. *diſt.*50. cap. *Vt conſtitueretur*. Sic Sylueſter. Et ex illo Miranda 2. *tom. quæſt.*2. *art.*12.

QVÆSTIO LXXVIII.

An ſola electio Religioſi illegitimi in Prælatum, ab habentibus poteſtatem diſpenſandi, pro diſpenſatione illegitimitatis ſufficiat.

AFfirmat in ſimili caſu, apud Nauarrum, Sylueſt *verb. Irregularitas*, *num.*14. *quæſt.*28. *in fine*, vbi ita ait: Licèt autem conueniens, & conſuetum ſit, vt ſuper ea verbis diſpenſetur, ſub hac forma, vel ſimili: *Ego diſpenſo tecum in tali irregularitate quam contraxiſti propter talem cauſam*; vel, *ſi contraxiſti*, quando dubitatur: tamen Epiſcopus Ordinando eum, cum quo diſpenſare poteſt, ipſo facto diſpenſat, ſi hoc intendit, licèt verbis non vtatur. Et idem ſecundùm Archid. eſt de Prælato mittendo ad Ordinationes. Hæc Sylueſter ibi. Et anteà *verb Diſpenſatio, in fine*. Vnde non bene pro oppoſito citatur à Miranda vbi infrà. Affirmant etiam alij Moderni exiſtimantes, ſolam electionem ſufficere, vt dictus illegitimus cenſeatur diſpenſatus, non ſolum quoad forum conſcientiæ, ſed etiam quoad forum externum. Ita Lezana *in Summ. qq. Regul. verb. illegitimi Regul. num.*17.

Sed clarius, & probabilius: Reſpondeo dicendum, quod ad hoc, vt diſpenſatio cum illegitimo facta, valeat in foro exteriori, non ſufficiat ſola electio ipſius in Prælatum, ſed neceſſum ſit, vt diſpenſatio expreſsè fiat, cum cauſa, & expreſſa cognitione cauſæ primò, & deinde ad electionem procedatur. In foro verò conſcientiæ ſola electio pro diſpenſatione valebit, eo quod Prælati facultatem diſpenſandi habentes cum ſibi ſubditis illegitimis, promouendo ipſos ad aliquod officium tacite diſpenſare videantur, dummodo dicti Prælati electores planè nouerint illegitimi impedimentum & habeant voluntatem, & intentionem, ipſo facto diſpenſandi, & adſit rationabilis cauſa ad id faciendum. Sic Nauarr. *cap.*25. *num.*74. & ſic Syluest. etiam ſi attente legatur *verb. Diſpenſatio*, *citato*. Rodriguez *tom.*1. *qq. Regul. quæſt.*13. *art.*16. Miranda *tom.*2. *quæſt.*2. *art.*14. *concluſ.*1. & 2. Hinojoſa *verb. Illegitimus*, his verbis: Illegitimus canonicè electus à Patribus, qui eius nouerant inhabilitatem, in Prælatum, ſi ipſi electores aliàs poterant diſpenſare iuxta priuileg. Sixti IV. ſuper inhabilitate illius, cenſebitur eſſe diſpenſatus in conſcientia, ſi talis eorum fuit intentio. In foro autem exteriori, minimè niſi actualiter, & expreſsè cum ipſo diſpenſetur. Sed prior Prouincialis electionem confirmans, ſciens inhabilitatem, ipſam tollit eo ipſo, quod confirmat, quia vult, & poteſt tale electionis impedimentum tollere. Sic Hinojoſa, & poſtea Diana *part.*10. *tract.*13. *Reſol.*39. cum aliis.

QVÆSTIO LXXIX.

An hæc illegitimitatis irregularitas tollatur etiam per morum probitatem, ſcientiam, & alias dotes illegitimi.

AFfirmant Gratianus *in §. Sed ad hoc, ſub c.1. diſt. 56.* & alij apud Innocent.III. in cap. *Innotuit, de elect.* iuxta antiquam lectionem, eo quod aliqui Canones non prohibeant omnes illegitimos ad Ordines promoueri, ſed ſolum illos, quibus merita non ſuffragantur Qui Canones habentur præcipuè *diſt.66. à cap.3.vſque ad 9.& cap.12.& 13.*

Sed, vt certum iam Reſpondeo: Non tolli dictam irregularitatem per morum probitatem, aut ſcientiam, &c. *Primò*. Quia *cap.1. de Filiis Presbyt.* ſolùm excipit profitentes in Religione, vt vidimus *ſup. quæſt 63.Deinde*, quia oppoſitum eſt contra expreſſam deciſionem in cap. *litteras, eod.tit.* & c. *Innotuit, de electione*, in quibus non obſtante ſcientia, & morum probitate, adhibetur diſpenſatio ad Ordines, & dignitates obtinendas.

Secundò, quia iura hanc irregularitatem ſpecialiter impoſuerunt, non præciſe ob prauos mores, vel ignorantiam, vel incontinentiam illegitimorum, ſed præcipuè propter vitioſam originem, quæ moraliter reputatur vilis quædam conditio, & Infamia; hæc autem non purgantur per pœnitentiam, vel quamcunque bonam vitam, vt tradunt Gloſſa in cap. *De his, de Accuſat.* Tiraquell. *de moderand.pœn.cap.*28. & alij: ergo. Nec citati pro parte contraria Canones contrarium intendunt. Nam intelligendi ſunt, quod intercedente diſpenſatione digni ſint Ordinibus, & Prælationibus ij, quibus merita ſuffragantur. Sic Suar. *diſp.40. ſect.5. in fine.* Filliuc. *c.5.q. vlt.* Palaus *diſp.6.punct.9.in fine.*

QVÆSTIO LXXX.

An Commiſſarius Cruciatæ poſſit legitimare prolem in foro conſcientiæ, quoad Ordines, & beneficia.

REſpondeo, vt certum: Poſſe, non cum quocunque illegitimo, ſed cum habito ex ſolo matrimonio irrito, propter impedimentum affinitatis fornicariæ, & concurrentibus aliquibus conditionibus. Sic Sanchez *lib.8. de Matrim. diſp.6. num.23.* per hæc verba: Commiſſarius Bullæ Cruciatæ poteſt diſpenſare pro ſolo conſcientiæ foro in affinitate conſurgente ex copula fornicaria, in primo, vel ſecundo gradu, atque prolem ſuſceptam, vel ſuſcipiendam legitimam decernere concurrentibus quatuor conditionibus. *Prima* eſt, vt matrimonium cum illo impedimento ſit iam contractum, ſeruataque ſit forma Trident. *ſeſſ.24. de Matrim. cap.1. Secunda* eſt, vt impedimentum ſit occultum. *Tertia* eſt vt adfuerit bona fides, ſaltem ex parte alterius contrahentis, qui tempore contractus matrimonij id impedimentum ignorabat. *Vltima* eſt vt coniux, qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris conſenſus nullitate, quamuis ei non declaretur cauſa nullitatis, vt euitentur ſcandala. Sic Sanchez ibi, *& num.25.* Henriquez *lib.7. de Indulgent.cap.13.n.5. in fine* Rodriguez *in Addit. ad Bull.§.13. num.16.* Palao *hic diſp.6. punct.9.n.5.* Dian. *1. p. tract.11. reſol.117.& 119.*

QVÆSTIO LXXXI.

An Rex, aut alius Princeps ſæcularis, ſicut poteſt legitimare ſuos ſubditos quoad honores, & officia ſæcularia, ita poſſit quoad Eccleſiaſtica, vel ad Beneficia vel ab Ordines.

REſpondeo, vt certum: Non ita poſſe. Quia Rex, cum ſolùm habeat poteſtatem temporalē in ſuos ſubditos, ſolùm poteſt tollere omnes effectus, quos lex ciuilis, vel temporalis poteſtas, potuit introducere; & ideò optimè poteſt legitimare ſuos ſubditos quoad temporalia, & ſæcularia officia: non verò poterit legitimare illos quoad munera Eccleſiaſtica, eo quòd non potuerit inducere irregularitatem, & conſequenter nec illam auferre. Sic omnes. Legantur Couarr. *2. p.c.8. §.8. à n.18.* Suar. *diſp.50.ſect 5.num.8.* Bonacin. *q.2. de Irregularit. punct.3.num.14.* Auila *part.7.diſp.3. dub.6. in fine.*

QVÆSTIO LXXXII.

An illegitimus peccet mort. recipiendo Ordines abſque diſpenſatione præuia.

REſpondeo, vt certum: Peccare mort. non ſolum recipiendo, ſed etiam exercendo Ordines ſuſceptos, abſque diſpenſatione. Quia in re graui facit contra prohibitionem Eccleſiæ. Sic omnes. Legantur Bonac. *loc. cit. n.14.* Auil. *p.7. diſp.3. dub.11.* & Nauar. *cap.25.n.69.*

QVÆSTIO LXXXIII.

An illegitimus non ſolùm peccet, ſed etiam incurrat irregularitatem ſuſcipiendo Ordines abſque diſpenſatione, vel adminiſtrando in ſic ſuſceptis.

AFfirmat apud Bonacinam Maiolus *lib.1.c.2. num.8.* & apud Auilam, Nauarrus *in Man. cap.25.num.69. cit.* exiſtimantes incurrere nouam irregularitatem exercendo Ordines ſuſceptos ſine diſpenſatione.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Non incurrere nouam irregularitatem. Sic tenent expreſsè Nauarr. *cap.27. num.194.* (non 96. vt offendi apud Bonac.) his verbis: Tertiò, quod licèt irregularis, qui celebrat antequam obtineat diſpenſationem, peccet mortaliter, argum. *c.fin.de temp.Ordin.* & c. *Inquiſitionis, de accuſat.* non tamen incurrit nouam irregularitatem. *Tum* quia Innocent. in cap. *ſi celebrat, n.3. de Cleric.excom.* receptus id dicit primò de irregulari ob defectum corporalem, aut illegitimitatis, &c. Tum quia ratio eius, ſcilicet quod id iure non cauetur, & quod Sedes Apoſtolica quando diſpenſat cum præfatis irregularibus, qui celebrarunt, ſolum diſpenſat ſuper irregularitate, quam ante celebrationem incurrunt militat in aliis. *Tum*, quia firma ratio dictorum Innoc. quam nec ille, nec alius aduertit, eſt quod, vt ſupra diximus, irregularitas non eſt vera ſuſpenſio, nec cenſura Eccleſiaſtica: & ita celebrans illa irretitus, nullam violat cenſuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem, & illa non incurritur, niſi cum exprimitur. Sic Nauarrus ibi: Nec in noua impreſſione oppoſitum docet loco pro oppoſita parte citato, vt aduertit Auila, qui hanc noſtram tenet ſententiam, *part. 7. diſp.3. dub.11. concl.2.*

*concl.*2. Couarru. Villadieg. & Armilla penes ipſum, Bonacin. *q.*2. *de Irregul. punct.*3. *num.*12. & Saytus penes ipſum, & communis.

QVÆSTIO LXXXIV.

An Religioſus petens diſpenſationem ad Dignitatem, & Ordines, debeat neceſſariò exprimere qualitatem illegitimatis, nempe an ſit ſpurius, naturalis, ſacrilegus, aut inceſtuoſus.

AFfirmant Miranda *tom.*2. *quæſt.*2. *art.*13. Porcel *de dub. Regul. verbo Illegitimus*, *num.*11. Peyrin. *de Relig. Prælat. quæſt.*2.*cap.*5. *num.*145. & Lezana *in Summ.qq Regul. tom.*3.*v. Illegitimi Regul. num.*17. Et innuit Auil. *de cenſur.p.*7. *diſp.*3. *dub* 6. *concl.*2. *notab.*1. Ratio eorum eſt : Quia tanto difficilius concedi debet diſpenſatio ſuper illegitimitate, quantò turpius diſpenſandus fuit genitus, & modus illegitimitatis eſt fœdior : ergo. Et licèt hæc ſententia ſit probabilior iuxta dicta *q* 62.

Sed probabiliter Reſpondent alij, Non debere neceſſariò exprimere qualitatem illegitimitatis. Quia Prælatus regularis ſemper intendit diſpenſare cum Religioſo illegitimo quocunque modo illegitimus ſit : aliàs iam de qualitate interrogaret. Sic Rodriguez *tom.*1. *quæſt.*13. *art.*6. & Pellizzarius *in Man. Regul. tom.*2. *tract.*9.*cap.*8. *ſect.*3. *num.*101. vt refert Diana *p.*10. *tract.*13. *Reſol.*39. *verſu Notandum eſt.* Vbi verſ. ſequenti, inquirit, An diſpenſatus ad Dignitatem inferiorem, cenſeatur etiam diſpenſatus ad Dignitatem ſuperiorem ? & reſpondet cum Peyrin. *tom.*1. *Priuileg. conſtit.* 2. *Iulij II. num.*99. quod non. Quia permiſſio minoris, non eſt permiſſio maioris. Vnde diſpenſatus ad Prioratum, non cenſetur diſpenſatus ad Prouincialatum, nec diſpenſatus ad Prouincialatum, eſt diſpenſatus ad Generalatum. Bene tamen è contra diſpenſatus ad maiorem dignitatem, v. g. Prouincialatum, cenſetur diſpenſatus ad minorem contentam ſub maiori, nempè ad Prioratum. Sic illi, quos ſequitur etiam Pellizzarius *loc. cit. cap.*2. *ſect.*3. *num.*143. Qui addunt, quod diſpenſatus ad *Prioratum, Prouincialatum, & omnes alias dignitates, quæ in Religione habentur*, non ideò cenſeatur diſpenſatus ad Generalatum, quia clauſula illa generalis poſita poſt ſpecialia expreſſa, non includit maiora, ſed ſolum conſimilia.

DISPVTATIO IV.

De Irregularitate proueniente ex defectu ætatis.

QVÆSTIO PRIMA.

An defectus ætatis ad Ordines requiſita, inducat irregularitatem.

RESPONDEO, vt certum : Inducere quamdiu defectus durat. Quia defectus ætatis requiſitæ, ſecundùm Canones ad Ordines, eſt impedimentum Canonicum impediens Ordinis ſuſceptionem, & vſum, vt colligitur ex *Clemen. vltim. de ætat. & qualit.* & cap. *Vel non eſt compos, de tempor. Ordin.* & aliis decretis *diſt.*77. Sic omnes Theologi *in* 4. *diſt.* 25. Canoniſtæ *in cit. cap.* Legantur Couarr. *in Clement. ſi furioſus*, §. 1. *num.*4. Maiol. *lib.*1. *de Irregul. cap.*30. Suar. *diſp.*51. *ſect.*2. *num.*5. Filliuc. *tract.*19. *cap.*6 *q.*6. *num.*174. Bonac. *q.*1. *de Irregul. punct.*4. *num.*1. & alij. Qui & notant huiuſmodi irregularitatem tolli per legitimæ ætatis aduentum.

QVÆSTIO II.

An Ordinatus ante legitimam ætatem, incurrat irregularitatem, ſi nondum ætate legitima adepta, maiores exerceat Ordines.

REſpondeo vt certum iam incurrere nouam irregularitatem. Quia per huiuſmodi exercitium ordinis Sacri, violat ſuſpenſionem latam à Pio II. *in Conſtit. cum ex Sacrorum*, 15. *Kal. Decemb. anno* 1461. vt vidimus 2. *p. tract.*6. *de Ord. diſp.*6. *quæſt.*9. ergo incurrit nouam irregularitatem. Sic iam, attento iure nouo Pij II. tenent omnes. Legantur Suar. Couarr. Filliuc. & Bonac. *loco cit.*

QVÆSTIO III.

An qui mala fide ante ætatem legitimam Sacerdotium ſuſcepit, & cum Epiſcopo in Ordinatione concelebrat, incurrat irregularitatem.

AFfirmant Nauarr. *lib.*5. *conſil.*8. *de Cleric. excomm. miniſtr.* aliàs *conſil.*5. *de Cleric. non Ordinand.* Sorbus, Couarr. Barboſa, Bonacin, Diaz, Vaſquez, quos pro hac parte retulimus *part.*2. *tractat.*6. *diſp.*6. *quæſt.*17.

Sed probabilius iterum Reſpondeo : Non incurrere irregularitatem. Quia quamuis verum ſit quod Sacerdotes, qui ſuſpenſi Miſſam celebrant, irregularitatem incurrant ; tamen ille, qui presbyter fit, & conſecrat cum Epiſcopo Ordinante, non eſt adhuc completè Sacerdos cum non ſit ei tunc conceſſa poteſtas abſoluendi à peccatis, & ſic tunc non incurrit irregularitatem : quia hæc tantum incurritur ob celebrationem poſt Ordinationem completam. Sic Henriquez *lib.*13. *c.*19. *num.*1. *litt. F.* Suarez *de cenſur. diſp.*31. *ſect.*1. *n.*70. Saytus, Vgolin. Quaranta, Auila, Naldus, Homobonos, Philibertos, Hurtad. Mercer. Ægid. Diana, & alij, quos citauimus 2. *p. vbi ſup. q.*17. Et idem diximus, quæſt. ſequenti, de Subdiacono, & Diacono cantantibus Epiſtolam, & Euangelium in eadem Miſſa. Legantur dicta à nobis *part.*4. *tract.*4. *de ſuſpenſ.* §. 1. *quæſt.*3. *per totam.*

QVÆSTIO IV.

An qui bona fide Sacerdotium ante legitimam ætatem ſuſcepit, & adueniente fide mala, ante ætatem completam celebrat, incurrat irregularitatem.

AFfirmat Philibert. *tract.*1. *de Ordine*, *part.*5. *cap.*3. *num.*11. Quia tunc (inquit) mala fides interueniret.

Sed probabilius Reſpondeo : Non incurrere irregularitatem (licèt mortaliter celebrando peccet.) Quia cum à principio in Sacerdotij ſuſceptione non incurrerit ſuſpenſionem, non eſt vnde poſtea celebrando irregularitatem incurrat. Sic Nauarr. Diana,

Machado

Digitized by Google

Machado, Peyrinus, Miranda, & alij, quos citauimus *2. part. tract. 6. diſp. 9. quæſt.* 13. Legantur etiam dicta à nobis *p. 4. tract. 4. de ſuſpenſione, §. 1. q. 3. per totam*, vbi de quæſtionibus alijs, quæ hic deſiderari poſſunt, latè egimus.

QVÆSTIO V.

An ætas nimia faciat quem irregularem.

RESpondeo, dicendum, quod minimè, loquendo per ſe. Quia potius ſenilis ætas eſt aptior ad Ordines Sacros, cum maturior ſit, & ad prudentiam, caſtitatem, & religionem confortior. Sic colligitur ex cap. *vltim. 84. diſt.* & cap. *Quicunque, diſt. 77.* Noranter dixi, *per ſe loquendo.* Quia per accidens, ratione morbi adiuncti, vel debilitatis, vel organi impediri, poteſt irregularis cenſeri. Sic Suarez *diſp. 51. ſect. 2. num. 5.* Filliuc. *tract. 19. cap. 6. quæſt. 6. n. 176.* Pelizzarius *tom. 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 2. q. 28. n. 81.* & Peyrinus apud ipſum.

DISPVTATIO V.

De Irregularitate proueniente ex defectu libertatis, ſeu ſeruitutis.

QVÆSTIO PRIMA.

An defectus, ſeu carentia libertatis irregularitatem inducat.

RESPONDEO, vt certum: Inducere, quandiu in ſeruo talis libertatis defectus durat. Quia ſic conſtat ex multis decretis Pontificum, 54. *diſtinct. à principio*, & toto tit. *de Seruis non Ordin.* & habetur *in Authent. ſi ſeruus, C. de Epiſcop. & Cleric.* Et ratio eſt: Quia per Ordinationem mancipatur quis Eccleſiaſticis miniſterijs: ſed ſeruus non poteſt hoc modo ſeipſum mancipare, cum ſeruus non ſit ſuus, nec dominus ſuorum operum: ergo ſeruus, quandiu in hoc ſtatu ſeruitutis permanet, non poteſt Ordinari. Sic omnes. Legantur D. Thom. *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiunc. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 103. verſ. Decimo ſexto dico.* Suarez *diſput. 51. ſect. 3. num. 1.* Filliuc. *tract. 19. cap. 7. quæſt. 5.* Bonacin. *quæſt. 2. punct. 4. num. 2.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An ſeruus quocunque modo à ſeruitute liber, deſinat eſſe irregularis, & poſſit, ſi aliud non obſtet canonicum impedimentum, licitè Ordinari.

RESpondeo, vt certum: Deſinere eſſe irregularem, poſſeque conſequenter ordinari abſque noua diſpenſatione, ſi aliud non obſtet impedimentum. Quia ablatum fuit fundamentum huius irregularitatis, nempe ſeruitus: ergo & ipſa irregularitas: ergo ſeruus, cum talis iam non exiſtat, licitè poterit Ordinari. Patet, quia ex ſola præcedenti ſeruitute non relinquitur macula, ſeu indecentia moralis, quæ à lege conſiderata ſit, ad irregularitatem inferendum. Sic Suarez *loc. cit. num. 3.* Cornejo *in 3. p. tract. de Irregul. diſp. 14. dub. 1. & 4.* Bonac. *loc. cit. n. 2. verſ. Primo.* Legantur Henriq. *lib. 11. cap. 10. n. 5. & lib. 14. cap. 8. num. 7.* & alij penes ipſum de hac materia tractantes.

QVÆSTIO III.

An ſi ſeruus, ſciente, & non contradicente domino, ordinetur in Clericum, maneat liber, & non irregularis conſequenter.

RESpondeo, vt certum: Eo ipſo manere liberum, & non irregularem conſequenter. Quia ſic habetur expreſsè in cap. *ſi ſeruus, diſt. 54.* his verbis: *Si ſeruus, ſciente, & non contradicente domino, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipſo, quod conſtitutus eſt, liber, & ingenuus erit.* Sic textus. Et ſic omnes. Legantur Henriquez *lib. 14. cap. 8. num. 7.* Suarez *diſp. 51. ſect. 3. num. 5.* Filliuc. *tract. 19. cap. 7. quæſt. 5. num. 149.* Palaus *diſp. 6. de Cenſur. punct. 13. num. 2.* Philibert. *de Ordin. tract. 1. part. 10. cap. 3. n. 4.* & alij. Addentes, quod in tali caſu minimè teneatur ſeruus amplius ſuo domino ſeruire ex iuſtitia, quia ſupponitur abſolutè manumiſſus, iuxta cap. *Nulli, & cap. Quicunque, 54. diſt.*

QVÆSTIO IV.

An ſi ſeruus, ignorante Domino, aut contradicente, minoribus initietur Ordinibus, maneat etiam eo ipſo liber, & non irregularis.

RESpondeo: Quod non, ſed potius ſeruus, ſicut antea, maneat. Sic habetur expreſsè in cap. *De ſeruorum. De ſeruis non ordinand.* ibi: *Et ſi quilibet ſeruus fugiens dominum ſuum, qualibet calliditate, vel fraude ad gradus perueniret Eccleſiaſticos, decretum eſt, vt deponatur, & eius dominus eum recipiat.* Sic textus ex Concil. Toletano. Sic etiam in capite *Frequens, diſt. 14.* in quo Galaſius Papa abſolutè decernit, quod ſeruus Clericus factus ſeruituti obnoxius maneat. Legantur Gloſſa. ibi, Auila *part. 7. diſp. 3. dub. vlt. concl. 3.* Nauarr. *cap. 27. n. 103. verſ. Decimo ſexto* Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 7.* Palao *diſp. 6. punct. 13. num. 3.* Suar. *diſp. 5. ſect. 3. num. 10.* Filliuc. *loc. cit. num. 195.*

QVÆSTIO V.

An ſeruus ſaltem maneat à ſeruitute liber, etiam Domino ignorante, aut contradicente, maioribus initietur Ordinibus.

RESpondeo: Seruum tunc habere ius, vt dato pretio, vel ſimili ſeruo, fiat liber. Interim verò, etiamſi factus ſit Sacerdos, debet ſeruire in his miniſterijs, quæ talem ſtatum non dedecent. Sic Henriquez *lib. 14. cap. 8. num. 7.* hiſce verbis: Seruus ex corporis conditione eſt aliquo modo irregularis, & ſi domino ignorante, aut contradicente initietur, peccant Ordinans, & Ordinatus: & initiatus minoribus manet ſeruus in omnibus, vt prius: ſi Sacris, habet ius, vt dato ſimili ſeruo, aut pretio, ſe redimat: aliàs ſeruire debet etiam Sacerdos in obſequiis ſtatui non indecentibus, & dum manet ſeruus, non vacabit miniſterio Ordinis Sacri, etiam cum licentia domini, cum ſit irregularis. Sic Henriquez, Nauarrus etiam *cap. 27. num. 103. cit.* Suar. Filliuc. Palao, *loc. cit.* Bonacin. *quæſt. 1. de Irregul. punct. 4.*

*punct.*4.*n.*2.*verſ.ſi vero.*Auila *loc.cit.concl.*3.Philibert. *tract.de Ord.part.*10.*c.*3.*n.*2. & omnes. Quia id colligitur apertè ex textibus *in cap. frequens , & cap. Ex antiq.diſt.*54.

QVÆSTIO VI.

An ſi Epiſcopus ſciens Ordinet ſeruum alienum Sacris, ſine licentia domini, tunc ſeruus fiat liber.

RESpondeo dicendum, quod tunc verè maneat ſeruus liber: ſed Epiſcopus peccat mortaliter, & tenetur ſatisfacere domino in duplum: hoc eſt, duplicem ſeruum loco ſerui Ordinati reddendo, vel duplicatum pretium illius, quod æſtimatur. Quam obligationem adeſſe ante ſententiam exiſtimat Suarez, Bonacina verò, Palaus, & alij contra. Sic omnes. Quia ſic habetur in can. *Si ſeruus abſente domino, diſt.*54.cap. *Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi.*Legantur Suar.Nauarr. Henriq. Auil. Filliuc. Bonac. Palao,& Philibert.*locis cit.* Cornejo *de Irregul. diſp.*14.*dub.*1. Hurtad. *diff.*17. Layman.*lib.*1.*tract.*5. *p.*5.*c.*8.*n.*1.& alij. Qui notant, quod caſu quo Epiſcopus non habeat pretium, quo ita ſeruum redimat, ſeruus tunc non liberatur à ſeruitute,nec dominus tenetur illum dimittere,vt deciditur in cap.*ſi ſeruus,cit.* vbi Gloſſa, Abbas, & alij Canoniſtæ. Legatur Pellizzarius *tom.*2.*tract.*7.*cap.*5.*ſect.*2.*n.*46.

QVÆSTIO VII.

An obligatio ad ratiocinia, hoc eſt, ad rationem reddendam alicuius adminiſtrationis à Republica accepta, inducat irregularitatem.

RESpondeo,vt certum: Inducere. Quia ſic habetur in cap. *Vnico, de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* Vbi ex Concil. Carthagin. I. decernitur, quod procuratores, Actores, Executores, Tutores pupillorum, ſeu Curatores, non debeant Ordinari dum illa officia exercent: bene tamen poſt ſua officia depoſita, & redditam rationem ſui officij, dummodò aliàs digni inueniantur. Et etiam id ipſum ſtatuitur *in c.*1.2. *&* 3.*diſt.*51.*& c.*3.*diſt.*54. Sic omnes Doctores. Legantur Suarez *diſp.*51. *ſect.*3. *à n.*15. Filliuc.*tract.*19.*c.*7. *q.*6. Bonac. *q.*2.*de Irregul. punct.*4.*à n.*2. Palaus *diſp* 6. *punct.*13.*à n.*6. Cornejo *diſp.*14.*de Irregul.dub.*2.Hurtad.*de Irregular.diff.*18.

QVÆSTIO VIII.

An etiam hac irregularitate obſtringantur Iudices, Aduocati, Tabelliones, Depoſitarij publici, Theſaurarij, & huiuſmodi.

RESpondeo, vt certum: Hos omnes obſtringi hac irregularitate, donec rationem reddant ſuorum officiorum, vel munerum. Quia quamuis in præallegato cap. *Vnico, de obligatis ad ratiocinia,&c.*ſolùm fiat mentio de Procuratoribus, Actoribus, Executoribus, Curatoribus pupillorum, & Tutoribus; tamen generaliter debet intelligi de quibuſcumque obligatis ad reddendam rationem alicuius adminiſtrationis publicæ forenſis, temporalium, ac ſæcularium rerum, quæ eodem modo implicant hominem negotiis ſæcularibus, quæ eſt fundamentum huius irregularitatis. Sic Suarez *diſp.*51.*ſect.*3. *num.*13. *& ſeq.*Sayrus *lib.*6.*cap.*14.*n.*8. Filliuc. *loc.cit. n.*198. Bonac. *q.*2. *de Irregularit. punct.*4. *n.*3. Cornejo *diſp.*14. *dub.*2. & communis.

QVÆSTIO IX.

An etiam afficiantur hac irregularitate, qui adminiſtrant bona temporalia Eccleſiarum.

RESpondeo: Quod non.Quia hæc adminiſtratio non cenſetur ſæcularis, ſed ſpiritualis quodammodo, & Eccleſiaſtica, iuxta *cap.*1. *Ne Clerici, vel Monachi.* Aut ſaltem non aliena ab ſtatu Clericali. Sic Panormit. Syluest. & Maiol. quos citat & ſequitur Suar.*loc.cit.n.*17.Bonac.*punct.*4.*n.*3. Hurtad.*de Irregul.diff.*18. Layman. *loc. cit.c.*8.*n.*3. Palao *diſp.*6. *punct.*13. *in fine*. Cornejo *loc.cit.verſ.Infero ſecundò.*

QVÆSTIO X.

An ſaltem ligentur huiuſmodi irregularitate, qui adminiſtrationem gerunt perſonarum miſerabilium, aut pauperum viduarum, pupillorum, aut cauſarum piarum.

RESpondeo, vt certum: Quod neque iſti ligentur hac pœna, & ideò poſſint licitè Ordinari, etiam adminiſtratione durante. Quia hæc adminiſtratio non eſt merè ſæcularis, nec aliena ab ſtatu Clericali, & ideò ſimul cum adminiſtratione Eccleſiarum coniungitur in *cap.*1.21.*q.*3. *& in c.Peruenit,diſt.*86. *& c.*1.*diſt.*88. Sic omnes DD. præcipuè Suar.Bonac. Hurtad.Layman, Cornejo,& Palao *loc.cit.*

QVÆSTIO XI.

An ſint irregulares, qui obligati ſunt ad reddendam rationem ex aliquo contractu, vt ex mutuo, conducto, depoſito, promiſſione, aut quouis alio nullam adminiſtrationem continente.

RESpondeo etiam vt certum: Non eſſe irregulares, ſed poſſe ad Ordines promoueri (niſi aliàs ante promotionem, vel in ipſa promotione mota ſit lis de dolo, aut perfidia; quia tunc non debent promoueri ad Ordines ante finitam litem.). Ratio eſt, quia in iure ſolùm inducitur irregularitas iis, qui ſolum ad ratiocinia occaſione alicuius adminiſtrationis obligati ſunt: ergo cum hæc lex ſit pœnalis, non deber ad alios caſus extendi. Sic Suar.Sayr.Filliuc.Hurtad. Bonac.Palao citati,& alij.

QVÆSTIO XII.

An Regij Conſiliarij deputati ad cauſas ciuiles iudicandas, poſſint, non depoſito tali munere, ad Ordines promoueri, & promoti idem munus exercere.

NEgauit Maiol. *lib.*2.*c.*3.*& c.*5.*n.*15.

Sed Reſpondeo, vt certum: Poſſe.Quia (inquit Suarez) vſu receptum eſt, ſiue ex conceſſione Pontificum, ſiue quia conſuetudo ita interpretata eſt ipſa iura, vt Clerici abſque nota irregularitatis, vel alterius impedimenti canonici, poſſint eſſe Conſiliarij Regum in huiuſmodi iudiciis, ſeu Tribunalibus, in quibus de conuenienti Regni gubernatione,

ne,& prouidentia, vel ad ſummum de ciuilibus cauſis agitur. Aut enim hoc miniſterium non eſt iudicatum adcò repugnans officio Clericali, præſertim quando Clericus curam animarum, aut aliam ſpecialem obligationem ratione beneficij non habet; vel certè, propter commune bonum regni, aliquid de rigore iuris in hac parte remiſſum eſt. Sic ille *diſp.51.ſect.3.n.*16. & penes illum Panormit. Ita Andr. Bern.Diaz, Salzedo,& Gregor.Lopez. Sic item Hurtad.*de Irregularit. diſp.2.diff.*18.Layman *lib.1. tract.5.p.5.c.8.n.4.* Palao *diſp.6.punct.*13. Bonac. *q.2.punct.4. num.*3. Cornejo *diſp.14.dub.2. verſ. Infero ſecundò.* Bauny *de Cenſur. tract.*11.*q.*41. & alij.

Qvæstio XIII.

An qui irregulares ſunt, ob ſupradictas adminiſtrationes, poſſint ad Ordines aſcendere, caſu quo adminiſtrationes deponant, etiamſi rationem illarum non reddiderint.

AFfirmant Gloſſa *in cap. Vnico, de obligatis ad ratiocin.* & ibi Panormitan. & Toletus *lib.1.c.60. n.4.* his verbis: *Quartò* ſi ratiocinia ſunt ex adminiſtratione erga perſonam priuatam, depoſita adminiſtratione,& onere, etiam ante redditam rationem Ordinari poteſt, niſi lis ei ante promotionem, vel in ipſa promotione moueatur ſuper adminiſtratione, & niſi manifeſtum ſit, ipſum de dolo teneri. Hæc Toletus.

Sed probabilius multò Reſpondeo: Non poſſe prædictos ordinari, antequam adminiſtrationes deponant, & illarum rationes reddant. Quia vtrumque requirit textus *in d.cap. Vnico, cit.* vt conſtat ex habitis *ſupr. quæſt.*7. Sic Sayrus *lib.6 cap.*14. *n.*8. Suarez *diſp.*51. *n.*20. Hurtad. *diſp.2. diff.*18. *verſ. Excipiunt Toletus,* Layman. *tract.5.p.5. c.8.n.3.in fine,* Palaus *de Cenſur. diſp.6. punct.*13. *n.*8. qui & citat Bonacinam *diſp.7. q.2.punct.4.n.*4. Sed non bene. Diana 4.*p. tract.2.Reſol.* 98. Cornejo *diſp.14.dub.*2. Luyſius *dub. vltim. de Cenſur.* & communis.

Qvæstio XIV.

An ex debito pecuniario, quod poſt deſertionem officij, & rationem redditam reſultat, oriatur irregularitas.

AFfirmant nonnulli apud Suarium *vbi infra.* Quia non poteſt dici, ratio omnino,& ſufficienter reddita, quamdiu debitum pecuniarium inde reſultans ſolutum non eſt: ergo tale debitum verè irregularitatem inducet.

Sed probabilius Reſpondeo: Per ſe loquendo, nullo modo oriri irregularitatem ex debito pecuniario, quod ex ratiociniis iam redditis interdum reſultat. Quia nullo iure id cautum eſt: nam iuxta communem ſenſum,& loquendi modum, verè dicuntur ratiocinia reddita,& finita, etiamſi reſultans debitum non ſit ſolutum: ius autem canonicum ſolum hoc requirit: ergo. Sic Suarez *diſp.51.ſect. vltim.n.*23. Bonac.*q.2. punct.4. n.4. alias* 5. Filliuc. *tract.19. c.7. q.7.in fine,* Palaus *loc. cit.n.*10. Layman, Cornejo, Diana *loc.cit.* Qui omnes id intelligunt, dummodo ex tali debito non reſultent ad eius recuperationem lites: quia tunc adeſſet irregularitas ex defectu obligationis ad reddenda ratiocinia.

Qvæstio XV.

An in caſibus, in quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ſunt irregulares, poſſint ad Ordines promoueri, caſu quo exhibeant fideiuſſorem, qui cauſam ratiocinij in ſe aſſumat, & promittat debita ſoluere.

REſpondeo, vt certum: Poſſe tunc ad Ordines promoueri. Quia tunc verè ceſſat doli præſumptio. Sic Suarez *num.23. cit.* his verbis: illud tamen certum videtur, ſi talis perſona ſufficientem ſecuritatem talis debiti reddat, vel datis pignoribus, vel fideiuſſoribus, omnino eſſe immunem ab hac irregularitate. Quod expreſsè docet Maiolus *ſup. à n.*14. cum Abbate & aliis. Sic Suarez, necnon Cornejo, Palao,& Diana *locis ſup. allegatis.*

Qvæstio XVI.

An etiam maneat quis liber ab hac irregularitate contracta ob ratiocinia reddenda, ſi bonorum ceſſionem facit, reſeruata ſibi congrua ſuſtentatione.

REſpondeo: Etiam manere à dicta irregularitate liberum in hoc caſu. Quia per talem bonorum ceſſionem ablatum eſt & impedimentum paupertatis (de quo infra) & obligationis ad ratiocinia reddenda: ergo. Sic Maiol. *lib.2.c.11.n.*15. quem citat,& ſequitur Suarez *diſp.51.ſect.*3. (non 9. vt leges apud Bonac.) *in fine,* Panormitan. Archidiac. & Sayrus, quos affert, & ſequitur Palao *diſp.6. punct.3. n.*10. Bonac. *q.2.de Irregul. punct.4.n.*4. & communis.

DISPVTATIO VI.

De Irregularitate orta ex defectu ex Sacramento, id eſt, ex Bigamia.

Qvæstio Prima.

Quid ſit Bigamia.

REſpondeo dicendum, quod Bigamia nil aliud ſit, quàm *Nuptiarum, ſeu Matrimonij multiplicatio.* Vnde bigamus dicitur, qui binas contraxit nuptias, ſic Monogamus, qui ſemel dumtaxat. Quod clarè colligitur ex ipſius nominis etymologia. Componitur enim à *bis,* & *gamo,* Græcè, hoc eſt, bis matrimonio iunctus, ſeu copulatus. A fortiori autem appellabitur bigamus, qui non ſolum bis, ſed etiam ter, aut quater nuptias contraxit. Sic omnes. Legantur de hac materia S. Thom. *in 4.diſtinct.27. quæſt.5.art.1.& 2.2.quæſt.*66. & ibi Scholaſtici, & Theologi. Canoniſtæ in Decretal. & Sexto, *tit.de Bigamis.* Nauar.*cap.27.n.*195. Maiol. *lib.1. cap.*33. Henriquez *lib.12. de Matrim. cap.6.§.9.& lib.14. cap.*4. Suarez *de Cenſur. diſp.49. ſect.9. & ſequent.* Vgolin. *cap.*56. Sayrus *lib.6.cap.*3. Auila *de Cenſur. part.7. diſp.*8. Couarr. *in Clement. Si furioſus, part.1.§.2.* Filliuc. *tract.19. cap.*4. Vinald. *de Irregularit.* vbi de prima ſpecie, nempe *de Bigamia, pag mihi* 185. Bonac. *quæſt.2. de Irregularit. punct.*

punct. 5. Palaus *de cenſur. diſp.* 6. *punct.* 8. latè, & optimè Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. à diſp.* 83. Layman. *lib.* 1. *tract* 5. *p.* 5. *c.* 6. Hurtad. *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 13. Ioſeph. Gibalin. *de Irregul.* c. 3. *q.* 4. *num.* 1. Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tract.* 17. *docum.* 3.

Qvæstio II.

An triplex ſit ſpecies bigamiæ, nempe vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria.

NEgate videtur Gloſſa *c.* 2. *de Bigamis, verb. De Bigamis*, dum duas ſolùm ſpecies Bigamiæ, veræ nempe, & intetpretatiuæ aſſignat. Negat deinde Cornejo *tract.* 5. *de Irregul. diſp.* 10. *in princip.* vbi cum Sayro duas tantùm ſpecies Bigamiæ fatetur: Vnam videlicet ſecundùm rei veritatem, alteram ſecundùm iuris fictionem.

Sed cum communi ſententia Reſpondeo: Dicendum, quod triplez ſit ſpecies Bigamiæ. *Prima* eſt Bigamiæ veræ, quæ datur quoties quis duplex legitimum matrimonium init, vtrumque conſummans. *Secunda* eſt Bigamiæ intetpretatiuæ, quæ conttahitur ab eo de quo præſumitur duas vxores habuiſſe, eſtò in re illas non habuerit. *Tertia* eſt Bigamiæ ſimilitudinatiæ, quæ contrahitur ab illo, qui cùm ſit in Sacris conſtitutus, aut in Religione profeſſus, matrimonium init, & conſummat, etiam cum vidua, & virgine (de quibus omnibus ſpeciebus latè more ſolito agemus.) Sic tenet communis ferè omnium ſententia, vt ait Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 83. *n.* 2. Legatur ipſe, necnon & Suar. Nauarr. Henriquez. Auila, & alij Doctores nuper citati.

Qvæstio III.

An omnis bigamia inducat irregularitatem.

REſpondeo tanquam cettum, quod ſic. Quia ita habetur in toto tit. *De Bigamis non ordinand. & diſt.* 26. *& diſt.* 34. *à cap. ſi quis de laicis, & diſt.* 77. *cap. Quicunque, &* 28. *q. vltim.* & tenent omnes DD. qui & id probant ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *de Reformat.* & præbent rationem, quate hæc irregularitas introducta ſit ob defectum ex Sacramento, nempe, quia qui cum duabus contraxit, non poteſt aptè ſignificate vnionem Chriſti cum Eccleſia vnica eius ſponſa. Legantur Authores citati. Præcipuè Gibalin. *loc. cit. Propoſit.* 2. *n.* 5. & Pellizzar. *tom* 2. *tract.* 7. c. 5. *ſect.* 2. *à n.* 82.

Qvæstio IV.

An huiuſmodi irregularitas inducta ſit iure diuino.

AFfirmant aliqui Canoniſtæ apud Innocent. in cap. *Niſi cum pridem*, §. *Perſona, de Renunciation.* & tenent expreſsè Marian. Socin. in capite *ad audientiam, de homicid.* (vt refert Henriquez vbi infrà,) Franc. Turrian. *c.* 1. *lib.* 1. *aduerſus Magdeburgenſ.* & Petr. Sot. *lect.* 18. *de Matrim.* Qui id colligunt ex verbis Pauli 1. *ad Timoth.* 3. *& ad Titum* 1. volentis Epiſcopum, & Diacoonum eſſe vnius vxoris virum; at ſic eſt, quod omnia quæ in Epiſtolis Apoſtolorum reperimus, ſunt tradita à Dominomediis Apoſtolis: ergo.

Sed vt certum Reſpondeo: Non eſſe inductam niſi de iute Eccleſiaſtico. Quia certum eſt, Apoſtolum *loc. cit.* ſolùm tuliſſe legem poſitiuam humanam, vt teſtatur communis, tam Theologorum, quàm Canoniſtarum conſenſus. Nec eſt verum, ſed omninù falſum, omnia quæ præceperunt Apoſtoli eſſe iuris diuini. Nam cùm ipſi conſtituti etiam eſſent ab Spiritu Sancto Epiſcopi ad regendam Eccleſiam Dei, plurimas leges, authoritate ſibi, tum Epiſcopali ordinaria, tum Apoſtolica ſanciuerunt, quæ iuris diuini non ſunt, neque à Chriſto Domino poſita, cuiuſmodi eſſe iſtam legem de Bigamis à Sacris miniſteriis remouendis, exiſtimauit ſemper Eccleſia. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *art.* 2. *& in addit. q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Henriquez *lib.* 12. c. 6. *n.* 11. *in textu, & in marg. litt. N.* Gibalin. *de Irregularit. cap.* 3. *q.* 4. *n.* 6. Sayrus *lib.* 6. c. 3. *n.* 20. Suarez *diſp.* 49. *ſect.* 5. Bonacin. *de Irregul. diſput.* 7. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 14. Filioc. *tract.* 19. *c.* 4. *q.* 10. *num.* 122. Auila *p.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 7. & communis.

Qvæstio V.

An ad bigamiam, & irregularitatem ex illa prouenientem contrahendam, requiratur quod vtrumque matrimonium ſit conſummatum.

NEgat Magiſter *in* 4. *diſt.* 17. docens per ſecundum matrimonium ratum nondum conſummatum contrahi Bigamiam, & conſequenter irregularitatem.

Sed vt certiſſimum quid Reſpondeo: Affirmatiuè. Quia ſic decernitur in cap. *Debitum, de Bigamis.* Et ratio eſt (inquit ibi Innocent. III.) Quia ſi alterum matrimonium ex duobus conſummatum non eſt, non reperitur ibi defectus ſignificationis Sacramenti. Nam Sacramentum matrimonij non conſummati ſolùm ſignificat vnionem Verbi cum Eccleſia per charitatem, & gratiam: conſummati verò ſignificat vnionem Verbi cum Eccleſia per Incarnationem: & ideò qui contraxit ſecundum matrimonium, quouſque illud conſummet, & carnem ſuam in plures diuidat per copulam cum duabos, non deficit ab hac perfecta ſignificatione. Sic communiter omnes, præcipuè D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *quaſt.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. Palud. Villadieg. Syluest. Armill. Tabien. P. Sor. Couarr. Palat. Toledo, Humada, Viualdus, & Petrus Ledeſma, quos omnes refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 83. *n.* 4. *&* 5. Pellizzar *loc. cit. q.* 30. Gibalin. *de Irregul.* c. 3. *q.* 4. *n.* 4. Qui contra Roſellam *verb. Bigamia, num.* 2. & Montagnam *tract. de Irregular. q.* 4. *num.* 1. *&* 4. *& q.* 6. *n.* 7. aſſerentes ſolemniter profeſſum ineuntem matrimonium, & non conſummantem, Bigamum eſſe; & ex ſimilitudinatia Bigamia irrigulatem, oppoſitum docent, videlicet nec eſſe Bigamum, nec irregulatem. Quia cap. *Quotquot*, 27. *quaſt.* 1. ſola voti tranſgreſſio conſideratur, quæ in matrimonio non conſummato etiam reperitur.

Qvæstio VI.

An ad bigamiam, & ex ea prouenientem irregularitatem contrahendam, requiratur emiſſio ſeminis virilis intra vas fæmineum.

NEgant plures, exiſtimantes ſatis eſſe ad Bigamiæ irregularitatem contrahendam vaſis fœminei

minei abſque ſemine emiſſo penetrationem. Quia per hanc copulam, & vaſis penetrationem præſumit Eccleſia ſeminis emiſſionem, & perfectam conſummationem matrimonij, & ideò vult contrahi huiuſmodi irregularitatem per talem copulam, quia deficit à Sacramenti ſignificatione, quoad externa. Ita Angel. *verb. Bigamia.* Tabien. §.3. Armill. §.2. & Palud. *diſt.* 27. *quæſt.* 4. quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 3. *in textu*, *& litt. B.* Quibus addit Sanch. infrà Palatinum *in* 4. *diſt.* 27. *diſp.* 4. *col.* 5. & Viuald. 2. *p. Candel. vbi de irregul. Bigam. n.* 22. Et ego Auilam *p.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 1. *verſ. Secundò contingit.*

Sed probabilius Reſpondeo: Requiri emiſſionem virilis ſeminis in vas fœmineum; aliàs non contrahi Bigamiam, nec irregularitatem ex ea prouenientem in foro conſcientiæ; ſed in ſolo foro externo, ob præſumptionem perfectæ copulæ. Vnde ſi hæc res occulta eſſet, & poſſet iſte ſine ſcandalo ad Ordines promoueri, ea copula non obſtaret, nec diſpenſatione indigeret, quia verè Bigamus non eſt. Quia matrimonium ſola vaſis penetratione, etiam virili membro facta nec dicitur conſummatum (vt diximus 2. *p. tract.* 19. *de Matrim. diſp.* 5. *q.* 18.) nec repræſentat vnionem, aut matrimonium Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem: ergo nec inducet Bigamiam, nec irregularitatem. Sic Borgaſius, & Vega, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 83. *n.* 6. Ægid. *diſp.* 18. *n.* 102. Hurtad. *diſput.* 2. *de Irregul. diff.* 13. *n.* 48. *in fine*, Gibalin. *tract. de Irreg. c.* 3. *q.* 4. *n.* 4. *pag. mihi* 75. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 13. *diff.* 13. Cornejo *diſp.* 10. *de irregul. dub.* 1. *q.* 2. *in fine.* Quibus fauet Pellizzar. *loc. cit. q.* 30. *n.* 84. *pag.* 126.

Qvæstio VII.

An etiam requiratur, vt fæmina ſemen emittat, vt quis ſit Bigamus, & irregularis.

AFfirmabunt conſequenter, qui probabiliter tenent, non conſummari matrimonium, fœmina non ſeminante; ſunt autem præcipui D. Thom. D. Bonauent. Hoſtienſ. Innocent. Hugo, Lopez, Hurtad. & alij, quos retulimus 2. *p. loc. cit. q.* 29. Quorum ſententiam reputat probabilem Pellizz. *loc. cit.* citans pro ea, ſed malè, Sanchez.

Sed probabilius Reſpondeo: Non requiri fœminam ſeminare. Quia probabilius eſt, quod ad hoc, vt matrimonium cenſeatur perfectè conſummatum, non requiratur vt etiam fœmina ſeminet, vt probauimus *loc. cit.* ergo illa non ſeminante euadet quis Bigamus, & irregularis. Sic Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 11. *& lib.* 7. *diſp.* 83. *num.* 6. *in fine*, Vega 1. *tom. Summ. cap.* 38. *caſu* 4. Et debent tenere Baſilius, Henriquez, Gutierrez, Villalob. & alij, quos dicta *quæſt.* 19. citauimus. Legantur ibi dicta, & *quæſt.* 30. *ſequenti.*

Qvæstio VIII.

An qui duas vxores legitimas ſucceſſiuè habuit ante Baptiſmum, & cum vtraque conſummauit, verè Bigamus ſit, & irregularis maneat poſt Baptiſmum.

NEgabunt eſſe Bigamum, aut manere irregularem poſt Baptiſmum, eo quòd irregularitas ex Bigamia orta ſit à iure Pontificio inducta, & conſequenter non poſſit afficere infideles, cùm nullus ad Baptiſmum legibus Eccleſiæ ſubiaceat, D. Hieron in *epiſt.* 83. *ad Occeanum*, & referunt c. 1. *diſt.* 26 & in Epiſt. D. Pauli 1. *Timoth.* 3. & refertur c. 28 *q.* 3. Cui conſentiunt Gloſſ. Ordin. & Lyr. 1. *Timoth.* 3. Maior *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 6. *dub vlt.* & Almain. *diſt.* 25 *q.* 1.

Sed iam, vt certum Reſpondeo: Verè eſſe Bigamum ſuſceptum. Quia ſic habetur expreſsè in cap. *Si quis viduam*, el 1. 34. *diſt.* ibi. *Si quis viduam, licèt laicus duxerit vxorem ſiue ante Baptiſmum, ſiue poſt Baptiſmum, non admittatur ad Clerum. Quia eodem vitio videtur excluſus. In Baptiſmo enim crimina dimittuntur, non accepta vxoris conſortium relaxatur.* Deinde ſic fuit definitum ab Innocent. *epiſt.* 2. *c.* 5. *& epiſt.* 22. *c.* 2. & refertur *in cap. Deinde, diſt.* 26. Et tenent D. Auguſt. *in epiſt. ad Titum*, & *lib. de bono coniug. c.* 18. & refertur c. *Acutius, diſt.* 26. & *can. fin.* 28. *q.* 3. D. Ambroſ. *lib.* 1. *offic. cap. vlt.* & refertur *c. penult. diſt.* 26. D. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 3. *art.* 2 & cum eo omnes Theologi. Legantur Suarez *diſp.* 59. *ſect.* 6. *n.* 12. *& ſeq.* Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 83. *n.* 9. Auila *p.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 1. vbi piè exponit oppoſitum ſentientes, quod prædictus non cenſeatur Bigamus, quantum ad diſpenſationem, quia facilè obtinebit eam. Pellizz. *tom.* 2. *tract.* 7. c. 5. *ſect.* 2. *q* 6. *n.* 90. Ægid. & Filliuc. apud ipſum.

Nec obſtat fundamentum contrariorum. Quia licèt verum ſit, quod hæc irregularitas ſit ab Eccleſia inducta, & ideò non poſſit afficere infideles ante Baptiſmum; afficit tamen illos poſt Baptiſmum, cùm tunc iam lex Eccleſiaſtica poſſit illos ligare, & obligare. Lege etiam Bonae. *q.* 2. *de Irregul. punct.* 5. *n.* 13. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 90. & Filliuc. *n.* 102.

Qvæstio IX.

An multiplicata ſponſalia, copulaque ſubſequuta, inducant Bigamiam, & irregularitatem.

REſpondeo, vt certum: Quod non, quia ſponſalia etiam coniuncta cum copula, non ſignificant vnionem Chriſti cum ſponſa ſua Eccleſia per Incarnationem, ſicut ſignificat matrimonium conſummatum, vt habitum eſt ſuprà: ergo etiam qui ſæpius ſponſalia contrahit, non deficit à ſignificatione vera Sacramenti, & ideò non ſit Bigamus, nec irregularis. Sic Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 5. *col.* 1437. Bonae. *punct.* 5. *cit. n.* 6. & alij.

Qvæstio X.

An laicus contrahens duo matrimonia, ſed vtrumque inualidum, ſit Bigamus, & irregularis.

AFfirmant communiter Doctores caſu, quo vtrumque matrimonium conſummauerit. Quia (inquiunt) ad huiuſmodi Bigamiæ irregularitatem contrahendam ſatis eſt, vt affectu duo inita ſint de facto matrimonia: & quantum eſt ex parte contrahentis, ſignificatio Sacramenti non deficiat. Cùm irregularitas in hoc euentu non incurratur ob Sacramenti veri defectum, ſed propter affectum cum opere ſubſequuto, vt dicitur cap. *Nuper, de Bigamis.* Ita tenent Richard. Palud. vterque Sotus, Martinus, Petrus, & Bartholom. de Ledeſma, Sà, Bellarminus, Valentia, Vega, Llamas, Lopez, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez

lib. 7.

*lib.7. de Matrim. diſp.*83. *n.*3. Quibus addi poſſunt Suar. *diſp.*49. *ſect.*5.*n.*11. Bonac. *diſp.*7. *q.*5. *punct.*5. *n.*2. *verſ. Reſpondeo.* Filliuc. *tract.*19. *c.*4 *num.*194. Sayrus *lib.* 6. *c* 4. *n.* 7. Barboſ. *de poteſtate Epiſcop. alleg.*49.*n.*11. Cornejo *diſp.*10. *dub.*2. *q.*5. & Paiaus *diſp.*6. *punct.*7. *n.* 10.

Sed certè æquè probabiliter Reſpondeo: Nullo modo prædictum laicum eſſe Bigamum, aut irregularem. Quia ex duobus matrimoniis inualidis minimè oritur irregularitas Bigamiæ, de qua eſt quæſtio: vnde ſi quæ oriatur in quibuſdam caſibus à iure expreſſis, illa non eſt Bigamiæ, ſed delicti, vel infamiæ.

Probatur *primò*. Quia hæc Bigamiæ irregularitas nullibi in iure reperitur expreſſa: ergo non contrahitur. Conſequentia ex ſupra habitis conſtat. Antecedens probatur, quia ſi alicubi, maximè in Can. Apoſtol. 18. vbi qui duas ſorores, aut neptem ſuam acceperit, expreſsè rejicitur à Clero; at in hoc Canone non rejicitur à ſtatu Clericali propter defectum Sacramenti, qui in eo coniugio duarum Sororum reperiatur, ſed propter inceſtuoſum coniugium, in cuius criminis pœnam fuit impoſita irregularitas: ſed hæc non eſt in ſpecie Bigamiæ.

Secundò. Quia in prædicto caſu deficit Sacramento vera ſignificatio, cùm nullum ex illis matrimoniis ſit Sacramentum, nec legitimus contractus: ergo ex illis non poteſt oriri Bigamiæ irregularitas. Ideò hanc ſententiam tenent Ægid. *diſp.* 18 *dub.* 11. *num.*101. Henriq. *lib.*12.*c.*6.*n.*9. vbi *litt.T.* citat pro hac parte Ioan. Andr. & alios. Auil. *p.*7. *diſput*, 8. *dub.*1. & 2. Hurtad. *diſp* 2. *de Irregul. diff.*13. *n.*41. Ioan. Præpoſit. *in* 3 *p. q.*5. *de Irregul. dub.* 7. *n.*135. Dian. *part.*4. *tract.* 2. *Reſol.* 38 Luyſ. *de cenſ. lib.*9.*diſp.*70 *dub.* 2. Ioſeph. Gibal. *tract. de Irregul. c.* 3. *q.*4. *n.*16. *verſ. Mihi duo.* Quos ſequi videtur Pellizz. *l. c. q.*33.*n.*87.

Ex quibus ad argumentum contrariorum negandum eſt antecedens quoad omnes partes, & ad probationem ex cap. *Nuper*, dicendum eſt ibi non agi niſi de Bigamia ſimilitudinaria Clerici, quæ eſt ex delicto, vt infrà. Quæ pœna etiamſi extendatur ad noſtrum caſum, in quo de laico eſt ſermo, quod eſt concedendum, cum in pœnalibus, & odioſis non valeat extenſio, inde non alia erueiur irregularitas, quàm ex delicto, non Bigamiæ.

Qværtio XI.

An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis laicus, qui duo init, & conſummat matrimonia, alterum validum, & alterum irritum.

AFfirmant, & à fortiori omnes Doctores nuper pro prima ſententia adducti. Et ex adductis pro noſtra Henriq. *n* 9. *cit. lit. S.* Auil. *loc cit. dub.* 1. *verſ. Secundò notandum.* Licèt addat id eſſe verum, dummodò vnum matrimonium ſit nullum ob impedimentum affinitatis, vel conſanguinitatis, vel ob aliud impedimentum, quod non ſit defectus conſenſus, quia qui contraxit, at, deluſoriè ſolùm ad obtinendam copulam, non erit Bigamus: ſecus alias.

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Nec eſſe Bigamum, neque irregularitatem contrahere Bigamiæ. Quia nec id inuenitur in iure expreſſum: at irregularitas non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis, vt ſuprà eſt habitum: ergo. Sic tenent Ægidius, Hurtad. Ioan. Præpoſit. Luyſ. Dian. & Gibalin. ſuprà citati.

Qværtio XII.

An qui contrahit verum matrimonium cum vidua à priori viro cognita, & conſummat illud, verè contrahat Bigamiam interpretatiuam, & irregularitatem defectu Sacramenti.

REſpondeo tanquam certum: Verè contrahere dictam Bigamiam, & irregularitatem. Quia ſic multi Pontifices, & Concilia decreuerunt. Et in primis Can. Apoſtol. 18. qui refertur *cap. ſi quis viduam, diſt.*50. Gregor. Magn. *lib.*2. *Epiſt.*25. & refertur *in cap. Præcipimus, diſt.* 31. Vrban. II. in Conc. Meldenſ. ex cap. *Nemo, diſt.* 31. Leo I. *Epiſt.* 1. *cap.* 2. Innoc. I. *Epiſt.* 22. Concil. IV. Carthagin. *Can.* 69. Valentin. *Can.* 1. Toletan. I. *cap.* 3. & Toletan. IV. *cap.* 18. & 43. vbi habetur, qui viduam, aut renuptam duxerit, à Clero rejiciatur.

Ratio autem huius deciſionis eſt. Quia licèt qui viduam ſibi matrimonio iungit, vnum re ipſa matrimonium ineat, tamen fictione iuris eſt duplex, eo quòd iam vidua illa fuerit primo matrimonio alteri viro copulata; & ideò in neutro matrimonio cenſetur eſſe perfecta ſignificatio matrimonij Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem; ſiquidem Chriſtus Dominus vnicam, & virginem ſibi copulauit. Sic omnes DD. legantur Sanch. *lib.*7. *de Matrim diſp.* 84. *n.*7. Auil *p.*7. *diſp.*8. *dub.*1. *verſ. Secundò contingit.* Suar. *diſp.*49. *ſect.* 3. *n.*1. Bonac. *q.* 2. *de Irregul. punct.* 5. *n.*2. Gibal. *tract. de Irregul. c.*3. *q.*4. *n.*9 *pag* 18. Pellizz. *tom.*2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 2. *q.*32. & communis.

Qværtio XIII.

An hanc Bigamiam, & irregularitatem incurrat laicus, qui ducit vxorem viduam, inualide tamen, propter aliquod impedimentum.

AFfirmant plures Doctores, qui id probant ex cap. *Nuper*, & *cap. fin. de Bigam.* vbi definitur, quod Clericus in Sacris conſtitutus contrahens vnicum matrimonium irritum ob Ordinis impedimentum ſit Bigamus, & irregularis, eo quòd habuerit affectum contrahendi cum opere ſubſequuto: at hæc ratio æquè militat in laico ſic contrahente: ergo. Ita ſentiunt Richard. *in* 4. *diſt.* 27. *art* 4. *q.*3. Palud. *p.*4. *art.*4. *q.*28. Couarr. *in Clem. ſi furioſus, de homicid.* 1. *p.* §. 2. *n.* 2. *verſ* 2. & 3. dicens eſſe communem ſententiam. Goffred. Hoſtienſ. Albertc. Aſtenſ. & Montagna, quos pro hac parte refert Sanch *lib.*7. *de Matrim. diſp.* 84. *num.* 10. Quibus addi poſſunt Suarez *diſp.*49. *ſect.*3. *n* 3. 4. & 5. Sayrus *lib.*6. *c.* 3. *num.*7. Bonac. *diſp.*7. *quæſt.*2. *punct.*5. *num.*8. Gordon. *lib* 7. *q.*18. *num.* 33. Cornejo *diſp.* 10. *de Irregul. dub.* 2. *q.*3. *verſ. Sed quid ſi tale.*

Sed probabilius Reſpondeo: Non incurrere Bigamiam, nec irregularitatem. *Primò.* Quia id nullo iure cauetur. *Secundò*, quia licèt ratio reddita in capite *Nuper*, & *cap. fin. citatis*, videatur noſtrum caſum amplecti, at minimè id facit. Quia ibi fit ſermo de Clerico in Sacris conſtituto, qui duxit viduam. Et illa ratio, quod ſcilicet habuerit affectum contrahendi opere ſubſequuto, non eſt integra ratio, ſed in ea ſuppleri debet; cùm iam aliud matrimonium ſimilitudinarium per votum ſolemne Ordini Sacro annexum, contraxiſſet. Vnde nihil refert ad eam irregularitatem,

ſiue viduam, ſiue virginem duxerit. Ex quo iam conſtat hanc rationem non militare in noſtro caſu. Sic omninò Sanchez *loc. cit. n.* 11. & penes illum Nauarr. (dicens ſic in Sacra Pœnitentia deciſum fuiſſe) *in Summ. c.*27. *n.*195. *& lib.* 1. *conſ.* 1. Henriq. *lib.*12. *c* 6. *n.*9. *in fine.* Farinac. *prax.*1. *p. tit. de Inquiſit. q.*8. *n.*8. Valentia *tom.*4 *diſp.*7. *q.*19. *punct.*3. Man. Rodrig. Ludouic. Lop. & Philiarc. Quibus addi poſſunt Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *n.*87. Auil. *p.* 7. *diſp.*8. (non 7. vt leges apud Gibalinum) *dub* 2. Medic. 2. *p. Summ. tit.*9. *q.*28. Gibalin. *tract. de Irreg. c.*3. *q.*4. *n.*16. *pag.*90. Palaus *tom.*6. *diſp.*6. *punct.*8. *n.*4. Aug. Barboſ. *alleg.*49. *n.*5. Pellizz. *tom.*2. *tract.*7. *c.*5. *ſect.*2. *q.*33. *n.*87. ex Ægid. *n.*101.

Qvæstio XIV.

An excuſaretur ab irregularitate Bigamia, qui contraheret viduam, exiſtimans illam eſſe virginem, cùm tamen ſit corrupta à priori marito.

AFfirmant excuſari Petr. Ledeſm. *quæſt.* 69. *de Matrimon. art.*3. *col. pen.* & Sà *verb. irregularitas Bigamia, num.*3.

Sed probabilius Reſpondeo : Non excuſari, ſed verè effici per tale matrimonium, ſi conſummetur Bigamum, & irregularem. Quia hæc irregularitas contrahitur ob defectum ſignificationis Sacramenti, vt ſuprà eſt habitum : at hic defectus æquè poteſt inueniri, ſiue ſcientia, ſiue ignorantia adſit : ergo. Sic communiter omnes DD. Legatur Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 84. *n.* 8. *&* 15. vbi citat D. Thom. Palud. Richard. D. Anton. Maior. Palat. Sot. Ledeſm. vtrumque, & alios plures. Et nouiſſimè Ioſeph. Gibalin. *de Irregul. c.*3. *q.*4. *num.*9. *in fin.* vbi ita concludit : Neque ignorantia viri viduam ducentis excuſabit ab irregularitate, ſi v. g. ipſa falsò iuraret, ſe virginem eſſe, & à priori marito minimè cognitam fuiſſe ; erit enim nihilominus talis maritus irregularis, & pro tali ſe gerere debet, neque Ordines ſine diſpenſatione ſuſcipere poterit, vbi vxorem ſuam à priori eius marito ſubactam nouerit : atque in hanc primam propoſitionis partem omnes æquè conſentiunt. Sic ille. Palaus *diſp.*6. *punct.*8. *n.*6. & alij apud ipſum.

Qvæstio XV.

An ducens fœminam à ſe ſolo defloratam, ſit Bigamus, & irregularis.

AFfirmant aliqui Doctores. Quia (inquiunt) per hoc matrimonium non poſſunt ſignificari nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam, quam virginem ipſe ſibi copulauit : cum revera adſit corruptio tempore conſenſus, & conſummationis matrimonij : ergo ducens corruptam etiam à ſe, non poteſt non eſſe Bigamus, & irregularis. Ita Gloſſa cap. *Maritum, verb. concubinam, diſt.*33. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Imol. Ancharan. Archidiacon. & Aſteoſ. quos pro hac parte citat Sanch. *lib.*7. *diſp.*84. *n.*13.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo : Nec eſſe Bigamum, nec irregularem. Quia irregularitas ducentis corruptam ideò contrahitur (ait Sanchez) quod cùm fœmina, cum qua vir efficitur vna caro, diuiſerit carnem ſuam in plures, cenſeatur etiam diuiſiſſe ex iuris fictione, & interpretatione ; quod hic nullatenus reperitur. Cùm vxor non diuiſerit carnem ſuam in plures, ſiquidem ab vno ſolo cognita fuit.

Præterea, quia matrimonium illud retrotrahitur purgans præcedens vitium, cap. *Tanta, Qui filij legit.* atque ita perinde eſt ac ſi à principio, quando ipſam virginem defloràuit, duxiſſet. Vnde conſtat ad argumentum contrariorum ; falſum enim ſupponit, in noſtro caſu reperiri defectum ſignificationis. Sic Sanchez *loc. cit. num.*14. & penes illum D. Thom. *in* 4. *diſt.*27. *quæſt.*3. *art.*1. *quæſt.*3. *ad* 2. Richard. Palud. Maior, Supplem. Gabr. Sot. Palac. & Celaja ibi. Petr. Sot. *lect.* 18. *de Matrimon.* Petr. de Ledeſm. *de Matrim. quæſt.*66. *art.* 3. *poſt* 6. *concl.* Henriquez *lib.*12. *cap.* 6. *num.* 10. Toled. *lib.* 1. *Summ. cap.* 26. *num.*5. Sà, Valentia, Rodriguez, Vega, Vitald. Llamas, Rodriguez, & Nauarr. & alij plures. Quibus nouiſſimè adhærent Suarez *diſp.*49. *ſect.*3. *n.*6. *&* 7. Sayr. *cap.* 4. *num.* 17. Reginald. *num.* 82. Bonacina *diſp.* 7. *q.*2. *punct.*5. *num.*2. *verſ. Secundò contingit,* Cornejo *diſput.*10. *de irregularit. dub.*2. *q.* 3. *verſic. Sed quid ſi ducat.* Gibalinus *tract. de Irregularit. c.*3. *quæſt.*4. *conſectario* 4. *num.*28. Palaus *tom.* 6. *diſp.*6. *punct.*8. *num.*4. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 4. Pellizzatius *q.*32. *cit. num.*86.

Qvæstio XVI.

An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis, qui contrahit cum fœmina ab alio corrupta.

AFfirmant omnes Doctores citati ſuprà *q.* 1. & ferè omnes *q.* 13. adducti. Qui id probant ex Canon. 18. *Apoſt.* relato *in c. Si quis viduam*, vbi eodem tenore, & eadem ratione prohibetur Clericis matrimonium cum vidua, atque cum corrupta meretrice, &c. Deinde ex cap. *Qualis*, 30. *q.*5. quod eſt ex Leone Papa, vbi de ſponſa habenda, ne quiſpiam Bigamus efficiatur, ſic dicitur : *Qualis debeat vxor eſſe, quæ habenda eſt ſecundùm legem virgo, caſta, & deſponſata in virginitate.* & cap. *vnic. de Cleric. coniuga. in* 6. ibi : *Qui cum vnicis, & virginibus contraxerunt*, vbi clarè petitur virginitas vxoris, ne vir eius irregularis efficiatur.

Negat verò contrà Ioſeph. Gibalin. *tract. de Irregul. c.*3. *q.* 4. *n.*10. *pag.*82. docens ex matrimonio cum corrupta etiam ab alio nullam oriri irregularitatem ex Bigamia, ſed ſolùm ex infamia. Probat, quia Bigamiæ irregularitas, & defectus Sacramenti contingit ex eo quod vir diuidat carnem ſuam in plures, atque non ſit vnus vnicæ, aut vxor non ſit vnica vnici, eo quòd cum alio coniuncta fuerit : atqui hæc carnis diuiſio non reperitur cum corrupta extra coniugalem thorum : ergo. Ita ille ibi, quod latè proſequitur, & citat pro hac parte Emmanuelem Sà, *verb. Irregularitas ex Bigamia, num.*2. Bellarm. *lib.*2. *de Cleric. c.*24. *ſub fin.* & Henricum Henriq. *lib.*12. *cap.*6. §. 10. *lit. Z.* Sed ex his certè ad minus Henriquez non eſt cum illo, ſed cum Authoribus primæ ſententiæ, vt conſtat ex verbis eiuſdem : ait enim *loc. cit.* in textu ſic : Species ſecunda Bigamiæ dicitur interpretatiua, ſi vir validè contraxit cum vna per alium corrupta, & cum ea conſummauit ; quia ex matrimonio carnem diuidit in plures, factus vna caro cum vxore. Sic Henriquez in textu. Verum eſt, quod in marg. *lit. Z.* referat Bellarminum pro prima ſententia, ſed ipſe tranſit.

Sed ego Reſpondeo dicendum, certum eſſe, contrahentem cum corrupta ab alio eſſe irregularem ; & probabilius, talem irregularitatem non ſolùm ex infamia, ſi eius corruptio notoria ſit, oriri, ſed etiam ex Bigamia. *Prima* pars huius reſponſionis

eſt

eſt communis ferè omnium Doctorum, & conſtat ex iure *locis adductis. Secunda* verò etiam eſt communis, vt fatetur ipſemet Gibalin. cuius argumentum facilè verbis adductis ex Henrico ſolui poteſt. Legantur Sanchez *lib. 7. diſp.*84. *n.* 1. 7. *&* 9. cum aliis ab ipſo allegatis, & Pellizzar. *loc.cit. n.*86.

Qvæstio XVII.

An etiam ſit Bigamus, & irregularis vir corruptus ducens virginem.

AFfirmandum videtur ex nuper dictis. Quia vir contrahens cum corrupta fit irregularis: ergo à fortiori, fiet ſi vir corruptus contrahat cum Virgine, patet quia in hoc caſu verè vir ille carnem ſuam diuiſit in plures, nempe in vxorem cum qua conſummat, & in fœminam priùs fornicariè cognitam: in primo verò non, quia in illo ſolùm fictè, & interpretatiuè dicitur carnem ſuam in plures diuiſiſſe, vt ſuprà eſt habitum.

Sed, vt certum Reſpondeo: Nec eſſe Bigamum, nec irregularem in dicto caſu. Quia non eſt id expreſſum in iure, ſicut eſt in caſu quo vir contrahat cum corrupta. Sic Sanchez *diſp.* 84. *n.* 9. & Palaus *diſp. 6. punct.* 8. *num.* 4. Qui ex S. Thom. *in 4. diſtinct.* 27. *quæſt.* 3. *artic.* 1. *quæſt.* 3. aliquas alias rationes aſſignant. Legantur etiam Suarez *diſput.* 49. *ſect.* 3. *n.*8. *& ſeq.* Filliuc. *tract.* 19. *c.*4. *q.*8. *n.* 516. & Bonacina *q.*7. *cit. punct.* 5. *n.* 7.

Qvæstio XVIII.

An qui duxit virginem, & poſt adulterium à ſe ſcitum, illam carnaliter cognouit, contrahat irregularitatem Bigamiæ interpretatiua.

NEgat Ioſephus Gibalinus *tract. de Irregularit. cap.* 3. *q.* 4. *num.* 12. *&* 32. docens, eum qui propriam vxorem, quam virginem duxerat, cognouit poſt adulterium ab ipſa commiſſum, & cognitum à viro, non contrahere irregularitatem Bigamiæ, ſed ea infamia dumtaxat, ſi adulterium fuit publicum, non ſi fuit occultum. Citat pro hac ſententia Sà *verb. Irregularitas ex Bigamia, n.* 2. *&* 3. Petrum Ledeſma *in Summ. de Matrim. c.*32. *concl.* 6. Innocent. Rebuffum, & omnes alios, qui requirunt ſcientiam ad hanc irregularitatem contrahendam, qui conſequenter debent fateri, talem irregularitatem non eſſe ex defectu ſolo, aliàs ab ignorante incurreretur.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Præfatum contrahere irregularitatem Bigamiæ interpretatiuæ, ſimulque ex infamia, ſi adulterium fuerit publicum. *Prima pars* huius reſponſionis in qua eſt difficultas, probatur à Suario *diſp.* 49. *ſect.* 3. *num.* 14. tum ex iure, *cap. Si cuius*, & *cap. Si laici, diſtinct.* 34. Vbi abſolutè dicitur, per adulterium vxoris fieri maritum irregularem; ſed intelligendum eſt, ſi poſt adulterium illam cognouit, vt ibidem Gloſſa exponit. *Tum* ea ratione. Quia vir cognoſcendo vxorem ſuam ab alio cognitam, efficitur maritus corruptæ, & ideo perinde iudicatur, ac ſi cum corrupta contraxiſſet. Sic ille. Et ſic omnes ferè Auctores, iam Veteres, quàm Recentiores, vt fatetur Gibalinus, Sanchez *lib. 7. de Matrimonio, diſp.*84. *num.* 15. & penes illum vterque Sotus, vterque Ledeſma, Henriquez, Lopez, Toledo, Rodriguez, & alij vſque *ad* 18. Theologos. Et ex Iuriſperitis Nauarr. Couarr. Cenedo, Guttierrez, & alij vſque *ad* 33. Quibus ex Recentioribus addi poſſunt Auila *part.*7. *diſp.* 8. *dub.*1. §. *Tertio modo.* Sayrus *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 19. Garcia 7. *part. de Benef. cap.* 6. *num.* 17. Comitol. *lib.* 1. *reſponſ. quæſt.* 106. *num.* 3. Bonacin. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 12. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg.*49. *n.*8. Palaus *diſp* 6. *punct.* 8. *n.* 5. Cornejo *diſp.*10. *de Irregularit. dub.* 2. *quæſ.* 4. Baunius *tract.* 11. *de Irregularitate, quæſt.*12. §. *Tertiò contingit, pag.* 460. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *c.* 6. *num.* 3. & communis apud Pelliazarium *loc.cit.*

Qvæstio XIX.

An etiam dictam irregularitatem contrahat vir, qui ignorans coniugis adulterium, illam carnaliter cognouit.

NEgant Sà, Petr. Ledeſma, & Gibalinus *loc.cit.* Et inſinuant qui affirmant hanc irregularitatem contrahere virum ſcienter vxorem adulteram carnaliter cognoſcentem: tacitè enim ſupponunt, ſtante ignorantia, non eſſe huic pœnæ locum. Ita Gloſſa *c.*2. *de Bigamis, verb. in Bigamis*, Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. n.*194. Gregor. Lopez *l.*35. *tit.* 5. *p.*1. Anton. Cuchus *lib.* 4. *Inſtit. maior. tit.* 22. *n.* 175. & Palatios *in* 4. *diſt.*27. *diſp* 4.

Ratio eorum eſt, quia actus, ob quem irregularitas contrahitur, debet eſſe actus hominis, quatenus rationalis eſt, ac proinde liber, & voluntarius: at hoc deficit, ignorantia ſtante: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam in hoc caſu contrahere irregularitatem Bigamiæ interpretatiuæ. Quia hæc irregularitas non imponitur in pœnam alicuius delicti, aut culpæ, ſed ob defectum ſignificationis, qui re ipſa interuenit, contractum; cùm maritus ab alio corruptæ fuerit, & conſequenter ſicut ipſa mulier ſuam carnem in plures diuiſit, ſic vir illam (etiamſi maleficium ſuæ vxoris inuincibiliter ignorans) cognoſcens, cenſetur ſuam carnem in plures diuiſiſſe, & conſequenter contrahere hanc irregularitatem. Sic Sanchez cum aliis *num.* 15. *cit.* Nauarr. *cap.*27. *num.*195. Suarez, Auila, Palaus, Bonacin. & alij nuper citati. Qui tamen aduertunt, dictum ignorantiam conferre ad diſpenſationem obtinendam.

Qvæstio XX.

An vir cognoſcens ſuam vxorem vi, aut dolo oppreſſam ab alio, contrahat hanc Bigamiæ irregularitatem.

NEgabunt conſequenter Auctores pro prima ſententia adducti; & negant expreſsè Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 5. *de Irregular.* & Gibalin. *de Irregularit. c.*5. *q.*4. *conſectar.* 5. *n.*29. Quia (inquit hic Auctor) hæc irregularitas non incurritur niſi ex delicto, aut infamia; ſed in hoc caſu, neque eſt delictum vxoris, neque viri, vt conſtat; nec rurſus eſt infamia mariti aliqua, ſi vis (aut dolus) vxori facta non eſt: quod ſi talis vis ignoretur, & ſolum adulterium ſciatur, indeque notetur turpitudine aliqua maritus, tamdiu irregularis erit, quandiu illa propudij nota manebit, & vxoris famæ non conſuluerit. Ita Gibalinus.

Sed probabilius Reſpondeo, contrahere bigamiæ interpretatiuæ irregularitatem. Quia probabilius

eſt, ex prædicta cum vxore copula oriri irregularitatem bigamiæ interpretatiuæ, quia dolus, aut vis illa, licèt excuſet fœminam à culpa, non tamen efficit matrimonium illud aptum iam ad ſignificandam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, cum hic defectus æquè reſultet, ſiue ex parte vxoris culpa interceſſerit, aut infamia, ſiue non; quia ſolùm ſpectat factum. Sic expreſsè Henriq. *lib.* 12. *c.*6. *n.* 10. *verſ. In ſecundo gradu.* Viuald. 2.*p.Candel. Vbi de irregularit. bigamia*, *n.*7. Palatios, Maiol. & Turrecr. quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.*7. *de Matrim. diſp.*84. *n.* 15. *in fine*, Suar. *diſp.* 49. *ſect.* 3. *n.*16. Palaus *diſput.*4. *punct.*8. *n.* 6. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.*49. *num.* 9. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.*7. *c.*5 .*ſect.*2. *q.*32. *n.*86. ex Fillіucio *c.*4. *q.*6. Legatur de hac quæſtione Dian. *p.*4. *tract.*2. *reſol.* 40.

QVÆSTIO XXI.

An etiam contrahat hanc bigamiæ irregularitatem maritus, qui coactus ab Eccleſia per cenſuras (quia nequit vxoris adulterium probare) illam cognoſcit.

NEgant aliqui Doctores. Quia iniuſtè puniretur ob actum ad quem tenebatur, contra can. *Nabuchodonoſor* 23. *q.* 4. Ita tenent ex iuribus Innocent. Ioann. Andr. Anton. & Ancharan. in cap. *Inquiſitioni, de ſentent. excommunic.* relati à Sanchez *loc. cit. n.* 16. quos nouiſſimè ſequitur Gibalin. *de Irregularit. c.*3. *q.* 4. *conſectar.*6. *n.*30. & dicunt eſſe probabile Palac. *in* 4. *diſt.*27. *diſp* 4. *col.* 4. & Sayr. *lib.* 6, *cap.*4. *num.* 10.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Etiam contrahere hanc irregularitatem. Quia ad illam contrahendam non requiritur peccatum, ſed defectus ſignificationis matrimonij Chriſti cum Eccleſia, qui oriri poteſt, vt in præſenti, ex facto proprio licito.

Nec argumentum contrariorum aliquid probat, quia ſupponit hanc irregularitatem eſſe pœnam, quod falſum eſt, vt ſuprà eſt habitum. Et ſibi imputet maritus, qui voluntariè vxorem duxit, quod tantum incommodum, quale eſt iſta irregularitas, incurrat. Sic D. Thomas *in* 4. *diſt.*27. *quæſt.*3. *art.*1. *quæſt.* 3. *ad* 4. Henriq. *lib.* 12. *c.*6. *n.* 10. Nauarr. *c.*16. *n.* 27. Sylueſt. Armilla, Gutierrez, Couaruuias, Sotus, Palud. Petr. Ledeſma, Rodriguez, Cenedo. Ludouic. Lopez, Veracruz, & alij vſque ad 42. Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *diſp.*48. *cit. num.* 17. Quibus addi poſſunt Suarez *diſputation.* 49. *ſect.* 3. *in fine.* Auila *part.* 7. *diſput.* 8. *dub.*1. §. *Tertio modo.* Sayrus *loco citato*, Cornejo *diſput.* 10. *de Irregularit. dub.*2. *q.*4. *verſ. Sed quid ſi maritus.*

QVÆSTIO XXII.

An maritus recipiens, & cognoſcens ſuam vxorem, quæ ex falſa ſuæ mortis fama ſecundas nuptias contraxerat, incurrat bigamiæ interpretatiuæ irregularitatem.

NEgat abſolutè Ioſephus Gibalinus *tract. de Irregularit. cap.* 3. *quæſt.* 4. *conſectar.* 7. *num.* 31. Quia cum illud ſecundum matrimonium fuerit inualidum, & illa fœmina non fuerit facta vna caro cum iſto viro putatiuo vnitate ſufficienti ad repræſentandam vnitatem connubij Chriſti, nulla poterit eſſe irregularitatis ex ſolo defectu Sacramenti in caſu propoſito: nullum quoque delictum eſt, neque infamia, aut in vxore, aut in marito, qui illam vt ſuam recipit: ergo nihil eſt vnde oriatur irregularitas. Hæc Gibalinus.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Incurrere talem irregularitatem. Ratio eſt, quia titulo matrimonij, & affectu maritali accedit ad ſuam vxorem ab alio cognitam, & materialiter adulteram, in quo caſu conſurgit defectus ſignificationis Sacramenti ex diuiſione carnis fœminæ, quæ de facto pluribus communicata fuit; & conſequenter dicta irregolaritas: Sic Nauarr. *cap.* 27. *num.* 195. Toletus *cap.* 61. *num.*7. Filliuc. *loco citato*, quos citat, & ſequitur Bonacin. *diſputat.* 7. *quæſt.*2. *punct.* 5. *num.* 11. Suarez *diſput.* 49. *ſect.* 3. *num.* 16. Sayrus *cap.* 4. *num.* 19. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An Religioſus profeſſus contrahens matrimonium, illudque conſummans, contrahat irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ.

NEgat expreſsè Henriquez *lib.* 12. *de Matrimonio, cap.*6 *num.*10. ibi: Falsò quidam extendunt hanc bigamiam ad profeſſum; negant etiam Palacios *in* 4. *diſtinct.*27. *diſp.*4. *column.* 7. probant quia cap. *Quotquot*, 27. *quæſt.* 1. cui oppoſitum aſſerentes innituntur, ſolùm loquitur de fœminis, quæ virginitatem promiſſam præuaricatæ ſunt, interdicens eas inter virgines, aut Diaconiſſas conſecrari; ait enim textus: *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricatæ ſunt, profeſſione contempta, inter bigamos, id eſt, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt.* Sic Canon deſumptus ex Concil. Ancyran. *can.* 18. ergo falsò extenditur hæc bigamia ad profeſſum.

Negat deinde Gibalin. *de Irregular. cap.* 3. *q.* 4. *num.* 19. *& ſeq.* quia quamuis fateatur dictum Religioſum incurrere irregularitatem, negat tamen illam eſſe bigamiæ ſimilitudinariæ, quia propriè loquendo nulla (inquit) datur, quod anteà dixerat Baſilius Pont. *lib.*7. *c.*15. *num.*7.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Dictum Religioſum & contrahere irregularitatem, & eam eſſe bigamiæ ſimilitudinariæ.

Prima pars reſponſionis eſt communis apud DD. docentes, talem profeſſum eſſe irregularem, quod probant non ſolùm ex cap. *quotquot*, *cit.* ſed etiam ex Concil. Aurelian. I. *can.* 23. ita dicente: *Monachus in monaſterio conuerſus, ſi pellici poſteà, vel vxori fuerit ſociatus, tantæ præuaricationis reus nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Idem habetur in Concilio Toletano II. *ſub Bonifacio I I. can.* 1. *de Cleric. & Monach.* Et ita docent ex Theolog. Palud. Durand. Maior, Sotus, Celada, Angles, Petr. & Bartholom. de Ledeſma, Vega, Llamas, & Viualdus, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp* 85. *num.*8. Quibus addi poſſunt Baſil. & Gibalinus *loco citato*, Suarez, Filliucius, Palaus, Auila, Bonacina, & alij mox citandi. Tenent etiam hoc ipſum ex Canoniſtis Nauarrus, Speculatinus, Monaldus, Albericus, Angelus, Borgaſius, & alij apud Sanchez.

Secunda verò pars, nempe quod talis irregularitas contracta à Religioſo ſit, debeatque dici Bigamiæ ſimilitudinariæ, conſtat ex c. *Quotquot*, *ſup. citat.* Vbi abſolutè dicitur, omnes qui violant (ſcilicet per matrimonium carnale, attentatum tantum, cùm inualidum ſit poſt ſolemne votum) Virginitatem profeſſam, eſſe bigamos: ergo dictus Religioſus,

Digitized by Google

ſus, verè contrahit irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ, quæ (vt ſuprà eſt habitum) naſcitur ex duplici coniugio, ſeu matrimonio, quorum alterum eſt ſpirituale, ſeu metaphoricum, quod quis contrahit cum Chriſto per votum ſolemne caſtitatis, & alterum carnale, licèt illegitimum, & inualidum, vt ſuprà eſt habitum. Sic docent communiter Doctores. Richard. Palud. Ledeſma, Valentia, Sà, Toledo, Rodriguez, Ludouic. Lopez, Nauarrus, & alij plures, quos citat, & ſequitur Sanchez *loc. cit.* Quibus addo Suarium *diſp.* 49. *ſect.* 4. *num.* 1. *&* 2. Filliucium *tract.* 19. *c.* 4. Auilam *p.* 7. *diſp* 8. *dub.* 1. *verſu Bigamia ſimilitudinaria.* Bonacin. *diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. *in fine.* Luyſium *de Cenſur. lib* 9. *diſput.* 70. *dub.* 3. & penes illum Vaſquez *in tract. manuſcripto de Matrimon.* Palaum *tom.* 6 *tract. de Cenſur. diſp.* 6. *punct.* 8. *num.* 11. Nicolaum Garc. *part.* 7. *de beneſ. cap.* 6. *n.* 15. Auguſtin. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, allegat* 49. *num.* 25. Petrum Cornejo *de Irregularit. diſp.* 10. *dub.* 2. *quæſ.* 5. Bauny *tract.* 11. *de Irregularit. q.* 12. *pag.* 459. Hurtadum *diſput.* 2. *de Irregularitate, diff.* 13. *n.* 43. Machado *lib.* 1. *Summ. part.* 3. *tract.* 17. *docum.* 3. *n.* 12. & alios. Qui omnes conueniunt hoc eſſe verum, etiamſi matrimonium contractum ſit cum Virgine, quia aliàs nihil ſpeciale decideret Pontifex, cùm ex matrimonio cum vidua, aut corrupta quilibet, etiam laicus, fiat Bigamus.

Nec obſtat, quod dicit Henriquez; nempe quod *in cap. Quotquot*, cui ad probandam noſtram ſententiam nitimur, ſolùm agatur de fœminis, non de viris. Nam reſpondetur *primò* cum Sanchez, quod dato quod ibi ſermo ſit de fœminis, id à fortiori in viris procedat. *Secundò*, & melius reſpondeo, quod ibi ſermo ſit de vtriſque: nam licèt à Gratiano in genere fœminino proferatur; in textu tamen Græco in maſculino habetur ſic: *Quotquot Virginitatem pollicitam prævaricati ſunt*, &c. (vel ut alia verſio habet: *Quicumque Virginitatem profitentes*, &c.) & ita legunt Gloſſa marginal. *in d. cap. Iuo*, 6. *p. c.* 351. Dionyſ. Exig. & Balſamon. Suar. Filliuc. & Gibal. *loc. cit.* Legatur etiam Pellizz. *loc. cit. q.* 34. *n.* 88.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam Clericus in ſacris conſtitutus matrimonium, etiam vnicum, & cum Virgine contrahens, contrahat irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ.

NEgant aliqui Doctores. *Primò*, quia *in cap. Nuper, de Bigamis*, expreſsè deciditur, Sacerdotes contrahentes matrimonium, non eſſe verè Bigamos. *Secundò*, quia *in cap. Quotquot, ſup. cit.* vbi inducitur huius Bigamiæ ſimilitudinariæ irregularitas, ſolùm eſt ſermo de Religioſis: ergo non debet extendi ad Clericos in ſacris conſtitutos ob regulam generalem, quod in irregularitatibus non valet argumentum à ſimili ſine expreſſo iure. Ita ſentiunt Abbas *in dict. cap. Nuper, n.* 5. Anton. *num.* 7. Palac. *in* 4. *diſt.* 27. *diſp.* 4. *col.* 7. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 6. *num.* 10. *in Comment. lite. I. & lib.* 14. *c.* 4. *in principio.* Gaſp. Hurtadus *diſp.* 2. *de Irregularitate, diff.* 13. *num.* 48. & probabile reputat Suarez *vbi infrà.*

Affirmant verò alij Doctores (etſi non abſolutè) docentes, prædictos Clericos contrahere quidem irregularitatem inductam in pœnam incontinentiæ, & ad maiorem Ordinis ſacri reuerentiam: non tamen contrahere irregularitatem ortam ex Bigamia ſimilitudinaria. Ita tenent Syluest. *verb. Bigamia*, *in princip.* Armilla *eod. verb. n.* 7. Layman *lib.* 1. *Sum. tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 6. *n.* 6. *dicto* 2. Palaus *diſp.* 6. *de Cenſur. punct.* 8. *n.* 12. Gibalin. *de Irregularit. c.* 3. *q* 4. *n.* 21. *&* 22. Pellizz. *loc. cit.* ex Ægidio *n.* 102.

Primam partem probant dicti Doctores ex *cap.* 1. *Qui Clerici, vel vouentes.* Vbi de Diacono, qui vxorem accepit, dicitur, poſſe Epiſcopum cum ipſo diſpenſare, vt ad Sacerdotium aſcendat peracta pœnitentia. Et *cap.* 2. *eod. tit.* loquendo de quodam Subdiacono, qui matrimonium iniit, deciditur vt ſi ad Religionem tranſeat, concedat ei Epiſcopus aſcenſum ad Ordines ſuperiores. Qui textus nec loquuntur de contrahente vidua, nec de contrahente duplex matrimonium; ſed de vno etiam cum virgine poſt Ordinem ſacrum contracto: ergo illud ſufficit ad inducendam irregularitatem.

Secundam vero partem probant. Quia in titulis decretalium, in quibus de matrimonio à Clericis illegitimè contracto agitur, nulla Bigamiæ mentio fit: ergo.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Clericum in ſacris conſtitutum contrahentem matrimonium, etiam vnicum, & cum Virgine, contrahere irregularitatem, & hanc eſſe Bigamiæ ſimilitudinariæ ſpeciem.

Prima pars huius noſtræ reſponſionis eſt ferè communis apud Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. diſp.* 85. *n.* 5. & probatur benè ab Auctoribus ſecundæ ſententiæ.

Secunda verò rectè probatur ab eodem Sanchez ſic. Quia in hoc caſu poſt matrimonium ſimilitudinarium initum cum Chriſto per votum ſolemne caſtitatis Ordini ſacro annexum, de facto ad alias nuptias tranſiuit, eas conſummans copula: atque proinde verificatur in ipſo ratio tradita *in cap. Nuper, & cap. fin. de Bigam.* nimirum, dari quandam ſimilitudinem Bigamiæ in hoc euentu propter affectum ad duplex matrimonium cum opere ſubſequuto. Sic Sanchez. Qui tamen benè aduertit, nihil ad rem moralem conferre, ſiue vnum, ſiue alterum dicamus, modò fateamur dictum Clericum contrahere irregularitatem. Sic igitur docet Sanchez *loc. cit.* & penes ipſum Nauarr, Couarr. Maiolus, Valentia, Rodriguez, Sa, Viuald. Lopez, Graffis, & alij quamplures. Quibus addi poſſunt Suar. *diſput.* 49. *ſect.* 4. *n.* 6. Auila *p.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 1. *verſ. Bigamia*, Bonac. *diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. *in fine*, Filliuc. *loc. cit. n.* 120. Cornejo *loc. cit.* & alij.

Ad primum argumentum primæ ſententiæ deductum ex *cap. Nuper*, dicendum eſt, quod ibi Pontifex ſolùm dicit Presbyteros contrahentes matrimonium non eſſe verè, & propriè bigamos; non tamen negat, quin ſint ſimilitudinatie, ſed potiùs infert, vt benè probat Suarez.

Ad ſecundum negandum eſt, quod *in d. cap. Quotquot*, ſolùm ſit ſermo de Religioſis, licèt hos tantùm gratia exempli Pontifex nominet; eſt ibi namque ſermo generaliter de profitente ſolemne votum caſtitatis, vt rectè notat Suarez *loc. cit.*

QVÆSTIO XXV.

An etiam contrahat dictam irregularitatem ille, qui poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis contrahit, & conſummat matrimonium.

AFfirmant etiam Borgaſius *de Irregularitate, p.* 5. *tract. de Bigamis*, *num.* 29. Maiolus *lib.* 1. *de Irregularit. cap.* 13. *num.* 7. & Ludouic. Lopez

2. part. inſtruct. vbi de Irregularitate, cap. 22. in 1. ſpecie Irregularis.

Sed multo verius Reſpondeo: Non contrahere irregularitatem dictam. Quia non reperitur in iure, ſicut reperitur in eos, qui poſt emiſſum votum ſolemne caſtitatis matrimonium contrahunt, vt ſuprà eſt habitum. Sic Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 85. n. 11.* Luyſius *de Cenſur. lib. 9. diſp. 70. dub. 3.*

QVÆSTIO XXVI.

An ſaltem contrahat bigamiæ ſimilitudinariæ irregularitatem, qui contrahit matrimonium cum Moniali profeſſa, quamuis ipſe ſolutus ſit.

AFfirmat adhuc Maiol. *loc. cit. n. 8.* Cui adhærent Felician. *de irregularit. c. 6.* & Viualdus *Candel. Sacram. 2. p.* vbi *de Irregularit. bigam. n. 14.* vbi ita ait: Nec ille effugiet dictam bigamiæ irregularitatem, qui duxerit vxorem eam, quæ votum caſtitatis emiſerat, etiamſi ipſe non vouiſſet. Nam quodammodò ipſa vxor eſt Bigama, & ipſe Bigamam duxiſſe videtur, vt ex *d. cap. Quotquot*, notat Maiol. *ſuprà n. 3.* & Epiſcop. Scal. *ſuprà.* Ita ille.

Sed longè verius Reſpondeo: Nec hunc contrahere Bigamiæ irregularitatem. Quia nullibi iſta irregularitas in iure reperitur. Sic Henriquez *lib. 12. de Matrim. c. 6. num. 10.* Sanchez *loc. cit. num. 12.* Gibalinus *de Irregularit. cap. 3. quæſt. 4. conſectar. 10. n. 34.* Saytus *lib. 6. cap. 4. ſub fine*, Corocjo *diſp. 10. de Irregularit. dub. 2. verſ. Sed quid de laico*, qui tamen attentè eſt legendus, & benignè emendandus. Ait enim, quod iura (à contrariis, & à nobis relata) non loquuntur de contrahente poſt proprium votum, ſed de contrahente cum fœmina habente tale votum; cùm potiùs loquantur de contrahente poſt proprium votum ſolemne, non verò de fœmina habente tale votum. Ex quo conſtat ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

QVÆSTIO XXVII.

An contraheret huiuſmodi Bigamiæ irregularitatem, qui poſt vota ſimplicia emiſſa poſt biennium in Societate Ieſu contraheret matrimonium.

NEgabunt, & à fortiori, Auctores *ſupr. quæſt. 25.* pro prima ſententia adducti.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Contrahere. Quia probabilius longè eſt, quod Religioſus, qui poſt votum caſtitatis emiſſum contrahit etiam cum Virgine, eſt Bigamus, & irregularis, vt *ſuprà q. 25.* eſt habitum: at ſic eſt, quod ille qui poſt biennium emittit vota ſimplicia in Societate IESV, verè eſt Religioſus, & inhabilis ad matrimonium contrahendum ex Conſtitutione Gregor. XII. ergo. Sic Filliuc. *hic tract. 29. c. 4. q. 9. n. 119.* Luyſius *de Cenſur. lib. 9. diſp. 70. dub. 3. in fine*, Ioan. Præpoſit. *q. 5. de Irregul. n. 136.* Pellizzar. *c. 1. cit. ſect. 2. q. 34. n. 88. in fine.*

QVÆSTIO XXVIII.

An Summus Pontifex poßit in Bigamia vera, & irregularitate ab illa orta diſpenſare.

NEgarunt aliqui. *Primò.* Quia hæc irregularitas fundatur in defectu Sacramenti, aut eius ſignificationis: at hunc non poteſt tollere Pontifex ab eo qui ſecundas nuptias contraxit: ergo nec irregularitatem ab illo ortam.

Secundò. Quia ita videtur deciſum *in c. 2. de Bigamis*, vbi dicitur: *Cum Bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, vt debeant ad ſacros Ordines promoueri, vel in eis ſi promoti fuerint, permanere.* Sic Lucius III. Quod idem definit Innocent. III. *cap. Nuper, eod. tit.* Propter hæc ita tenuit Gloſſa *in c. 2. de Bigamis, verb. diſpenſare*, ſequuta Rotomag.

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo: Poſſe diſpenſare in hac, & in alia quacumque Bigamia. Ratio eſt, quia Papa poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt de iure humano: at ſic eſt, quod Bigamia eſt inducta iure humano, vt *ſuprà quæſt. 4.* eſt habitum: ergo. *Confirmatur*, quia de facto multi Pontifices cum Bigamis diſpenſarunt: ergo abſque dubio tenendum eſt, id poſſe. Sic tenet communis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 3. art. 3. in corpore*, Couarr. Clement. *Si furioſus, de homicid.* Nauarr. *c. 27. n. 197.* Sanchez referens alios plures *lib. 7. de Matrim. diſp. 86. n. 6.* Suarez *diſput. 49. ſect. 6.* Auila *part. 7. diſp. 8. dub. 4.* Bonacin. *diſp. 7. q. 2. punct. 5. n. 14.* Saytus *lib. 6. c. 6. num. 1.* Palaus *diſp. 6. punct. 8. n. 14.* Luyſius *lib. 9. diſp. 70. dub. 4.* Cornejo *diſp. 10. dub. 1. quæſ 4.* Hurtadus *diſp. 2. de Irregularit. diff. 10.* Baunius *tract. 11. quæſt. 13.* & alij.

Ad primum argumentum: Conceſſa maiori, & minori, neganda eſt conſequentia. Quia licèt defectus Sacramenti ſemper maneat, non tamen neceſſariò manet in ratione impedimenti ab Ordine, quia quod talis defectus ſit ad hos impedimentum, nec habet iure naturæ, nec diuino, ſed Eccleſiaſtico, in quo interueniente cauſa, poteſt Pontifex diſpenſare.

Ad ſecundum dicendum: Ex illo textu ſolùm conuinci difficultatem diſpenſationis, non impoſſibilitatem. Nam Pontifex non dixit: *Non poteſt*, ſed *non licet.* Nec tamen hoc dicit, quia nunquam liceat; ſed quia non pro ſolo arbitrio diſpenſantis, nec pro leui cauſa, ſed pro graui; atque adeo raro id licet. Sic Suarez, Sanchez, & alij reſpondent.

QVÆSTIO XXIX.

An Pontifex poſſit in dicta Bigamiæ irregularitate Ordinaria poteſtate diſpenſare.

NEgarunt Henricus *in cap. 1. de Bigamis col. 5.* & Ioan. Stapbileus *de litt. gratia, & iuſt. col. vlt.* aſſerentes, non poſſe Pontificem cum Bigamis diſpenſare ex poteſtate Ordinaria, benè tamen ex poteſtate abſoluta: hoc eſt validè, quamuis non licitè.

Sed vt certum Reſpondeo: Poſſe etiam ex poteſtate Ordinaria; hoc eſt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, exiſtente cauſa iuſta. Quia per legem ipſam naturalem, diuinam, & humanam, licet Principi legiſlatori Summo per diſpenſationem humanis conſtitutionibus derogare: at ſic eſt, quod irregularitas Bigamiæ eſt inducta humano iure, aut Pontificio: ergo. Sic Couarr. *in Clement. Si furioſus, de homicid. 1. p. §. 2. n. 4.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſp. 86. n. 7.* Auila *part. 7. diſp. 8. dub. 4. concl. 1.* Luyſius *de Cenſur. lib. 9. diſp. 70. dub. 4. in fine.*

QVÆSTIO XXX.

An etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamis propriis ad ſacros Ordines ſuſcipiendos.

AFfirmant quidam, quorum ſententiam refert Gloſſa *in cap. 2. de Bigamis, verb. Diſpenſare.* Quia Epiſcopi diſpenſant cum criminoſis, *cap. At ſi Clerici, de Iudiciis*, qui inſtar Bigamorum ſunt, & pariter Apoſtol. 1. *Timoth.* 3. interdicit eis promotionem ad Ordines: ergo.

Sed vt certum Reſpondeo: Non poſſe Epiſcopum quoad ſacros Ordines cum Bigamis propriis diſpenſare. Quia non extat Canon, qui id concedat Epiſcopis: ergo cùm aliàs iure prohibeantur Bigami Ordinari, *c. 1. de Bigamis in 6. cap. Nuper, & cap. vltim. extra eodem tit.* & Innocent. III. *epiſt. 22.* diſpenſare cum illis nequibunt Epiſcopi. Sic communis ſententia. Legantur Sanchez *loc. cit. num.* 11. Suar. *diſp. 49. ſect. 6.* Auila *concl.* 2. Luyſius *dub.* 5. Palaus *diſp. 6 punct. 8. n.* 15. Bonac. *diſp. 7. q. 2. punct. 5. n.* 15. Baunius *tract. 11. de Irregularit. q. 13. aſſert.* 1. Cornejo *diſput. 10. de Irregularit. dub. 1. quaeſ. 5.* & alij, quos ſequitur Diana *p. 4. tract. 2. reſol.* 51.

Ad argumentum autem oppoſitæ ſententiæ optimè reſpondet cum Gloſſa Sanchez *n.* 16. dicendo, aliud conſideraſſe Apoſtolum, quando criminoſum ad Ordines promoueri interdixit, & aliud quando Bigamum. Quippe illum excluſit ob perſonæ indignitatem, quæ pœnitentia aboletur; & ſic non mirum, quod poſſit Epiſcopus diſpenſare. At hunc ob defectum ſignificationis, qui per pœnitentiam minimè reſtauratur. Vnde neganda eſt argumenti conſequentia.

QVÆSTIO XXXI.

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis ad minores Ordines.

AFfirmant quamplures Doctores, qui id colligunt *ex cap. Super eo, el 2. de Bigamis,* & aliis eiuſdem Rubr. in quibus arcentur Bigami ab Ordinibus ſacris: ergo ita tenent D. Thom. *in 4. diſt. 27. q. 3. art.* 3. vbi Palud. *q. 4. art. 5. concl.* 4. Durand. *q.* 4. Gloſſa *cap. Super eo, cit. verb. Diſpenſare.* Henriquez *lib. 12. c. 6. n. 11. & lib. 14. c. 20. n.* 2. Sanchez *lib. 7. diſp. 86. n.* 11. & penes illum vterque Sotus, Palac. Angles, Petr. Ledeſma, Graffis, Syluest. Armilla, Tabiena, & alij. Quibus Palaus addit Nauarrum *c. 27. n.* 197. Azor. *2. p. lib. 5. c. 20. q. 2. & lib. 6. c. 4. q. 8. &* 11. Sayr. *lib. 6. c. 7. n.* 11. Auilam *part. 7. diſp. 7.* (lege 8.) *dub.* 4. Comitolum *lib. 1. q. 106. n 5. & 6.* & Mirandam *in Manual. tom. 2. q. 8. art. 2. concl.* 2. (Sed ex his Doctoribus oppoſitum tenet expreſsè Nauarrus *loc cit.*) Addo ego Petr. Cornejo *diſp.* 10. *dub. 1 quaeſ. 5. dicto* 2. Machadum *lib. 1. Summ. p. 3. tract. 17. docum. 4. n.* 3.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Adhuc non poſſe. *Primò.* Quia *in cap. Vnico, de Bigamis in 6.* & in Tridentino *ſeſſ. 23. c. 17.* Bigami huiuſmodi omni priuilegio Clericali priuantur. *Secundò.* Nam *in cap. Nuper, & cap. Vltim. de Bigam.* & *cap. Non conſiderat quiſquam Pontificum, diſt.* 50. hæc poteſtas diſpenſandi omninò Epiſcopis denegatur: & aliàs nullibi legimus eam dictis fuiſſe conceſſam: ergo. Sic Nauar. *loc. cit.* Suarez *diſp. 49. ſect. 6. n.* 4. & penes ipſum Abbas, Ioan. Andr. Anchar. Francus, & Dominicus, Valentia *diſp. 7. q. 19. punct.* 3. Nicol. Garcia *p. 7. de Benefic. c. 6. n. 5.* Bonac. *diſp. 7. q. 2. punct. 5. n.* 15. qui referunt ita à Sacra Cardinalium Congregatione fuiſſe deciſum. Praxis noua Epiſcopal. *1. p. c. 1. n.* 60. Franc. Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici, 2. p. c. 8. n.* 36. Layman. *lib. 1. Summ. tract. 5. part. 5. c. 6. n.* 7. Palaus *diſp. 6. punct. 8. n.* 18. Luyſius *lib. 9. diſp. 70. dub.* 5. Filliuc. *tract. 19. c. 4. queſ. 12. n* 127. Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 7. q. 3 num.* 3. Villalob. *tom. 1. tract. 21. diff. 31. n.* 13. Sà *verbo Irregularitas Bigamia, in fine.* Rodriguez *in Summ. in 2. edit. c. 158. concl.* 6. Vega *tom. 1. Summ. c. 38. caſu* 1. Viuald. *2. part. Summ. vbi de irregularit. Bigam. n.* 34. & Diana *p. 4. tract. 2. reſol.* 62.

QVÆSTIO XXXII.

An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis, vt in ſuſceptis minoribus Ordinibus miniſtrent.

AFfirmant à fortiori Doctores primæ ſententiæ, nuper quæſt. præcedenti citati. Necnon Nauarr. Valentia, Sà, Rodriguez, Vega & Viuald. locis pro noſtra ſententia ſuprà legatis. Qui id probant ex *cap. Lector, diſt.* 34. vbi ita habetur: *Lector ſi viduam alterius vxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut ſi fortè neceſſitas ſit, Subdiaconus fiat: nihil autem ſupra. Similiter autem ſi Bigamus fiat.* Sic Martinus Pontifex, qui clarè videtur concedere Epiſcopo facultatem diſpenſandi in vſu minoris Ordinis antea recepti.

Sed probabilius Reſpondeo: Adhuc non poſſe. Quia id clarè colligitur ex *cap. Sanè 1. de Cleric. coniug.* ex Trident. *ſeſſ. 23. c. 17. de reform.* & ex tota *diſt.* 34. Vbi planè prohibetur Bigamo omnis actus Ordinis abſque diſpenſatione: at ſic eſt, quod nullibi legimus hanc eſſe conceſſam Epiſcopis: nam ſi alicubi, maximè *in cap. Lector, citato.* Sed non in hoc, vt benè probat P. Suarez *vbi infrà*: ergo. Sic ille, *diſp. 49. ſect. 6. n. 4. & 5.* vbi addit, oppoſitam ſententiam propter tantorum virorum auctoritatem eſſe probabilem, & in praxi ſeruari poſſe, vbi fuerit vſu recepta. ſic & alij multi ex citatis pro noſtra ſententia *ſub quæſt.* 31.

QVÆSTIO XXXIII.

An denique poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſaltem quoad minores Ordines cum Bigamis interpretatiuis.

AFfirmant, & maiori ratione omnes Auctores noſtræ ſententiæ contrarij. Et poteſt probari: *Tum* quia iura, in quibus eſt prohibitum, Bigamos non poſſe ad Ordines minores adhuc promoueri, nec in hoc poſſe Epiſcopum diſpenſare, ſunt (cùm ſint odioſa) reſtringenda ad Bigamos veros, & proprios. *Tum etiam,* quia loquendo de Bigamis interpretatiuis, clarè videtur id colligi ex textu *in cap. Lector, citat.* vbi de his præcipuè eſt ſermo, vt vidimus: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Adhuc cum huiuſmodi Bigamis non poſſe Epiſcopum diſpenſare. Quia omnia iura adducta à nobis ſuprà in ſuo gradu, & proportione, æquè de Bigamis interpretatiuis probant: & ita ſeruato illorum vero ſenſu, nequeunt ad Bigamos proprios, & veros reſtringi.

Nec textus *in cap. Lector,* oppoſitum probat. Quia

ille

ille non potuit dare aliquam poteſtatem Epiſcopis, quia non eſt Martini Papæ, vt à Gratiano inſcribitur, ſed Martini Bracharenſis, qui diuerſos Canones collegit, & hic ſumptus videtur ex Concilio Toletano 1. *Can.* 5. vbi longè aliter legitur. Quod Concilium eſt Prouinciale, nec inuenitur ab aliquo Pontifice confirmatum. Legatur Suar. *dict. diſp.* 49. *sect.* 6. *n.* 5. & 6. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 8. *n.* 15. & alij *ſuprà citati.*

QVÆSTIO XXXIV.

An Epiſcopus poßit diſpenſare cum Bigamo proprio, & interpretatiuo ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, caſu quo Bigamus ad Religionem tranſeat.

AFfirmant abſolutè Henriq. *lib.* 12. *c.* 6. *n.* 11. & *lib.* 14. *c.* 20. *n.* 2. Viuald. 2 *p. Candelab. vbi de Irregularitate Bigamiæ, n.* 34. (non 24. vt leges apud Sanch.) & anteà Albert. Magn. 4. *diſt* 27. *num.* 15. Turrecrem. *in d. c. Lector.* & alij, quorum ſententiam referunt, nec improbant D. Thom. Durand. Alberic. Syluest. Tabiena, & Armilla apud Sanchez mox citandum. Qui docent poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Bigamo religioſo facto, ſi hic ex licentia ſui Prælati ſubjiciatur Epiſcopo. Probant id Turrecrem. & Henriq. ex c. 2. *Qui Clerici, vel vouentes.* Vbi Alexander III. committit facultatem cuidam Epiſcopo, vt diſpenſet ad maiores Ordines cum quodam Bigamo, caſu quo ad Monaſticam vitam tranſire velit; aliàs non: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec in prædicto caſu poſſe cum Bigamo proprio, aut interpretatiuo Epiſcopum ad ſacros Ordines ſuſcipiendos diſpenſare. Quia nullus eſt in iure textus, quo id poſſit probari. Nam textus pro parte contraria adductus ex Alexandro III. nihil illi fauet; quia expreſsè loquitur de Bigamia ſimilitudinaria, quæ extendi non debet ad veram, vel interpretatiuam. Sic Paludan. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 4. *art.* 5. *concl.* 4. *verſ. Tertiò.* Gabriel *q.* 3. *in fine*, Sotus *q.* 2. *art.* 3. Lopez, & Barthol. de Ledeſma, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 86. *n.* 13. Suarez *diſp.* 49. *sect.* 6. *n.* 8. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 8. *n.* 15. Luyſius *de Cenſur. lib.* 9. *diſp.* 70. *dub.* 5. *verſ. Alij limitant.*

QVÆSTIO XXXV.

An caſu, quo vrgeat neceßitas ob penuriam Miniſtrorum (vt apud Indos) poßit Epiſcopus diſpenſare, vt Bigamus proprius, aut interpretatiuus ad Subdiaconatum promoueatur.

AFfirmant aliqui, eo quòd talis facultas à iure concedatur Epiſcopo, *cap. Lector. diſtinct.* 34. Cuius verba habes *ſub quæſt.* 32. Ita ſentiunt Palud. & Gabriel. *loc. nuper cit.* & Turrecrem. *cap. Lector, n.* 11. alio tamen ductus fundamento, nimirum ob tacitam conceſſionem Pontificis, ratione vrgentis neceſſitatis. Et dicit fauere huic ſententiæ D. Thomam, & Armillam.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo dicendum, quod licèt Epiſcopi non poſſint iure Ordinario in prædicto euentu diſpenſare cum bigamis propriis, aut interpretatiuis ob penuriam Miniſtrorum, vt ad Subdiaconatum promoueantur: poſſint tamen, vrgente neceſſitate, ſi non ſit facilis ad Pontificem aditus, diſpenſare cum illis, etiam vt ad Sacerdotium promoueantur.

Prima pars huius reſponſionis eſt contra priores primæ ſententiæ Auctores. Et eam optimè proba Sanchez. Eo quòd nullo modo id queant facere Epiſcopi per *dict. cap. Lector*, quia quamuis deciſio huius textus non inueniatur expreſsè correcta: at tacitè correcta creditur, cùm omninò cauſa illius conceſſionis ceſſarit, effecto iam Subdiaconatu Ordine ſacro inſtar aliorum: & ſic eadem eſt ratio de illo, ac de aliis Ordinibus ſacris; ad quos conſtat ex verbis expreſſis Pontificis *eod. cap. Lector.* denegatam eſſe facultatem diſpenſandi Epiſcopo.

Secunda verò pars etiam optimè probatur ab ipſomet Sanchez. Quia in prædicto euentu congruum eſt Epiſcopis ex tacita conceſſione Pontificis in lege Concilij generalis, vel Pontificia diſpenſare, vt ſæpè diximus. Sic tenet Henriq. citatus cum aliis. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 86. *n.* 14. Luyſius *lib.* 9. *de Cenſur. diſput.* 70. *dub.* 5. *verſ. Demùm alij.* Quintanaduen. *tom* 2. *ſingul. tract.* 16 *ſingul.* 3. *n.* 4. & alij.

QVÆSTIO XXXVI.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria Clerici in ſacris conſtituti ineuntis matrimonium cum vnica, ac virgine.

NEgat Maiolus *lib.* 1. *de Irregularit. cap.* 33. *n.* 7. eo quòd *in cap. Nuper, de Bigamis*, abſolutè prohibetur cum dictis Clericis ineuntibus matrimonium diſpenſare. Negant & alij, ſed non ita abſolutè: aiunt enim non poſſe Epiſcopum cum tali Clerico diſpenſare ſi maneat in ſeculo; ſecus ſi in Religionem ingrediatur. Ita Ioan. Andr. & Cardin apud Sanchez.

Sed vt quid certum Reſpondeo: Poſſe, quia ſic habetur *in cap. Sanè Sacerdotes de Cleric. coniug.* his verbis: *Sanè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt poſt longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio ſuo reſtitui poterunt, & ex indulgentia ſui Epiſcopi eius habere executionem.* Sic textus, cuius deciſionis ratio eſt, quia cùm hic Clericus ducens Virginem, nec verus, nec interpretatiuus, nec fictus Bigamus ſit, ſed ſolùm ſimilitudinarius, iure optimo mitius agitur cum eo à iure.

Nec Maiolo fauet textus *in cap. Nuper*, quem pro ſe adducit, quia ibi agit Pontifex de illo, qui primò exiſtens laicus, & poſtea factus Sacerdos, matrimonia contraxit: nam hic eſt Bigamus verus, & ſimilitudinarius; & ideò non eſt eadem ratio. Sic communiter DD. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 86. *n.* 30. Nauar. *cap.* 27. *n.* 197. *in fine*, Sà *verb. Irregularitas, vbi de Bigam. n.* 4. Valentia *p.* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. Petr. Ledeſma *de Matrim. quæſt.* 66. *art.* 5. Angelus, Syluest. Armilla, Tabiena, Roſella, Couarr. & alij penes ipſum. Quibus addi poſſunt Auila *p.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 4. *concl.* 4. Suarez *diſp.* 49. *sect.* 6. *n.* 18. Bonacina *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 15. Garcia 7. *part. de Benefic. c.* 7. *num.* 15. Palaus *de Cenſur. diſput.* 7. *punct.* 8. *num.* 19. Luyſius *lib.* 9 *diſput.* 70. *dub.* 5. Bannyus *de Cenſur. tract.* 11. *quæſt.* 13. *quæſ.* 4. *dicto* 1. Cornejo *diſput.* 10. *dub.* 2. *quæſ. vltim. dicto* 2. Filliucius *tract.* 19. *cap.* 4. *quæſt.* 10. *num.* 158. Machado *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 17. *docum.* 4. *num.* 4. & Diana *part.* 4. *tract.* 2. *Reſol.* 62. *in fine*, & anteà Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 11. addens id eſſe verum etiamſi delictum ſit publicum.

QVÆSTIO

Qvæstio XXXVII.

An etiam diſpenſare poſſit Epiſcopus cum dicto Clerico in ſacris conſtituto, contrahente matrimonium cum vidua, vel corrupta.

AFfirmat Henriq. *loc. cit.* vbi id ſupponit, dum dicit: difficilius diſpenſare Epiſcopum cum Clerico in ſacris conſtituto, qui cum vidua, aut corrupta matrimonium contraxit. Affirmat etiam, licèt non ita firmiter, Palacios *in 4. diſt. 27. diſp. 4. col. 15.*

Sed probabilius Reſpondeo: Non poſſe, quia ita expreſſe habetur *in cap finali, de Bigamis*: vbi Innocent. III. definit, non licere diſpenſare cum Clericis in ſacris conſtitutis, qui cum vidua contraxerunt. Et idem eſt dicendum ex *cap. Nuper, eod. tit.* de Clericis prædictis, qui ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter coniunxere. Sic communiter Doctores, præcipuè citati nuper pro noſtra ſententia. Quia irregularitas, quam contrahit huiuſmodi Clericus, non tantùm eſt ſimilitudinaria, ſed etiam interpretatiua, iuxta Suar. *diſp. 49. ſect 6. in fine.* Licet Sanchez *loc. cit. n. 23.* oppoſitum teneat caſu, quo matrimonium Clerici fuerit vnicum irritum cum vidua, quia hoc non inducit (ait) Bigamiam interpretatiuam.

Qvæstio XXXVIII.

An Abbates ſæculares poſſint diſpenſare, ſicuti diſpenſant Epiſcopi in bigamia ſupra dicta.

NEgat Henriquez *lib. 12. c. 6. n. 11. litt. F.* ibi: Abbas ſæcularis non diſpenſat (niſi ex conſuetudine ſibi concedatur) quia hæc irregularitas contrahitur in pœnam delicti. Ita ille. Et apud ipſum Sotus, D. Martinez, & quidam Recentiores.

Sed clariùs, & diſtinctiùs Reſpondeo dicendum: Non poſſe diſpenſare ex iure Abbates illos ſæculares, qui non habent iuriſdictionem Epiſcopalem: benè tamen illos, qui illam habent, & diſpenſant in votis, & exponunt Confeſſores, ſicut Epiſcopi: quia de his etiam iura intelliguntur. Sic Auila *lib. 7. diſput. 8. dub. 4. concl. 5.* & indicat clarè Suarez *diſp. 49. n. 18.* quatenus ob eandem rationem docet, poſſe Prælatos Religionum, qui quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem exercent, vt Generales, Prouinciales, &c. in eodem impedimento cum ſuis ſubditis diſpenſare, ſicut diſpenſat Epiſcopus cum ſuis ſubditis. Legantur Palaus *diſp. 6. punct. 8. n. 21.* & Miranda *in Man. Prælator. tom. 2. q. 8. art. 2.* Diana *p. 4. tract. 2. reſol. 63.*

Qvæstio XXXIX.

An ex priuilegio poſſint Prælati regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis bigamis, etiam veris, & interpretatiuis, ad Ordines etiam maiores.

NEgant Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p. 2. alleg. 49.* Bartholom. de Vecchis *in praxi ſeuit. diſput. 9. dub. 15. n. 2.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 17. q. 3. n. 2.* & Sebaſtian. à Bonon. *tract. de elect. p. 2. c. 4. dub. 71. n. 1.* quos citat, & ſequitur Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 63.* Quibus adde Laymanum *lib. 1. tract. 5. c. 9. n. 7.* & Hieronymum Rodrig. *in Compend. qq. Regul. Reſolut. 16. n. 14.* dicentem hanc ſententiam eſſe tutiorem, & conformiorem menti Pontificum, qui ſemper in priuilegiis Bigamiam excipiunt iuxta ſtylum Curiæ. Negant etiam Hinojoſa *in ſuo directorio, verb. diſpenſatio, fol. 185.* Quintanaduen. *tom. 2. ſing. tract. 16. ſingul. 3. num. 1. & 2.* Vbi docet minimè poſſe ad maiores Ordines cum ſuis Religioſis Bigamis diſpenſare. Licèt poſtea *n. 5. & 6.* ingenuè fateatur, poſſe diſpenſare ex conceſſione Martini V. & Pauli III.

Vnde probabilius Reſpondeo, poſſe. Quia ad id habent priuilegium ex Paulo III. vt refert Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. diſpenſare, num. 5.* & anteà Henriq. *lib. 12. cap. 6. n. 11. in gloſſa litt. Z.* ex Sixto IV. vt ait idem Henriquez *loc. cit.* & Auila *p. 7. diſp. 8. dub. 4. concl. 8.* & ex aliis Pontif. Et ideò ſic ſentiunt ipſi, necnon nouiſſimè Cornejo ex Auila *in 3. p. tract. 5. de Irregularit. diſp. 10. dub. 1. in fine,* Machado *tom. 1. Summ. lib. 1. part. 3. tract. 17. docum. 4. n. 6. & tom. 2. lib. 5. p. 5. tract 2. docum. 6.* Vbi ita ait: : *Los Doctores que tratan eſta materia afirman, que por eſpeciales y generales priuilegios que tienen, pueden diſpenſar en muchas irregularidades. De que haziendo computo, dudo qual ſea la que en virtud dellos no puedan diſpenſar. Porque primeramente por vn inſigne priuilegio que concedio Paulo III. à los Monges de S. Benito de Valladolid, de que hazen mencion Rodriguez* in Bullar. fol. 817. *y otros graues Authores, concede facultad à los Prelados de aquella Religion, para que el primer dia de la Luna de la Quareſma, puedan diſpenſar con ſus Religioſos en qualquiera irregularidad, en que huuieren incurrido, por qualquiera cauſa que ſea, ſin exceptuar alguna. Y aſſi otros muchos* (como ſon Hieron. Rodrig. in Compend. qq. Reſol. 16. num. 14. & Reſolut. 52. num. 25. Portel. loco cit. quos etiam citat Diana 3. p. tract. 2. reſol. 45. licèt non ſequatur) *afirman que por eſte priuilegio, pueden los Prelados de las Religiones diſpenſar con ſus Religioſos en qualquiera irregularidad que ayan incurrido, como quiera que ſea por defecto de manſedumbre, indecencia, ò por delito, aunque ſea de homicidio voluntario, y publico, porque juzgan que a todas eſtas eſpecies de irregularidad, ſe eſtienden las palabras del dicho priuilegio. Demas deſte ample priuilegio, que el ſolo pudiera ſeruir de derecho para deducir los caſos particulares deſta materia, muchos Doctores* (como ſon Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 9. *y otros aquien cita, y ſigue* Diana part. 4. tract. 2. reſol. 69. & 70.) *afirman, que por otros priuilegios fuera deſte pueden los Prelados de las Religiones diſpenſar con ſus Religioſos en qualquiera irregularidad, aunque prouenga de homicidio voluntario, como ſea oculto, ſi bien algunos* (vti Molina de Iuſtit. tom. 4. tract. 3. diſput. 7. num 11. Layman. lib. 2. tract. 5. part. 5. c. 9. num. 7. & Peyrinus in priuileg. Minim. tom. 1. Conſtit. 2. Iulij II. §. 29. num. 103.) *lo niegan. Y aunque no pocos exceptuan la Bigamia, otros particularmente lo afirman deſta, con que ſegun los priuilegios y Doctores referidos, que los Prelados tienen pleniſſima facultad para diſpenſar con ſus Religioſos qualquiera eſpecie de irregularidad, ſin exceptuar alguna.* Hucvſque Machado. Sic etiam Palaus *diſput. 6. punct. 8. num. 21.* vbi addit, nullam facultatem conceſſam eſſe Religioſis circa ſæculares, vt poſſint in hac irregularitate Bigamiæ diſpenſare. Nobiſcum ſentit Pellizzarius *tom. 2. tract. 9. cap. 3. ſect. 4. quæſt. 13. n. 122. & quæſt. 19. num. 135.* qui & citat alios, ſed confuſè certè.

Qvæstio

QVÆSTIO XL.

An Commiſſarius bullæ Cruciatæ habeat facultatem diſpenſandi in bigamia.

NEgat Auila *p.7. diſp.8. dub 4. concl. 6.* per hæc verba: Commiſſarius Bullæ Cruciatæ non poteſt diſpenſare in Bigamia. Ita Henriq. *lib.7. de Irregul. c.13.n.5.* Et probatur: nam ibi excipiuntur aliæ irregularitates minores: ergo à fortiori cenſetur excepta Bigamia, quæ eſt difficilis diſpenſationis, eo quòd fuit inducta à tempore Apoſtolorum. Ita Auila. Cui adde Ægid. Trullench. quem citat, & ſequitur Bald. mox citandus *n.13.*& Palaum *punct.8.cit.n.22.*

Affirmant econtrà alij apud Bardum *in Bull. Cruciata,p.7. tract.2. cap.1. ſect.1. num.8.* Quia Bulla id videtur concedere Commiſſario, eo quòd ſolùm excipiat quinque ſpecies irregularitatum, ſuper quibus non poteſt diſpenſare Commiſſarius, inter quas non inuenitur Bigamiæ ſpecies: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Habere facultatem diſpenſandi in bigamia ſimilitudinaria, quam incurrit, qui habens Ordines ſacros, aut dum eſt in Religione profeſſus, matrimonium contrahit. Necnon in Bigamia interpretatiua, quæ naſcitur ex delicto, iuxta ſententiam illorum (quos nos *ſupra quæſt. 10. & 11.* reprobauimus) aſſerentium, hanc Bigamiam oriri ex eo quod quis contrahat cum duabus, vel cum vtraque inualidè, vel etiam cum altera, non verò in Bigamia interpretatiua, quæ non oritur ex delicto. Sic ex Rodriguez *in addit. ad §.13. Bullæ,n.6.* Villalob. *in Summ. tract.27.clauſ.13.num.8.* & Diana *1 p. tract. 11. Reſol. 115.* docet Machado *tom.1. Summ. lib.4. p.5. tract.1. docum. 2. in fine*, his verbis: *No puede Comiſſario diſpenſar en la Bigamia interpretatiua, que no nace de delicto, qual es del que ſe caſo con corrupta: mas ſi de la que nace de delicto, qual es del que ſe caſo validamente* (adde) *con vna, è inualidamente con otra, y en la ſimilitudinaria, que incurre el que ſe caſo eſtando Ordenado de orden ſacro, ò ſiendo profeſſo en Religion approbada.* Sic ille, quem lege attentè, eo quòd non tranſcripſi verè verba Henrici de Villalobus.

QVÆSTIO XLI.

An ad impetrandam in bigamia diſpenſationem ſit opus explicare, an matrimonium ter, vel quater, aut pluries contractum fuerit.

AFfirmare videtur Maiolus *lib. 3. de Irregularit. cap.33. num.14. in fine*, per hæc verba: Poſſet autem tot multiplicari connubiis Bigamia, vt nulla omnino expectanda foret diſpenſatio. *Et infrà.* Illi verò, qui tot commiſcentur connubiis, non ſolùm Poligami putandi ſunt, ſed quadam ratione infames. Cuiuſmodi D. Hieronymus narrat ſub Damaſo Papa, hominem Romæ vigeſies vxorem duxiſſe, & omnibus ſuperſtitem fuiſſe: rurſum & mulierem extitiſſe eodem tempore narrat, quæ duos ſupra viginti viros habuerat prædefunctos. Hos inter ſe matrimonio iungi contigerat, Romæque magna expectatio orta eſt, vter ipſorum præmoreretur, cumque præmortua fuiſſet vxor, populus coëgit virum à lugubri funere abſtinere; quinimò lauro coronatus, palma in manibus tanquam victor funus ſequi iuſſus eſt. S. Hieron. *tractat. 3. part. 3. epiſt.26.* Tiraquell. *libro de legib. connubialib.* Boër. *deciſ. 186. in fine.* Quis ergo hunc negabit infamem eſſe, & omni honore indignum? Hæc notatu digna Maiolus.

Sed vt certum ferè Reſpondeo: Non eſſe opus, ſed ſufficere binas nuptias explicare. Quia nullus textus Trigamiæ meminit, ſed Bigamiæ. Sic Henriquez *lib.12.de Matrim.c.6.n.9.* vbi ita ait: Non vocatur Trigamus, quia pro impetranda diſpenſatione ſatis eſt expreſſio Bigamiæ, etiam in eo, qui plures nuptias contraxit. Sic etiam anteà doctè doctiſſimus Nauarr. *lib.1.conſ.tit.de Bigam. conſ.2.* Sanch. *lib.7. de Matrim. diſp.86. n.24.* Bonac. *diſp.7. de Irregularit. q. 2. punct. 5. n. 14.* & penes ipſum Vgolinus. Auila *p.7.de Cenſur. diſp.8.in fine*, Villalob *tract.21. de Irregul. diff. 31. n. 15.* ita ſcribens: *Haſe de aduertir que en la diſpenſacion deſta irregularidad, no es neceſſario hazer mencion de Trigamo, ni Quadrigamo, ni de hai adelante: porque ni los Iuriſtas, ni los Theologos hazen differencia en eſſo, ni eſta en vſo. Y anſi como el que quebro el ayuno tres ò quatro vezes, le abſoluemos tan facilmente, como al que le quebro vna, que no ſe quiebra mas por quatro que por vna, lo miſmo es aqui.* Sic ille. Palaus etiam *de Cenſur. diſp. 6. punct.8.in fine*, & anteà *tom.1.tract.3.diſp.6.punct.16. §.4.n.16.* Diana *p.8. tract.3. Reſol.58.* Garcia *p.8.de Beneſ. cap.3. num.79.*

QVÆSTIO XLII.

An in diſpenſatione bigamiæ interpretatiuæ ſit neceſſariò ſpecies bigamiæ fatenda.

REſpondeo vt certum: Eſſe neceſſariò. Quia difficilius in Bigamia propria, quàm in Bigamia interpretatiua, & in hac, quàm ſimilitudinaria diſpenſatur. Sic communiter DD. præcipuè Sanchez, Bonacin. & Palaus *locis ſuprà citatis.*

QVÆSTIO XLIII.

An etiam qui duplici bigamia eſt ligatus, vtriuſque mentionem in impetratione bigamiæ diſpenſationis facere debeat.

REſpondeo tanquam certum: Debere. Sic Sanchez *diſp.86.cit.n.24.* his verbis: Similiter eſt neceſſariò facienda Bigamiæ veræ, & interpretatiuæ, & ſimilitudinariæ, ſi ſimul concurrant mentio. Quia ſunt diuerſæ ſpeciei. Vt ſi duo quiſpiam iniit matrimonia valida, & alterum cum corrupta. Quia adeſt bigamia vera ratione duplicis matrimonij, & interpretatiua, eo quòd alterum cum corrupta fuerit; & ſic in reliquis caſibus, in quibus plures ſpecies concurrerint; nam omnium mentio facienda eſt. Sic Sanchez, & Palaus *diſp.7. citat. punct.8. in fine.*

QVÆSTIO XLIV.

An proprius bigamus Clericus in minoribus ſolùm conſtitutus, priuetur priuilegio clericali Canonis, & fori.

REſpondeo vt certum: Priuari, & ipſo facto. Quia ita definit Gregor. X. *in cap. Vnico, de Bigamis in 6.* his verbis: *Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes, Bigamos omni priuilegio clericali declaramus eſſe nudatos. Et coercitioni fori ſæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, vel habitum clericalem.* Sic Pontifex, cuius deciſione reprobata fuit ſententia Hug. (quam refert Gloſſa *in cit. c.verb. Altercationis antiquæ,*) dicebat enim, quod Bigamus Clericus gaudebat

Digitized by Google

gaudebat priuilegio Clericali, & Canonico: quia tenebatur portare tonſuram, & erat de foro Eccleſiæ, & ad minores Ordines aſcendere poterat. Et ideo ſic ſentiunt iam omnes Cannniſtæ, & Theologi. Legantur Saytus *de Cenſur lib.6. cap.5. num.2.* Suarez *diſp.49. ſect.5. num.4.* Viualdus *in Candelab. aur.tract. de Irregular.n.28.* Palaus *de Cenſur.diſp.6. punct 8 num.13.* Luyſius *lib.9. de Cenſur. diſp.70 dub. vlt.* Villalobos *tract.21.diff.31.num.14* Auila *de Cenſur.p.7.diſp 8 dub. 3.* Filliucius *tract.19.c.4. queſt.11. num.123* & omnes.

Qvæstio XLV.

An non ſolum Bigamus proprius, ſed etiam interpretatiuus, priuetur dicto priuilegio Clericali Canonis, & fori.

NEgant aliqui Canoniſtæ, eo quòd in præcitato *cap. Vnico de Bigamis*, agitur abſolutè de Bigamis: at ſic eſt, quod Bigami, in rigore, & proprietate iuris ſolent diſtingui à maritis viduarum, vt colligitur ex *cap. de Bigam.* & *cap. Niſi cum pridem. de Renunciat.* & lex pœnalis reſtringenda eſt ad propriiſſimam verbi ſignificationem: ergo in dicto capite ſolum veniunt intelligendi Bigami proprij, non interpretatiui.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Vtrumque Bigamum priuari priuilegio Clericali Canonis, & fori. Quia in illo *cap. Vnico, de Bigamis*, deciditur à Pontifice dubium, quod ortum fuerat inter Interpretes ex *cap. Quiſquis, diſtinction.48.* vt conſtat ex illis verbis *cap. Vnici, de Bigamis, Altercationis antiqua dubium.* & notat Gloſſa ibi: at ſic eſt quod *in dict. cap. Quiſquis*, expreſſè nominatur, *Clericus, qui viduam, aut ſecundam coniugem duxerit*: ergo vterque comprehenditur *in d. cap. Vnico, de Bigam.* Ex quibus ſoluta manet ratio contrariæ ſententiæ. Sic Saytus *lib.6. cap 5. num.2. & 3.* Suarez *diſput. quadrageſimanona, ſect. 5. num. 5.* Luyſius *lib.6. diſputat.70. dub vlt.* Palaus *diſputat. 6. punct. 8. num. 13.* Villalobos *tract.21. diff.31. num.11.* Auila *dub. 3. cit.* Filliuc. *loc.cit.n.124.* & alij.

Qvæstio XLVI.

An etiam Bigamus ſimilitudinarius priuetur dicto Clericali priuilegio.

REſpondeo, vt certum: Non priuari. Quia textus citati ſolùm loquuntur de Clericis in minoribus conſtitutis, qui poſſunt, imo & tenentur, viuere vt laicus: non verò de Clericis in ſacris conſtitutis, nec de Religioſo profeſſo, qui non poſſunt ad vitam laicam redire, & ideo ob Bigamiam ab ipſis contractam, ob matrimonium nullum attentatum, non admittunt priuilegium Clericale, donec per ſententiam Iudicis, aut degradationem ab illo denudentur. Sic Saytus, Suarez, Auila, Luyſius, & Palaus *loc. citat.* & Villalobos per hæc verba: *Tambien ſe adaierte que el Clerigo ordenado de Ordenes menores, ſi contrae Bigamia verdadera ò interpretatiua, queda priuado de todo el priuilegio Clerical, como coaſta de vn texto*, cap. Vnico de Bigam. in 6. adiuncta Gloſſa. *Mas el Ordenado de Orden ſacro, aunque contraya Bigamia ſimilitudinaria, no queda priuado del priuilegio clerical, porque no habla del el texto.*

Qvæstio XLVII.

An Bigamus in minoribus conſtitutus, peccet mortaliter, ſi deferat habitum, & tonſuram clericalem.

NEgat Quintanadueñas *tom.2. ſingal. tract.16. ſingul.4. num.2.* vbi docet, licitum eſſe Bigamo deferre habitum Clericalem abſque tonſura, ſine vlla diſpenſatione, & licentia.

Sed longè probabilius Reſpondeo: Peccare mortaliter. Quia textus *in cap. Vnico, de Bigam. cit.* hoc Bigamis prohibet, ſub pœna excommunicationis ſententiæ, his verbis: *Ipſis Bigamis quoque, ſub anathemate prohibemus, deferre tonſuram, vel habitum Clericalem*: at hæc pœna obligat ad mortale: ergo. Sic Saytus *lib.6.cap.5. num.4. & 5.* Palud. & Gabriel apud ipſum. Auila *part.7. diſpat 8. dub.3. verſ. Secundò notandum eſt.* Angel. & Silueſt. penes illum. Palaus *diſput.6.punct.8.n.13.* & alij.

Qvæstio XLVIII.

An Bigamus prædictus poſſit miniſteria minorum Ordinum exercere.

AFfirmarunt aliqui apud Suarium *diſputat.49. ſect.5. num.3.* ex textu *in cap. Lector, diſtinct.34.* Cuius verba retulimus *ſup. quaſt.32.* vbi habetur, quod ſi Lector cum vidua contraxerit, permittatur in ſuo gradu miniſtrare: ergo.

Sed, vt certum Reſpondeo: Non poſſe, abſque diſpenſatione, ſaltem Epiſcopali, iuxta habita *ſupr. quaſt.32. citat.* Quia non ſolùm iuxta citata, ſed etiam *cap. Sanè 1. de Cleric. coniug.* & Concil. Trident. *ſeſſion.32. c.17. de Reformat.* omnino excludunt Bigamum ab omni Ordine Clericali, vſu minorum Ordinum. Sic Auila *loc. citat. verſ. Hinc ſequitur*, vbi infert, non poſſe prædictum Bigamum, eſſe Eccleſiarum Æditum, ſeu Sacriſtanum. Suarez & Palaus *loc.citat.* Saytus *cap.6.citat. num.7.* Vbi conſequenter docet, nec poſſe citra diſpenſationem ad aliquem Ordinem, imò, nec ad primam tonſuram promoueri. Viuald. *in Candel. vbi de Irregular. num.29.* & alij penes ipſos.

Qvæstio XLIX.

An Bigamus ſit capax alicuius beneficij Eccleſiaſtici.

REſpondeo, vt quid certum: Non eſſe. Quia huiuſmodi beneficium non laico, ſed Clerico confertur: at ſic eſt, quod Bigamus eſt incapax alicuius Ordinis, aut Clericatus: ergo & beneficij, quod datur Ordinatis. Et hoc non ſolum durante matrimonio, ſed etiam poſtea, donec mereatur diſpenſationem. Sic Saytus *lib.6. cap.5. num.9.* Viualdus *num.18. citat.* vbi ait: Hoc ita obſeruatum fuiſſe à Sanctiſſ. Legantur Quintanadueñas *tom.2. ſingul. tract.16. ſingul.1.* vbi latè defendit eſſe probabile, quod ille, qui minoribus initiatus vxorem viduam duxit, poſſit ab ea iam ſolutus ſine diſpenſatione Bigamiæ beneficium obtinere: ſed oppoſitum nobiſcum ſentiunt Barboſa *de poteſt. Epiſcopi allegat.49. num.17. & tom.5. collect. in cap. Præcipimus, num.1.* Bonac. *de Irregular. quaſt.2. punct. 5. num.3.* & apud illos Nauar. Auila, Riccius, Andr. Couar. & alij plures.

DISPVTATIO VII.

De Irregularitate ex defectu lenitatis, ſeu ex homicidio iuſto, proueniente.

QVÆSTIO PRIMA.

An ex homicidio publico iuſto, & licito oriatur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, & manſuetudinis.

RESPONDEO tanquam quid certum: Oriri. Quapropter quicumque ex publica auctoritate iuſtè, & abſque vllo peccato hominem occidit, irregularis habetur; adeo vt nec Ordinari permittatur, nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Sic enim habetur *in cap. Clericis, & cap. Sententiam ſanguinis. Ne Clerici, vel Monachi, & cap. penult. de homicid. & cap 1. de Cleric. pugnant. in duel. cap. In Archiepiſcop. de Raptorib.* & Clement. *Si furioſus, de homicid. & cap. Miror, cap. Clericum, & cap. de his Clericis, diſtinctione* 50. Ratio autem huius irregularitatis eſt defectus lenitatis, ac manſuetudinis requiſitæ in Miniſtro Altaris, qui Chriſtum Dominum noſtrum mitiſſimum, ac manſuetiſſimum repræſentat; qui non aliorum ſanguinem fudit, ſed proprium fundi permiſit in remiſſionem peccatorum. Legantur Hoſtienſ. *in Summ. lib. 15. titul. de Homicid.* Angel. Silueſt. Tabiena *verb. Homicidium.* Nauarr. *in Manual. cap. 27. num. 206.* Couarr. *in cap. Furioſus, ſecunda parte, de homicid.* Maiolus *lib. 2. de Irregularit. cap. 6. & lib. 5. cap. 48. & 50.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 40. art. 2. & in addit. ad 3 part. quæſt. 13. art. 4.* Paludan. Ricard. Scotus, Sotus, & Gabriel *in 4. diſtinct. 25.* Henriquez *lib. 14. cap. 10.* Viuald. *tract. de Irregular. num. 303.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 3. §. 4.* Toletus *lib. 1. cap. 27.* Sayrus *lib. 6. Theſauri, cap. 15. num. 1. & 2.* Suarez *tom. 5. de Cenſur. diſputat. 47. ſect. 1.* Auila *part. 7. diſputat. 5. à ſect. 2.* Palaus *de Cenſur. diſp. 6. punct. 14.* Bonacina *diſp. 7. de Cenſur. quæſt. 4. à punct. 1.* Luyſius Turrian. *de Cenſur. lib. 9. diſp. 65. & 66.* Hurtad. *diſp. 2. de Irregularit. diff. 11.* Ægidius *diſput. 18. dub. 9* Baunius *tract. 11. de Irregular. quæſt. 72.* Cornejo *diſp. 11. à dub. 1.* Villalobos *tom. 1. tract. 21. à diff 25.* Machado *tom. 1. part. 3. tract. 18. à docum. 1.* Filliucius *tract. 19. cap. 9.* Pellizzarius *tom. 2. Manual. Regul. tract. 7. c 5. ſect. 4. à quæſt. 6. num. 160.*

QVÆSTIO II.

An non ſolùm ex occiſione hominis publica auctoritate facta, verùm etiam ex mutilatione membri incurratur irregularitas hæc ex defectu lenitatis.

RESPONDEO, vt quid certum: Incurri etiam Quia mutilatio membri humani, in hac materia hominis occiſioni æquiparatur, *Clement. vnica de Homicid.* & notat Gloſſa ibi, *verb. Mutilet.* Et ratio eſt, quia homicidum eſt priuatio vitæ corporalis humanæ: Mutilatio verò, abſciſſio membri humani, cum realiter ſeparatur à corpore: ergo cum anima omnia humana membra viuificet, abſciſſio membri humani, quaſi partiale homicidium erit. Sic Gloſſa *loc. cit.* & eum ea omnes Canoniſtæ, & Theologi.

§. I.

De Iudice, & Aſſeſſore, &c.

QVÆSTIO III.

An Iudex Eccleſiaſticus, vel ſæcularis, proferens iuſtè ſententiam homicidij, vel mutilationis, contrahat irregularitatem ex defectu lenitatis.

RESPONDEO, tanquam quid certum: Contrahere. Quia habetur *in cap. Ex litteris* (non *litteris*, vt leges apud Suarium & Palaum) *de exceſſib. Prælatorum, cap. In Archiepiſcopatu. De Raptoribus, cap. Quæſitum, 23. q. quæſt 4. cap. Sæpè, & cap. His quibus, quæſt. 8.* in Canone 30. *Concilij Toletani quarti,* & alibi. Et ratio eſt: Quia dicere ſententiam ſanguinis, & de nocente pœnas etiam iuſtas repetere, eſt contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, vt ait Alexand. III. *in cap. Suſcepimus, de Homicid.* cum ſit indecens, vt qui perſonam Chriſti gerit in Altari, Hoſtiam immaculatam Deo offerens, vitam hominis, necdum partialiter, auferat, cuius ille conſeruandi gratia propriam perdidit. Sic communis Canoniſtarum, & Theologorum. Legantur Maiol. *lib. 2. cap. 6. num. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 212.* Henriquez *lib. 14. cap. 2. num 2.* Toletus *lib. 1. Summ. cap 27.* Sayrus *lib. 6. Theſauri, cap. 16. num. 4.* Suarez *diſput. 47. ſect. 1.* Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 1.* Palaus *diſp. 6. punct. 14. §. 1.* & alij ſuprà citati.

QVÆSTIO IV.

An etiam Aſſeſſor Iudicis ſententiam homicidij, vel mutilationis iuſtè proferentis, hanc eandem, ſicuti Iudex, incurrat irregularitatem.

RESPONDEO, vt certum: Eandem etiam incurrere. Quia etiam Aſſeſſor eſt cauſa propinqua mortis, vel mutilationis; cum compleat perſonam Iudicis, defectum ſcientiæ ſupplens. Sic communis. Sayrus *lib 6. cap. 16. num. 4.* Suarez *diſput. 47. ſect. 1. num. 4.* Auila *part. 7. diſputat. 5. ſect. 2. dub. 1.* Filliuc. *tract. 19. cap. 9. quæſt. 6. num. 139.* Laymao. *lib. 3. ſect. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7. n. 1.* Bonac. *quæſt. 4. de Irregularit punct. 1. num. 5.* Bauny *de Irregular. quæſt. 22. pag. 476.* Cornejo *diſputat. 11. de Irregular. dub. 1. verſ. Ex quo infero,* Palaus *diſp. 6. de Cenſuris, punct. 14. §. 1. num. 2.* Machado *lib. 1. part. 3. tract. 18. docum. 3. num. 2.* vbi ſic ait: *De los Aſſeſſores, y acompañados, que concurren en dar la ſentencia, todos conuenien, como hemos dicho, en que incurren la miſma irregularidad que los Iuezes: porque en rigor, caſi lo ſon, pues concurren à dar, y à firmar la ſentencia.* Sic ille. Pellizzarius *ſect. 4. cit. quæſt. 7. num. 151.* & communis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An vt incurrant hanc irregularitatem Iudices, & Aſſeſſores, ſatis ſit exercuiſſe officium in criminalibus, licèt nunquam ſententiam ſanguinis tulerint.

AFfirmant Maiolus *lib. 2. de Irregularit. cap. 6. n. 3.* Quia (ait) pari ratione hæc procedunt quoad irregularitatem, iudicium ferre, vel patari ad iudicium ferendum. Concil. Trid. *ſeſſ 4. Can. 30.* Ita ille citans pro ſe Hug. vetuſtiſſimum Canonum interpretem *in cap. Si quis poſt, diſtinct. 51.* & ſpecul. *tit. de diſpenſat. §. Iuxta, verſ. Sed quid de Iudice, & verſ. Quanto antem*, & Summam Confeſſor. *de homicid. quæſt. 23.* Quibus adde D. Anton. *3. p. tit. 29. c. 2. §. 1.*

Sed, vt quid longè probabilius Reſpondeo: Non eſſe ſatis exercuiſſe officium in Criminalibus ad incurrendam hanc irregularitatem: quia necdum eſt ſatis pronuntiaſſe ſententiam ſanguinis, ſi non ſortita eſt effectum, vt ſtatim videbimus. Sic Nauarr. *cap. 27. num. 211. in fine*, Suarez *diſp. 47. ſect. 2. num. 3.* Saytus *lib. 6. c. 16. n. 5.* Auila *part. 7. diſp 5. ſect. 2. dub. 1.* Filliuc. *tract. 19. c. 9. quæſt. 6.* Villalobos *tract. 21. diff. 25. n. 2.* & alij mox citandi.

QVÆSTIO VI.

An ſaltem incurrant hanc irregularitatem prædicti Iudices, & Aſſeſſores ferentes ſententiam ſanguinis, hoc eſt homicidij, vel mutilationis, ſi non ſequatur effectus.

AFfirmant, & à fortiori, Doctores nuper pro prima ſententia adducti. Quibus addi poſſunt Flores *in prax. Crimin.* & Salcedo apud Machadum *infrà.*

Sed longè probabilius Reſpondeo: Adhuc non incurrere, ſi effectus verè non ſequitur. *Primò*, quia nullo iure aliter lata eſt hæc irregularitas. *Secundo:* Quia per mandatum iniuſtum non incurritur irregularitas, effectu non ſecuto: ergo nec per iuſtum mandatum. Sic tenent Nauarr. Suarez, Saytus, Auila, Filliucius, Villalobos *ſuprà citat.* Hoſtienſ. *in cap. Significaſti, de Homicid.* & alij Canoniſtæ *in cap ſententiam ſanguinis, Ne Clerici, vel Monachi*, & *in cap. Significaſti*, & *in cap. Ad audientiam, de Homicid.* Henriquez *lib. 14. c. 12. n. 1.* Bonacina *diſp. 7. q. 4. punct. 1.* Cornejo *diſp. 11. dub. 1.* Hurtado *diſp. 2. de Irregularit. diff. 11.* Quibus aſſentire videtur Machado 1. *tom. lib. 1. part. 3. tract. 18. docum. 2. n. 4.* Baſſæus *irregularitas 5. n. 1.* & Pellizzatius *tract. 7. c. 5. ſect. 4 q. 7. num. 161.*

QVÆSTIO VII.

An Iudices ferentes ſententiam mortis ſine effuſione ſanguinis, hanc irregularitatem incurrant.

NEgandum videtur ex textu *in cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, vbi Innocent. III. ſolum prohibet Clericis, vt nullatenus ſententiam ſanguinis dictent, vel proferant, nec etiam vbi exerceatur interſint, nec vindictam exerceant: ergo ſi proferant ſententiam mortis, ſine ſanguinis effuſione, non incurrent hanc irregularitatem.

Sed vt certum quid Reſpondeo: Incurrere. Quia certum eſt, quod illa voce, *Sententiam ſanguinis:* intelligit Pontifex ſententiam mortis, vel mutilationis, quocumque modò hæc fiat. Vnde etiamſi mors ſine effuſione ſanguinis fiat, vt cum quis ſuſpenditur, vel ſuffocatur, aut alimento priuatur, aut inedia, aut carceris rigore affligitur, itavt inde moraliter, ac celeriter ſequatur mors, perinde eſt. Sic omnes Canoniſtæ ac Theologi. Legantur Gloſſa *in Summ. d. cap.* Suarez *diſputat. 47. ſect. 1. num. 2.* Filliuc. *tract. 19. cap. 9. quæſt. 6.* Pellizzarius *loc. cit.* Villalobos *tract. 21. diff. 25. num. 1.* Machado *lib. 1. part. 3. tract. 18. docum. 2. num 2.* & Couarr. *in Clement. Si furioſus*, *2. part. §. 5. num. 7.* (non 8. vt inuenies citatum apud Filliucium & Machadum) vbi ita ait: Iudex ipſe Eccleſiaſticus maximo irregularitatis periculo ſe exponit, cum aliquem criminis reum in eum detruſerit carcerem, qui mortem ſit breui tempore illaturus, vel ob eius humiditatem, fœtorem & ſqualorem, vel ob alimentorum ſubtractionem. Sic ille, qui & citat Guillelm. Abbatem, Ananiam, Socinum, D. Antonin. & Ioan. Bernard. Legantur etiam Saytus *lib. 6. cap. 15. num. 4.* Gibalinus *de Irregular. cap. 4. conſectar. 7. diff. 3. pag. 261.* & ego *infra q. 16. & ſequens.*

QVÆSTIO VIII.

An Iudex proferens flagellationem per vrbem cum effuſione ſanguinis, maneat irregularis, ſecuto effectu.

AFfirmatiuam partem eſſe probabilem, innuit Maiolus *lib. 2. cap 6. num. 3.* Quatenus hæc dicit verba: Hæc verò irregularitas ad duo ſola capita refertur, ad mortem ſcilicet, & ad membrorum mutilationem: at ob ſolam effuſionem ſanguinis, ſine vlla membrorum mutilatione, aut nulla inducitur irregularitas in iudice, aut ſaltem Epiſcopalis erit. Ita ille.

Sed vt quid certum Reſpondeo: Non manere ob id irregularem. Quia, vt bene Maiolus, hæc irregularitas ex defectu lenitatis ad duo tantum capita refertur, nempe ad mortem, & ad membrorum mutilationem: ergo minus nocumentum, etiamſi eueniat cum effuſione ſanguinis, non ſufficiet ad irregularitatem inducendam. Et ideo quamuis Iudex ferat ſententiam, vt reus flagelletur vſque ad effuſionem ſanguinis, vel vt ad triremes mittatur, vel etiam aliter vulneretur, non ob id manebit irregularis. Sic Suarez *diſput. 47. ſect. 1. num. 2.* Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 1. in fine*, Filliucius *tract. 19 cap. 9. quæſt. 6.* Machado, Villalobos, & Saytus *loc. cit.* necnon ego rurſus *infra quæſt. 18.*

QVÆSTIO IX.

An Iudex qui dictat ſententiam, vt reus per tormenta debilitetur, fiat irregularis.

AFfirmant quidam fieri irregularem, caſu quo reus ita debilitetur, vt non poſſit commodè tractare Sacramentum. Ratio eorum eſt: Quia in iure, paria ſunt membrum abſcindere, & illud debilitate: at qui abſcindit fit irregularis: ergo & qui debilitat. Ita ſentiunt apud Saytum, Panormitan. *in cap. Cum illorum, num. 8. de ſent. excommun.* Angel. *homicidium 3. quæſt. 3.* Maiolus *lib. 5. cap. 50. num. 7.* & Graffis *lib. 2. deciſ. cap. 72. num. 3.* & apud Henriquez (*vbi infra, lit. I,*) Bonif. Imol. Silueſt. Roſella, Tabiena, & alij.

Sed longè verius Reſpondeo: Non fieri irregu-

latem. Quia longè verius eſt, non eſſe in iure idem, ſeu paria, membrum abſcindere, & illud debilitare: nam membrum debilitatum non deſinit eſſe membrum, ſicut deſinit eſſe membrum abſciſſum. *Argum. cap. Sicut vrgeri, 1. q. 1.* ergo licèt qui abſcindit, fiat irregularis, non inde ſequitur, quod qui debilitat. *Confirmatur*: quia etſi membrum debilitatum ſit quaſi inutile quoad operationem, non tamen quoad eſſe, & quoad decorem, & ornatum corporis: vt colligitur ex *cap. cit.* ibi: *Vt ſi enim manus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum, quamuis ſine ſanguine, & ineffitax, & mortuum*: ergo membrum eſſe debilitatum, non eſt idem, ac abſciſſum. Sic tenent Nauarr. *cap. 27. n. 106. verſ. 3.* & Panormitan. ſibi contrarius *in cap. Qui Cler. vel vouent.* Sotus *lib. 5. de Iuſtit. q. 2. art. 1. concl. 3.* Couarr. *in Clem. Si furioſus, part. 3. in princip. n. 9.* Henriq. *lib. 14. cap. 8. n. 4. lit. K.* & penes ipſum Perez, Anan. Felin. Cardin. Aufret. Villadiego, Armilla, Ricard. & Paludan. quibus addi poſſunt Toletus *lib. 1. c. 27. §. Mutilant, verſ. 2.* Sayrus *lib. 6. c. 15. n. 5. & 6.* Auila *part. 7. & diſp. 5. ſect. 1. dub. 2.* & alij.

QVÆSTIO X.

An Iudex qui dicit ſententiam mutilandi à reo membrum aridum, maneat irregularis.

RESpondeo, vt certum ex dictis, Manere irregularem. Quia verè mutilaret tunc à reo membrum verum humanum, vtpote viuum aliquo modo & genere. Nam licèt manus (verbi gratia) arida vnita toti corpori perfectè non viuat, viuit tamen vita vegetatiua, cuius vitæ gradum tribuit eadem anima hominis, quæ & præſeruat illam à corruptione. Sic optimè doctus Henriq. *lib. 14. c. 8. num 4. litt. N. & M.* & penes ipſum Panormit. Perez, Cepola, Præpoſitus, & alij, quos ſequitur Auila *dub. 2. cit. verſ. Sequitur ſecundo.*

QVÆSTIO XI.

An ſi quis, antequam eſſet baptizatus, exercendo Officium Iudicis, occidit hominem, aut mutilauit, hanc ex defectu lenitatis irregularitatem contraxerit.

AFfirmant Gloſſa *in cap. Si quis viduam, in verb. poſt baptiſmum.* Vbi Archidiacon. Dominic. necnon Hoſtienſ. Præpoſit. Ioan. Andr. & Anchar. quos pro hac parte affert Sayrus *lib. 6. cap. 15. dub. 5. num. 10.*

Sed longè verius Reſpondeo: Non contraxiſſe. Quia iura imponentia irregularitatem iis qui occidunt, vel mutilant, clarè loquuntur de iis, qui id faciunt poſt baptiſmum, vt conſtat ex *cap. Si quis viduam, 50. diſtinct. cap. ſi quis poſt baptiſmum, diſtinct. 51.* & ratio eſt: quia in eo, qui id facit ante baptiſmum, non conſideratur defectus lenitatis, cum nondum ſit membrum Chriſti. Innocent. I. *relect. in cap. Qua ſimiliter, 23. quæſt. 3.* Nauar. *cap. 27. n. 209.* Couarr. *in cap. Si furioſus, 2. part. §. 2. n. 5.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. §. 7. & cap. 17. §. 2.* Scot. *in 4. diſtinct. 33. quæſt. 2 §. de ſecundo.* Maio. *diſt. 27. q. 6.* Almain. *diſt. 25. quæſt. 1.* Sotus *ibid. quæſt. 1. art. 3. concl. 4.* Angles, Philiarchus, Toletus, & alij, quos refert ac ſequitur Sayrus *lib. 6. cap. 15. num. 10. cit.* Quibus adde Suarium *diſput. 47. ſect. 1. num. 1.* Auilam *p. 7. diſp. 5. ſect. 1. in princip.* Filliuc. *tract. 19. q. 4. n. 236.* Reginald. *lib. 30. n. 94.* Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 1. n. 2.* Villalob. *tract. 21. diff. 25. n. 2.* Macbad. *lib. 1. p. 3. tract. 18. docum. 2. n. 3.* & Baſſeum *Irregular. 5. n. 1.*

QVÆSTIO XII.

An vt Iudex hanc irregularitatem incurrat, ſit etiam opus, quod occidat, vel mutilet hominem baptizatum.

RESpondeo, vt quid certum: Non eſſe opus. Quia, ad hanc irregularitatem contrahendam, ſufficit mors, aut mutilatio hominis cuiuſcumque, Iudæi, Saraceni, vel Pagani. Colligitur tum ex *cap. Clericum, diſtinct. 50.* vbi Nicolaus Pontifex expreſsè prohibet, ne Clericus, qui Paganum ſponte occidit, ad maiorem Ordinis gradum aſcendat: quia verè fuit homicida. Tum etiam ex *cap. Petitio, de Homicid.* Vbi idem prohibet Honorius III. Clerico cuidam, qui Sarracenum occiderat. Sic ergo ſentiunt omnes. Nauarr. *c. 27. num. 19.* Palud. *in 4. diſtinct. 25. q. 3. art. 2. concl. 2.* Sotus *ibid. q. 1. art. 3. concl. 4.* Viuald. *de Irregular. n. 203.* Tolet. *lib. 1. cap. 27. verſ. Sine crimin.* Angl. Medices. D. Anton. Silueſt. & Philiarcus, quos citat, & ſequitur Sayrus *lib. 6. Theſauri, cap. 15. dub. 4. n. 8.* Quibus adde Auilam *part. 7. diſp. 5. ſect. 1. in princip.* Bonac. *quæſt. 4. punct. 1. n. 8.* Filliuc. *tract. 19. cap. 9. q. 5. num. 288.* & Maiolum *lib. 5. de Irregular. cap. 48. n. 2. verſ. Quinimmo.*

QVÆSTIO XIII.

An item maneat irregularis iudex, aut alius qui occidit, aut mutilat Bannitum, vel Diffidatum.

NEgandum videtur. Quia qui lege, vel edicto occidi permittuntur, ſi ab aliquo occidantur, nullum peccatum committitur: ergo nec pœna irregularitatis incurritur.

Sed vt quid certum Reſpondeo: Manere irregularem. Quia licèt verum ſit, quod qui legis permiſſu, iuſtitiæque zelo bannitum, vel diffidatum occidit, aut mutilat, non peccet mortaliter, manet tamen irretitus irregularitate orta ex defectu lenitatis, quam contrahit quis occidens, aut mutilans abſque vllo peccato, vti faciunt Iudices quando iuſtè dictant ſententiam occiſionis, vel mutilationis hominis, aut executores ſententiæ eorum, vt in præſenti ſunt occiſores Bannitorum. Sic docent omnes communiter. Legantur citati nuper, præcipuè Sayrus, Bonac. Viuald. & Maiolus.

QVÆSTIO XIV.

An rurſus maneat irregularis, qui occidit, vel mutilat excommunicatum.

RESpondeo, Etiam vt quid certum: Manere. *Primò*, quia verè eſt homicidia. *Secundò*, quia ſic habetur *in cap. Excommunicatorum 23.* (non 13. vt offendes apud Maiolum) *quæſt. 5.* licèt non ita expreſſè, vt putant Maiolus, & Viualdus *loc. cit.* Sic tamen tenent omnes cum ipſis. Legantur etiam Sayrus *lib. 6. cap. 15. num. 8.* Filliuc. *tract. 19. cap. 9. q. 4. n. 237. & quæſt. 5. n. 238.* Bonac. *quæſt. 2. punct. 1. n. 1.* Baſſæus *verb. Irregularitas 5. n. 1.* & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XV.

An qui occidit fœtum animatum in vtero matris, aut (quod idem eſt) cauſam dedit abortionis illius, ſit irregularis.

NEgarunt quidam Iuriſperi apud Tiraquel. *in l. ſi vnquam, C. de reuocand. denotationib. num.* 148. Sed certè ſine fundamento. Vide.

Tanquam quid certiſſimum Reſpondeo: Eſſe irregulares. Quia occidens fœtum animatum, adhuc exiſtentem in vtero matris, verè occidit hominem, cum extinguat aliquid viuum vita hominis, & non plantæ, aut pecoris: ergo verè eſt irregularis. Sic communis. De quo latius infra *diſp.* 11. per totam. Legantur Saytus *lib.6. cap.* 15. *n.* 8. Bonac. *diſp.7. q.2. punct.* 8. *n.* 1. Auila *p.7. diſp.5. ſect.* 1. *&* 3. *& diſp.6. ſect.* 4. Couarr. *in Clem. ſi furioſus,* 2. *p.* §. 3. *n.* 1. & alij.

QVÆSTIO XV.

An Iudex, qui reum in carcerem detrudi imperat, vbi ex carceris fœtidi, anguſti, & tetri incommodis breui moritur, fiat irregularis.

REſpondeo, vt certum: Fieri. Quia tunc æquè concurrit Iudex ad rei mortem, ac ſi illum morte damnaſſet. Sic Gibalinus *de Irregularitate cap.* 4. *quæſt.* 3. *conſectar.* 7. *diff.* 3. vbi docet, tunc colligi reum extinctum eſſe ex qualitate carceris, aut alimentorum ſubtractione, quando breui poſt eam ſententiam periit, vel quando carcer fuit extraordinarius, non communis omnibus reis. Legantur pro hac reſolutione Auctores citati à nobis *ſupr. q.* 7.

QVÆSTIO XVII.

An Domini Inquiſitores, qui hæreticos muro includunt, ſi ij ibi moriantur, maneant irregulares.

REſpondeo: Non manere. Quia nec tam arctus eſt carcer, nec tam parcus victus, vt viuere non poſſint; quamuis non ſine moleſtia, & incommodis, quæ in pœnam infliguntur. Sic Vgolinus, quem citat, & ſequitur Gibalinus *loc. cit. diff.* 3. *in fine.* Secus dicendum eſſet caſu, quo præfati Domini Inquiſitores ita hæreticis, aut aliis reis victum diminuerent, vt fame perirent, aut eo carcere includerent, ex cuius fœtore breui extinguerentur, quia tunc irregularitatem incurrent, vt ex dictis conſtat.

QVÆSTIO XVIII.

An maneat irregularis Iudex damnans ad triremes reum, qui ex labore remigibus conſueto breui obiit.

REſpondeo, vt certum: Non manere. Quia irregularitas ex defectu lenitatis oritur ex damnatione ad mortem, aut membri mutilationem: at Iudex damnans ad triremes, nec ad mortem, nec ad mutilationem propterea damnat: ergo ob id non manet irregularis. Nec obſtat, quod reus ex labore conſueto breui obierit, quia cum illa ad triremes damnatio ſit pœna canonica, vt ſupponimus, atque etiam communis, non cauſa mortis per ſe, ſed per accidens, Iudici tribui poterit, ac perinde ob id immunis erit ab irregularitate. Sic Gibalinus *loco cit. diff.* 4. *pag.* 263.

QVÆSTIO XIX.

An ſaltem maneret irregularis Iudex damnans reum ad metallum, aut inſulam, ſi ex eo quod malè tractatus ſit, citius moriatur.

REſpondeo, vt certum: Non manere irregularem, niſi aliàs Iudex præceperit reum à comitantibus, aut cuſtodibus malè haberi, vel tractari. Id enim conſtat ex dictis: quia Iudex nec ad mortem, nec ad mutilationem damnauit: nec fuit cauſa acceleratæ mortis, cum id eius opera minimè factum fuit, ſed aliorum, qui ſua ſponte, non Iudicis mandato, reum vexarunt, ſecus eſſet, vt diximus, ſi Iudex vexationem illam duriorem iuſſiſſet, quia tunc in rei mortem ſua auctoritate concurriſſet, & ideo eſſet irregularis. Sic Gibalinus *diff.* 4. *citata.*

QVÆSTIO XX.

An Prælatus Eccleſiaſticus maneat irregularis, ſi ferat legem, qua puniat pœna mortis certa quædam crimina.

REſpondeo, vt certum: Nec Prælatum Eccleſiaſticum habentem iuriſdictionem temporalem, nec alium Principem ſæcularem, manere irregularem, ex eo quod legem, aut ſtatutum condat, quo aliquod crimen ſub pœna mortis prohibeatur. Quia tunc iſte legiſlator tantum eſt cauſa remota mortis in particulari: cum ipſa lex cauſa vniuerſalis ſit, & non animaduertit in certam perſonam. Sic colligunt Doctores ex *cap. Delatori* 5. *quæſt.* 7. Vgolinus *cap.* 9. §. 2. *n.* 2. Tabiena *verb. Irregularitas* 2. §. 4. Siueſt. *verb. Homicidium* 3. *quæſt.* 7. *verſ. Nonum.* Henriquz *lib.* 12. *cap.* 12. *numer.* 6. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 18. Auila *part.* 7. *diſputatione* 5. *ſect.* 2. *dub.* 5. Gibalinus *de Irregularitate, cap.* 4. *quæſt.* 3. *conſectar.* 7. *diff.* 6. Maiolus *lib.* 2. *de Irregular. cap.* 5. *n.* 16. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 4. *quæſt.* 13. *num.* 172.

QVÆSTIO XXI.

An Princeps ſæcularis, vel Clericus iuriſdictionem temporalem habens, fiat irregularis, ſi conſtituat Iudices, & Miniſtros, vt cauſam ſanguinis inquirant, & puniant iuxta leges, & iuris diſpoſitionem.

REſpondeo, vt certum: Non ob id fieri irregularem, etiamſi dictus Princeps, vel Clericus dicat Iudici à ſe conſtituto, quod vigilet contra malefactores, & leges in illos ſeruet, & deinde hic aliquem morte puniat. Conſtat id primo ex *cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi, in* 6. vbi expreſsè Bonif. VIII. id definit.

Secundò. Quia aliàs, iuriſdictio temporalis inutilis eſſet Principi ſæculari, vel Clerico, aut illam abjicere deberet. *Tandem,* quia tunc dictus Princeps, vel Clericus non concurrit ad rei mortem, niſi valde remotè, nec facit quidquam vnde dicatur lædi manſuetudo Chriſtiana: ergo, Sic omnes Doctores. Legantur Maiolus *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 11. Henriquez *num.* 6. *citat.*

Sayrus *num.*16.Couar.*in Clem.Si furioſus,part.*2.§.5.*num.*8. Auila *ſect.*2. *cit. dub.*4. Gibalin.*loc. cit. diſſ.*5.*n.*46. Bonacin.*quæſt.*2.*de Irregular.punct.*1.*n.*28.Molina *tom.*3. *diſp.*3.*n.*2. Layman.*lib. tract.*3.*part.*3.*c.*7.*concl.*3. Ægidius *diſp.*18.*n.*91. Gaſp. Hurtad. *de Irregular.diſſ.*11.*num.*42. Caſtro Pa aus *de Cenſur.diſp.*6.*punct.*14.§.1.*n.*3.Cornejo *de Irregular. diſp.*11.*dub.*1.*quæſ.*1.Filliuc.*tract.*19.*cap.*9.*q.*7.*n.*241.& alij.

QVÆSTIO XXII.

An ſaltem fiat irregularis dictus Princeps, vel Clericus ſi deleget poteſtatem alicui ſpecialiter pro aliquo delicto in particulari, nempe homicidio in ſua iuriſdictione commiſſo, vt inquiſita veritate, iuſtitiam iuxta leges faciat.

AFfirmat Henriquex *lib.*14. *non cap.*3. vt ſcribunt Cornejo, Diana, & Gibalinus (*vbi infra*) ſed *cap.*12. *num.*6.*litt.N.* his verbis: Nec debet Epiſcopus alicui Commiſſario delegare vnam cauſam criminalem: fiet enim irregularis, cum ſit cauſa, vt hic reus occidatur. Ita ille. Qui & citat pro ſe Nauarrum *lib.*5.*conſil. conſ. vltim. de homicid.* Sed Nauarrus tantùm loquitur de Prælato, qui Iudici præcepit, vt manè exequeretur ſententiam mortis, quam ipſe tulerat, de quo ſtatim agemus caſu. Citat etiam Bonacina pro hac ſententia Suarium: ſed omnino malè, cum oppoſitum expreſsè ſentiat, & doceat *diſp.*47.*ſect.*1.*n.*5.*&* 6.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Non fieri irregularem dictum Principem, vel Clericum, etiam caſu, quo ipſe Iudex delegatus, cognito delicto, morte puniat delinquentem. Quia id efficaciter probatur ex *d.c. fin. Ne Clerici, vel Monachi in* 6. vbi Pontifex disertè loquitur de homicidio, aut alio maleficio commiſſo, cuius ſpecialem commiſſionem demandat iudici Clericus. Et ideo ſic tenent Suarez, Couar. Molina, Auila, Layman, Hurtado, Sayrus, Cornejo, Palaus, Gibalinus, & Bonac. *cit.* Necnon Diana *part.*4. *tract.*2. *Reſol.*78.

QVÆSTIO XXIII.

An ad minus maneat irregularis prædictus Princeps, vel Clericus, qui iudici à ſe deſignato mandat, vt ſententiam ſanguinis proferat in talem malefactorem.

REſpondeo, vt quid certum: In hoc caſu manere irregularem. Quia eo mandato directè & proximè morti rei cooperatur Princeps, vel Clericus. Sic Henriquex *c.*12.*cit.n.*6. ibi: Fiet tamen irregularis, ſi ei (id eſt, *Commiſſario*) dicat: hunc furem ſuſpendat, aut mutilet. Sic ille. Qui in marg.*litt. M.* citat Gloſſam, Tabien. Silueſt. Couarr. & alios. Sic etiam tenent omnes Doctores, præcipuè citati nuper.

QVÆSTIO XXIV.

An etiam maneat irregularis Princeps, vel Prælatus Eccleſiaſticus, qui dicit Iudici à ſe delegato, vt ſequenti die manè occidat, aut mutilet malefactorem, quem ad hanc pœnam ſuſtinendam ipſe index delegatus iam condemnauerat.

REſpondeo: Etiam irregularem manere. Quia ſine dubio, in hoc caſu, Princeps, vel Prælatus, eſt cauſa proxima, vt ille reus, ſeu malefactor citò occidatur, aut deformetur. Sic optimè Nauarrus *lib.*5.*conſil.*16.*aliàs vlt.de homicidio,n.*2. Vbi inquirit an Vicelegatus, qui iuſſit Secretario ſuo, vt deferret quaſdam litteras, quas ipſe ſcripſerat ad quemdam Commiſſarium, in quibus iubebatur ipſi Commiſſario, vt ſententiam mortis quam contra quemdam tulerat, manè ſequentis diei exequeretur, quod & factum fuit, an ſcilicet tam Vicelegatus, quam Secretarius prædicti ſint irregulares; & reſpondet: Vtrumque eſſe irregularem. Sic etiam ſentiunt Sayrus *lib.*6. *Theſauri, c.*18.*n.*17. Gibalinus *de Irregular. q.*3. *c.*4. *conſect.*7. *diff.*5. Auila *part.* 7. *diſput.*5. *ſect.*2. *dub.*4. *concl.*1. & alij. Quod eſt verum loquendo de Vicelegato, nam loquendo de Secretario deferente litteras, infra dicemus.

QVÆSTIO XXV.

An Prælatus, vel Iudex, qui iubet reum aliquem capere, & ad ſe ſiue viuum, ſiue mortuum adducere, maneat irregularis, ſi executores in ea captura reum interficiant, aut mutilent.

REſpondeo: Manere irregularem. Quia illa Iudicis verba, nempe, *adducite eum, ſiue viuum, ſiue mortuum,* animum adduxerunt executoribus, vt eum interficerent, aut mutilarent: ergo Iudex, vel Prælatus, verè fuit cauſa proxima mortis, vel mutilationis rei: ergo manſit irregularis. Sic in caſu contingenti tenuit Maiolus *lib.*5.*de Irregular.c.*48.§.2.*n.*8. Vgolinus *cap.*5.§.8.*n.*18.Gibalinus *eod. tit, pag.*264. & alij quos referemus *infra diſp.*10.*q.*16.

QVÆSTIO XXVI.

An etiam maneant irregulares Iudices, vel Prælati, qui propoſitis edictis, præmium promittunt illis, qui alicuius rei caput, aut membrum aliud attulerint.

REſpondeo, vt certum: Manere irregulares, ſecuuto effectu. Quia proximè mandato ſuo ad mortem, vel mutilationem rei concurrerunt. Sic Gibalinus *loc.cit.* & Maiolus qui addit, idem dicendum de illo, qui propoſuit præmium pro habenda ſola notitia delinquentis occulti, vt putà, *quiſquis reuelauerit furantem, homicidam, &c. centum habeat*: tunc ſi reuelatio fiat per hunc modum, & delinquens in iudicio, vel extra occidatur, irregularis erit qui propoſuit præmium, eo quòd tali præmio propoſito, inducit animum ad mortem rei, & ideo mandare videtur. Sed de hoc infra amplius.

QVÆSTIO XXVII.

An poßit Prælatus, aut Princeps, ſine nota irregularitatis, temperare ſententiam prolatam à ſuo Iudice delegato, & iubere mitiorem mortis pœnam.

REſpondeo: Poſſe ſine irregularitatis nota. Quia in hoc caſu Prælatus, aut Princeps ſæcularis, non eſt cauſa mortis delinquentis, cum ſolum partem eius minuat, aut modum, in quo non crudelem, ſed potius mitem ſe exhibet. Sic Layman. *lib.*3. *ſect.*5.*tr.*3.*p.*3.*c.*7.*n.*4. his verbis: Poſſunt tamen *Epiſcopi, & Prælati* ſine nota irregularitatis, latam à Iudice, ſententiam moderari, vt videlicet dicant: Si omnino reus, propter latam ſententiam, morte

afficiendus

afficiendus eſt,non tota,vel igne puniatur , ſed pœna mitiori.Quia hoc modo non cauſa mortis, aut ſupplicij exiſtunt,ſed potius vt pars ſupplicij dematur, qui miſericordiæ,non ſeueritatis actus eſt. Sic ille. Quem citat,& ſequitur Gibalin.*de Irregul.q.3.c.4.conſect.7.diſp.5.verſ.Quartò poterit.*

QVÆSTIO XXVIII.

An Prælatus Eccleſiaſticus,aut Princeps ſæcularis,maneat irregularis,caſu,quo Iudex ab ipſo delegatus,iniuſtè ad mortem,ſeu mutilationem,damnet reum?

AFfirmandum videtur ex *c.fin de homicid. in 6.* vbi Bonif. VIII.ita loquitur. *Is qui mandat aliquem verberari, licet expreſsè inhibeat , ne occidatur vllatenus,aut mutiletur,irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet,vel occidat:cùm mandando in culpa fuerit,& hoc euenire poſſe debuerit cogitare.*Sic Pontifex.Ergo eius deciſio vim habet in noſtro caſu.

Sed omnino Reſpondeo : Non manere in noſtro caſu irregularem. Quia culpa mandatarij, dum fines mandati excedit,non debet obeſſe mandanti,*l. Diligenter, ff. Mandati* : at ſic eſt, quod Prælatus tantum iuſſerat Iudici, vt inquiſita veritate, iuſtitiæ debitum exequatur:ergo ſi Iudex iniuſtitiam committat, eius vnius criminis eſt,non Prælati mandantis.

Nec obeſt contra id *cap.fin.cit.de homicid.* quia ibi agit Pontifex de illo,v.g.Clerico,qui iniuſtè mandauit aliquibus familiaribus, vt quemdam ſuum inimicum verberarent ; & quia debuit cogitare quod inde euenire poſſet mors , vel mutilatio membri , vt bene expendit Gloſſa,ideo hæc omnia ſunt mandanti Clerico imputanda ; non in noſtro caſu, vt conſtat.Sic tenent Gloſſ.*in cap finali,Ne Clerici,vel Monachi in 6. verb. iuſtitia mediante*,quam Archidiac. Ioan. Andr. Anch.& alij Doctores ſequuntur,&Gibal. *loc.cit.verſ. Quinto.*

QVÆSTIO XXIX.

An Prælatus Eccleſiaſticus , poſſit committere alteri Clerico, vt vice ſua , eligat Iudicem, qui cauſam criminalem cognoſcat.

NEgant aliqui Canoniſtæ,eo quòd *c.fin.Ne Clerici,vel Monachi in 6.* ſolùm id concedat Clericis habentibus iuriſdictionem, quam exercere coguntur; & ideò vices ſuas alteri committere debent : ergo.Ita tenet Ioan.Andr.*in cap.cit.*

Sed probabilius Reſpondeo : Poſſe. Quia Prælatus poteſtatem ad id habet ex iure.Nec quid obeſt Clerico,cui delegat facultatem vt vice ſua eligat Iudicem ad agnoſcendam cauſam criminalem;quia in eligẽdo illo,non magis ad reorũ ſupplicia concurrit,quàm ipſe Prælatus,qui iuriſdictionem ipſam delegat, & cuius deinde auctoritate Iudex ſententiam pronunciat. Sic Gibalin.*c.4.q.3.conſectar.7.diff.5.verſ.Sextò.*

QVÆSTIO XXX.

An ſi Iuriſperitus, vel Theologus, vel Confeſſarius , vel alius interrogetur in genere , an quis ob tale crimen mereatur mortem , reſpondeatque mereri , maneat irregularis, ſequuta morte,vel mutilatione in aliquo.

REſpondeo, vt certum : Non manere irregularem. Quia Iuriſperitus , vel Theologus , cum ſit in genere interrogatus,non influit directè & proximè in alicuius particularis mortem , aut mutilationem, cùm in genere reſpondeat , quid leges circa reos talis criminis decernant , & contineant : ergo prædictus ob ſuam reſponſionem, non manebit irregularis, etiamſi ex illa ſequatur mors, vel mutilatio in aliquo.Sic omnes. Legantur Aſtenſ. *par.2. lib.6. tit.14. articul. 4. quæſt.1.*Angel.*verb. Homicidium 1.num.11. & irregularitas 1.num 4.*Silueſtr. *verb. Homicid.1.numer. 12. quæſt.8.& homicid.5.quæſt.7.*Maiolus *lib.2.cap.9. n.6. & 7.* Henriquez *libr.14.cap.16 num.4. litt. R.*Graff. *libr.2.deciſ.cap 64 num.6.*Viuald. *tract de Irregularitate,num.256.* Roſella, Tabiena, Sum.Corona , Philiarchus, & alij , quos citat , & ſequitur Sayrus *lib.6. cap.18.num.25.*Quibus adde Auilam *part.7.diſput.5. ſect.2.dubio 6.conſil.3.* Bonacinam *quæſt.4.de Irregularitate , puncto 1. num. 10.* Gibalinum *cap.4. quæſtione 3. conſectar.7. diff.8. pag.267.* & alios ſtatim citandos.

QVÆSTIO XXXI.

An ſaltem maneat irregularis dictus Iuriſperitus,vel alius qui interrogatus à Iudice , non in genere ,ſed de caſu particulari , an videlicet hic reus ſuſpendendus, vel mutilandus ſit ; reſpondet , mereri ſecundùm leges dictam pœnam.

AFfirmant communiter Doctores , inter quos præcipuus eſt Henriquez *libro 14.capite 6. numer. 4.* vbi ita ait : Clericus Iuriſperitus , ſi per Iudicem conſulatur de reo , ne dicat iure licitum occidere , aut non pertinet ad nos, quibus non licet interficere quemquam ; ſed cautè reſpondeat , vt conſulat Iuriſperitos. Ita ille. Quem citat , & ſequitur, licèt non in omnibus , Auila *part.6. diſput.5. ſect.2. dub.6.concl.2.*dum ita dicit: Clericus conſultus de caſu in particulari , reſpondeat : Conſule Iuriſperitos; hoc enim non pertinet ad me , quia nobis non licet interficere quemquam , vel non poſſumus ſuper hoc conſulere.Ita Tabiena *verb. Irregularitas 2. §. 4.* nec in huc vltimo inuenio ſcrupulum, quidquid dicat P Henriq. *num.4.* Huc vſque Auila. Necnon & alij apud Sayr. *lib.6.c.18. n.25.* præcipuè Molina *tract.3. diſp.74.n.6.*

Sed ego in hac re Reſpondeo : *Primò.* Longè probabilius eſſe , quod Iuriſconſultus Clericus, vel alius quiuis interrogatus à Iudice in particulari , an hic reus ſuſpendendus , aut decapitandus ſit , necne; Reſpondere licitè , & abſque nota irregularitatis poſſit , ius generatim dicere , & edocere , quod fures, verbi gratia , vel homicidæ ,ſecundum leges pœna mortis puniuntur , Graſſatores viarum ſuſpenduntur , &c. Quia in hoc caſu conſulens non mouet, aut ſuadet Iudicem , vt reum pœna mortis puniat,ſed ſolum rei veritatem aperit , qua cognita , Iudex ſe ipſum ad id quod iuſtum eſt , permouit. Sic ſentiunt Sayrus *numero 25. citat.verſ.Certum eſt*, Gloſſa *cap. Ex litteris, verb. Conſuluit , de exceſſib. Prælat.* Molina *tomo 4. tractatu 3. diſputatione 74. numer.4.* Bonacina *de Cenſur. diſput.7.quæſt.4.punct.1.numer.7 & 30.*Ioan.de Cruce *in Summ. part.2. de Irregularit dubio 5.concl.4.* Layman *lib.3.tractat.3.part.3.ſect 5 cap.7.num.4.*

Secundò , æquè probabiliter Reſpondeo Dicendum , quod non ſolum poſſit Iuriſconſultus , aut Confeſſarius , aut quiuis alius aperire rei veritatem, & declarare leges in genere , ſed in particulari etiam reſpondere Iudici interroganti , hunc reum mereri

mereti ſecundum iuris diſpoſitionem pœnam mortis, & adeſſe obligationem illum occidendi: nec per hoc irregularitatem incurret. Ratio eſt. Quia non eſt ius, ex quo colligatur non incurri, ſi quis non iuridicè, ſed priuatim interrogatus, reſpondeat mereri ſecundum leges hunc Reum pœnam mortis, & eſſe obligationem ſeruandi illas in tali materia, & incurrere ſi expreſsè dicat eſſe obligationem occidendi Reum. Sic ex P. Vaſquez docet Luyſius Turrian. *lib.9. de cenſur.diſp.66.dub.4.verſ. Solet autem*, quos citat, & ſequitur Dian.3. *p.tract.5.Reſ.*80. nec non (niſi fallor) Machado *tom.1.lib.1.p.3.tract.*18. *docum.3.n.*5. Et id vt probabile ſequitur Palaus *de cenſur.diſp.6 punct.*14. §.3.*n.*7. ita ſcribens. Quoad conſultorem attinet, communis ſententia eſt, irregularitatem incurrere: ſi conſilium præbeat Iudici, quo moueatur ad ſententiam proferendam in cauſa ſanguinis. Quod intelligendum eſt: quando conſilium à Iudice ex poſtulatur iuridicè Nam ſi priuatim expoſtuletur, & Iudex tanquam quælibet alia perſona de iuſtitia informetur, probabilitate non caret, irregularitati locum non eſſe, quia ex prædicta informatione contrahi non poteſt irregularitas ex delicto, cum nullum ibi commiſſum ſit. Neque item ex defectu perfectæ lenitatis, ſiquidem hæc tantum impoſita eſt Iudici, eiuſque Officialibus authoritate publica fungentibus, vt optimè, relato Vaſquez, notauit Gaſp. Hurt. *de Irregul.diſp.*2. *diff.*11. *n.*40. Hucvſque Palaus. Cui addo nouiſſimè Pellizzar. *tom.2. tract.7.cap.5 ſect.4.q.11.n.*170.

Qvæstio XXXII.

An ſit irregularis Confeſſarius, qui dicit Iudici nolenti punire Reum pœnâ mortis, vti tenetur, ſe non poſſe, nec velle ei abſolutionem dare, niſi Reum illum morte puniat.

Affirmant aliqui apud Saytum *lib.6. Theſauri, cap.*18. *num.*26. inſinuantem etiam id eſſe probabile. Quia tunc confeſſarius apertè dicit, imò & cogit Iudicem, vt reum morte puniat: ergo Confeſſarius verè tunc ſuo conſilio, aut mandato influit per ſe, & directè, & proximè in mortem Rei: ergo fit irregularis. Huic modo dicendi fauet Coninc *diſp.*11.*dub.1.q.3. verſ ſed quid.*

Sed, vt longè multò probabilius, imò vt mihi certum. Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia (ait Gibalinus) nunquam incurritur irregularitas ex homicidio ſequuto ex actione, quam quis ſine peccato omittere non poteſt, alioquin Eccleſia induceret ad peccatum metu incurrendæ irregularitatis: atqui Confeſſarius non poteſt omittere hoc conſilium, aut etiam imperium, erga iudicem pœnitentem; peccabit enim ſi det abſolutionem perſeueranti in peccato mortali, etſi non moneat ipſum, ne peccare pergat, & omninò exequatur id ad quod tenetur, &c. ergo. Quare etiamſi hæc monitio, aut etiam iuſſio, vel minæ Confeſſarij, cauſa ſint ſupplicij extremi, quo afficiatur Reus, qui per iniuſtitiam Iudicis pœnas alioquin euaſiſſet, non erit irregularis Confeſſarius, qui non niſi neceſſitate ineuitabili eius morti cooperatus eſt, ac proinde non intendit vindictam ſanguinis, neque contra manſuetudinem peccauit, ſed officio, quod ſine peccato omittere nequibat, functus eſt. Hucvſque ille. Qui citat pro hac parte Henriquez *lib.*14. *cap.*12. *num* 4. *lit. R, & cap.*16. *num.4. lit. S.* Auilam *diſp.5. ſect.*1. *dub.6. concluſ.*4. Molin. *tract.3. diſp.*74. *num.*18. Ægidium *diſp.*18. *num.*96. Reginald. *lib* 30. *n.*138. Præpoſitum *in 3.p.q.5. de Irregul.* Sayr. *lib.6. cap.*18. *n.*26. Bonacin. *diſp.7.q.4.punct.1.n.*32. Layman. *lib.*3. *ſect.5.tract.3.part.3.c.7.n.4.verſ. Inſuper*, & Suarium *diſp.47.ſect.1.num.*8. Quibus addi poſſunt Auila *p.7. diſp.5.ſect.2.dub.6. concluſ.*4. Filliuc. *tract.*19.*c.9.q.*7. *n.*242. Hurtad. *diſp.2. de Irregular. diff.*11.*n.*40. Bauny *tract.*11. *de cenſur. quæſt* 23. *de Irregular. ſect.*3. *pag.*480. Machado *lib.1. part.3. tract.*18. *docum.*3. *num.*6. Villalob. *tract.*21. *diff.*15. *num.*6. & Palaus *diſp.6. punct.*14. §.3. *num.*8. Quia credendum (inquit) non eſt, velle Eccleſiam irregularitate Confeſſarium innodare, ob actionem iure diuino debitam, & quam ipſe excuſare non poteſt. Dian *part.*4. *tract.2. Reſol.*99. Pellizzar. *tract.7.cap.5.ſect.4.q.*12. *num.*171.

Qvæstio XXXIII.

An Confeſſarius, qui obligat Reum pœnitentem iuridicè interrogatum, ad fatendum crimen dignum morte, fiat irregularis, pereunte Reo.

Reſpondeo Ex dictis: Non fieri irregularem, obligando Reum ad fatendum crimen, ſi Reus tenetur fateri illud: ſecus ſi non teneatur. *Prima pars* conſtat ex nuper habitis, quia quoties Reus iuridicè interrogatus tenetur ad mentem Iudicis reſpondere, tunc Confeſſarius ex ſuo munere obligatur vrgere pœnitentem ad hanc Confeſſionem, quam ſine nouo peccato nequit omittere: ergo ob id non fiet irregularis Confeſſarius, qui etiam ſine peccato non potuit omittere quod fecit. Sic tenent omnes Authores nuper pro noſtra & communi ſententia adducti. Qui idem dicunt de Confeſſario conſulente Reo, vt conſentiat ſententiæ mortis iuſtæ, & non appellet iniuſtè. Pro ſecunda verò parte, ſit

Qvæstio XXXIV.

An ſaltem fiat irregularis ex defectu lenitatis, qui conſulit Reo, vt fateatur crimen Iudici, caſu quo probè ſciat conſulens, Reum ex ſententia probabili non teneri crimen fateri.

Affirmant communiter DD. Tunc fieri irregularem. Quia Confeſſarius in eo caſu concurrit ad mortem rei directè, & proximè abſque vlla neceſſitate; poterat namque tutò ſequi opinionem probabilem liberantem reum ab obligatione fatendi criminis: ergo. Sic etiam ſentiunt omnes Doctores q.32. *citati.* & Gibalinus *q.3. conſectar.7.diff.*10. quamuis hic Author oppoſitum dixerit *cap.4. q.1. conſectar.*8 *pag.*184.

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe quidem irregularem, ſi conſulens ſit perſona publica, ſeu Miniſter iuſtitiæ, non autem ſi ſit priuata, niſi aliàs in dando tale conſilium mortaliter peccet, quia tunc erit irregularis ex delicto (iuxta ſtatim dicenda) non ex lenitatis defectu.

Qvæstio XXXV.

An fiat Confeſſarius, aut alius irregularis, conſulens Reo vt omittat appellationem iuridicam de ſententia mortis ſibi illata, quam ipſe interponere vult.

Affirmant communiter DD. ſuprà allegati. Quia tunc Confeſſarius, aut alius conſulens eſſet

Digitized by Google

eſſet cauſa, vt mors rei accelerarentur: ergo incurreret irregularitatem. Ita Henriquez *lib.14. c.16. n.4. lit.B.* Sayrus *lib.6.c.18.n.26. in fine*, Auila *part.7.diſput 5. ſect.2. dub.7. in fine*, Cornejo *diſp.11. dub.1. quaſt.4. verſ. Sed quid de Confeſſario.* Gibalinus *c.4. quaſt.3. conſectar.7. diff.10.in fine, pag.270.* & antea *q.2. conſectar.7.in fine, pag.184.* Cornejo *tract.de Irregularit.diſp.11.dubit.1.quaſt 4.* quem citat, & ſequitur Diana *part.4.tract.2.Reſol.99.*

Sed probabilius cum diſtinctione Reſpondeo Dicendum, quod aut conſulens eſt Aduocatus, aut alia perſona publica, & vt talis iuridicè dat conſilium de appellatione non interponenda, aut eſt perſona particularis. ſi eſt perſona publica, & vt talis dat dictum conſilium, certum eſt tunc irregularitatem contrahere ex defectu lenitatis, ob rationem à contrariis datam. Si verò eſt perſona particularis, veluti Confeſſarius, aut Theologus alius, & vt talis præbet dictum conſilium, certum eſt tunc irregularitatem contrahere ex defectu lenitatis, ob rationem à contrariis datam. Si verò eſt perſona particularis, veluti Confeſſarius, aut Theologus alius, & vt talis præbet dictum conſilium, tunc nullo modo contrahere irregularitatem vllam: quia ſi aliquam, vel eſſet ex defectu lenitatis, quia hanc ſolum contrahunt illi, qui vt miniſtri publici iuſtitiæ concurrunt ad cauſæ probationem, vti Aduocatus, & teſtes, vel pœnæ Executores, vt miniſtri iuſtitiæ, vt cum Vaſquez, Luyſio, Diana, Baunio, & Palao infra dicemus: nec ex delicto, cum hæc non contrahatur, niſi ex actione mortaliter peccaminoſa, qualis non eſt actio conſulendi Reo (non cogendi) vt appellationem non interponat: ergo. Sic expreſsè tenet Caſtro Palao. *diſp.6.punct.14.§.3.n.9.* & colligitur ex doctrina quam tradunt Vaſquez & ex illo Luyſ.Turrian. *de cenſur.lib.9. diſp.66. dubitat.3.* Diana *3.p.tract.11.de Irregular.q.23.quaſ.11.pag.484.*

QVÆSTIO XXXVI.

An ab irregularitatis incurſu liberentur concionatores, qui hortantur Iudices, ut ſeruent leges, & purgent Rempublicam ſceleſtis hominibus, &c.

RESpondeo, vt certum: Liberari. Sicuti liberantur Doctores, qui edunt tractatus de variis criminum pœnis, quibus inſtruuntur Iudices ad cauſas criminales pertractandas. Quia in his caſibus neque conſilium, neque opem, nec auxilium ad aliquem ſingularem damnandum præſtant. Sic docent omnes. Legantur Henriquez *lib.14.cap.12.n.6.litt. H,* Auil. *part.7. diſp.5. ſect.2. dub.6. concl.3.* Villadieg. *cap.6. n.86.* Bonac. *q.4.de Irregul.punct.1.n.31.* Gibalin. *c.4. de Irregul.q.3.conſectar.7.diff.8.n.56.* Villalob. *tract. 21.difficult.25.num 6.*

QVÆSTIO XXXVII.

An ſaltem innodetur irregularitate concionator, qui peccatorem occultum publicè reprehendit, & ob id à Iudice captus, ad mortem vel mutilationem damnatur.

RESpondeo: Innodari irregularitate ex delicto. Cùm verè culpa graui influat in mortem rei, ſiquidem publicè illum de occulto crimine reprehendit, diffamando proximum, quem iuxta præſcriptum Euangelij tenebatur corripere inter ſe, & ipſum. Sic Vgol. *de Irregul.c.6.§.10.* quem citat, & ſequitur Bonac. *loc.cit.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An Prælati Eccleſiaſtici, qui reum tradunt Iudici ſæculari puniendum, fiant irregulares, ſequuta illius morte, ſi non intercedant apud Iudicem pro reo.

RESpondeo: Omni modo fieri irregulares, ſi pro reo non intercedant, vt miſericorditer tractetur, & ne morte, aut mutilatione afficiatur: quia per hanc proteſtationem liberantur ab irregularitate. Quod conſtat ex cap. *Nouimus, de verb. ſignific.* vbi id expreſsè deciditur ab Innocent. III. Ratio eſt, quia per dictam traditionem ſolùm declarat Iudex, ſe iam officio ſuo functum fuiſſe; & reum illum dimittere vt incorrigibilem à propria iuriſdictione, vt in alia eius cauſa agatur. Sic omnes, ſed præcipuè Henriquez *lib.14. cap.12. num.5.* vbi ita ait, Iudex Eccleſiaſticus iure prohibetur ferre ſententiam mortis. Quod ſi generale ius ſeruandum eſſet, tutius, & aptius Iudex faceret, ſi per ſententiam intendat Clericum degradatum priuare tantum honore (habet enim ius ad hoc, quicquid inde ſequatur) deinde lecta ſententia reum dimittat à propria iuriſdictione: quo facto Iudex ſæcularis capit reum, & facta ſummaria informatione de euidentia facti, & confeſſione rei, damnat morte, & ſententiam ſuam mandat ſtatim exequutioni. Sic ille. Et penes ipſum Nauarr. Director Inquiſitor. & alij Auila *part.7.diſp.5.2.ſect. dub.2.* Medina *in Summ. lib.2.cap.11.§.10.* Couarr. *in Clem. ſi furioſus, 2.p.§.5. num.6.* Layman. *lib.3. ſect.5.tract.3.part.3.c.7.n.3.* (non 4. vt inuenies apud Gibalinum) Cornejo *diſp.11. de Irregul.dub.1.q.2.* Gibalin. *c.4.quaſt.3 conſectar.7. diff.7.* & nos amplius *tract.4.* de Degradatione.

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam Domini Inquiſitores fiant irregulares, tradendo hæreticum brachio ſæculari, ſi non intercedant pro illo, vt mitius Iudex ſæcularis ſe gerat cum ipſo.

AFfirmat Couarr. *in Clement.ſi furioſus, 2. part. §.5. num.6. verſ. Decimoquarto,* docendo fore irregulares, niſi pro reo intercedant apud Iudicem ſæcularem, eum rogantes, ne morte, aut membri mutilatione eum afficiat; quia id probant textus in cap. *Nouimus, de verbor. ſignificat. cit. & Regia l.60 tit.6.*

Sed vt iam certum Reſpondeo: Non fieri irregulares, etiamſi abſque proteſtatione, & interceſſione aliqua id faciant; ſed reum abſoluè tradant ad comburendum. Quia id poſſe, abſque irregularitatis nota, ex ſpeciali priuilegio Pontificum, Pauli videlicet IV. *die 29. Aprilis anno* 1557. & Pij. V. omnes iam docent DD. præcipuè Maiolus *lib.2. de Irregularit. c.9. n.8. & cap.10. num.5. & lib.5. cap.48. §.2. num.9.* & ex illo Henriquez *num.5.cit.* vbi verbis nuper adductis hæc adiungit verba: At ſpeciali iuris fauore, & priuilegio cenſores fidei, & illorum Conſultores, abſq; culpa, & periculo irregularitatis poſſunt ſimpliciter damnare hæreticos, & per ſententiam declarare incurriſſe pœnas authoritate Pontificum, & legum impoſitas, & authoritate Papæ abſque vlla proteſtatione relinquunt hæreticos Curiæ ſæculari, iuxta leges ciuiles puniendos morte, &c. ſic ille. in Corp. & *in marg. litt.C.* Medina *in Summ. lib.1.c.11. §.10. verſ. Quarta regula.* Tabien. Viuald. Zerol. Philiarc. & alij.

quos

quos citat, & ſequitur Sayr. *lib.6. cap.18. num.15.* Quibus addi poſſunt Auila, Layman, & Cornejo *ſup. cit.* Scottia *in Bull. Pontif. Epiſt.10. theor.34.* Gibalinus *loc. cit. diff.14. num.62. pag.288.* Pellizz. *tom.3. tract.7. cap.5. ſect.4. queſt.9. num. 163.* Dian. *part.4. tract.8. Reſol.51.* vbi ſic ait: Notandum eſt, quod ne ob periculum incurrendæ irregularitatis Miniſtri S. Inquiſitionis ab officio retardentur, noſtec Paulus IV. & Pius V. ſtatuerunt, vt Inquiſitores, Conſultores, & alij Inquiſitionis Miniſtri, eſſent immunes ab Irregularitate, quantumcunque, & quomodocunque ad hæreticorum condemnationem concurrant. Sic ille, & alij omnes, notantes quod ſolum iam ſit prohibitum DD. Inquiſitoribus exequi mortis ſententiam.

QVÆSTIO XL.

An etiam abſque irregularitatis incurſu poſſint Inquiſitores inſtare Iudicem, vt exequatur ſententiam mortis, caſu quo ille tentaret ipſam differre.

NEgat Couarr. *in Clem. ſi furioſus, de homic. part.1. §.5. n.6. in fine,* his verbis: Et ſanè ſi argumentatio Speculatoris foret valida, ſequeretur ex ea, poſſe abſque metu Irregularitatis Inquiſitores Iudici ſæculari conſulere, vt hæreticos ei traditos morte afficeret. Quod verum non eſt, nec iure Pontificio probari poteſt. Ita ille, quem alij nonnulli ſequuntur.

Sed vt mihi certum: Reſpondeo, Poſſe id facere abſque metu irregularitatis. Quia ad id ſe extendit conceſſio, & priuilegium Pontificium, vt docent Maiolus *lib.2. de Irregular. cap.10. n.5. pag. mihi 174.* & apud illum Tabien. *in verb. Irregularit.2. n.9. & 15.* & Felin. *in cap. Ad abolendam, de hæret.* Licèt hic author in ſequenti cap. dubitet. Sic etiam Henriquez *c.12. cit. n.5. in gloſſ.4. lit. D.* vbi ita dicit: Quod ſi Iudex ſæcularis tentaret differre executionem, poſſunt Inquiſitores inſtare, ſub graui comminatione, vt comburatur hæreticus. Sic ille, Syluest. Perez, & alij apud illum. Sayr. *lib.6. cap.18. n.15.* Auila *part.7. diſp.5. ſect.2. verſ. ſequitur ſecundò.* Medina, & Cornejo *loc. citatis.* Diana *part.4. tract 8 Reſol.51.* Barboſa *in collect. tom.2. lib.5. tit.7. cap.13. num.5.* Suar. *diſp.47. ſect.2. à n.10* & Pellizz. *n.163. citato.*

§. II.

De Accuſatore, & Denunciatore in cauſa ſanguinis.

QVÆSTIO XLI.

An accuſans aliquem in cauſa criminali criminaliter, petendo vindictam, fiat irregularis, ſecuta accuſati morte, vel mutilatione.

REſpondeo, vt quid certum: Fieri irregularem, quia ſic habetur in cap. *Aliquantum, diſt.51. cap. ſi quis viduam, diſt.50. & cap. fin. de homic. in 6. & cap. Sententiam & cap. Clerici. Ne Cler. vel Monach.* & ratio eſt. Quia accuſatores criminis cuiuſcumque verè cooperantur ad ipſius iudicium, vt habetur *in d. cap. Sententiam*: ergo ſecuta morte, vel mutilatione accuſati, irregularitas ab ipſis incurritur, caſu quo actione ſua accuſandi per ſe, vt ſupponimus, tendant ad punitionem accuſati. Sic omnes. Legatur Suarez *diſp.47. ſect.2.* vbi *num.1.* benè aduertit, quod quando huiuſmodi accuſator eſt iuſtus, tunc incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis: Si verò ſit iniuſtus, tunc irregularitatem ex delicto. Maiolus *lib 2. c.7.* Henriq. *lib.14. cap.12. n.8.* Couarr. *in Clement. ſi furioſus, de homicid. 2. p. §.5.* Auil. *part.7. diſp.5. ſect.2. à dub.8.* Bonac. *diſp.8. quæſt.4. punct.2.* Filliuc. *tract.19. cap.6. à quæſt.9. n.216* Bauny *tract.11. de Irregularit. quæſt.23. pag.478.* Luyſ. *lib.9. de cenſur. diſp.66. dub.2.* Sayr. *lib.6. cap.16. num.7.* Nauarr. *in Man. c.27. num.211.* Cornejo *diſp.11. de Irregul. dub.1. in princip. & quæſt 5.* Gibalin. *de Irregul. cap.4. quæſt.3. conſect.7. diff.11. pag.2*[?]*1.* Layman *lib.3. Sum. ſect.5. tract.3. p.3. cap.7. circa finem.* Palaus *de cenſ. diſp.6. punct.14. §.2.* Villalob. *tom.1. Summ. tract.21. diff.26.* Machado *lib.1. part.3. tract.18. docum.6.* vbi *n.1.* ſic ait: *Diſpoſicion es expreſſa en derecho, y que por regla general enſeñan todos los Doctores, conuiene à ſaber, que qualquiera perſona, que en cauſa de ſangre acuſare criminalmente à otro, por loqual ſe ſiga muerte ò mutilacion de miembre, queda irregular deſta eſpecie de Irregularidad, que proviene* ex defectu lenitatis. *Sic ille.* Et benè in omnibus, ſi intelligatur de accuſatione iuſta; nam ſi eſt iniuſta, erit irregularis, non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto, vt diximus ex Suario.

QVÆSTIO XLII.

An qui de crimine leui, nec morte, nec mutilatione digno Reum accuſaret, maneret irregularis, caſu quo Iudex iniuſtè eum morti traderet.

REſpondeo, vt quid certum: Non manere. Quia talis accuſator non dat in hoc caſu cauſam ſufficientem tali occiſioni; cum hæc non proueniat ex accuſatione, aut delatione delicti, ſed aliunde, nempe ex odio Iudicis, aut ex alia cauſa. Sic Nauarrus *c.37. num.214.* cuius verba, *quæſt 44.* referam. Couarruu. *in Clement. ſi furioſus, cit. 2. p. §.5. num.2.* dicens in hoc omnes conuenire. Bernard. Diaz *in pract. cap 98. n.3.* Suarez *diſp.47. ſect.2.* (non 3. vt leges apud Palaum) *n.18.* Bonac. *diſp.7. q.4. punct.2. n.7.* Sayr. *lib.6. cap.16. n.7.* Layman, Palaus & alij ſup. adducti.

QVÆSTIO XLIII.

An ſaltem maneat irregularis Iudex, quo vinctum ducente Reum ad carcerem, accedit inimicus Rei, & occidit illum.

REſpondeo ex dictis: Nec illum irregularem manere. Quia mors illa rei per ſe, & proximè non prouenit ex illa Iudicis captura, ſed aliundè: in hac autem materia non ſatis eſt, iſta aliunde prouenire, ſed quod ex tali cauſa data ſequatur. Sic Saytus *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO XLIV.

An fiat irregularis accuſans Reum de crimine leui, ſi Reus detentus in carcere, propter delicta ab aliis accuſatoribus cumulata, puniatur morte.

REſpondeo: Non fieri irregularem. Quia in hoc caſu non poteſt mors imputari propriè, & per ſe ipſi accuſatori, quod eſt neceſſarium, vt hic

irregula

irregularitatem contrahat : ergo. Sic optimè Nauar. *in Man.cap.27.num.*214. vbi ita dicit : Quintò infertur, quod eam (ideſt *irregularitatem*) non incurrunt laici, vel Clerici, qui deferunt ad Iudicem crimen, quod non meretur deformationem, licèt captum ob illud, iniuſtè, vel ob alia aliunde ad eum delata deformet, modo non tenerentur credere id euenturum: quia non præbent prædictam cauſam propinquam. Sic ille. Henriquez *lib.*14.*cap.*12.*num.*8. *fine.* Sayrus *lib.*6.*cap.*16.*num.*7. (non 6. vt citatum leges apud Bonac. Auila *part.*7. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*9. *verſ. Secundò.* Vgolin.*c.*6 § 4.Bonac.*diſp.*7.*q.*4.*punct.*2.*n.*7.*verſ. Secundus caſus eſt*, & Palaus *diſp.*6 *punct.*14.§.2.*n.*1.

QVÆSTIO XLV.

An accuſans aliquem in cauſa criminali petendo vindictam, fiat irregularis (ſecuta deformatione) ſi proteſtetur, ſe non intendere, vt accuſatus pænam mortis, vel ſanguinis ſubeat.

RESpondeo, vt certum : Fieri irregularem. Ratio eſt : Quia proteſtatio eſt inutilis, & nihil operatur quoties factum eſt illi contrarium, *l. Cum in plures, §. locator, ff. locati, & cap. Gratum, de offic. deleg* & cum multis tradit Barboſa *axiom.*194. at ſic eſt, quod factum hoc loco contrarium eſt proteſtationi : proteſtatur enim accuſator, ſe nolle pœnam mortis, vel ſanguinis, & tamen ipſam re ipſa petit, & re ipſa ad ipſius dumtaxat inſtantiam ea infligitur à Iudice : ergo. Sic omnes. Legantur Nauar. *lib.*5. *conſil. conſ* 9. *de homicid.* Couar. *in Clem. ſi furioſus*, 2. *part.*§.5. *num.*5. Henriq. *lib.*14 *cap.*11. (non 10. vt legi apud Bonac.) *num.*14 *litt.N.* Vgol. *cap.*6.§.1.*n.*3 Molin.*tom.*1.*tract.*3. *diſp.*8.*num.*4. & *tom.*4.*tract.*3.*diſp* 74.Suar.*diſp.*47.*ſect.*2. (non 20. vt inuenies apud Gibalinum) *n.*10. & *ſect.*4. *n.*9. Auil. *diſp.*5.*ſect.*2. *dub* 10. (non 19. vt leges apud eundem Gibalin.) Ægid. *diſp.*10.*dub.*10. Filliuc. *tract.*19.*c.*9. *q.*9.*n* 248. & 257.Bonac.*q.*4.*de Irregular.punct.*2.*n.*2. Gibalin.*c.*4.*q.*3. *conſect.*7.*diff.*21. & alij.

QVÆSTIO XLVI.

An excuſetur ab irregularitate Clericus, aut alius, qui accuſat aliquem de crimine digno morte, non criminaliter, ſed ciuiliter, hoc eſt non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem ſibi debitam.

RESpondeo, vt quid certum : Excuſari ab irregularitate, ſi proteſtetur expreſsè, ſe non intendere pœnam ſanguinis, ſed quod ſibi fiat ſatisfactio. Quia ſic habetur in cap. *Prælatis, de homicid. in* 6. vbi Bonifac. VIII. id definiuit, ne daretur occaſio prauis hominibus inferendi iniuriam Clericis, aut laicis ; ſi namque hi accuſationem inſtituere, timore irregularitatis, non poſſent, iniuriatores audaciores fierent. Et ſanè in caſu noſtræ quæſtionis, accuſator ſolum agit de ſuo damno, & intereſſe, non verò de punitione delicti : quare ad eam, ſi fortè contingat, non concurrit niſi admodum remotè, & per accidens : & ideò proteſtatio hîc non inuenitur contraria facto : nam accuſator proteſtatur, ſe non poſtulare mortem accuſati, quam re ipſa non intendit, nec de illa agit apud Iudicem, ſed tantum de ſua ſatisfactione, & intereſſe. Sic Vgolin. *cap.*6. *num.*2. Couar. *in Clem. ſi furioſus*, 2. *p.* §.5. Henriq. *lib.*14. *cap.*11. *num.*4. Suar. *diſputat.*47. *ſect.*2. Auil. *part.*7. *diſp.*5.*ſect.*2.*dub.*9. Ægid.*diſp.*18.*dub.*10.*n.*92. Filliuc. *tract.*19. *cap.*9. *q.*9.*n.*248. Bonacina *q.*4.*punct.*2.*n.*3. Palaus *diſp.*6.*punct.*14.§.2.*n.*2. Gibalin.*cap.*4.*q.*3.*conſectar.*7.*diff.*11. *dict.*3. Cornejo *diſp.*11. *dubit.*2.*q.*6. Luyſ.*lib.*9.*de cenſur.diſp.*66.*dub.*2.Villalob. *tract.*21. *diff.*16.*num.*2.Machad.*lib.*1.*part.*3.*tract.*18. *docum.*6. *num.*2.& alij.

QVÆSTIO XLVII.

An Clericus, vel alius qui iuſtè accuſans, proteſtationem ficto animo facit, & interius deſiderat vindictam, & ſanguinem accuſati, irregularitatem contrahat.

AFfirmant Nauarr. *cap.*27. *num.*206. (non 216. vt leges apud Palaum, nec 226. vt apud Machadum.) Quia ius requirens proteſtationem, non requirit illam mendacem, & fraudulentam. Syluester *homicid.*2. *quæſt.*8. Tolet. *lib.*1. *cap.*82. *num.*5. & alij apud Nauarrum, quos ſequitur Vega *tom.*2. *ſpeculi, cap.*12.§. *In ſexto, num.*270. & Ioan. Baptiſt. Bizozerus *in Summ. tract. de cenſur. cap.*5. *num.*5. per hæc verba à Diana relata : Ille qui coram Iudice, vel alio reum accuſat ſine proteſtatione, ſe id non facere, vt reus ad mortem, ſeu mutilationem damnetur, ſed vt ſuum habeat, vel vt publica ſcandala tollantur, fit irregularis. Secus ſi accuſat cum tali proteſtatione, quæ proteſtatio poteſt fieri ore, vel in ſcriptis : & proteſtatio talis, vt euiterur irregularitas, non tantum verbo, ſed verè, & animo fieri debet : nam ſi verbo faceret talem proteſtationem, & cuperet animo, vel ſibi placeret, vt talis ſuſpenderetur, vel mutilaretur, non euitaret irregularitatem : & ita omnes Doctores. Ita Bizozerus. Sed fallitur (adiungit Diana ;) nam hoc minimè aſſerunt omnes Doctores, dempto Nauarro, & aliis, vbi ſuprà. Sed in hoc nec benè Diana, cum præter ab ipſo citatos Doctores pro hac parte illam defendant Hoſtienſ. Summa Confeſſor. Aſtenſis, Angelus, Maiolus, Viualdus, Summ. Corona, & Sebaſtianus Medices citati à Sayro *lib.* 6. *cap.*18. *num.*4.

Sed nihilominus probabiliùs Reſpondeo : Nullo modo contrahere irregularitatem. Quia textus *in cap. Prælatis, de homicid. in* 6. non cauetur, vt proteſtatio ex vero animo fiat, ſed ſolum vt fiat : ergo. *Confirmatur*, quia in foro externo, tantum valet proteſtatio ficta, ac proteſtatio vera : ergo. Sic Sayrus *loc. cit.* & penes ipſum Felinus, & Anan. *in cap. Poſtulatis, de homicid.* Couar. *in Clem. ſi furioſus, part.*2. §.5. *num.*2. *verſ. Sextò.* Sot. *lib.*5. *de Iuſtit. quæſt.*1. *art.*9. *fin.* Tabien. *irregularitas* 3. §. *Octauò*, Martin. de Ledeſma *cap.*4. *quæſt.*26. *art.*2. *de Irregularit. pag* 365. Graff. *lib.*2. *cap.*46. *num.*41. quamuis hic falsò dicat talem in foro interiori eſſe irregularem. Philiarcus *part.*1. *lib.*4. *cap.*12. §.4. Cordub. *in addit. ad Sotum, in relect. de tegen. ſecret. memb.*4. *quæſt.*3. *concl.*5. & Henriquez *lib.*14. *cap.*3. §.4. *lit. O*, & *cap.*11. §.5. His addit Diana, quos & ipſe ſequitur *part.*4. *tract.*2. *Reſol.*75. Suarium *diſp.*47. *ſect.*2.*num.*3. Auilam *p.*7.*diſp.*5.*ſect.*2. *dub* 9. *concl.*1. Ægidium *diſp.*18. *dub.*10. *num* 93. Hurtadum *diſp.*2. *de Irregularit.* Præpoſitum *in* 3.*p.* *quæſt.*5. *de Irregularit. dub.*12. *num.*103. Luyſium Turr. *de cenſur. lib.*9. *diſputat.*66. *dub.*2. & Petrum Cornejo *diſp.*11. *de Irregularit. dub.*1. *quæſt.*6. Quibus ego adhuc addo Barboſam, *in Collect. ad cap. Prælatis, num.*9. Laymanum *lib.*3. *ſect.*5. *tract.*3. *part.*3. *cap.*7. *in fine*, Gibalinum *de Irregular. cap.*4. *quæſt.*3. *conſect.*7. *diff.*14.*pag.*288. Filliucium *cap.*9.

cit.

*cit.n.*348. Reginald. *num.*132. Bonac. *q.*4.*de Irregul. punct.*2.*n.*11.Villalob. *tract.*21. *diff.*26. *n.*4. Baunium *de cenſur. tract.* 11. *de Irregul. quæſt.*23. *verſ.Quid ſi accuſator.* Machad. *lib.*1 *part.*3.*tract.*18. *docum.*6.*n.*3. & Palaum *diſp.*6.*de cenſur punct.*14.§.2.*n.*2.

QVÆSTIO XLVIII.

An vt non incurrat quis irregularitatem,ſufficiat,ſi proteſtationem ſolo animo faciat.

AFfirmat Tiraquel. vbi infrà, exiſtimans, prædictum non fore irregulatem in interiori foro.

Sed vt certum Reſpondeo : Non ſufficere ad non incurrendam irregularitatem, proteſtationem ſolo animo factam. Sic optimè Couarr. *in Clem. ſi furioſus.*2.*p.*§.5.*n.*3. his verbis : *Septimò*, eadem ratione accuſator irregularis erit, ſi non præmiſerit prædictam proteſtationem, etiamſi in animo gerat, & voluntatem habeat, quod ille accuſatus non occidatur, nec membro mutiletur. Nam ſicut animus prauus non inducit irregularitatem,ita nec ab ea quemquam liberat : cum actus exterior ad homicidium tendens irregularem agentem conſtituat, quod in hac ſpecie viſum eſt Gloſſæ communiter receptæ *in d. cap.*2. & procedit in conſcientiæ foro adhuc : ſicur in iudiciali ſecundum Calderin. & Franc. *in d cap* 2. licèt contrarium notauerit Andr. Tiraquel. *de legib. connubialib.* poſt ipſas leges,*in gloſſ.*5. vbi contendit, & conatur excuſare hunc Clericum accuſatorem quoad Deum. Id verò refragatur veritati, iuxta quam, qui eſt irregularis in exteriori iudicio, & itidem irregularis erit in interiori. Hucuſque Doctiſſim. Couarr. Cuius ſententiam ſequuntur Vgol. *c* 6. §.8. Bonac. *punct.*2. *cit.n.*10. & Auil. *dub.*9.*cit.verſ.Ex quo infero.*

QVÆSTIO XLIX.

An vt proteſtatio liberet quem ab irregularitate, debeat fieri coram Iudice ſimul dum formatur accuſatio.

REſpondeo Dicendum, quod licèt ſit optimum conſilium, vt ſimul cum ipſa accuſatione fiat; non tamen erit defectus ſubſtantialis, ſi tunc non fiat, dummodò antequam Iudex proferat ſententiam illi proponatur. Quia tunc poteſt habere effectum intentum *in d. cap.*2. & *in d. cap.* aliud non requiritur. Sic optimè Auil. *p.*7.*diſp.*5.*ſect.*2. *dub.*9. *concl.*2. id ita probans : Nam ratio quare Clericis prohibita eſt accuſatio in cauſa ſanguinis abſque proteſtatione, eſt quia per accuſationem ſine proteſtatione, cenſentur intendere mortem accuſati : ſed per proteſtationem poſtea factam,reuocant voluntatem mortis,quam viſi fuerant habere : ergo liberantur ab irregularitate, ſicut liberatur qui mandauit homicidium, & ante executionem mortis reuocat mandatum. Sic ille ex Henriq.*lib.*14.*c.*11. *n.*5. Couarr. *loc.cit.n.*1. *verſ. Quartò iure ipſo.* Emmanuel *c.*107.*concl.*7. Felin.Ioan. Andr. Bartol. & aliis. Quibus addi poſſunt Suar. *diſp.*47. *ſect.*2.*num.*2.*in fine.* Palaus *diſp.*6. *punct.*14.§.2.*n.*2.*in fine.* Diana *part.*4. *tract.*2. *Reſol.*75. propè finem. Villalob. *tract.*21.*diff.*26.*num.*4. Sayrus *lib.*6.*cap.*18. *num.*3. & alij.

QVÆSTIO L.

An ſit neceſſaria proteſtatio ad excuſandam irregularitatem, quando accuſatio criminis fit coram Iudice Eccleſiaſtico.

REſpondeo : Non eſſe neceſſarium. Quia Iudex Eccleſiaſticus non poteſt imponere pœnam ſanguinis, nec relaxando reum concurrit ad illius mortem : ergo nec accuſator; quia hic non poteſt cenſeri concurrere ad mortem Accuſati, magis quàm ipſe Iudex. Sic communis. Henriq. *lib.*14. *cap.*11. *num* 5. Bern. Diaz *in ſua pract. cap.*98. *num.*14. Sayrus *lib.*6. *cap.*18. *num.*14 Auil. *part.*7. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*9. *in fine.* Cornejo *diſput.*11.*cit. dub.*1. *quæſt.*6. *verſ. Sed quid ſi accuſatio.* Villalob. *tract.*21. *diff.*26. *num.*9. Gibalinus *de Irregularit. cap.*4.*quæſt.*3. *conſectar.*7. *diff.*14. *verſ. Debet porro.* Maiolus infra citand. & communis.

QVÆSTIO LI.

An ſaltem ſit neceſſaria poteſtatio,ſi cauſa incipiat in iudicio Eccleſiaſtico, & finiatur in iudicio ſæculari.

REſpondeo : Adhuc in hoc caſu non eſſe neceſſariam proteſtationem. Quia accuſator verè comparuit apud Iudicem Eccleſiaſticum, non ſæcularem. Sic Felin. *in cap. Poſtulaſti, de homicid.* Sayrus & Gibalin. *loc. cit.* necnon Maiolus *lib.*2. *de Irregularit. cap.*7. *num.* 4. qui de hac quæſtione interrogatus, ſic ſcribit : Huc ſpectat quæſtio de qua in contingenti cauſa rogatus reſpondi. Vir probus Sacerdos detulit ad Epiſcopum, inceſtuoſum quendam iam diffamatum, vt corrigeretur canonicè. Epiſcopus teſtes examinauit : acta illa furtim fuere ſublata, delataque ad Iudicem ſæcularem, vnde ſecuta eſt mors Inceſtuoſi. Certè neque accuſator, neque teſtes ſunt participes mortis ex actis coram Epiſcopo : ſecus ſi adiiſſent ſæcularem Iudicem. Huc vſque Maiolus.

QVÆSTIO LII.

An omittens proteſtationem in cauſa ſanguinis, ex obliuione, & inaduertentia, fiat irregularis.

REſpondeo : Fieri, quamuis non peccet, ſaltem mortaliter. Quia reuera omiſit id quod ius requirit ad excuſandam irregularitatem. Nam hæc non ſolum incurritur ex delicto, ſed ex defectu lenitatis. Sic Nauarr. *c.*27.*n.*213.*in fin.* Henriq. *lib.*14.*cap.*12. *n.*4. *lite.T.* Sayr. *lib.*6.*c.*18. *n.*3. Bonac. *q.*4. *punct.*2. *num.*8.& alij.

QVÆSTIO LIII.

An hæc proteſtatio non ſolum Clericis, ſed etiam laicis ſit neceſſaria ad euitandam irregularitatem.

NEgandum videtur. Quia *in cap.*2. *de homicid. in* 6. vbi hæc proteſtatio ſtatuitur, ſolum fit ſermo de Clericis : ergo cum id ſit graue onus, non debet extendi ad alias perſonas vltra eas, quibus in iure expreſsè ponitur.

Sed

Digitized by Google

Sed vt quid certum Reſpondeo : Non ſolùm Clericis, ſed etiam laicis, eſſe neceſſariam proteſtationem, dum delinquentes accuſant ad conſulendum ſibi, & rebus ſuis. Quia vtriſque conuenit ratio, ob quam à iure ſtatuitur proteſtatio. Statuitur namque in remedium ad euitandam irregularitatem, quæ aliquin contraheretur ex accuſatione in cauſa ſanguinis, quæ ex ſe eſt moralis occaſio mortis : Ius autem hunc modum, ſeu proteſtationem inuenit, vt impediatur, quantum fieri poteſt, in accuſante cooperatio ad mortem, declarando ſe non intendere illam per accuſationem : cum ergo accuſatio facta à laicis, ita ſit moralis occaſio mortis, ſicut eſt accuſatio à Clericis facta, ſequitur planè, laicos vt euitent irregularitatem debere proteſtationem præmittere.

Nec obſtat quod *in d cap.1.de homicid.* ſolùm fiat mentio de Clericis. Quia hoc ſolùm factum fuit eo quod Clericos magis quàm laicos dedecet accuſatio: & quia ipſi abſque vrgenti occaſione, cauſæ ſanguinis ſe immiſcere non poſſunt. Nec illa proteſtatio cauetur à iure tanquam grauamen, ſed potius tanquam remedium ad euitandam irregularitatem : & ideò debet extendi etiam ad laicos. Sic tenet communis Nauarr. *cap.27.n.213.214.& 226.* Couarr. *in Clem. ſi furioſus*, 2.*p.*§.5. Sotus, Ledeſm. Abbas. & Imola, quos citat, & ſequitur Suarez *diſp.47.ſect.1.n.6.* Vgolin.*c.6.* §.4. Ægidius *diſp.18.dub.10.num* 93 Filliuc. *num.*148. *verſ. Notandum ſecundò* Molina *tom.4.diſp.*74 *num.*2. Auila *p.7.diſp.5 ſect.2 dub.9.verſ.Sextò.* Bonacin. *diſput.7.q.4.punct.2.n.12.* Palaus *diſp.6.punct.*14.§.2.*n.*3. Cornejo *diſp.11.de Irregular.propè finem*, & alij. Qui & notant, hanc eſſe differentiam inter Clericum, & laicum, quod ſi Clericus omittat proteſtationem erit irregularis ex homicidio iniuſto, cum illi ſit prohibitum accuſare ſine proteſtatione in cauſa ſanguinis, *cap. Poſtulaſti, de homicid. iuncto d.c.2. de homicid.* At verò ſi laicus omittat, erit irregularis ex defectu lenitatis.

Qvæstio LIV.

An proteſtatio excuſet ab irregularitate illum qui accuſat aliquem pro recuperatione damni ſibi illati, ſi hoc reparari alia via poßit.

NEgant aliqui DD. docentes, proteſtationem, ſolùm excuſare ab irregularitate, caſu quo non ſit aliud medium, aut remedium ad recuperandum damnum illatum, niſi accuſatio, aut denunciatio. Ita Syluest. *verb. homicidium* 2. *quæſt.*8. & ibi Angel. Tabien. *Irregularitas* 3.§.8. Panorm. & Felin. *in cap. Poſtulaſti, de homicid.* Nauarr. *conſil.9.de homicid.*

Sed probabilius. Reſpondeo : Excuſare, etiamſi qui per accuſationem petit recuperari ſibi damnum illatum, poſſit alia via reparare. Ratio eſt. *Tum*, quia textus abſolutè loquitur, & concedit hanc facultatem. *Tum* etiam, quia liberum eſt vnicuique reparationem damni velle ex manu Iudicis, & authoritate publica obtinere, quippe ſic obtenta, honorabilior eſt. Sic Henriquez *lib.14. cap.11. num.4.* in Gloſſa *lit. M.* Suar. *diſput.47. ſect.2.num.7.* Filliuc. *tract.19. cap.9. quæſt.9 num.248. verſic. Notandum tertiò.* Bonac. *tom.1. diſp.7. q.4. punct.2. n.1.* Cornejo *diſp.11. de Irregularit. dub.1.q.6. verſ. Sed quid ſi non poteſt.* Palaus *diſp.6.punct.14.§.2. num.5.* Villalob. *tract.21. diff.26.n.10.* ita dicens : *Lo octauo, que ay diferencia entre el que acuſa en propria cauſa, o agena : porque en propria cauſa puedo libremente acuſar, hauiendo hecho la proteſta, aunque por otra via pueda recuperar ſu hazienda con tal que la accuſacion ſea juſta : mas en la cauſa agena es neceſſario, que eſto obligado à acuſar, y no baſta el daño ya hecho, ſino que es neceſſario que aya peligro, y que eſte como* in fieri, *como dize Suarez* diſp.47.ſect.1.n.16. Huc vſque Villalobos. Legantur dicta q.46.

Qvæstio LV.

An ſicut poteſt Clericus, vel alius, abſque metu irregularitatis, cum proteſtatione accuſare reum de iniuria ſibi, aut rebus ſuis illata, ita poßit accuſare de iniuria, vel damno illato ſuis propinquis, & cognatis.

NEgant aliqui DD. exiſtimantes, irregularitatem incurrere Clericum, vel alium, qui alterum accuſat de iniuria illata perſonis extraneis, aut etiam conſanguineis, ſequuta mutilatione, vel morte, etiamſi præmiſerit proteſtationem. Quia in cap. *Prælatis, de homicid. in 6.* permittitur Clericis, & in conſequentiam laicis, conqueri coram Iudice de Malefactoribus ſuis ; non de iis, qui aliis mala intulere : ergo. Ita tenet Bonacin. *tom 1.diſp 7. quæſt.4. punct.2. num.4.* qui & citat pro ſe Nauarrum *cap.27 num.214.* Henriquez *lib.14.c.11.num.4.* Sayrum *lib. . cap.*18 Vgolinum *cap 6. §.9.* Suarium *diſput.47. ſect.2. num.17.* Molinam *diſp.8. num.* 8. Ægidium *diſp.18. num.* 94. Reginaldum *lib.30.num.*129. & Filliucium *num.*249. Sed ex his Doctoribus, quos pro ſe Bonacina citat, Nauarrus, non loquitur de propinquis ; & de iis loquendo, expreſsè tenent contrarium Henriquez *loco citato, lit. I.* Sayrus *cap.28. citato numero* 10. Suarez *n.17.* Ægid. *n.93.* Fillicius *n.251.* & alij. Citat Diana pro hac parte Petrum Cornejo *diſp.11.de Irregular.dub.1.q.6. n.4.* & etiam malè, ſi attentè legatur : ait enim, id extendendum eſſe etiam ad domeſticos, & propinquos : quia damnum propinquis & domeſticis illatum, reputatur *proprium* (adde, quia deeſt, vt vides)

Sed multò probabilius Reſpondeo : Ita abſque metu irregularitatis, poſſe cum proteſtatione accuſare malefactorem coram Iudice, de iniuria, aut damno illato ſuis propinquis, aut conſanguineis, qualea ſunt, parentes, filij, fratres, &c. Quia damnum, ſeu iniuria illata conſanguineis, & propinquis, reputatur propria accuſatoris, cum ad ipſum pertinere cenſeatur : quando ergo de illa coram Iudice queritur, de ſua iniuria planè quæritur. Sic Henriquez, Sayrus, Suarez, Ægidius, & Fillincius *loco citato.* Quibus adde Couarruuiam *in Clem. ſi furioſus*, 2. *parte*, §.3. *num.4.verſ.Vndecimò*, vbi hanc ſententiam vocat communem. Auilam *part.7. diſp.5. ſect.2. dub.11. concluſ.1.* Gaſpar. Hurtadum *diſp. 2. de Irregularit. differ.11.num.41.* Cornejo *loco citato*, Præpoſitum *in 3.part.quæſt.5.de Irregularitat.dub.13. num.101.* Villalob. *tract.2 diff.26. num.7.* Diana *part.4. tractat.2. reſol.33.* Machado *lib.1. part.3. tractat.18. docum.6, num.4.* Luyſius *diſp.66.dub.2.in fine*, Gibalinos *cap.4. quæſt.3 conſect.7 diff* 12 *pag.*283. Layman *lib.3. tract.3.part.3.cap.7.num.5.* Palaus *diſput. 6. punct.14. §.2. num.6.*

QVÆSTIO LVI.

An Irregularitatem fugiat, qui accuſat reum de damno illato cognatis, vel conſanguineis intra quartum gradum.

NEgat Filliuc. *loc. cit. num.* 151. per hæc verba: Dico tertiò, per cauſam propriam intelligi cauſam perſonalem, vel alterius, qui tantam habeat coniunctionem nobiſcum, vt eius iniuria redundare cenſeatur in propriam perſonam. Talis eſt regulariter inter parentes, & filios, & fratres inter ſe, non autem in aliis gradibus, niſi ſit ratio ſpecialis, vt ſi viuat in ſua domo, vel ſponſa ſit ſub ſua protectione, vel ſimilis circumſtantia. Ita Filliuc. Cuius doctrinam prius tradidit Suarez *loc. cit.* & à fortiori docebunt Authores primæ ſententiæ quæſt. antecedentis.

Sed probabilius Reſpondeo: fugere, & euitare irregolaritatem. Quia vſque ad illum quartum gradum cenſetur fieri accuſatio in cauſa propria, & non aliena. Sic Palaus *n.*7. *cit.* ita ſcribens: Quod ſi roges, quando cenſenda eſt accuſatio inſtitui in cauſa propria, quando in aliena? Reſpondeo cenſeri in cauſa propria inſtitutam, ſi inſtituta ſit in defenſionem, ſeu reparationem tui honoris, famæ, vel rerum temporalium, vel in reparationem parentum, filiorum, fratrum, alteriuſve ſimilis conſanguinei, vel cognati. Quinimò exiſtimo te cauſam propriam proſequi eſſe cenſendum, ſi cauſam tui conſanguinei, vel cognati intra quartum gradum proſequatis: quia conſanguinei & cognati ita inter ſe coniunguntur, vt bonum, vel damnum alicuius, omnium eſſe cenſeatur. Hæc Palaus.

QVÆSTIO LVII.

An etiam vitet irregularitatem, qui accuſat, præmiſſa proteſtatione, reum de iniuria, vel damno illato ſubditis, vel famulis, aut domeſticis accuſantis.

NEgat, & fortiori, Bonac. *punct.* 2. *cit. num.*4. & indicant Henriquez, Couarruu. & alij, qui ſolum de propinquis (loquendo de hac quæſtione) mentionem faciunt.

Sed probabilius adhuc Reſpondeo: Etiam vitare irregularitatem. Quia probabilius eſt, cauſam ſubditorum, vel famulorum, aut domeſticorum, propriam reputari debere, vt optimè probat Suarez *diſp.*47. *ſect.*2. *num.*17. his verbis: Vt poſſimus aliquam certam regulam aſſignare, & vt teneamus proprietatem verborum textus, neceſſarium eſt dicere, tantam eſſe debere coniunctionem, vt alterius iniuria in propriam perſonam cenſeatur redundare: qualis cenſetur regulariter eſſe inter parentes, & filios, & fratres inter ſe, non verò in aliis gradibus, niſi ſpecialis aliqua ratio intercedat, vt ſi iniuria fiat in mea domo, vel perſonæ quæ exiſtit ſub cura & protectione mea, vel cum alia ſimili circumſtantia, quæ interdum non ſolùm inter amicos, imò aliquando etiam inter extraneos facit, vt iniuria alterius, tanquam propria reputetur. Atque ob ſimilem cauſam poteſt Dominus accuſare propter iniuriam factam famulo, vel mancipio, non ſolùm propter nocumentum, quia læditur in re ſua, ſed etiam propter iniuriam propulſandam, & ſimilem præcauendam. Sic Suares. Necnon Filliuc. *n.* 151. *cit. dicto* 3. Auil. Cornejo. Villalob. Dian. Palaus, Machad. *ſup. cit.* & reputat probabile Bonacina.

QVÆSTIO LVIII.

An rurſus qui, præmiſſa proteſtatione, accuſat malefactorem de iniuria iam illata non ſibi, nec propinquis, nec domeſticis, ſed extraneis perſonis, euitet irregularitatem.

REſpondeo, vt certum: In hoc caſu non euitare irregularitatem, ſed contrahere illam. Conſtat, quia *in cap.* 2. *de homicid. in* 6. ſolùm accuſantibus in cauſa propria conceditur hic fructus vitandi irregularitatem, facta proteſtatione. Vnde de aliis, qui in aliena cauſa, aut de iniuria illata extraneis perſonis accuſationem inſtituunt, ius commune imponens irregularitatem omnibus operantibus ad mortem, integrum manet. Igitur qui etiam præmiſſa proteſtatione malefactorem accuſat de iniuria illata extraneis perſonis, irregularis fiet. Sic communis, Nauarr. *cap.*27. *num.*217. Couarr. *in Clement. ſi furioſus*, §. 5. *num.*4. *verſ. Vndecimò.* Suarez *diſp.*47. *ſect.*2. *num.*17. Molino *diſputat* 8. *num.*8. Auil. *part.*7. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*11. *concluſ.*2. Bonacin. *tom.*1. *diſp.*7. *quæſt.*4. *punct.*2. *num.*4. Layman *lib.*3. *tract.*3. *part.*3. *cap.*7. *concluſ.*5. Palaus *diſp* 6. *punct.*14 §. 2. *num.*7. Gibalin. *cap.*4. *de Irregular. quæſt.*3. *conſectar.*6. *diff.*12. Et omnes ſupra adducti.

QVÆSTIO LIX.

An ſaltem vitabit irregularitatem, qui non accuſat de iniuria iam extraneis illata, ſed inferenda.

NEgant aliqui, exiſtimantes irregularitatem etiam in propoſito caſu incurrere. Quia vt ex nuper dictis conſtat, ius non permittit accuſare, niſi in cauſa & iniuria propria, hoc eſt, pro iniuriis ſibi factis, vel rebus, vel bonis ſuis: non ergo pro alienis etiam faciendis, eueniendiſve. Ita Felinus in *cap. Poſtulaſti, de homicid.* vbi ait eſſe communem ſententiam Doctorum.

Sed vt longè probabilius Reſpondeo: Vitare irregularitatem: caſu quo accuſans aliter non poſſet illa damna impedire, quàm accuſando, aut denunciando reum. Ratio eſt, quia in hoc caſu non ſe liberè immiſcet, qui accuſat, in cauſam ſanguinis, ſicuti immiſcetur Iudex officium iudicandi aſſumens, ſed lege charitatis coactus. Credibile autem non eſt Eccleſiam velle irregulares facere illos, qui officium charitatis, ex lege naturali debitum exercent; eſſet enim impedimentum apponere operibus charitatis, & pietatis. Sic Caietan. 2.2. *quæſt.*33. *artic.*5. Sot. *lib.*5. *de Iuſtit. quæſt.*5. *art.*1. *ad* 4. Martin. de Ledeſm. 2.4. *quæſt.*26. *art.*2. *fol.*364. Nauarr. *cap.*18. *num.*54. *& cap.*24. *num.*11. *& cap.*27. *num.*213. Couarr. *in Clement. ſi furioſus*, *part.*2. §. 5. *num.*4. Maior. *lib.*2. *cap.*3. *num.*4. *verſ. Delatores.* Henriq. *lib.*14. *cap.*3. *num.*7. *litt. R.* vbi ait: malum imminens in futurum, tum priuatum, tum commune, præmiſſa proteſtatione denunciari poſſe: & *cap.*11. *num.*4. *& cap.*12. *num.*7. *litt. E. & num.*8. *lit. P*, Bañes 2.2. *quæſt.*33. *art.*7. & ibi S. Thom. *& quodlib.*1. *quæſt.*8. *art.*16. *ad* 1. Polancus, Philiarcus, Summ. Corona, & Salon, quos omnes citat, & ſequitur Sayr. *lib.*6. *Theſaur. cap.*18. *num.*12. Quibus addi adhoc poſſunt Molin. *tom.*1. *tract.*13. *diſput.*8. *num.*9. Auil. *p.*7. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*11. *concl.*3. Suarez *diſp.*47. *ſect.*2. *n.*12. *&* 15. Bonac. *tom* 1. *diſput.*7. *quæſt.*4. *punct.*2. *num.*7. *verſ. Quartus caſus.* Filliuc. *tract.*19. *c.*9. *n* 249. Laym. *lib* 3. *ſect.*5. *tract.*3. *part.*3. *cap.*7.

cap.7. num.6. Palaus *diſput.6. punct.15. §.2. num.8.* Cornejo *diſp. 11. dub.1. quaeſt.6. num.4.* Gibalinus *de Irregular. cap.4. q.3. conſectar.7. diff.14. n.60. verſ. Secundo.* Luyi. *de cenſur. lib 9. diſput.66 dub.2. verſ. Quarta.* Michado *lib.1. part.3. tract.18. docum.6. n 4. in fine,* & Villalob. *tract.21. diff 26. n.10.* Et alij, ex quibus aliqui addunt, quod in iſto caſu, & ſimili, nullo modo requiratur proteſtatio, ad fugiendam irregularitatem. Legantur Molina, Auila, Gibalinus, Cornejo, & Machado citati. & Villalobus mox largè citandus.

Qvæstio LX.

An ſit irregularis, qui præmiſſa proteſtatione, proditionem Patriæ, aut crimen aliud in Rempublicam, vel Principem reuelat.

Affirmat Felinus ductus ratione nuper à nobis propoſita.

Sed multo longè probabilius Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Conſtat ex dictis. Quia æquum non eſt, vt quis damnum ſubeat ob id, quod iure naturæ præſtare tenetur: cum ergo in hoc caſu teneatur denunciare, par non eſt, vt irregularis fiat. Sic DD. citati nuper: præcipuè Villalob. *diff.26. citat. num* 5. Ita dicens: *No ſolamente puede el Clerigo acuſar a les malhechores con la proteſta del dicho daño, ò injuria que à el la hazen, ſino tabien del que ſe haze a ſus domeſticos, y parientes, como dizen Conarruu. Henriq. y Auila. La razon es porque el daño que ſe haze a los domeſtices, y pariente, ſe reputa por proprio. Lo miſmo ſeria, ſi fueſſe la iniuria contra la Republica. Y aun lo miſmo quando ſe quiſieſſe hazer alguna iniuria a algun eſtraña, y no ſe puede impedir ſino denunciando en ella el Clerigo, como tienen Cayetan, Bañes, Nauarro, y Auila, el qual dize con Molina, que en eſtes dos caſos no ay neceſſidad de proteſta, poarque no les eſta prohibido a los Clerigos eſto.* Sic Villalobos.

Qvæstio LXI.

An Clericus, vel alius, qui clamat, vt è manibus furis bona ſua eripiant, & eo excitatus clamore Iudex furem capit, & occidit, maneat irregularis.

Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia tunc Clericus agit in iuſtam defenſionem, quam lex naturalis permittit: ergo poſitiua lege puniri non debet. Addo, quod ipſemet Clericus poteſt in dicto caſu furem capere, & præmiſſa proteſtatione, tradere Iudici, vt conſtat ex dictis, & infra rurſus dicemus: ergo à fortiori licitum erit ei clamare Iudicem ad damnum ſibi factum recompenſandum. Sic Layman. *lib.3. ſect.5. tract.3. part.3. cap.7. n.5. verſ. Sed quid ſi aliquis.* Saytus *lib.6. cap.18. n.9. dub.5.* Gibalinus *de Irregular. cap.4. quæſt.3. conſectar.7. diff.13. verſ. Secundè, & verſ. Tertiò*, per hæc verba: Tertiò, qui clamore excitat vicinos in furem qui capitur, & Iudici traditur, ab eoque occiditur, non fit irregularis, quia ipſemet potuit cum furem capere, & Iudici tradere. Sic illc. Palaus *loc. cit.* Bonac. *q.4. punct.1. num.18. & punct.2. n.5.* & alij penes ipſos.

Qvæstio LXII.

An item non maneat irregularis, qui clamans excitat vicinos, qui furem fugientem cum rebus ſuis capiunt, & occidunt.

Negant communiter Doctores, docentes in hoc caſu manere irregularem ſic clamantem, etiamſi monuerit, ne occiderent, nec aliud ipſe præuiderit, eo quòd aduertere debuiſſet ſic clamans, quod priuati homines concurrentes contra furem, vix ſolent ab occiſione rei ſe temperare. Ita ſentit Saytus *lib.6. Theſauri, cap.18. num.9.* citans pro ſe Panonnitan. *in cap. ſignificaſti 2. num.12. de homicid.* Nauarrum *cap.27. num.136. verſ. Vigeſimoquartò.* Couar. *in Clem ſi furioſus, part.2. §.5. num.3. verſ. Octauò.* Henriq. *lib.14. cap.12.* Sylueſtrum, Angelum, & Summam Confeſſorum. Et benè. Lege illos. Præcipuè Henriq. *loc. cit. n.3.* ſic dicentem: Clericus fit irregularis ſequuto effectu, qui (ſecluſio periculo propriæ vitæ) clamat latrones, latrones, ſiue aliod agit, ex quo aduertit ſequi periculum, vt comprehendantur, aut à priuato occidantur. Nec excuſatur ab Irregularitate ex eo quod faciat proteſtationem ad concurrentes: quia aduertere debuit ſic clamans, quod concurrentes vix ſolent ab inuaſione furia temperare; aut conſulens, vt latroni ducto claudant os, ne clamore vocet ſocios, qui eum liberent, quando conſtat, quod conuocati liberaſſent. Ita ille. Qui & citat vltra citatos, Maiolum, Armillam, & Roſellam, Tabienam, & alios.

Alij tamen hunc dicendi modum temperant, putantes præfitum clamantem manere irregularem, caſu quo præuidiſſet imminere periculum, quod ab homine priuato comprehenderetur, & occideretur fur: ſecus ſi non præuidiſſet, nec ſuſpicatus eſſet. Ita Nauarrus loco pro ſua ſententia à Sayro, & ab Henriquez citato: ait enim ſic. Et quod Monachus vel Clericus beneficiatus, aut ordine ſacro initiatus, videns furem ſurripientem vociferatur latro latro, ſequuta deformatione eſt irregularis huius ſpeciei, ſi animo, vt deformaretur, clamauit: aut credens, quod ſuperuenientes eum deformaturi erant, vel ad Iudicem, vt deformaretur, ducturi, aliàs non *cap. ſignificaſti, cum ibi annot. de homicid.* Ita doctiſſimus vir, quem alij ſequuntur.

Sed probabilius mihi Reſpondeo: Nec in propoſito caſu manere irregularem clamantem, & excitantem vicinos, vt caperent furem fugientem cum rebus ſuis furto ſublatis, & ipſi venientes furem occiderent: etiamſi clamans ipſe id præuidiſſet; ſi tamen monuerit, ne furem occiderent. Ratio eſt (ait Layman:) Nam in hoc caſu non incurritur irregularitas, tanquam ex homicidio caſuali culpabili: cum homo ille clamando, & homines aduocando ad res ſuas liberandas nihil peccauerit. Nec incurritur irregularitas, tanquam ex homicidio inculpato quidem, ſed commiſſo cum manſuetudinis defectu: Cum enim fur à concurrentibus occiſus ſit, præter, imò contra clamantis intentionem, vt potè qui ſolùm res ſuas recuperare voluit, non eſt illi occiſio tanquam morali cauſæ adſcribenda. Sic Layman *libro tertio Summ. ſect. 5. tractat. 3. parte 3. capit.7. numer.5. verſ. Sed quid.* Quem citat, & ſequitur Gibalinus *de Irregularitat. capit. 4. quæſt. 3. conſectar.7. difficult.13. pag. 287.* addens aliam rationem, nempe quod clamans in dicto caſu, ſuo clamore non fuit cauſa, vt fur comprehenderetur, & occideretur, ſed ſolùm occaſio. Citatque

pro nobis Auilam *part.7.diſp.5.ſect.2.dub.15.* ſed hic duntaxat dicit, multum ſe inclinare, quod non ſit irregularis. Legantur pro hac parte Couarr. *loc. cit. n.2. verſ. Octauo.* Bonac. q. 4. *punct.* 1. *num.* 18. Palaus *punct.* 14. §. 3. *num.* 9. & 10. vbi id probat: Tum quia irregularis eſſe non poteſt ex defectu perfectæ lenitatis, cum illud homicidium non fuerit factum authoritate publica: Tum quia, nec ex homicidio iniuſto, cum ipſe cauſam culpabilem non dederit, nec homicidium potuerit impedire: ergo.

QVÆSTIO LXIII.

An deinde ſit liber ab irregularitate qui clamat, latrones, latrones, *vt è manibus eorum bona proximorum Iudex, aut vicini eripiant, ſi hi accedentes latrones occidant.*

AFfirmant communiter DD. non ſolùm citati quæſtionibus præcedentibus, pro oppoſitis ſententiis, ſed etiam pro noſtris. Quibus conſentire videtur Villalob. *tract.* 21. *diff.* 26 *in vlt.* hæc dicens: *Del que dà vozes diziendo, ad ladron, ad ladron, quando va huyendo, para que lo prendan, ſe ha de dezir, que ſi es en propria cauſa, y haze la preteſta, no quedara irregular, pues baſta hazerla antes de la ſentencia, aunque deſpues ſe ſiga la muerte.* Ita ille: ergo ſi id accidat clamando pro aliena cauſa, irregularis manebit.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam in hoc caſu eſſe liberum ab irregularitate ſic clamantem, etiamſi poſtea contingat latrones à vicinis occurrentibus occidi, aut Iudici tradi, & ſupplicio extremo affici. Ratio eſt. Tum quia ſic clamans, opus charitatis erga proximum exercuit: ergo non debet ob id irregularitatem incurrere. Tum quia, vt ſupponimus, non ex ea intentione clamauit, vt latrones occiderentur, neque ad id vllo modo cooperatus eſt, ſed ſolum impedire voluit damnum proximi: ergo. Layman *loc. cit. verſ. Exinde etiam.* Sà *verb. irregularitas ex deformat. licita*, *n.* 4. ibi: Nec clamare contra lædentem proximum, etiamſi inde mors ſequatur: eſt enim illud de iure naturæ, quod per poſitiuum non punitur. Sic Sà. Gibalinus etiam *de Irregular. c. 4. q. 3 conſect. 7. diff.* 13. Adde quod hic etiam militat ratio Caſtri Palai nuper adducta.

QVÆSTIO LXIV.

An clericus qui furem capit, & tradit Iudici vt ſic recuperet res ab illo ſublatas, fiat irregularis, morte furis ſequuta.

REſpondeo, vt certum: Non fieri, ſaltem ſi proteſtetur, nolle de fure ſupplicium ſumi: Sic cauetur *in cap. 2. de homicid. in* 6. Et ratio eſt, quia cum quis furem capit, & tradit Iudici, ob reſtituendas res ſublatas, ea furis captio non magis in eius mortem inde conſequentem influit, quàm eius accuſatio ciuilis: ideò enim fur capitur, vt cogatur reſtituere quæ ſubripuit: ergo non cauſabit irregularitatem, præmiſſa præcipuè proteſtatione, quam eſſe neceſſariam pro foro externo in hoc caſu, multi dicunt. Sic Couarr. *in Clem. ſi furioſ. 2. p. §. 5. n. 3. verſ. Decimo.* Maiol. *lib. 2. de Irregul. c. 7. n. 1. &* 2. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 12. *num.* 8. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 7. Gibalin. *loc. cit.* & communis apud ipſos.

QVÆSTIO LXV.

An Clericus qui accuſatus in cauſa ſanguinis, defendendo ſe petit, vt accuſator, qui in probatione defecit, puniatur pœna mortis, aut mutilationis, maneat irregularis, ſequuta morte.

REſpondeo Manere irregularem, ſi expreſsè Clericus accuſatus petierit accuſatorem calumniantem ſupplicio mortis, aut mutilationis puniri. Quia verè tunc accuſatus fuit cauſa repaſſionis ſequutæ, in accuſatione. Secus verò foret ſi, Clericus ſe defendens, non peteret accuſatorem pœnâ talionis puniri, ſed ſolùm negaret, quod accuſator ſibi obiicit, quia tunc non fieret irregularis, etiamſi poſtea tanquam calumniator à Iudice occidatur; quod procedit quamuis nullam faciat proteſtationem. Sic Couarr. *in Clem. ſi furioſus, 2. p. §. 5. num. 5. verſ. Duodecimò.* Sayr. *lib. 6. c.* 18. *dub. 7. n.* 11. Suar. *diſp. 47. ſect. 4. n.* 5. Henriq. *lib. 14 c. 12. n.* 10. Auil. *part 7 diſp. 3. ſect. 2. dub.* 8. Cornejo *diſp. 11. dub. 1. q.* 5. & alij.

QVÆSTIO LXVI.

Quonam modo facienda ſit, cum opus eſt, proteſtatio, de qua in ſuperioribus fuit ſermo.

REſpondeo: Faciendam eſſe coram Iudice, apud quem deponitur querela his, vel ſimilibus verbis: *Domine peto cures mihi ſatisfactionem, vel reſtitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit: proteſtorque me nulla ratione intendere pœnam ſanguinis, vel mutilationem, vel mortem.* Sic expreſsè Bonac. *tom. 1. diſp. 7. q. 4. punct. 2. n.* 9. Qui benè addit, non eſſe opus, vt hæc proteſtatio fiat in ſcriptis, cum nullum ius id requirat. Lege Vgolin. *de Irregul. c. 6. §. 7.*

---

§. III.

De Teſte, & Aduocato in cauſa ſanguinis.

QVÆSTIO LXVII.

An teſtis voluntariè teſtificans in cauſa ſanguinis, maneat irregularis, ſi ex eius teſtimonio mors, vel mutilatio ſequatur teſtificato.

REſpondeo, vt quid certum: Manere. Quia nemo tantum cooperatur iudicio ſanguinis, quantùm ipſe teſtis, à quo totius criminis veritas elicitur, & ſuper cuius atteſtatione firmatur ſententia. vnde ſicut ipſe Iudex, ita & ipſe teſtis irregularis efficitur. Sic cum communi Maiolus *lib. 2. cap.* 8. *n.* 1. Tabiena *irregularitas* 2. §. 22. Sylueſt. *homicidium* 3. *quæſt.* 2. Nauarr. *cap. 17. n.* 212. Henriq. *lib. 14. cap. 12. num.* 9. Couarr. *in Clement. ſi furioſus, de homicid. 2. p. §. 5. num.* 5. Molin. *tract. 3. diſp. 74. n.* 10. Suar. *diſp. 47. ſect. 3. num.* 2. Saytus *lib. 6. cap. 16. num.* 9. Vgolin. *de Irregularit. cap. 7. n.* 2. Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub.* 12. Filliuc. *tract. 19. cap. 9. quæſt. 11. num.* 253. Bonacin. *num. 1. diſput. 7. quæſt. 4. punct. 3. num.* 1. Layman. *lib. 3. ſect. 5. tractat. 3. part. 5. cap.* 7. Villalob. *tractat.* 21. *diff. 27. num.* 1. Luyſius *de cenſur. lib. 9. diſp. 66. dub.* 3.

Palaus

Palaus *diſp.6.punct.*14.§.3.*n.*2. Gibalin.*de Irregular. c.*4.*q* 3.*conſect.*7. *diff.*15.Machad.*lib.*1.*p.*3. *tract.*18. *docum.*7. Hurtad.*diſp.*2. *de Irregul. diff.*11.& omnes.

QVÆSTIO LXVIII.

An teſtis, qui cauſa ſanguinis teſtimonium profert, compulſus ex obligatione orta ex præcepto naturali, maneat irregularis, morte, vel mutilatione ſequuta.

AFfirmant Vgolinus *c.7.num.*5. & Hurtadus *diff.*11.*citat.* per hæc verba: Id quod addit Ægidius, nempe teſtem præcepto Iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad teſtificandum, non fieri irregularem, falſum eſt, vt optimè Auil. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*12. quia abſque fundamento ſufficienti excipitur teſtis ab irregularitate in his caſibus, & etiam in aliis in quibus iure naturali tenetur (quidquid in his dicat Auila,) quia quamuis in omnibus prædictis caſibus non reperiatur in teſte defectus lenitatis materialiter, & indecentia, ob rigorem per ſe, & ex obiecto repertum ex cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata eſt dicta irregularitas: Huc vſque Hurtadus. Cuius verba refert (non ita fideliter) Diana amplectens vt probabiliorem eius ſententiam *p.4.tract* 2.*Reſol.*31.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere in dicto caſu irregularem. Quia nequit dici in ea teſtificatione, & mortis cooperatione, defectum lenitatis habuiſſe; cum non voluntariè, ſed potius obligatione præcepti iuris naturalis teſtimonium tulerit. Nec enim credendum venit, voluiſſe Eccleſiam irregularitatem imponere, ob teſtificationem iure naturali debitam: aliàs retraherentur teſtes à veritate propalanda. Sic Auil.*dub.*12.*cit. verſ. Secundum notabile*, ita dicens: Aliqui Theologi dicunt, eſſe ſatis probabile, quod in caſibus, in quibus teſtes tenentur iure naturali ſe offerre ad teſtificandum, non fiunt irregulares, præmiſſa proteſtatione. Idem ſignificat P. Henriquez *cap.* 12. *num.*9. *in fine.* Et mihi etiam videtur valde probabile: nam ius concedens hoc priuilegium Clerico accuſatori, cenſetur conſequenter conceſſiſſe teſti in hoc caſu, ne priuilegium reddatur inutile. Exemplum eſt, vt quando tenetur teſtificari ad liberandum à morte iniuſtè accuſatum, vel quando tenetur teſtificari, ne ille, qui iuſtè accuſauit machinantem contra Rempublicam, deficiens in probatione puniatur pœna talionis. Sic Auila, necnon Ægidius *diſp.*18. *num.*94. & 95. Bonacin. *diſp.*7. *quæſt* 4. *punct.*3. *num.*8. *verſ. Secundus caſus.* Præpoſitus *in* 3 *part.quæſt.*5. *de Irregularit.num.*105. Gibalinus *cap.*4. *de Irregularit. quæſt.*3. *conſectar.*7. *diff.*15. Machado *lib.*1. *part.*3.*tractat.*18.*document.*7. *num.*3. Baſſæus *irregularitas* 5. *num.*13. Et hanc ſententiam eſſe ſatis probabilem, merito fatetur Diana *loc. citat.* Citatque pro illa Mercerum, & Cornejo vbi infrà.

QVÆSTIO LXIX.

An etiam maneat liber ab irregularitate, ſi quis teſtificetur propter praeceptum Iudicis, vel propter grauem metum, morte ſubſequuta Rei.

NEgant in hoc caſu manere talem teſtem liberum ab irregularitate, quamplures Doctores. Quia hic, etiam in caſu aſſignato, verè cooperatur homicidio, cum ſuper eius teſtimonio ſententia fir-

metur: ergo manet irregularis. Ita in primis Maiolus *lib.* 2. *cap.*8.*num.*2. vbi ita ait: Nec ſuffragari poteſt teſti, quod inuitus teſtimonium tulerit, quaſi ex Iudicis præcepto coactus: nam etiam, ſi quis per vim, vel metum, qui in virum conſtantem cadat, cogatur delinquentem exhibere, & reuelare, ſemper erit irregularis, ſi ille puniatur ad mortem, vel mutilationem: quia illa vis excuſat quidem à peccato, ſed non ab irregularitate. Ita ille. Per cuius verba vides, quàm malè citetur à Bonacina pro oppoſita parte. Tenent cum Maiolo Tabiena *irregularitas* 2.*num.*22. Siluest. *homicidium* 3 *quæſt* 2. Nauart. *cap.*27. *num.* 212. Angel. *homicidium* 1. *in princip.* Angles *in florib. in* 4 *part.*1. *quæſt.de Sacram.Ordin. art.*5. Vgolinus *cap.*7. *num.*3. Henriquez *lib* 14. *cap.*12. *num.*9. Sayrus *lib.*6. *cap.*16. *num.*9. Auila *part.*7. *diſp.*5. *ſect.*2. *dub.*12. *concl.*2. *verſ. Secundum notabile, in fine.* Villalobos *tract.*21. *diff.*27. *num.*1. Hurtad. & Diana *loc. ſup. citat.* Luyſius *lib* 9. *de cenſur. diſp.*66. *dub* 3. citans pro hac parte Suarium *diſp.*47. *ſect.*3. *num.*8. Filliuc. *tract* 19. *cap.*9. *n.*254. Et (ni fallor) Machado *loc.cit.n.*2.

Sed probabilius. Reſpondeo: Etiam in hoc caſu, manere teſtem liberum ab irregularitate. *Primo*, ob rationem aſſignatam quæſt. antecedenti, ad firmandum noſtram ſententiam.

Secundò, quia Eccleſia non poteſt prohibere actionem licitam, & ita neceſſariam, vt ſine peccato omitti nequeat: ſed omittere teſtificari caſu, quo adeſt obligatio orta vel ex præcepto iuris naturæ, vel ſuperioris, vel ex metu graui, eſt peccatum; ergo omiſſio talis actionis nequit præcipi ab Eccleſia ſub pœna irregularitatis. Sic ex doctrina Suarij, & aliorum Doctorum, tenet, & latè probat Gibalinus *de Irregularit. cap.*4. *quæſt.*3. *à num.*1. & *numer.*75. & *ſequent.* Sic etiam docent Ægidius, Bonacina & Præpoſitus quæſt antecedenti citati. Mercerus *in tertia parte, de Sacrament. quæſt. vigeſimaquarta, dub.*8. *Reſp.*3. Cornejo *in tertia parte, diſputatione vndecima, dub.*1. *quæſt.*7. qui pro ſe citat Suarium *ſectione tertia citat. à num.*4. nec miror, quia vt vidit Gibalinus, ægrè admodum videtur trahi in ſententiam contrariam. Et hanc noſtram ſententiam eſſe ſatis probabilem expreſsè tenet Diana *Reſolut.*32. *citat.* & ſequitur vt talem Palaus *diſputatione* 6. *punct.*14. §.3. *num.*3. & 4. & indicat Layman. *lib.*3. *ſectione* 5. *tract.*3. *part.*3. *cap.*7. *num.*6.

Nec obſtat, quod contrarij opponunt, nempe quod etiam Iudex fiat irregularis obediendo legi in cauſa ſanguinis: quia conſtat hanc Iudicis, & aliorum Miniſtrorum neceſſitatem, & obligationem, fundatam eſſe in propria voluntate, cum liberè ſuſceperint illud officium, & ſic liberè eam neceſſitatem induerunt, atque ita hæc eorum neceſſitas non eſt ſimpliciter abſoluta, ſed conditionata, vel ex ſuppoſitione, quam ipſi liberè, & licitè potuerunt vitare non aſſumendo tale officium: quod ſecus contingit in caſu de teſte. Legantur Suarez, & Gibalinus.

QVÆSTIO LXX.

An teſte, & Aduocati euadant irregularitatem, ſi præmittant proteſtationem, ſicuti accuſator euadit, quando hoc facit petendo ſatisfactionem pro iniuria ſibi, ſuiſve parentibus, &c. illata.

NEgant communiter DD. docentes quod adhuc in dicto caſu, quo euadit accuſator irregularitatem

per proteſtationem, non euadant teſtes, & aduocati, illa etiam præmiſſa. Quia text. *in c. Prælatis, de homicid. in 6.* ſolùm concedit facultatem proteſtationis accuſatori, non teſti, aut Advocato, &c. ergo non poteſt extendi ad illos. Patet, quia ratio illius textus, ſcilicet *ne Clerici iniuſtè patiantur iniurias*, non habet locum in Teſte, Advocato, & cæteris miniſtris; cùm hi omnes non pro ipſorum iniuriis, ſed pro alienis teſtificentur, aut patrocinentur. Ita Vgolinus *de Irregular cap.6. §.9. num. 1.* Molina *tom.4. tract.3. disp.74. num.10.* Henriquez *lib.14. cap.12. n.9.* Couarr. *in Clem. Si furioſus. 2. p. §.5.* Reginald. *tom 2. lib.30. num 133.* Cornejo *disp.11. dub.1. q.6.* Luyſius Turrian *lib.9. de Cenſur. diſput.66. dub.3.* & penes illum Vaſquez, Layman *lib.3. ſect.5. tract.3. part.3. cap.7. num.5.* Suarez *disp.47. ſect.3.* Auila *p.7. disp.1. ſect.3. dub.12.* Filliuc *tract.19 cap.9. n.257.* Bonacina *disp.7. quæſt.4. punct.3. num.8.* & alij communiter, quos ſequitur Villalobos *tract.21 diff.27. num 1.* la ſcribens *El que teſtifica en cauſa de ſangre, ſiguiendoſe el efecto, queda irregular, como conſta de vn texto*, cap. Si quis viduam, 50. diſt. *por el qual todos los que cooperan à la muerte, o mutilacion quedan irregulares. Y aunque en el derecho ay excepcion en el que acuſa, ſi haze la proteſta, non quedando por eſta irregular, no la ay en el teſtigo y aſſi la proteſta no le eſcuſa la irregularidad, como lo tienen todos.* Hæc ille. Quem ſic citatum ſequitur Diana *part.4 tract 2 de Irregular. Reſol.32.*

Sed probabiliter æquè Reſpondeo: Etiam euadere, & excuſari ab irregularitate (ſi proteſtationem præmittant) in omnibus caſibus, in quibus Accuſator ab illa excuſatur. Ratio eſt (ait Gibalinus) quia cum quidpiam alicui conceditur, cætera quoque omnia, quæ neceſſaria ſunt ad hoc, vt conceſſio non ſit inutilis, concedi ſimul cenſentur: atqui priuilegium factum accuſatori, in quibuſdam caſibus accuſandi, abſque metu irregularitatis, ſaltem adhibita proteſtatione, eſſet ſæpiſſimè inutile, ſi teſtis non poſſet in eadem cauſa, & cum eadem proteſtatione teſtari; & Aduocatus accuſanti patrocinari, ſiue cauſam accuſantis agere; metu enim contrahendæ irregularitatis, accuſator ſæpè deſtitueretur omni teſte, & Aduocato, atque ita non modo nihil probare poſſet, & ſuum intereſſe recuperare, aut iniuriarum continuationem amoliri, ſed etiam aduerſus eum daretur actio calumniæ. Ne igitur ſit inanis tota ea venia facta Clericis à Bonif. VIII *in cap.2. de homicid. in 6.* dicendum eſt, æquè excuſari teſtem, atque accuſatorem, & iiſdem omnino caſibus. Quare ſicut accuſans criminaliter inaniter proteſtatur, ita & teſtis in eadem criminali cauſa inutiliter proteſtabitur, tunc enim vtriuſque facto contraria eſt proteſtatio. In cauſa autem ciuili vterque excuſatur, quia vel neuter revera influit, cum teſtis non teſtetur, niſi de damno illato, & ad recuperandum intereſſe, de quo etiam tunc ſolum quæritur accuſator, & ſi proteſtatio in vno vtilis eſt, quia non eſt contraria facto, erit quoque in alio. Quare non bene objicitur, Bonifacium egiſſe tantum de accuſatore, qui de ſuis malefactoribus quæritur, nō autem de teſte, qui quæritur de alienis malefactoribus, nam non potuit agere de accuſatore, quin implicitè idem quoque ſtatueret de teſte, & Aduocato. Denique ſapienter aduertit Vgolin. tum accuſatorem, tum teſtem agentem ciuiliter eſſe tantum cauſas peraccidens pœnæ ſanguinis, quam Iudex deinde imponit, ac proinde non fieri irregulares, & ſaltem per proteſtationem ab illa liberari. Huc vſque Gibalinus *de Irregular. cap.4. q.3. conſectar.7. diff.15. n.66.* Qui citat Vgolinum *c.7. n.8.* Ægidium *disp.18. num.95.* Præpoſitum *quæſt.5. de Irregular. num 104.* & Ioannem de Cruce *2. part. Director. de Irregular. dub.6.* Quibus addi poſſunt Palaus *disp.6. punct.14. §.3 num.4.* citans pro hac parte, vltra Ægidium, Suarium *disp.47. ſect.3. num.8.* & Bonacinam *tom.1. disp.7. quæſt.4. punct.3. num.8. verſ. Secundo* [illegible]. Sed ex his Suarez ſolum loquitur de teſte producente teſtimonium in cauſa ciuili, non in cauſa ſanguinis, ſicut videtur loqui ipſe Prælatus, licèt eius ratio vim pro vtroque caſu habeat. Bonacina verò *loc. cit.* ſolum agit de teſte, quando iure naturæ tenetur ſe offerre ad teſtandum. Rurſus hanc opinionem vt probabilem admittit Machado *tom.3. Summ. lib.1. part.3. tract.8. docum.7. num.4.* per hæc verba: *El tercero caſo es de la manera que el accuſador ſe eſcuſa del incurſo de la Irregularidad por hazer la proteſtacion que el Derecho le permite, quando acuſa en cauſas criminales, en la forma que hemos ya dicho atras: aſſi miſmo tambien goze del priuilegio della el teſtigo que depuſiere en cauſas criminales, de que ſe ſiga la muerte del Reo. La mas commun y recebida opinion es que no: porque el priuilegio de la proteſtacion, no la concede el Derecho, mas que al acuſado, y no al teſtigo y aſſi aunque la haga, no por eſſo dexa de incurrir en la irregularidad. Mas tambien es opinion probable la contraria, y por tal la defienden algunos Autores, fundados en que fuera inutil el priuilegio que el Derecho concede al accuſador, ſi no ſe entendiera tambien con el teſtigo, de quien forçoſamente neceſita el acuſador para intentar ſu acuſacion, y probarla en juizio.* Hæc Machado. Et huic ſententiæ ſatis fauent Diana *loc. cit Reſolut.34.* & Baſſæus *verb. Irregularitas 5. n.14. in fine.*

Qvæstio LXXI.

An quando in cauſa ſanguinis plures, quàm requiruntur, ſunt teſtes, omnes maneant irregulares.

Affirmat abſolutè Henriquez *lib.14. cap.12. n.9.* per hæc verba: Teſtis in cauſa ſanguinis, licèt proteſtetur, ſit irregularis: quia eſt de requiſitis per ſe, ob quæ mors infertur, & dicto ſuo influit in ſententiam, quamuis ſint multi teſtes: quia ab vno quoque illorum pendet veritas totius iudicij. Ita Henriquez, quem ſequuntur Sayrus *lib.6. cap 16. num.9.* & Auila *part.7. disp.5. ſect.3. dub.12 verſ. Ex quo rectè.*

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo: Manere quidem omnes irregulares, ſi ex omnium dictis mors, aut mutilatio rei ſequuta fuit, ſecus aliàs. Itaque irregularis non erit teſtis productus poſt alias receptas probationes, cuius dictum non fuit cauſa ſententiæ mutilationis, vel mortis, nec vt citius illa fuerit lata. *Prima pars eſt* certa apud omnes, in quo bene Auctores primæ ſententiæ.

Secunda verò, probatur bene à meo Doctiſſ. Nauarro *in Manual. c.27. n.111. in fine: & de homicid. lib.5. conſil.18.* Quia in prædicto caſu non fuit ſequuta mors ex dicto talis teſtis: ergo non manſit irregularis. Nauarrum ſequitur Bonac. *disp.7. q.4. punct.3. n.2.* vbi ita ait: Hinc ſequitur, teſtem ex cuius dicto mors ſequuta fuit, eſſe irregularem, ſiue examinatus fuerit iuridicè, ſiue non. Secus dicendum eſt, quando ipſius aſſertio nihil profuit, ſed Iudex aliis probationibus adductus fuit ad ferendam ſententiam, vel ad capiendum reum, &c. Ita ille. Et Vgolinus *c.7. n.4.* Admonet autem Nauarr. *conſil. cit. n.2.* quod in hoc euentu teſtis adeat Iudicem, vel Notarium, & interroget eum, an ex ſola confeſſione rei, & aliis probationibus contra ipſum factis, fuiſſet reus ſuſpenſus patibulo, aut tam citò, ac ſine teſtimonio eiuſdem teſtis, & ſi reſponderit quod ſic, non curet amplius de huiuſmodi irregularitate.

Qvæstio

QVÆSTIO LXXII.

An non ſolum teſtes, qui ad delictum probandum ſunt inducti, ſed etiam illi qui in pronuncianda ſententia mortis adferuntur, ſint irregulares.

RESpondeo: Omnes irregulares eſſe. Quia ſicut Notarius irregularis eſt, eo quòd ſit quaſi publicus teſtis ſententiæ in cauſa ſanguinis, ita & reliqui omnes teſtes, ob eandem rationem. Sic Maiolus *lib.2.de Irregul.c.8.n.5.verſ.Teſtes preterea.*

QVÆSTIO LXXIII.

An teſtes ad torturam rogati irregulares ſint.

AFfirmat abſolutè Henriquez *lib.14. cap.12. n.9. lit. V.*

Sed clarius Reſpondeo: Eſſe quidem irregulares, ſequuta morte, aut mutilatione rei, ſecus aliàs. Sic colligitur ex dictis *ſup.* loquendo de Iudice. Et tenet Maiolus *loc.cit.* ita dicens: Et ideo teſtes in tortura, vel aliis partibus proceſſus præiudicialibus reo rogati, non carent ſcrupulo irregularitatis, ſi ille moriatur, vel mutiletur. Sic ille. Et ex illo Sayrus *lib.6.c.16.n.9.*

QVÆSTIO LXXIV.

An teſtis qui non depoſuit de delicto, quia ignorauit, ſed interrogatus de fama de illa teſtatus eſt, incurrerit irregularitatem, morte, vel mutilatione rei ſequuta.

RESpondeo, vt certum: Incurriſſe. Quia talis teſtis de ſola fama deponens verè cooperatur ad mortis ſententiam rei: ergo manet, ſicuti iudex condemnans, irregularis. Sic Maiolus *lib.2. c.8.n.5.* quem citant, & ſequuntur Henriq. *lib.14.c.12 num.9. lit.V.* & Sayrus *lib.6.Theſauri, cap.16.n.9.*

QVÆSTIO LXXV.

An maneat irregularis ille, qui interrogatus iuridicè à Iudice, an reus ſit ſolitus ferre arma, vel noctu vagari, de iis ita eſſe teſtetur.

RESpondeo: Ex dictis irregularem manere, ſecuta morte, vel mutilatione rei. Quia cum per hoc teſtimonium aggrauetur, vt ſupponimus opinio rei, teſtis verè dicitur, & eſt cooperator Iudicij, & ſententiæ ſanguinis, ac per conſequens irregularis. Sic Maiolus & Sayrus *loc.cit.* Qui addunt, & bene, idem dicendum eſſe de illo teſte, qui interrogatur de minis, aut aliis verbis, ſuper quibus Iudex fundat ſuam inquiſitionem homicidij; nam hic ſequuta morte, aut mutilatione irregularis erit.

QVÆSTIO LXXVI.

An ſi dum Iudex furem inſequitur, tibi iuridicè iubeat, vt illi indices viam, qua fur incedit, & ex verbis tuis furem inueniat, & ad mortem damnet, maneas irregularis.

AFfirmant communiter DD. Quia in hoc caſu teſtis cooperator mortis extitit rei: ergo ob id factus fuit irregularis. Ita Silueſt. *homicid.3. q.7.verſ. Sextum.* Angel. *Irregularitas 1. n.14.* Maiol. *lib.2.c.7. n.1.* Henriq. *lib.14.c.12.n.9.* Tabiena, Aſtenſ. D. Anton. & alij, quos ſequitur Sayrus *lib.6.c.16.n.9.*

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo dicendum, quod tunc maneres quidem irregularis, ob rationem à contrariis datam, niſi præceptum Iudicis ab irregularitate contrahenda te excuſaret. Excuſat ſanè, iuxta dicta à nobis *ſup. quæſt.69.* quamuis alij probabiliter contrarium ſentiant. In quorum doctrina ſtando, non ſolum prædictus teſtis, qui expreſsè viam, qua fur incederet, indicauit, ſed etiam ille ex cuius verbis coniecit Iudex vbi fur ierit, erit irregularis. Exemplum apponunt DD. ſi quis in biuio, vel triuio conſtitutus ſit, & interrogetur à Iudice, qua via fur abierit; & reſpondeat, hac non iuit, irregularis erit, ſi ſequatur mors, aut mutilatio furis; cum exinde Iudex probè conijcere poſſet, qua via abierit. Legantur Auctores nuper citati.

QVÆSTIO LXXVII.

An ſit irregularis Aduocatus, ſi reus contrà quem aduocat, occidatur, vel mutiletur.

RESpondeo, vt certum: Irregularem eſſe. Quia re vera proximè influit in ſententiam capitalem, & pœnam per eam ſtatutam. Nec excuſari ab hac irregularitate per proteſtationem poterit, cum hæc eiuſdem Aduocati facto contraria ſit, ac proinde inutilis. Sic docent omnes DD. ex capite *aliquantos,* aliàs *aliquando, diſt.51.* Legantur inter alios Nauarr. *c.27.num.212.* Henriq. *lib.14.c.12.n.10.* Maiolus *lib.2. cap.9.* Suarez *diſp.47.ſect.4.* Sayrus *lib.6. cap.16.n.10.* Auila *part.7. diſput.5. ſect.2.dub.12.* Bonacina *tom.1. diſp.7. q.4. punct.3. num.5. & ſequent.* Palaus *diſp.6. punct.14. § 5.n.5.* Gibalinus *de Irregularitate, cap.4. quæſt.3.conſectar.7.diff.16.* Villalobos *tom.1.tract.21. diff.27.n.6.* Machado *lib.1.part.3.tract.18.document.4.* & Barboſa cum aliis *in Collectan. ad d.cap. aliquantos, diſtinct.51.*

QVÆSTIO LXXVIII.

An etiam non ſequuta morte, vel mutilatione rei, contra quem Aduocatus aduocauit, adhuc maneat hic irregularis.

AFfirmant Hugo *in cap. Si quis, diſt.51.* & Speculator *in tit.de diſpenſ.§. Iuxta, verſ.Sed quid de Iudice,* & *verſ.Quarto autem,* quos affert & ſequitur Maiolus *lib.2. c.9.cit.n.1.* Quia exiſtimant, acceptationem ſolam officij Aduocati irregularitatem inducere Epiſcopalem.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Tunc non manere irregularem. Quia ſine actuali effuſione ſanguinis, neque homicidium incurritur, nec defectus lenitatis, vt ſupra loquendo de perſona Iudicis probauimus. Sic tenent Suarez *diſp.47.ſect.4. n.4.* Sayrus *n.10.* Henriq. & alij ſuprà relati.

QVÆSTIO LXXIX.

An Aduocatus qui defendit reum, qui quidem punitur pœna mortis, incurrat irregularitatem.

AFfirmant aliqui apud Luyſium Turrianum *vbi infra.*

Sed, vt certum Reſpondeo: Quod per ſe loquendo,

minimè incurrat irregularitatem Aduocatos, ex eo quod defendat reum, qui non obſtante illius patrocinio, punitur pœna mortis. Ratio eſt euidens. Quia mors rei nullo modo ſequitur ex actione Aduocati: melius enim, & citius ſine tali patrocinio ſequuta fuiſſet. Sic vt credo, ſentiunt omnes DD. Legatur Suarez *diſp.*47 *ſect.*4.*n.*6. Villalob. *tract.*21. *diff.* 27.*n.*6. Luyſius *lib.*9.*diſp.*66.*dub.*3.& alij.

QVÆSTIO LXXX.

An ſaltem incurrat irregularitatem Aduocatus qui reum defendit, ſi ſequatur mors accuſantis reum.

RESpondeo, vt certum: Nec incurrere in hoc caſu, niſi aliàs Aduocatus conuincat accuſatorem & petat puniri pœna ſanguinis, quia tunc ſolum cenſetur proximè cauſa ſanguinis. Sic Palaus *diſput.*6. *punct.*14.§.3.*n.*6. ita ſcribens: Si in defenſione rei aliqua obiecit *Aduocatus* aduerſus accuſatorem, conuincens illum de calumnia, ſine dubio irregularis erit, quia deformationis eſt cauſa directa, & per ſe. Si autem ſolum accuſati patrocinium ſuſcipit innocentiam illius declarando, abſque exceptione expreſſa calumniæ (quod rectè fieri poteſt) non erit irregularis, præcipuè ſi proteſtationem fecerit, iuxta *c. Prælatis, de homicid. in* 6. quia tunc ſolum cenſetur cauſa mortis remota, & per accidens, & quæ ipſi Aduocato adſcribi non debet, ſed accuſatori, & eius malitiæ. Sic ille. Et antea Couarr. *in Clement. Si furioſus*, 1.*part.* §5. *n.*5. Henriq. *lib.*14.*c.*12.*n.*10. Maiolus *lib.* 2.c.9. *num.*7. Villadiego *de Irregularit. c.*6. Suarez *diſp.*47. *ſect.*4.*n.*7. Auila *part.*7. *diſp.* 5.*ſect.*2.*dub.*8. Vgolinus *c.*9.§.1. Molina *tom.*4.*diſp.*74.*n.*11. Filliuc. *num.*257. Bonacina *diſp.*7.*q.*4. *punct.*3 *num.*5. Luyſius *lib.*9.*de Cenſur.diſp.*66 *dub.*8. & apud ipſum Vaſquez. Gibalinus *de Irregularitate, cap.*4.*q* 3. *conſectar.*7. *diff.*6. *n.*68. vbi cum Præpoſito *q* 5 *de Irregularit.num.* 104. addit, non videri improbabile, Aduocatum reo innocenti patrocinium exhibentem, poſſe obiicere crimina accuſatori, eiuſque calumniam, ſi id neceſſarium ſit ad defenſionem rei, grauiter, alioquin periclitantis: & licèt deinde accuſator ob ea crimina puniatur, non tamen hunc Aduocatum habendum eſſe irregularem, ſaltem poſt factam proteſtationem: quia licet Aduocato, quod liceret ipſi reo innocenti in iuſtam ſui defenſionem: neque magis fieret irregularis, quàm fieret in tali caſu, qui ad ſeruandum proprium caput, accuſatori obiiceret calumniam, aliáve crimina, modò non intenderet illorum punitionem, ſed ſui defenſionem. Ita ille. Et certè in hoc ab eo aſſignato caſu, ſatis probabiliter, vt defendit Filliuc. *n.*151.*cit. in fine.*

QVÆSTIO LXXXI.

An ad minus incurrat irregularitatem Aduocatus, qui iniuſtè defendit reum, & ob iniuſtam defenſionem, ſecuta eſt mors accuſatoris.

RESpondeo, vt certum: Incurrere. Quia tunc actione ſua iniuſta cenſetur eſſe cauſa omnium malorum inde prouenientium, & conſequenter mortis accuſatoris: ergo irregularitatem incurret, non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto. Sic Bonacina *loc. cit.* Legantur Suarez *diſput.*47.*ſect.*4.*à num.*5. Filliucius *tract.*19. *cap.*9. *in fine.* Qui idem dicendum putant in caſu, quo accuſatio ſit iniuſta, & contingat reum abſolui, accuſationem verò deformari; nam tunc, aiunt, etiam fiet irregularis Aduocatus ipſiuſmet accuſatoris, eo quòd ille dat operam rei illicitæ & iniuſtæ, ex qua probabile eſt ſequi tale nocumentum ipſimet accuſatori. Imò moraliter illum conſtituit in tali periculo, nam ſi ipſe non ſuſciperet cauſam eius, non auderet accuſare: iuuat ergo illum, vt ſe occidat: ergo erit irregularis. Sed contra Suarium, & Filliuc. ſentit eum Auila Palaus §.3.*cit.n.*6. Nam ſi bona fide proceſſit aduocatus, credens accuſationem legitimam eſſe, ſicuti excuſatur à delicto, ſic excuſari debet ab irregularitate delicto annexa, vt aduertit Bonac. *loc. cit.* (imò & Suarez;) ſi verò mala fide proceſſit, etſi iniuſtus ſit aduerſus accuſatum, nullam tamen aduerſus accuſatorem iniuſtitiam committit, adeoque non poteſt ei mors tanquam cooperanti iniuſto imputari. Et licèt ipſe accuſator accuſationem non inſtituiſſet, niſi Aduocati patrocinium haberet, inde non ſequitur, Aduocatum irregularem fore, quia ex illo patrocinio non euenit accuſatori mors auctoritate publica, ſed ex calumnia aliunde probata, &c. Sic ille. Et certè æquè probabiliter.

QVÆSTIO LXXXII.

An Aduocatus fiat irregularis quando accuſator, aut reus imperitia, aut negligentia ipſiuſmet Aduocati adiudicatur morti.

RESpondeo, vt certum: Irregularem fieri. Quia certum eſt, quod mors accuſatoris, aut rei, cuius patrocinium ſuſcepit, imputetur culpæ Aduocati: ergo. Sic Hoſtienſ. *in c.* 1. *de Poſtulando, num.* 1. & 7. Nauarr. *c.*27.*n.*228. Suarez *ſect* 4 *cit. num.*6. Vgolinus *c.*9.§.1.*n.*4. Filliuc. *n.*257. Bonac. *q.*4.*punct.*3.*n.*6. Palaus *diſp.*6 *punct.*14.§.3. *num.*6.*in fine.* Gibalinus *c.*4. *q.*3.*conſectar.*7.*diff.*16.*in fine.*

---

§. IV.

De aliis Miniſtris, qui ad prolationem ſententiæ ſanguinis, eiuſque executionem concurrunt.

QVÆSTIO LXXXIII.

An publicus Notarius, ſeu Tabellio, teſtium depoſitiones in cauſa ſanguinis recipiens, fiat irregularis, ſequuta morte, ſeu mutilatione.

RESpondeo, vt certum: Fieri irregularem ex defectu perfectæ lenitatis. Quia omnes, qui ad ſententiam ſanguinis, eiuſve executionem, tanquam perſonæ publicæ proximè, & notabiliter concurrunt, fiunt irregulares defectu lenitatis, *can.* 1. *diſt.* 51. *cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, & *cap. Prælatis, de homicid. in* 6. at ſic eſt, quod publicus Notarius, ſeu Tabellio depoſitiones teſtium in cauſa criminali recipiens, proximè, & notabiliter influit in ſententiam ſanguinis: ergo, hac in executione poſita, manebit Notarius irregularis. Minor in qua eſt difficultas, probatur. Quia ſententia ſanguinis nullo modo pronunciatur, niſi ex depoſitionibus teſtium à Notario ſcriptis: ergo. Sic omnes. Legantur Maiolus *lib.*2. *cap.*6. *à num.*4. Henriquez *lib.*14. *cap.*12. *num.*2. & 10. Nauarr. *cap.*27.*num* 212. Suarez *diſp.*47. *ſect.*4. *num.*1. Sayrus *lib.*6. *Theſauri, cap.*46 *num.*4.

Filliucius *tract.*19.*c.*9.*q.*22.*n.*257. Bonac. *diſp.*7.*q.*4. *punct.*1.*n.*5. Auila *part.*7.*diſp.*5.*ſect.*2.*dub.*1.*verſ. Tertiò ſit.* Gibalinus *de Irregular.c.*4.*quæſt* 3.*conſectar.*7. *diff.*16.Palaus *diſputat.*6. *punct.*14.§.4.*n.*2. Villalobos *tract.*21.*diff.*27.*num.*5. Machado *tom.*1. *Summ. lib.*1. *part.*3 *tract.*18. *document.*4. *n.*1. Baſſæus *Irregular.*5. *num.*3. Cornejo *diſp.*11. *dub.*1.*verſ. Tertiò ſit*, & alij apud ipſos.

Qvæstio LXXXIV.

An Notarius, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcribit, vel dictat, ſit irregularis, morte, aut mutilatione ſecuta.

RESpondeo vt certum: Eſſe irregularem. Quia verè influit moraliter in mortem, aut mutilationem rei. Sic ex *cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, docent omnes Doctores, præcipuè nuper citati, inter quos Maiolus *loc.cit. num* 64. *verſ. Inter hos*, bene declarat, quis dicatur dictare ſententiam, per hæc verba: dictare autem eum accipimus, qui vel vt Aſſeſſor, vel vt Iudex, vel ut iuriſperitus, vel vt quilibet nudus miniſter, ſententiæ formam extendat, aut extenſam legat in Iudicio. Nam ex hoc, ſi ſequatur mors, vel mutilatio, ipſe dictator fit irregularis, etiamſi non ipſe, ſed alius pronunciet. Hac vſque ille, ex Hoſtienſi, & Socin.

Qvæstio LXXXV.

An etiam fiat irregularis Notarius, aut ſcriba, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcriptam à famulo ſignat, & ſuo ſigillo authenticam reddit.

RESpondeo, vt certum: Etiam fieri irregularem, ſequota morte, aut mutilatione rei. Quia in hanc verè & proximè moraliter influit. Sic Henriquez *lib.*14. *cap.*12. *n.*2. Sayrus *lib.*6. *cap.*17. *n.*4. vbi ait, nullam de hac re dubitationem eſſe. Auila *part.*7. *diſp.*5.*ſection.*2. *dub.*1. *verſ. Tertiò ſit*. Nauar. *cap.*27. *n.*212. Cornejo *diſp.*11. *dub.*1. Qui addunt, ſecus dicendum de præfato famulo, qui ſententiam ſcripſit; quia id non fecit vt miniſter publicus iuſtitiæ, ſed vt Tabellionis famulus, & ſic non influit moraliter in mortem, ſeu mutilationem.

Qvæstio LXXXVI.

An item fiat irregularis Notarius, quando acta eius authentica non ſunt, ſed veluti à priuata perſona confecta.

NEgant nonnulli. Affirmant, & communiter, alij. Diſtinguit cum Vgolino Gibalinus *de Irregularit. cap.*4. *quæſt.*3. *conſectar.*7. *diff.*17. *num.*70. per hæc verba: Verum rectè dixit Vgolinus, videndum eſſe, an ea ſcripta, quamuis non authentica, contulerint aliquid notabiliter ad mortem, quia ex illis deſumptæ ſunt aliquæ probationes, aut inquiſitiones, aliàve huiuſmodi: & tunc ex illis incurritur irrègularitas, morte ſubſequuta: ſi autem nihil ad illam contulerint eiuſmodi acta non facient irregularem: quod idem dico de priuata perſona acta iudiciaria ſcribente, quia re-ipſa influit in mutilationem & mortem. Huc vſque Gibalinus.

Sed ego probabilius Reſpondeo cum Auctoribus primæ ſententiæ: Non fieri irregularem tunc Notarium vllo modo. Patet, quia in primis non fit irregularis ex defectu lenitatis: quia in ſententia probabiliori, quam ſequitur ipſe Gibalinus, hanc irregularitatem ſolùm incurrunt Miniſtri publici iuſtitiæ concurrentes ad mortem, ſeu mutilationem rei: at ſic eſt, quod in caſu noſtræ quæſtionis, non concurrit Notarius ad mortem, aut mutilationem rei, vt Miniſter publicus, ſed vt perſona priuata: ergo ob talem concurſum non manet irregularis defectu lenitatis. Nec rurſus manet irregularis ex delicto: cum nullum inueniatur, vt ſupponimus, in conficiendis actis non authenticis, ex quibus poſtea Iudex deſumpſit aliquas aduerſus reum probationes: ergo nullo ex capite talis Notarius irregularis manet. Sic Innoc. *in c. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

Qvæstio LXXXVII.

An fiat irregularis defectu lenitatis, qui tanquam Officialis Notarij publici, ſcribit, vel tranſcribit ſententiam qua iubetur deformatio rei.

AFfirmat cum aliis Henriquez *lib.*14. *cap.*12. *num.*2. ita dicens: Fit irregularis præcipuè Iudex pro ſententia ſanguinis iuſtè procedens, & Aſſeſſor: Notarius, qui ſentiam ſcribit, aut qui ſignat ſcriptam à famulo, & ſuo ſigillo facit authenticam, aut eam pronunciat, vel teſtimonia teſtium ſcribit, aut legit quando publicantur pro occiſione, aut mutilatione. Imò & qui ſcribit, ſeu tranſcribit ſententiam, tanquam officialis iuſtitiæ (quamuis Notarius non ſit) aut dictat litteras, quibus iubetur fieri deformatio. Huc vſque Henriquez *loc.cit.litt. M*, & penes ipſum Nauar. Tabiena, Armilla, D Anton. Silueſt. quos ſequitur Auila *p.*7. *diſput.*5. *ſect.*2. *dub.*1. Sayrus *lib.*6.*c.*16.*n.*6. & Palaus *diſp.*6.*punct.*14.§.4.*n.*2.

Sed probabilius Reſpondeo. Non fieri irregularem defectu lenitatis. Quia vt habitum eſt, probabilius eſt, hanc irregularitatem non incurrere, niſi illos, qui Miniſtri publici ſunt iuſtitiæ. Sic debent tenere Vaſquez, Luyſius, Hurtad. & alij quorum ſententiam eſſe probabilem apertè docet Machado *lib.*1 *part.*3. *tract.*18. *docum.*4.*n.*2. per hæc verba: *Si los officiales de las Secretarias, que no ſiendo miniſtros publicos, ordenan, ò transladan las ſentencias de muerte, incurran tambien en eſta ſpecie de irregularidad, es dudoſo entre los Doctores. Y aunque comunmente la regla general referida los comprende; con todo eſſo, es opinion probable, que no la incurren, i por tal, la defiende Bonacina* (vbi ſup.num.5.) *como ellos por otro modo, no cooperen a la ſentencia de muerte, ò a ſu execucion; porque eſtos no ſon miniſtros de Iuſticia deputados para eſte efecto.* Hæc Machado, contra quem addo, quod adhuc in caſu, quo dictus officialis concurreret ad exequendam ſententiam mortis, minimè incurreret irregularitatem defectu lenitatis, cum ad illam non concurreret vt Miniſter publicus Iuſtitiæ ad talem effectum deputatus, ſed vt perſona priuata.

Qvæstio LXXXVIII.

An fiat irregularis famulus, qui iuſſus attulit proceſſum Notarij continentem ſententiam ſanguinis, vel attulit equum Iudici aſſociaturo reum mortis.

AFfirmandum videtur. Quia famulus, talibus actionibus videtur moraliter influere in mortem rei.

Sed

Sed probabilius Reſpondeo, minimè fieri irregularem, nec ex defectu lenitatis, cùm non ſit Miniſter publicus iuſtitiæ, nec ex delicto, cum nullum (ſaltem graue, quod requiritur) committat peccatum in aſportatione proceſſus, aut equi: ergo. Sic ex Sayro *diſp. 2. de Irregularit. diff. 11. n. 39.* ita dicens: Idem docet Sayrus de famulo qui attulit equum Miniſtro iuſtitiæ aſſociaturo reum ad locum mortis, quia ſcilicet, neuter ex dictis concurrit iniuſtè, neque vt Miniſter publicus, ſeu iuſtitiæ. Sic ille. Et antea Henriq. *lib. 14. c. 15. n. 5.* & Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 1. verſ. Tertiò fit, in fino.*

Qvæstio LXXXIX.

An cuſtodes carceris, qui aperiunt oſtium eius, vt reus ad mortem ducatur, maneant irregulares ſequuta morte.

RESpondeo: Manere irregulares. Quia verè vt Miniſtri publici iuſtitiæ concurrunt moraliter ad mortem rei. Sic Baſſæus *Irregularitas 5. n. 3. verſ. Cuſtodes*, citans pro hac parte Molinam *tom. 4 de Iuſtit. tract. 3. diſp. 74. n. & 2.* Couarr. *in Clement. Si furioſus, 2. part. §. 5. n. 8.* Henriq. *c. 3. n. 7.* & Vgollnum. Sed tres primi ſaltèm, quos vidi Doctores, nihil in particulari de Cuſtodibus agunt *loc. cit.* ſolus Henriq. id inſinuat *lib. 14. c. 12. n. 2. litt. Q.* Sic etiam Villalobos *tract 51. diff. 27. num. 5.* Sic dicens: *Tambien los que fueron Miniſtros en cauſa de ſangre, quedan todos irregulares, conforme al texto cit.* (cap. Si quis viduam, diſt. 51.) *y aſſi lo es el Verdugo que dà tormento, y el carcelero, y el que abre la puerta de la carcel para que le ſaquen a juſticiar,* &c.

Qvæstio XC.

An lictores, Alguazelli, ſatellites, & alij Miniſtri Iuſtitia, qui reum, cum ducitur ad mortem, ne fugiat comitantur, maneant irregulares.

RESpondeo, vt certum: manere Irregulares defectu lenitatis. Quia re vera iuuant, vt Miniſtri iuſtitiæ, ad mortem rei: ergo. Sic docent communiter DD. ex *cap. Sententiam. Ne Clerici, vel Monachi* Legsntur Specul. *de diſpenſat. §. Iuxta.* Maiolus *lib. 5. c. 10. n. 1. & 3.* Henriq. *lib. 14. c. 15. n 5.* Suarez *diſp. 47. ſect. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 16. n. vlt.* Nauarr. *c. 27. n. 217.* Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 5. verſ. Sextò omnes.* Gibalinus *cap. 4. q. 3. conſectar. 7. diff. 17. n. 74. verſ. Quintò.* Baſſeus *loc. cit.* Cornejo *diſp. 11. dub. 1. verſ. Quartò.* Machado *tom. 1. part. 3. tract. 18. document. 4. n. 1.* Palaus *§. 4. vic. num. 5.* Villalobos *loc. cit. num. 8.* vbi ita ait: *Tanbien ſon irrigulares los miniſtros, que lleban al reo a la muerto, y que accompañan al Iuez para guardarle, y defenderle, ora ſean de a pie, ora de a caballo.*

Qvæstio XCI.

An etiam ſint irregulares omnes, qui de familia Prætoris pedeſtres, aut equeſtres comitantur malefactorem morte plectendum.

AFfirmat Sayrus *lib. 6. Theſauri, c. 16. n. 12.* eo quod vadant ad defenſionem, ſi oporteret. Citatque pro ſe Silueſtrum *homicidium 3. q. 2. verſ. Secundum.* Tabienam *Irregularitas 5. §. 20. & irregularitas 3. §. 54.* Nauarr. *c. 57. n. 517. §. 11.* & Henriquez *lib. 14. cap. 15. num. 2.* Sed certè non omnes bene, vt infrà. Poteſt tamen citari pro hac parte Auila *part. 7. diſput. 5. ſect. 5. dub. 1. verſ. Sextò omnes*, vbi etiam citat pro ſe Silueſtrum, Nauarrum, & Henriquez *loc. cit.*

Sed probabilius, iuxta noſtram doctrinam Reſpondeo: Non eſſe irregulares, niſi aliàs familiares Prætoris Miniſtri publici iuſtitiæ ſint. Sic in primis videtur ſentire Doctiſſ. Nauarr. *loc. cit.* à Sayro per hæc verba: Vndecimò facit, quod ſit irregularis comitans Iudicem tanquam Notarius (*attende Lector*) Satelles, aut cuſtos damnati ducti ad mortem, aut deformationem. Sic ille. Henriquez autem licèt affirmatiuam partem teneat; apertè tamen fatetur, id non eſſe in iure expreſſum, quod certè ſufficit ad non incurrendam irregularitatem.

Qvæstio XCII.

An ſit irregularis Præco, qui reum præcedit & cauſam mortis proclamat.

RESpondeo: Eſſe irregularem. Quia vt Miniſter publicus verè cooperator eſt mortis rei: ergo eſt irregularis defectu lenitatis. Sic Henriquez *lib. 14. c. 12. n. 2. in fine*, quem citat & ſequitur Sayrus *lib. 6. c 16 n. 15. verſ. Item præco.* Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 1. verſ. Octauò eſt.* Cornejo *diſp. 11. dub. 1. n. 2. verſ. Quartò executores ſententia.* Villalobos *tract. 51. diff. 27. num. 10.* & alij.

Qvæstio XCIII.

An non ſolum Carnifex, qui gulam frangit reo, verum etiam omnes qui ipſum iuuant, vt qui ſcalam applicant, funem porrigunt, &c. ſint irregulares.

AFfirmant abſolutè Henriquez, & alij docendo Omnes eſſe irregulares ex defectu lenitatis, cum omnes concurrant phyſicè ad executionem ſententiæ ſanguinis. Sic enim ait *loc. cit. n. 5.* Alguazelluſque, & cuſtos carceris, qui defert ſcalam, funes, aut aliud inſtrumentum pro eo, qui in patibulo ſuſpendendus eſt. Et his iuſtitiæ Miniſtris deficientibus, alius etiam pro zelo motus, aut parum aduertens, qui ſcalam, reſtim, aut inſtrumentum præbet carnifici (*intelligo*) *fit irregularis.* Ita Henriquez. Cuius ſententiam ſequitur Auila *part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 1. verſ. Sextò omnes.* Licèt non bene citet locum vbi id doceat Henriquez. Ita etiam tenent Sayrus *cap. 16. cit. n. 12. in princip.* Maiolus *lib. 2. cap. 10. n. 2. verſ. Inter executores*, ibi: Qui inſtrumenta deferunt ad exercendam vindictam ſanguinis parata, vt ſunes, malleos, gladios, cippos, tigna, dolabras, ſcalas: nam ij omnes cooperatores ſunt, ideo irregulares. Ita Maiolus. Molina item *tom. 4. de Iuſtit. tract. 3. diſp. 74. n. 1.* Gibalinus *c. 4. q. 3. conſectar. 7. diff. 17. verſ. Sextò*, & alij communiter.

Sed probabilius, iuxta doctrinam noſtram, cum diſtinctione Reſpondeo dicendum, quod non ſolùm Carnifex, qui gulam reo frangit, verum etiam alij, qui ipſam ſcalam applicando, &c. iuuant, ſint irregulares, ſi ſint Miniſtri ad hoc miniſterium deputati, velut Alguazellus, cuſtos carceris, &c. In quo bene Auctores citati: ſecus verò ſi Miniſtri iuſtitiæ non ſint, ſed alij, qui pro zelo, aut parum aduertentes, dicta inſtrumenta carnifici tradunt; nam ob rationem repetitam, mi-

nimè

nimè irregulares defectu lenitatis, imò nec ex delicto fiunt.

QVÆSTIO XCIV.

An qui conficiunt, aut vendunt funes, gladios, vel alia inſtrumenta ad interficiendos malefactores in communi, ſint irregulares.

RESpondeo, vt certum ferè, Non eſſe irregulares. Quia iſti, nec concurrunt ad occiſionem rei proximè, ſed valdè remotè; nec vt miniſtri iuſtitiæ. Sic tenent communiter Doctores. Auila *part* 7. *diſp*. 5. *ſect*. 2. *dub*. 1. *verſ*. *Sextò omnes*, ex Henrici doctrina *c*. 12. *n*. 4. & 7. Gibalin. *loc. cit*. & alij mox adducendi.

QVÆSTIO XCV.

An ſaltem fiat irregularis, defectu lenitatis, qui facit furcam, funes, gladium, &c. ad occiſionem malefactoris in particulari.

AFfirmant communiter Doctores. Quia in hoc caſu proximè ad mortem rei concurrit fabricator dictorum inſtrumentorum. Ita ſentit Sayrus *lib* 6. *cap*. 16. *n*. 12. ibi: Item qui ſcalam facit, aut gladium acuit, vt illo ſtatim iuguletur reus, aut membrum eius abſcindatur. Argum. *c*. *Quæſitum*, *& ſequent*. 23. *quæſt*. 4. Hic vſque ille. Qui & citat pro hac parte Silueſtrum *homicidium* 3. *quæſt*. 2. *verſ*. *Secundum*. Tabienam *irregularitas* 3 *num*. 26. §. 25. Maiolum *lib*. 2. *cap*. 10. *num*. 2. Henriquez *lib*. 14. *cap*. 12 *num*. 2 Nauarr. *c*. 27. *n*. 217. *verſ Vndecimo*, & Barthol. de Medina *lib*. 1. *inſtruct*. *c* 11. §. 10 Quibus addi poſſunt Auila *loc. cit*. necnon Cornejo, Bonac. *quæſt*. 4. *punct*. 1. *n*. 13. Molina *tom*. 4 *de Iuſt*. *tract*. 3. *diſp*. 74. *n*. 2. & Villalobos *tract* 21. *diff*. 27. *n*. 8. ibi: *Y lo miſmo es del que dà al Verdugo la arma, ò ſe la vende para hazer el homicidio, ò mutilacion, ſiguiendoſe el efeto, que todos eſtos ſon cauſa de muerte, y aſſi quedan irregulares por el texto citado*, d. cap. Si quis viduam. *Lo miſmo es del que haze la horca para que ahorquen a eſte en particular; mas no del que la haze de otras, que eſſe es, como el que haze leyes en comun*. Ita ille.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec eſſe irregularem vllo modo, quia nec in dicto caſu concurrit, qui facit furcam iniuſtè, nec vt officialis, ſeu miniſter iuſtitiæ, vt ſupponimus: ergo nec ea delicto, nec ex defectu lenitatis erit irregularis. Secus eſſet dicendum caſu, quo faber lignarius eſſet miniſter iuſtitiæ ad id munus deputatus: quia tunc ſequuta occaſione rei, irregularis eſſet. Sic optimè Ægidius *de Sacram diſp*. 18. *dub*. 10. *n*. 92. vbi dicit, ſecuta morte eſſe irregulares *Tortores, & Lictores* phyſicè ad mortem concurrentes, extruentes focum, quo viui comburendi ſunt, & ſimiles. Non tamen ij, qui ligna, gladios, funes, &c. vendunt, quibus alios interficiendos ſciunt: quia nimis remotè concurrunt, imò nec faber, qui furcam erigit. Limitat hoc Auila *ſup*. *niſi erigeret pro aliquo particulari*: putarem potius limitandum, niſi tanquam officialis iuſtitiæ ex officio id faciat, nam communis faber nimis remotè concurrit, imò multo remotius quàm Princeps, qui committit Iudici exactionem particularis cauſæ, quam ſcit eſſe capitalem, quem conſtat non eſſe irregularem. Huc vſque Ægidius. Quem citat & ſequitur Hurtado *diſput*. 2. *de Irregularit*. *diff*. 11. *verſ*. *Illi tamen*, & poſſunt, imò debent citari pro hac parte Vaſquez, quem referunt, & ſequuntur Layſius *lib*. 9. *de Cenſur*. *diſp*. 66. *dub*. 3. Diana 3. *part*. *tract*. 5. *Reſol*. 79. *& in addit*. *Reſol*. 15. Palaus *diſp*. 6. *punct*. 14. §. 4. *num*. 2. Machado *lib*. 1. *part*. 3. *tract*. 18. *docum*. 5. *a*. 5. Quorum doctrinam eſſe valde probabilem docet Baſſæus *verb*. *Irregularitas* 3. *num*. 3. *verſ*. *Aduertendam*, & eam tenet vt ſolem nouiſſimè Bauny *de Cenſur*. *tract*. 11. *de Irregular*. *q*. 23. *n*. 11. *verſ*. *Ab eo, cæteriſque*. Licèt oppoſitum dixerit *ead*. *qq*. 8 *pag*. 481.

QVÆSTIO XCVI.

An Tortores, qui ſtruem lignorum congerunt, aut incendunt ad comburendos hæreticos viuos, ſint irregulares.

REſpondeo, vt certum: Eſſe irregulares. Quia vt Miniſtri Iuſtitiæ, phyſicè concurrunt ad mortem malefactoris. Sic omnes Doctores ex ſuprà citatis docent. Legantur Henriquez *lib*. 14. *c*. 13. *num*. 3. Molina *tom* 4. *tract*. 3. *diſput*. 74. *num* 4 Auila *part*. 7. *diſput*. 5. *ſect*. 2. *dub*. 1. *verſ*. *Septimò*. Nauarr. *cap*. 27. *num*. 217. Ægidius & Hurtad. *loc. citat*. Qui ſecus dicunt caſu, quo illa ligna, & focus non ſint cooperata ad mortem rei, eo quòd hic combuſtus ſit poſt ſuffocationem laqueo, quia tunc ex hoc capite non erunt irregulares, cum tunc ea ligna, & focus non fuerint mortis, aut mutilationis cauſa. Legantur etiam Sayrus *lib*. 1. *c*. 16 *n*. 3. Suarez *diſp*. 45 *ſect*. 1. *n*. 6. & Gibalinus *c*. 4. *q*. 1. *conſectar*. 10. *pag*. 187.

QVÆSTIO XCVII.

An omnes vendentes, aut donantes ligna ad viuos hæreticos comburendos, irregulares ſint.

AFfirmant communiter Doctores, præcipuè citati pro prima ſententia *quæſt*. 95. inter quos Villalobos vbi *loc cit*. hæc ait: *Tambien ſon irregulares todos los demas que ayudan a la muerte, como el que da la leña para quemar al hereje viuo, que ſi eſtaua muerto, no ay irregularidad, y lo miſmo es del que da el fuego, como dize Couarr*. in Clement. Si furioſus, 2. part. §. 4. n. 5. verſ. Nec tamen. *y aduierte Mayolo* lib. 5 c. 48. §. 4. n. 5. *que los Religioſos, ò Sacerdotes, que lleuaren luminarias, no den fuego*.

Sed probabilius Reſpondeo: Non eſſe irregulares. Quia nec authoritate publica, nec proximè, ſed remotè nimis, concurrunt illis actionibus licitis ad mortem malefactoris. Sic Ægidius *diſp*. 18. *dub*. 10. *n*. 92. Hurtadus *diſp*. 2. *diff*. 11. & alij citati pro noſtra ſententia *ſup*. *quæſt*. 95. Nec diſſentit omnino Henriquez *c*. 12. *cit*. *n*. 3. *in gloſſ*. *lit*. 1. cum potius excuſet ab incurſione irregularitatis illum, qui defert ligna in campum paratum combuſtioni, quia nihil fecit (ait) authoritate publica, ſed priuata.

QVÆSTIO XCVIII.

An qui impetrat à Iudice, vt reus ducatur ad patibulum per aliam viam breuiorem, vt vitet infamiam, quam in alia populoſa ſubiret, fiat irregularis.

AFfirmandum videtur. Quia qui notabiliter mortem rei, ſuo dicto, vel facto accelerant, fiunt irregulares: at ſic eſt, quod qui impetrat à iudice, vt reus per breuiorem viam ad locum ſupplicij ducatur, eſt

eſt cauſa, vt reus citius moriatur : ergo fiet irregularis. Maiorem, in qua eſt difficultas, docent Molina *tom.4.tract. 3. diſp.74 num.4.* Nauarr.*c.27.num.209.* Couarr. *in Clement. ſi furioſus,2.part.§.4.n.2.* & alij apud Dianam, & Gibalinum mox citandos.

Sed vt certum Reſpondeo : Non fieri irregularem vllo modo. Probant aliqui. Quia effectus per accidens ſequutus non imputatur danti operam rei illicitæ. Sic Henriquez *lib 14.c.11. n.7. litt.F.el 2.* Auila *part.7.diſp.5.ſect.2.dub.1.verſ.Sed notandum eſt,* Villalobos *diſp.7.2n.14.* & Bonac. *punct 1.cit.n.15.* Alij probant, quia dictus impetrator ita leuiter concurrit ad accelerationem mortis rei, vt in prudenti hominum æſtimatione non magni fiat illa tam exigua cooperatio. Sic Gibalinus *c.4. de Irregular. q.3. conſectar.7. diff.17.n.73.verſ.Septimò.*

Sed ego ex alio principio abſolutè dico, nullam incurrere irregularitatem ; quia vel hæc eſſet ex homicidio iniuſto, vel ex defectu lenitatis: non primum, quia ſupradictus impetrator non peccauit obtinendo ſuæ impetrationis effectum, vt omnes concedunt: non ſecundum, quia non operatur vt miniſter iuſtitiæ : ergo nulla iteritus manet irregularitate. Sic Diana *part.3.tract.5.reſol.79.* & *p.8.tract.7.reſol.61.* Palaus *diſp.6. punct.14.§.4. n.2.* Cœleſtin. *in Compend. Theol. moral. tract.4.c.5.§.1.* & Pellizzarius *ſect.4.cit. q.14.n.173.*

QVÆSTIO XCIX.

An qui, ſiue voce, ſiue punctione, inſtigat iumentum, quo reus interficiendus vehitur, fiat irregularis, ſi ex eo mors rei acceleretur.

NEgant aliqui fieri irregularem caſu, quo quis caſu, aut inaduertenter inſtiget iumentum ; eo quod talis actus non ſit plenè humanus, & actio, quæ inducit irregularitatem debeat eſſe plenè voluntaria. Ita ex Auila *part.7.diſp.5 ſect.2. dub.1.verſ. Octauò,* & ex Henriquez *lib.14.c.12. num.7.* docet Villalobos *tract.21.diff.27.num.13.* his verbis : *Mas ha ſe de aduertir, que ſi alguno de los que van acompañado al reo para conſolarle (como ſuelen hazer los Religioſos) dixeſſe inaduertidamente,* andemos hermano, *ò a caſo picaſe al iumento, ò le dixeſſe,* arre, *no por eſſo quedaria irregular, no procurando que ſe le acceleraſſe la muerte, como dizen Henriquez y Auila. Y Soto* lib.5.de Iuſt. quæſt.1. art.9 §. his prælibatis, *ſe rie de los que tienen eſcrupulo deſto. La razon es, porque eſte acto no es plenamente humano, y la accion que ha de inducir irregularidad, ha de ſer plenariamente voluntaria, porque no baſta que lo ſea ſemiplenamente, como lo dize Auila.* Ita ille. Ita etiam Bonacina *diſp.7. quæſt.4. punct.1. num 9. verſ. Addit Auila.* Molina *tom.4.de iuſt.tract.3.diſp.74.n.4.in fine,* & alij. Igitur, ſecundum iſtos Doctores, prædictus inſtigans iumentum ſolùm excuſatur ab irregularitate, quia inaduertenter, vel caſu, aut præter intentionem id fecit. Ex qua ratione planè colligitur, ſecus ſentire de illo, qui omnino aduertenter, aut conſultò inſtigaret iumentum.

Sed largius & probabilius Reſpondeo dicendum, quod adhuc non fiat irregularis, etiam dato caſu, quo conſultò, & ex plena aduertentia inſtiget iumentum, vt celeriùs ad locum ſupplicij perueniat, eo quod hora ſit tarda; aut eo quod populus nimis detineatur, &c. & inde mors rei acceleretur. Ratio eſt *Primò.* Quia vt ait Henriquez *loc.cit.litt.F. In* 2. illa cooperatio accelerationis ad rei mortem ita eſt leuis, ac parua, vt pro nihilo debeat reputari : ergo etiam facta conſultò, & aduertentur inſufficiens erit ad inducendam irregularitatem.

Secundò, & præcipuè. Quia prædictus inſtigans iumentum non concurrit ad accelerationem rei mortis, vt miniſter iuſtitiæ, ſed vt priuata perſona, & non iniuſtè, vt ſupponimus : ergo per talem inſtigationem adhuc conſultò factam, non incurrit irregularitatem : patet, quia irregularitas ex homicidio non incurritur ob concurſum ad illud, niſi aut factum à miniſtro publico, quamuis iuſtè, aut factum à perſona priuata iniuſte. Sic expreſſè Hurtado *diſp. 2.de Irregular.diff.11.n.40.* Luyſius,& Vaſq. quos citat, & ſequitur Diana *p.3.tract.5.Reſol.29.*& in addit.*Reſol 15.* Palaus *diſp.6 punct.14.§.4 n.2.* Machado *lib.1.part.3. tract.18 docum.5.n.5. & 6.* Gibalin. *de Irregul. cap.4. q.3 conſect.7.diff.17.n.75.* & nos *ſupr. tract.1.diſp.4. quæſt.1.*

QVÆSTIO C.

An qui dicit reo, Aſcende ſcalam, vel admoue caput ſtipiti ad excipiendum ictum, aut, laqueum indue, *fiat irregularis, ſi ob ipſius dictum reus citius occidatur, aut mutiletur.*

AFfirmat Henriquez *lib.14 c.12. num.3.* ita ſcribens. *Secundò fit irregularis,* qui eſt cauſa accelerandi mortem, aut deformationem, vt ſi reo dicat, pone caput ſuper lignum, ſeu cippum (ob quod citius decollatur) vel aſcende ſcalam. Qui incitat, vt gladius exacuatur, funes præparentur, vel alia inſtrumenta, vt ita cum minore dolore citò mors veniat. Qui tortorem monet, vt cito faciat, vt ſecurim præparet, & ſemel, & non ſæpius feriat, &c. Ita Henriquez, & penes ipſum, Nauarr.*cap.17.n.217.§. Decimotertio.* Silueſter *homicid.3. §.2. verſ. Tertio.* Tabiena *irregularit.3.§.13.* Maiol *lib.2. c.10.n.3.* addentes, id eſſe verum, quamuis quis ex pietate dicta verba dixerit. Ita etiam Auila *part.7.diſp.5 ſect.2.dub.1.verſ. Octauo.* Vgolinus *cap.11.§.3.* Bonac. *quæſt.4.punct.1. num.9. verſ. Quarto.* Baſſæus *irregularitas 5. num.3.* Molina *tom.4. tract.3. diſput.74. num.4.* Cornejo *de Irregularit. diſp.11.dub.1.* Villalobos *tom.1.tract.21. diff 27. num.12.* vbi ita ait : *Tambien queda irregular el que es cauſa de que muera mas preſto el delinquente, como dize Silueſtro, Couarruuias, Maiolo, Nauarro, y es comun, que eſtos computanſe entre los que cooperan à la muerte. Prueuaſe, porque el que hiere à otro que eſtà herido de muerte, y por eſto es cauſa de que muera mas aina, ſe juzga en derecho por homicida,* l.Ita vulneratus, ff ad l.Aquil.& l.Item Mela,§. Sed ſi plures, ff. eod. *Luego tambien lo es eſte, e incurre en irregularidad. Anſi lo es el que amoneſta al reo, que llegue la cabeza al troneo donde le han de iuſticiar : ò le dize, que ſuba à prieſſa la eſcalera, ò al verdugo, que afile el cuchillo, que todos eſtos ſon irregulares.* Hæc Villalobos.

Sed probabilius, iuxta doctrinam ſupra à nobis datam, Reſpondeo : Non fieri irregularem. Quia ſupradicta, nec accelerant mortem rei, vt Miniſtri iuſtitiæ, neque committunt peccatum, cum potius prædicta verba proferant vel ex pietate, quam erga reum habent, vel vt alacriter paſſionem ferat : ergo. Sic tenent expreſſè Vaſquez, Luyſius, Ægidius, Hurtad. Diana, Palaus, Machado *loc. citatis quæſt.99.* Sic etiam Gibalinus *loc. cit.* Qui iis ſequentibus rationibus probat. *Primò,* quia ex nullo aperto ſatis iure contrarium colligitur. *Secundò,* nam hæc omnia cooperatio eſt admodum exigua, neque in communi hominum perſuaſione pugnat cum lenitate,

ex

ex qua potius oritur ;neque enim fit ex deſiderio mortis citò inferendæ, ſed liberandi rei à diuturniore vexatione. *Tertiò* fit hæc cooperatio à non cogitantibus perſæpè. *Quartò*, non eſt directa cooperatio, ſed per accidens ; conſulitur enim reo ſcalam aſcendat, ne maiori incommodi v rapretur. Supponat ſecuri ceruicem, ne ſi alioquin errer manus lictoris, pluribus ictibus, non ſine magno dolore percutiendus ſit : Gulam lubens laqueo induas, ne diutius torqueatur. In quibus omnibus, nihil eſt,quod per ſe, & directè tendat ad mortem accelerandam, ſed ad ſubleuandum reum ; quod idem de quibuſdam aliis dicendum exiſtimo. Itaque cum hæ actiones non contineant propriam, & directam cooperationem ad mortem rei, non cenſerem inuehere irregularitatem. Sic ille. Tenet etiam Henriquez iam ſibi aliqualiter contrarius ; *cap.12. citat. numero ſeptimo, litt. D. la 2.* vbi ita ait : Et ab irregularitatè excuſatur dicens, vel faciens aliquid pium, vt ſi Carnifici dicat ; Permittitur tibi facere officium tuum, quia ego iam feci officium in Confeſſione, vel exhortatione. Et qui parum cooperatur, non cenſetur moralis, & propinqua cauſa influens (quia parum pro nihilo reputatur) vt ſi pungat aſinum eius, qui deducitur ad furcam : vel ſi reo dicat, vt aſcendat alterum gradum ſcalæ, nec qui ob vitandum dedecus impetrat à Iudice, ne reus ducatur per plateam, & domum vxoris,aut parentum, quamuis per accidens ex breuiori via ſequatur aliqua accelerario. Ita ille. Et alij.

Ad argumentum, & inſtantiam factam contra noſtram ſententiam ab Henrico de Villalobos, conſtat ex dictis, non conſiſtere : quia actio illa vulnerandi denuò vulneratum, eſt illicita, & peccaminoſa, & iniuſta ; ſecus verò actio illa, quæ ratione pietatis accelerat mortem rei.

QVÆSTIO CI.

An fiat irregularis, qui inexpertum Carnificem docet modum, quo dandus eſt nodus funi, aut volvendus cippus.

NEgat Villalobos cum diſtinctione hiſce verbis *Mas no queda irregular el que enſeña al verdugo, como ha de dar el nodo, ò reuoluer el cepo, como dize Henriquez* ſupra numero 4. (lege tu, num.7.) *loqual ſe ha de entender, quando no ay delinquente en particular aquien aya de ahorcar, como dize Auila* parte 7. diſputatione 5. ſectione 2. dub. 1. verſ. Sextò omnes : *que es como el que haze la ley en general, que contiene pena de muerte, ò da conſejo en comun.* Ita Villalob. *tract.21. diff.27. num.9.* & etiam Gibalinus *diff.17.cit.num.75.verſ.Septimò.*

Sed largius adhuc & probabilius abſolutè Reſpondeo : Non fieri irregularem illum, qui non ſolum in genere, ſed etiam in particulari, quando aliquis eſt ſuffocandus, docet rudem carnificem modum aptandi, aut nodandi funes. Quia hæc actio nec procedit à Miniſtro iuſtitiæ, nec eſt iniuſtitia,ſed potius licita, & elicita à docente in fauorem rei, ne aliàs à rudi Carnifice diutius torqueatur : ergo non inducit irregularitatem aliquam,nec ex defectu lenitatis, nec ex delicto.Sic Henriquez,cùm ſine diſtinctione hæc dicat : Nec qui inexpertum lictorem docet modum, quo dandus eſt nodus funi,aut voluendus cippus,parum enim eſt quod docet, vt nec qui docet artem,& modum digladiandi. Sic ille.

QVÆSTIO CII.

An Clerici, aut Regulares temporalem iuriſdictionem habentes, qui interſunt executioni ſententia mortis, ſint irregulares.

REſpondeo vt certum : Eſſe. Quia vt perſonæ publicæ,ſua præſentia opem,& auxilium præſtant lictoribus, aliiſque mortem reis inferentibus. Sic colligunt DD ex *c Ex litteris, de exceſſib. Prælat.* & ex *cap.Sententiam,Ne Clerici,vel Monachi.* Gloſſa,Panormit.& Innocent. *in d. cap.* Nauar. *cap. 27. num.214.verſ.Quintò.*Viuald *tract.de Irregul.n.274. & 275.* Maiolus *lib 2.cap.6.n.12.* Henriquez *lib.14. cap.12.num 7.litt.X.& num.10.litt.B.*Angel.Silueſt. Tabiena, Ledeſma, & alij, quos citat, & ſequitur Sayrus *lib.6.c.18 n.19 & 20.*Auila *p.7.diſp.5 ſect.2. dub.16.*vbi bene aduertit,quod non eo ipſo,quod talis Prælatus habens temporalem iuriſdictionem aſſiſtat executioni ſententiæ,cenſetur præbere auctoritatem illi facto, vt ſi interſit ad conſolandum : Imò licet aſſiſtat ex curioſitate, quamuis peccet, non erit irregularis, ſaltem in foro interiori, ſiquidem non intendit præbere actoritatem illi actui. Hæc Auila. Tunc igitur cenſebitur præbere auctoritatem tali actioni, & facto, vt ait Henriquez, quando dictus Prælatus cum publico apparatu, tanquam Superior, auctoritatem ſuæ præſentiæ exhibet, dum Prætor illius fert ſententiam ſanguinis, aut eam mandat executioni,& tunc ſequuto effectu,fiet irregularis.

QVÆSTIO CIII.

An cæteri, ſiue Clerici, ſiue laici, qui non habent iuriſdictionem temporalem, incurrant etiam irregularitatem aſſiſtendo executioni ſententia ſanguinis.

AFfirmarunt olim quidam antiqui, vt refert Viualdus *num.276.* quorum doctrinam innuit eſſe probabilem.

Sed Reſpondeo, vt certum : Hos non incurrere. Quia iura citata ſolum loquuntur de Prælatis habentibus iuriſdictionem temporalem, quia ſua præſentia authoritatem,& auxilium lictoribus, & executoribus ſententiæ præſtant, & ideo dicuntur cooperari ad illam.Cæteri verò minimè,& ideo non incurrunt irregularitatem. Sic omnes Auctores nuper citati. Quibus addi poſſunt Bonac.*q.4 punct.2.n.16.*Gibalin.*c.4. diff.vlt.pag.296.* Vgolin.*c.5.§.3.*Palaus *diſp.6. punct. 14.§.4. n.2.* Barboſa *ad cap. ex litteris 10. de exceſſ. Prælat.*Machado *tom.1.lib.1.p.3.tract.18. docum.5.n. 6.*ita dicens : *Finalmente ſe ha de aduertir, aunque el Derecho*(cap.Sententiam ſanguinis cit.) *prohibe à los Clerigos, que aſiſtan a la execucion de la muerte, en ningun modo les pone irregularidad, en loqual conuienen todos los Doctores.*Legantur Suarez *diſp.47. ſect. 4.n.2.*Filliucius *tract.19.n.238.*Baſſæus *Irregularitas 5.n.5.*Viuald.*loc.cit.* & alij apud ipſos.

QVÆSTIO CIV.

An ſaltem peccent Clerici aſſiſtentes ſine iuſta cauſa executioni ſententia ſanguinis.

AFfirmant peccare, & mortaliter, eo quòd faciant contra prohibitionem latam *in cap, Sententiam ſanguinis,Ne Clerici, vel Monachi* (*non cap. Si Clerici,vel Monachi*, vt leges apud Bonac.) caſu quo adſint ob iniuſtam cauſam ; putà curioſitatem,

quod tunc videntur ob illam aſſiſtere, quando ſolum adſunt, vt aliquam pulchram mulierem occidendam videant, vel vt verba aliqua ab executoribus iocoſè ſolita dici audiant, non verò ſi adſint ob cauſam iuſtam, nempe confeſſionis, conſolationis, vel charitatis cauſa. Ita Viuald. *num.* 276. *&* 277. Saytus *lib.* 6. *c.* 18. *num.* 20. *&* 21. & penes ipſos Nauarrus, Henriquez, & alij.

Alij mitius id ipſum affirmant, nempe peccare quidem, ſed ſolum venialiter, etiam caſu, quo aſſiſtant ob curioſitatem, propter paruitatem materiæ. Ita Suarez *diſp.* 47. *ſect.* 4. *n.* 10. Auila *p.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 16. *in fine*, quos citat, & approbat Bonac. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *n.* 16.

Sed ego mitiſſimè loquendo, Reſpondeo: Nec venialiter adhuc peccare, aſſiſtendo executioni ſententiæ, adhuc ſine iuſta cauſa (ſecluſo ſcandalo, & aliis extrinſecis.) Quia vel textus citatus pro contrariis non agit de ſimplici Clericorum præſentia, de qua nobis eſt ſermo, ſed de præſentia Prælatorum habentium temporalem iuriſdictionem, qua auxilium præbetur, vt ſentiunt Vgolinus *cap.* 7. §. 3. & Gibalinus *c.* 4. *de Irregularit. diff.* 18. *& vltima*: vel iam contraria conſuetudine eſt abrogatum, vt putat Diana *parte* 4. *tract.* 2. *Reſol.* 35. per hæc verba: Sed ego puto, Clericos etiam in ſacris, Beneficiarios aſſiſtendo tantum executioni ſententiæ mortis, non peccare, neque venialiter, quia Canones hoc probibentes videntur contraria conſuetudine abrogari. Hæc Diana. Sic Vgolin. & Gibalinus citati. Quibus annuit Bonacina *loc. cit.* ſic etiam Machado *docum.* 5. *cit. n* 6. qui & citant Molinam *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 74. *n.* 2. *&* 5. Sed malè omnino. Sic etiam Palaus *punct.* 14. *cit.* § 4. *n.* 2. & alij.

---

§. V.

De Irregularitate ex defectu lenitatis proueniente ex occiſionibus, ſeu mutilationibus in Bello iuſto.

QVÆSTIO CV.

An Clericis in ſacris conſtitutis ſit prohibitum pugnare propria manu, in bello iuſto aggreſſiuo.

RESpondeo, vt certum: Eſſe prohibitum ſub grauiſſimis pœnis in iure, *cap. Clerici, cap. Quicumque*, 23. *q.* 8. *c.* 1. *Ne Clerici, vel Monachi, c. Ex multa. De voto*, § *vltimo*. Et meritò. Quia illa actio eſt valde aliena à miniſterio Sacerdotali; ergo meritò Clericis probibetur Sic tenent omnes DD. Canoniſtæ in dictis *capp.* Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q* 40. *art.* 2. D. Anton. 3. *part. tit.* 18. Maiolus *de Irregularit. lib.* 5. *c.* 49. Nauarr. *c.* 27. *n.* 215. Suarez *diſp.* 47 *ſect.* 6. *n.* 7. *& de Charit. diſp.* 13. *ſect.* 5. Saytus *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 1. *&* 2. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 13. Auila *part.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *& diſp.* 2. *de reſtit. quæſt. vlt. n.* 12. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 10. Ægidius *diſp.* 18. *cap.* 10. *à num.* 97. *& diſp.* 31. *dub.* 6. *num.* 86. Luyſius *lib.* 9. *de cenſur. diſp.* 68. *&* 2. 2 *ad quæſt.* 40. D. Thom. *art.* 2. Gaſp. Hurtad. *diſput.* 2. *de irregular. diff.* 12. *& de fide diſp.* 9. *diff* 8. Gibalinus *de Irregul. c.* 4. *q.* 3. *conſect.* 7. *à diff.* 1. *vſque ad* 7. Franciſcus de Ouiedo *de fide, tract de de Charit. controu.* 12. *punct.* 9. Palaus *de Cenſur diſp* 6. *punct* 14. § 5. *& tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 5. *punct* 8. Granad. *tract.* 13. *diſp.* 4. *ſect.* 5. Baſſæus *Irregularitas* 3. *à num.* 15. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 28. Cornejo *de Irregularit. diſp.* 15. *dub.* 3. Machado *lib.* 2. *part.* 3. *tract.* 18. *docum.* 10. Candidus 1. *p. diſquiſ.* 17. *ab art.* 9. Bannez 2. 2. *quæſt.* 40. Dicaſtillo *tom.* 1. *de Iuſt. & iure, lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 16. §. 11, *n.* 473. *pag.* 321. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 4. *q* 32. *à n.* 198. & omnes.

QVÆSTIO CVI.

An etiam Clericis minoribus Ordinibus conſtitutis, ſit prohibitum in bello iuſto aggreſſiuo propria manu pugnare.

NEgat Bonacina *lib.* 2. *de Reſtit. quæſt. vlt. ſect.* 1. *punct.* 12. § 4. per hæc verba: Licitum eſt Clericis in minoribus conſtitutis pugnare in Bello propria manu: Clericis verò maioribus Ordinibus inſignitis prohibitum eſt iure Eccleſiaſtico *can. Clerici*, & *can. Quicunque*. Ita ille. Et ante illum Couarr. *in Clementina ſi furioſus*, 2. *part.* § 3. *num.* 1. Lorca 2. 2. & Hurtad. *loc. cit.* Quia (inquiunt) conſuetudine receptum eſt, dictos Canones ad illos non extendi, & ideo Clerici huiuſmodi, eodem modo ac laici pugnare poſſunt.

Affirmant è contrà alij, docentes: Non ſolum Clericis minoribus Ordinibus conſtitutis, verum etiam ſolum prima tonſura, eſſe probibitum per dictos Canones pugnare propria manu in bello iuſto aggreſſiuo. Quia nomine Clericorum intelligendi in vniuerſum veniunt omnes babentes aliquem Ordinem Eccleſiaſticum, etiam primam tonſuram, vt colligitur ex *cap. Cum contingat. De ætate, & qualit. Ordin.* Ita Candidus *de Bello diſquiſ.* 17. *art.* 9. *dub.* 1. *dict.* 1.

Alij denique diſtinguendo reſpondent, Clericis in minoribus conſtitutis, qui beneficio Eccleſiaſtico gaudent, prohibitum eſſe in dictis Iuribus pugnare in iuſto bello: non verò Clericis, qui nec beneficio Eccleſiaſtico, nec priuilegio fori gaudent, quia hi in Ordine ad reliqua omnia ſe habent tanquam ſæculares. Ita Valentia *diſp.* 3. *q.* 16. Molina *diſp.* 108. *circa finem*, Ægidius, Granados, & Palaus, quos citat, & ſequitur Ouiedo *tract. de Charit. controu.* 12. *punct.* 9. *n.* 110. Quibus conſentit Suarez *de Cenſur. diſp.* 47. *ſect.* 6. *n.* 7.

Sed ego abſolutè Reſpondeo: Omnibus Clericis in minoribus conſtitutis, aut etiam prima tonſura, prohibitum eſſe per dictos citatos Canones pugnare propria manu in bello iuſto aggreſſiuo, aut offenſiuo. Quia inibi abſolutè, & ſine diſtinctione prohibentur Clerici in dicto bello propria manu pugnare: at ſic eſt, quod nomine Clericorum veniunt omnes habentes aliquem Ordinem Eccleſiaſticum, etiam primam tonſuram, aut beneficium Eccleſiaſticum, vt bene probat Candid. & Barboſa *tract. de Appell. verb. Clerici, n.* 1. & antea Gloſſa *in cap. Eos qui*, 20. *q.* 3. *verbo in Clero.* Ægidius *de Bello diſq.* 31. *dub.* 6. *n.* 87. ergo. An autem huiuſmodi Clerici pugnando de facto peccent, infra diſcutimus. Legatur Machado *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 18. *docum.* 10. *num.* 2.

QVÆSTIO CVII.

An etiam Religioſis, laicis quoque, ſit prohibitum propria manu pugnare.

REſpondeo, vt certum: Eſſe prohibitum etiam. Et quidem loquendo de Monachis, ſeu Religioſis choro deſtinatis, planum eſt. Nam *in capit. Clerici, & cap. Quicumque ex Clericis*, 23. *quæſt.* 8.

probibitum

prohibitum eſt Clericis propria manu pugnare, vt *ſup.* eſt habitum: at ſic eſt, quod in fauorabilibus, nomine *Clerici* venit etiam Religioſus, vt latè Barboſa probat *loc.cit.* ergo.

Loquendo verò de Religioſis laicis, etiam conſtat, quia illis expreſsè eſt prohibitum *in cap. Eos qui 20. quæſtione tertia*, vbi ſic dicitur: *Eos qui ſemel in Clero taxati fuerint, ſiue in Monaſterio deputati, decreuimus neque ad militiam, neque ad honores ſæculares venire. Eos autem qui hoc auſi fuerint facere, & non eius rei pœnitere maluerint, vt ad hoc idem reuertantur, quod ante obtentu Dei ſibi propoſuerunt, conuenit anathematizari.* Sic totus textus ex Concil. Chalcedon. *cap.* 74. Sic communiter DD. Bannez 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. Candidus *loc. cit. dict.* 2. Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *de Charit. controuerſ.* 12. *punct.* 9. *n.* 108.

QVÆSTIO CVIII.

An iure naturali, aut diuino ſit prohibitum Clericis, propria manu pugnare.

AFfirmant aliqui Canoniſtæ, inter quos videtur eſſe Gratian. 23. *quæſt.* 8. in principio, vbi expreſsè ait, non poſſe Summ. Pontificem diſpenſare in dicta prohibitione: ergo ſentit planè hanc prohibitionem non eſſe iure humano, aut Eccleſiaſtico, ſed naturali, aut diuino indictam.

Sed vt certum Reſpondeo: Solum eſſe Clericis id prohibitum Eccleſiaſtico iure, non naturali, aut diuino, & ideo poſſe Summ. Pontificem in dicta prohibitione diſpenſare. *Prior* pars conſtat ex Iuribus citatis, & rurſus ex *cap. Clericus, diſt.* 55. vbi Nicolaus Papa id prohibet ſub pœna ſuſpenſionis. Et 23. q. 4. habentur multi Canones de hac re.

Secunda pars probatur: quia nullum extat præceptum diuinum, cum neque ex Scriptura, neque ex traditione habeatur, nec omnino in Clericali munere includitur, aut intrinſecè continet repugnantiam cum recta ratione: ergo nec diuino, aut naturali præcepto eſt id eis prohibitum.

Tertia pars conſtat. Quia Pontifex poteſt diſpenſare in omni præcepto humano, & Eccleſiaſtico, quale eſt huiuſmodi: ergo. Sic tenent communiter DD. Theologi & Canoniſtæ. Legantur D. Thom. & Caietan. 2.2 *quæſt.* 40. *art.* 2. Couarr. *in Clement. Si furioſus, part.* 2. §. 3. *n.* 2. Suarez *diſp.* 13. *de bello, ſect.* 3. *à n.* 3. Sotus *lib.* 5. *de Iuſtit. q.* 1. *art* 4. Luyſius, Gaſp. Hurtad. & Granad. *loc. cit.* Tannetus *diſp.* 2. *q.* 6 *n.* 79 Ouiedo *punct.* 9. *cit. n.* 109. Palaus *tract.* 6. *de Charit. diſp.* 5. *punct.* 6. *n.* 1. Candidus *diſquiſ.* 17. *art.* 9. *dub.* 1. *dict.* 1. Dicaſtillo *tom.* 1. *de Iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 10. *dub.* 16. §. 11. *n.* 475. & 476. & alij.

QVÆSTIO CIX.

An dicta prohibitio non pugnandi propriis manibus, obliget ſub mortali Clericos in ſacris conſtitutos.

REſpondeo, tanquam certum: Obligare ſub mortali. Quia hæc prohibitio eſt circa materiam ex ſuo genere grauiſſimam, & prohibitam ſub grauiſſimis pœnis, ac cenſuris: Cum Clerici pugnantes ſine licentia Pontificis, priuentur vſu ſuorum Ordinum, recludantur in Monaſterio, & ſi in bello moriuntur, pro illis non offertur ſacrificium, vt conſtat ex textibus nuper citatis: ergo clarè colligitur, quod dicta prohibitio ſub mortali obliget Clericos, ſaltem in ſacris conſtitutos. Sic D. Thom. 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 2. & ibi Caiet. & Bannez, Silueſt. *verſ. Bellum* 3. *quæſt.* 2. Couar. & Suarez *loc. cit.* Granad. *tract.* 13. *diſput.* 4. *ſect.* 5 *à num* 45. Molina *tract.* 2. *diſp.* 108. Ægidius *de fide diſp.* 31. *dub.* 9. *n.* 86. Hurtad *de fide diſp.* 7. *diff.* 8. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6 *punct.* 6 *n.* 2. Bonacin. *diſp.* 2. *de Reſtitut. quæſt. vlt. ſect.* 1. *punct.* 12. § 4. Luyſius *de Cenſur. lib.* 9. *diſp.* 68 *dub.* 2. Candidus *loc. cit. dict.* 2. Dicaſtillo *tom.* 1 *de Iuſt. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 16. §. 11. *num.* 474.

QVÆSTIO CX.

An etiam præfata prohibitio obliget ſub mort. Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos ſi beneficio Eccleſiaſtico careant.

NEgant communiter Doctores aſſerentes, vel huiuſmodi Clericos non comprehendi ſub dicta prohibitione, vel ſi comprehendantur, conſuetudine excuſari à tali peccato mortali. Ita ſentiunt Couarr. Luyſius Turrian. Valentia, Molina, Ægidius, Palaus, Ouiedo. & alij citati *ſup. q.* 106. Imò & à veniali peccato excuſari, ob eandem rationem, dicunt plures ex illis, quibus adiunge Saytum *lib.* 6. *c.* 19. *n.* 2. vbi expreſsè affirmat Clericos dictos nullo modo peccare in bello iuſto pugnando. Quorum dictum probabile putat Suarez *diſp.* 13 *de Bello, ſect.* 3. *n.* 5. hæc dicens: De aliis verò exiſtentibus in minoribus, quia imperfectè participant ſtatum Clericalem, probabile eſt, vel nullo modo obligari, præſertim ſi iam omnino renunciauerunt ſtatui, vel certè ad ſummum obligari ſub veniali. Hæc Suarez. Quem ſequitur Dicaſtillo *loc. cit. num.* 490. *pag.* 338.

Sed clarius Reſpondeo dicendum, attento iure communi, Clericos huiuſmodi verè peccare mortaliter; pugnando ſine licentia Pontificis in bello iuſto: attenta verò conſuetudine, nec venialiter peccare, præcipuè ſi renunciarunt ſtatui Clericali. *Prima pars* conſtat ex dictis. Quia dicta publicatio, prout continetur in iure communi, comprehendit omnes Clericos, etiam in minoribus conſtitutos, vt ſuprà eſt habitum: at ſic eſt, quod dicta prohibitio obligat ſub mortali, vt ſupra eſt etiam habitum: ergo prout continetur in iure, omnes Clericos ſub mortali obligabit.

Secunda pars conſtat etiam. Quia dicta iura, prout comprehendunt Clericos in minoribus conſtitutos, iam abrogata contrariâ conſuetudine ſunt, vt bene auctores primæ ſententiæ: ergo nec ſub veniali illos obligant.

QVÆSTIO CXI.

An ſaltem Clerici beneficiarij in minoribus conſtituti, mortaliter peccent, propriis manibus in bello iuſto pugnando.

NEgat adhuc Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp* 5. *punct.* 6. *n.* 3. exiſtimans, ſolum peccare venialiter. Quia longe (inquit) ſunt à miniſterio Altaris, & ita indecentia in pugna ab ipſis exercita levis eſt.

Sed probabilius Reſpondeo: Peccare mortaliter. Quia probabilius eſt, huiuſmodi Clericos beneficiarios, directè ſub prohibitione in iure lata obligante ſub mortali comprehendi (vt *ſupra quæſt.* 106. eſt habitum) nec contraria conſuetudine eſſe abrogatam: ergo peccabunt mortaliter contra illam pugnando. Sic Suarez *diſput.* 13. *de Bello, ſect.* 3. *num.* 5. Azor. 3. *parte, inſtitut. moral. lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 5. &

terſcerit: & tamen vix poteſt quis in prælium, & pugnæ conflictum exire, quin in eo bello ſocios ad ſtrenuè, & fortiter præliandum hortetur: ergo. *Confirmatur*: quia qui in genere exhortat milites ad pugnam, non directè prouocat ad homicidium, ſed ad fortiter pugnandum: ergo valdè remotè, & per accidens ſe habet ad homicidium: ergo non eſt eius voluntati imputandum: ergo nec irregularitatem inde contrahere poteſt. Sic tenet communis ſententia. Gloſſa *in can. Sciſcitaris, verb. Prodire, 7. quæſt. 1.* D. Anton. *3. part. tit. 28 cap. 2. § 6.* Nauar. *c. 27. n. 216.* Suarez *de Cenſur. diſp. 47. ſect. 6. num. 8.* Henriquez *lib. 14. c. 13. n. 1. & c. 16. n. 4.* Couarr. *in Clement. Si furioſus, part. 2. § 3. num. 2.* Sayrus *lib. 6. Theſaur. c. 69. n. 6.* Carol. de Graſſis *effectu 28. Cleric. n. 1.* Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 108. n. 5.* Toletus *lib. 1. c. 27. in fine,* Bonac. *tom. 1. diſp. 7. quæſt. 4. de Irregular. punct. 4. n. 7.* Vgolinus *de Irregularit. cap. 12. § 2.* Auila *part. 7. diſp. 6. dub. 2.* Filliucius *tract. 19. cap. 10. n. 269. & 274.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. n. 165.* Candidus *tom. 1. diſquiſ. 17. art. 10. dub. 3.* Gibalinus *c. 4. de Irregularitate, quæſt. 3. conſect. 6. diſp. 5. verſ. Quintò.* Granados *1. 2. controuerſ. 3. tract. 13. diſp. 4. ſect. 5. n. 49.* Palao *tom. 1. tract. 6. de Charit. diſp. 5. punct. 1. num. 5.* Luyſius *de Cenſur. lib. 9. diſp. 68. dub. 2.* Lorca *2. 2. quæſt. 40. art. 1. diſp. 11. ſect. 3. n. 19.* Ægidius *diſp. 31. de Bello dub. 6.* Dicaſtillo *lib. 2. de Iuſt. tract. 1. diſp. 10. dub. 16. § 1. n. 482.* & Pellizzarius *tom. 2. tract. 7. c. 5. ſect. 4. q. 32. n. 198.* Nec obſtat contra nos text. *cit. in cap. Quod in dubiis.* Quia, vel vt ait Nauarr. hic Canon intelligendus eſt de his, qui ita exhortantur ad pugnam, vt incitent ad occiſionem, vel mutilationem expreſsè: vel, vt verius cum Gloſſa alij interpretantur, loquitur tantùm de bello iniuſto, non iuſto. Argum. *cap. Sicut dignum, §. Qui verò, de Homicid. & l. Item Mela, § Item cum his, ff. ad leg. Aquil.* Ad 2. argument. iam ex dictis conſtat.

Qvæstio CXVI.

An ſaltem ſit illicitum Clericis, fiantque irregulares, ſi in bello iuſto hortentur milites, non ſolum ad pugnam in genere, ſed etiam ad prærumpendos hoſtium cuneos, ipſos occidendo, vt ſibi viam faciant ad muros, &c.

AFfirmant communiter Doctores, vt fatentur citati, præ ipuè Suarez, Sayrus, Henriquez, Couarr. Bonacin. Granados, & Palao. Molina *diſp.* 108. & alij.

Sed probabiliter certè Reſpondeo: Nec id eſſe illicitum Clericis; nec fieri propter hoc irregulares. *Prima* pars ex nuper dictis conſtat. *Secunda* verò etiam: Quia hæc irregularitas non eſt in iure expreſſa: ergo illa non debet admitti. Antecedens probatur, quia ſi alicubi, maximè *in c. Quod in dubiis, cit.* at non in hoc: quia dictum *cap.* non magis loquitur de exhortatione particulari ad occidendum hoſtes, aut ſingulatem aliquem, quàm generali ad pugnandum, & occidendum. Quare, aut vi huius textus, neutra ex illis exhortationibus inducit irregularitatem, aut vtraque illam inuehit. *Confirmatur*, quia *c. Petitio, de homicid.* illum dumtaxat, quem conſcientia remordet commiſſæ cædis in bello, iubet abſtinere à miniſterio Altaris: ergo ex illo clarè colligitur, quod nullus alius, quàm ille, qui ſua manu occidit, aut mutilat, incurrat irregularitatem, quocumque modo cooperetur ad illud homicidium iuſtum.

Confirmatur ſecundò. Quia Clerici, qui exhortantur milites ad occidendum expreſsè, non cooperantur ad homicidium iuſtum, vt Miniſtri publici, neque illicitè, vt perſonæ priuatæ, & particulares: ergo non incurrunt hanc irregularitatem. Patet, quia iuxta noſtram doctrinam *ſupr.* traditam, hæc non incurritur, niſi à Miniſtris publicis, non à perſonis priuatis. Sic tenet expreſsè Gibalin *loc. cit. verſ. ſexto, pag. 248.* vbi pro hac parte citat Gaſp. Hurtad. *diſp. 2. de Irregular. diff. 12. n. 44.* quatenus abſolutè, & ſine exceptione aliqua docet, non incurri irregularitatem ab eo, qui hortatur milites ad pugnam, etiam ſequuto effectu mortis; quia (ait Hurtado) id tantum eſt animare, & exhortari milites, qui ſunt publici Miniſtri, ad exequendam vindictam, quod non eſt cooperari vt Miniſtrum publicum, nec illicitè cooperari vt perſonam priuatam. Citat etiam Gibalinus pro hac ſententia Molinam *tom. 1. tract. 2. diſp. 110. concl. 2.* quatenus vniuerſim pronunciat, nunquam Clericos, & multò minus laicos, fieri irregulares, licèt pugnent, exhortentur ad pugnam, armaque ſubſidiaria præbeant, aliquos quoque percutiant, & vulnerent, dummodo ipſi nullum mutilent, aut interficiant. Verum eſt, quod hic auctor oppoſitum videatur inſinuare *diſp. 108. verſ. Secundum verò, col. 436.*

His ego addo Luyſium Turrianum *dub. 2. citato*, vbi expreſsè hanc noſtram ſententiam docet, his verbis: Sed multi viri docti huius ætatis ſentiunt, propter hanc exhortationem non incurrere Clericos irregularitatem, ſi propter priorem non contrahunt; quia idem videtur ſenſus exhortationis vtriuſque, conſideratis rectè circumſtantiis, & licèt in prioribus verbis non exprimatur apertè exhortatio ad occidendum, bene tamen includitur implicitè, ſi neceſſaria eſt ad conſequendam victoriam: & eundem eſſe ſenſum vtriuſque exhortationis, docuerunt Innocent. & Panormitan. *in capit. quod in dubiis, de pœnis*, quamuis contra eandem doctrinam dixerint in vtroque caſu Clericum incurrere irregularitatem. Eſt ergo probabile in poſteriori euentu non incurrere Clericum irregularitatem, propter rationem factam, & quia in iure non eſt expreſſa irregularitas pro euentu poſterioris, potius quàm pro priori, & iure ſtatutum eſt, vt quoties non eſt expreſſa irregularitas, non ſit deducenda à ſimili, vt notauit Pater Vaſquez *1. 2. diſp. 65. cap. 3.* habetur verò *cap. Is qui, de ſentent. excommunic. in 6.* Huc vſque Loyſius. Legatur etiam Palaus *tom. 6. de Cenſur. diſput. 6. punct. 14. § 5. num. 2.* vbi ſatis annuit huic ſententiæ, licèt oppoſitum docuerit *tom. 1. loc. cit.*

Qvæstio CXVII.

An Clerici pugnantes, & occidentes ad defenſionem Regis, vel Principis, quem in bello iuſto vident occidendum ab oſtibus, incurrant irregularitatem.

AFfirmant apud Sayrum Caietanus *2. 2. q. 40. art. 2.* & Nauarr. *cap. 27. num. 215.* docentes, huiuſmodi Clericos in hoc caſu non peccare: incurrere tamen hanc irregularitatem ex defectu lenitatis. Sed hi auctores ſolùm loquuntur in caſu, quo Clerici ob defenſionem patriæ aliquos occidant, de quo ſtatim.

Vnde noſtro caſui Reſpondeo: dicendum eſt, nec peccare, nec irregularitatem incurrere. Quia irregularitas non incurritur à priuatis perſonis, niſi per actum qui eſt illicitus, incongruus, & inconueniens: at hic actus pugnandi, & occidendi in bello iuſto iniuſtos aggreſſores, ob defenſionem Regis, aut Principis, eſt congruus, & iuſtus cuicumque

ſtatui, cum ſit debitus iure naturali, & diuino : ergo. Sic communiter Doctores, & expreſsè Henriquez *lib* 14.*n.*2. *litt.O.* & *n.*3. *verſu tertio, litt. E.* Sayrus *lib.*6. *Theſauri,cap.*19.*n.*6. Candidus *tom.*1. *diſquiſit.* 17.*art.*12.*dubit.*12. Gibal.*c.*4. *de Irregularit. quæſt.*3. *conſectar.*6 *diff.*6.& *vltima,num.*39. & 40.& alii Doctores.

QVÆSTIO CXVIII.

An etiam ſint immunes ab irregularitate Clerici, qui in bello iuſto occidunt aliquos ob defenſionem patriæ, eo quòd videant, quod aliàs caperetur, aut euerteretur ab aggreſſoribus.

NEgant Caiet.& Nauar.*loc.cit.* Quia licet neceſſitas defendendæ patriæ à peccato excuſet, non tamen ab irregularitate.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam eſſe immunes ab irregularitate. Ratio ſit : Quia nulla incurritur irregularitas per occiſionem inculpatam, ob defenſionem propriæ vitæ, vt infra dicemus : ergo neque ob defenſionem patriæ, in caſu neceſſitatis, quando videlicet hæc caperetur aliàs, aut ſubuerteretur : patet conſequentia, quia præferenda eſt defenſio patriæ conſeruationi propriæ vitæ, ſicuti præferendum eſt bonum commune priuato bono. Sic communis ſententia. Henriquez, Sayrus, Candidus & Gibalinus *loc.cit.* Suarez *diſp.*47 *ſect.*6.*num.*2.& *diſp.*13. *de bello, ſect.*3.*à num.*7. Granados *de fide, tract.*13. *ſect.*5. Ægidius *de Sacram.diſp* 18.*n.*88.& 89. & *diſp.*31. *de bello, dub.*6.*n.*91. Valentia 2.2.*diſp.*3.*quæſt.*16. *punct.*4. Palaus *tom.*1. *tract.*6.*diſp.*5. *punct.*6.*n.*7. & 8. Dicaſtillo *lib.*2. *de Iuſt.tract.*1.*diſp.*10.*dub.*16.*n.*488. Molina *diſp.*108. Medetus 2.2.*quæſt.*40.*art.*2.& alij.

QVÆSTIO CXIX.

An item ſint liberi ab irregularitate, qui ad neceſſariam defenſionem Parentum, vxoris, aut filiorum, in bello iuſto aliquem occidunt.

NEgant etiam Caiet. & Nauarr. *loc. cit.* Quia in *Clem. Si furioſus, de homicid.* ſolum excipiuntur caſus propriæ defenſionis : ergo.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam manere ab irregularitate liberos. Quia perſonæ Parentum, filiorum, aut vxoris, in ea neceſſitate perinde habentur, ac ſi eſſent vna perſona cum ipſo defendente : ergo & naturali iure, & lege charitatis tenetur eos defendere in tali caſu. Sic tenet communis. Sayrus *lib.*6.*c.*19.*dub.*1.*n.*5. citans pro ſe Couarr. *in Clem. Si furioſus, de homicid part.*2.§.3. *num.*2. *verſ. Sed ſi quis,*& Henriquez *lib.*14 *c.*11.§.2.& 3.& *cap.*12.§ 9. *in fine,* & *cap.*13.§.1. Sed aduerte, quod hic auctor, quamuis *cap.*12.§.2. *cit.* id ſine dubio & hæſitatione aliqua doceat, tamen § 3. id ſolùm cum timore affirmat, ait enim : *Et fortaſsè qui ſimili obligatione defendit patrem, vxorem, aut filium, quia hi reputantur vna perſona cum defendente.* Sic ille. Tenent etiam hanc ſententiam Palaus *tom.*1. *tract.*6. *diſp.*5 *punct.*6. *num.*7. & 8. Candidus *diſquiſit.*17.*art.*12.*n.*2. *dict.*5. Gibalinus *de Irregular.c.*4.*quæſt.*3.*conſectar.*6.*diff.vlt.* Dicaſtillo *n.*488.*cit.*& alij.

QVÆSTIO CXX.

An ſi quis Clericus militem aliquem hortetur, vt pro tuenda fide Chriſti, aut pro Eccleſia Romana moriatur, ſit irregularis, ſi ſequatur ipſius militis mors.

REſpondeo, vt certum : Minimè eſſe irregularem. Quia Clericus (& idem dico de ſæculari) in hoc caſu non eſt cauſa mortis illatæ à perſecutore Chriſti, aut Eccleſiæ eiuſdem, ſed ſolum actus ardentis charitatis, & fortitudinis, qua miles mortem & tormenta contemnit pro Chriſto IESV, eiuſque ſponſæ Eccleſiæ amore. Sic Panormitan. S. Anton. Summa Confeſſ. & Angelica, Silueſt. Tabiena, Couarr. Henriquez Roſella, Innocent. & Hoſtienſ. quos adducit, & ſequitur Sayrus *lib.*6.*c.* 9.*n.*9.*dub.*4. Quibus addi poſſunt Granados *tract.*13. *de fide, diſp.*4.*ſect.*5. *n.*51. Gibalinus *loc cit.diff.*6. *verſ. Ex quibus colliges,* Bonac.*q.*4. *de Irregul.punct.*4.*n.*6.& Dicaſtillo *loc.cit.*

QVÆSTIO CXXI.

An item liber ſit ab irregularitate Clericus exhortans militem, vt pro Republica, aut patria defenſione moriatur; morte militis ſequuta.

NEgant manere liberum ab irregularitate dictum Clericum, caſu quo ſciret veriſimiliter talem militem eſſe moriturum ; ſecus ſi hoc non æſtimabat, Innocent. & Hoſtienſ. vt referunt D. Anton. 2. *part. tit.*29 *c.*2. §. *homicidium,* Tabiena *verb. Irregularitas* 2. §.15. & Angelus *Homicid.*1. *num.*15.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam in hoc caſu manere liberum talem Clericum ab irregularitate. *Primò.* Quia etiam in hoc caſu Clericus ſolùm exhortatur militem ad actum virtutis, nempe, vt vitam ſuam exponat probabili periculo pro defenſione Reipublicæ, aut patriæ, cuius bonum, cum ſit commune, præferri debet priuato. *Secundò.* Quia in hoc caſu nihil contra manſuetudinem facit Clericus : nec eſt certè in iure vnde hæc irregularitas colligatur. Sic tenent D. Anton. Tabien.& Angel.*loc cit.* Sayrus etiam *loc.cit.dub.*4.*n.*10. Bonacin.*loc.cit.n.*6. Henriq. *lib.*14. *cap.*16.*n.*4.& alij.

QVÆSTIO CXXII.

An deinde maneat liber ab incurſu irregularitatis, Clericus, vel alius qui conſulit, aut ſuadet alteri, vt exponat ſe mortis periculo, pro defenſione ſui amici, &c.

REſpondeo : Adhuc manere liberum. Quia licitum eſt vnicuique, ſuadere alteri rem aliquam piam, vel ad quam quis ex præcepto tenetur, abſque metu irregularitatis, etiamſi in re mors illi eueniat; eo quod hanc nec directè, nec indirectè intendat per talem ſuaſionem, aut exhortationem : ergo. Sic conſtat ex dictis nuper, & tenet Henriquez *loc. cit. n.*4. ibi : Nec ſit irregularis, qui alicuius filium timidum hortatur, vt patrem periclitantem defendat, cum propriæ etiam vitæ periculo, quando ad id præcepto tenetur. Sic ibi. Et *infra*, ſic : Nec videtur irregularis, ſi conſulat exponere ſe periculo pro virtute quadam, vel pro amici defenſione, quem hoſtes occidere

tentant

tentant, vel qui periclitatur fluminis impetu raptus; quia id pertinet ad virtutem amicitiæ. Sic Henriquez. Qui *lit. D.* citat D. Thomam, Sotum, Durandum, & alios. Sic etiam Bonacina *loc. cit.* & antea Sayrus *lib. 7. Theſauri, cap. 3 num. 11.* vbi citat S. Thomam *in 3. diſt. 29 quæſt. 1. art. 5. ad 3. & lib. 1. de Regim. Princip. c. 10. & lib. 4. cap. 22.* & Sotum *lib. 5. de Iuſt. q. 1. art. 6.* & alios.

QVÆSTIO CXXIII.

An fiat irregularis Clericus, qui in bello iuſto præbet arma, quæ apud ſe habet, militi non habenti, vt ſe, ſuaque defendat bona, ſi poſtea miles occidat aliquem.

AFfirmant D. Anton. 3. *part. tit. 29. cap. 2. §. vlt.* Aſtenſis *part. 2. lib. 6. titul. 14. art. 8. quæſt. 24.* Summa Confeſſ. *lib. 2. tit. 1. quæſt. 51.* Silueſt. Angel. Hoſtienſ. Archidiac. & Tabiena, & Verucc. quos pro hac parte citat Sayrus *vbi infra.* Ex quibus aliqui dicunt hoc eſſe verum, dummodo in ipſo conflictu arma dicta præbeant; ſecus ſi ante progreſſum. Affirmant etiam hoc ipſum Sayrus *lib. 6. cap. 17. n. 14.* citans Nauarrum *cap. 27. num. 212. verſ. Tertio,* & Henriquez *lib. 14. cap. 10. §. 4. litt. K.* Quos citat Candidus *diſquiſit. 17. art. 14. dub. 5. dict. 8.* Ratio eorum eſt. Quia dando illi arma eſt iuſta cauſa mortis & non dat illi ad neceſſitatem ſui defenſionem, prout requirit *Clem. Si furioſus, de homicid.*

Sed longè multo probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. *Primò.* Quia talis conceſſio armorum non eſt propinqua, & proxima cauſa mortis alicuius, cum ſolum fiat vt miles, ſe ſuaque bona defendat.

Secundò. Quia miles in ſui defenſionem occidens, non fit irregularis, vt infra: ergo minus fiet, qui ad illam occiſionem, miniſtrando ſolum arma iuuauit. Sic in primis tenent Nauarrus *c. 27 cit. n. 215. verſu Septimò infertur,* vbi explicat in quo ſenſu ſit verum, quod dixerat *num. 112 verſu Tertiò.* Henriquez *lib. 14. c. 12. num. 4. à litt. N.* & Sayrus *lib. 6. cit. cap. 19. num. 12.* ſibi aliquo modo contrarij. Tenet etiam vt valde probabilem hanc ſententiam Candidus *loc. cit. dict. 9.* Qui ſic eam probat: Quia dare arma innocenti, vt ſe ipſum defendat ab iniquo aggreſſore, eſt actus maximæ charitatis: ergo non erit irregularis illa dans, ſi innocens ſe illis defendendo occidit iniuſtum inuaſorem: tum quia irregularitas homicidij non incurritur à priuata perſona, niſi per culpam, vt diximus, aut per ſpontaneam voluntatem: ſed in caſu noſtro non interuenit culpa, vt patet, nec eſt ſpontanea voluntas: quia ibi non eſt intenta occiſio, ſed defenſio proximi, quæ quodammodo, & per vim extorta eſt ab iniquo aggreſſore; ergo non erit irregularis dans arma innocenti, vt ſe ipſum defendat ab iniquo inuaſore, ſi ſequitur deformatio: quia neque peccat, neque intendit occiſionem, ſed defenſionem proximi innocentis, quæ eſt actus maximæ charitatis. Sic ille, & bene. Bonac. *quæſt. 4. punct. 4. num. 11.* vbi citat Nauarrum, Henriquez & Sayrum pro hac parte. Suarez *de Cenſur. diſp. 47. ſect. 6. num 11.* Filliucium *num. 266.* & Reginaldum *num. 150.* Sic etiam Granados *loc. cit. verſ. In quinto,* Gibalinus *cap. 4. q. 3. conſect. 6. diff. 5. verſ. Octauò,* & alij.

Ex quibus à fortiori dicendum conſtat, quod Clericus exiſtens in bello iuſto, ſi non valeat ſe defendere ab iniquo inuaſore, poſſit licitè, & abſque metu irregularitatis dare alteri arma, vt illum adiuuet, quamuis defenſor occidat aggreſſorem. In quo etiam contrarij cum communi conueniunt.

QVÆSTIO CXXIV.

An ſaltem fiat irregularis dictus Clericus, ſi in iuſto bello præbeat arma militi, vt occidat aliquem in particulari, ſequuto effectu.

AFfirmant communiter Doctores Nauarr. *cap. 27. n. 215. verſ. Septimò.* Henriq. *lib. 14. c. 12. num. 4. litt. R.* Sayrus *c. 19. cit. n. 11.* Granados *loc. cit.* Candidus *diſquiſit. 17. art. 14. dub. 4. dict. 6.* Bonac. *n. 11. citat,* Suarez, Filliucius & Reginal.

Ratio autem eſt, quia illa datio armorum, cum intentione ſpeciali occidendi hunc, vel illum, eſt cauſa propinqua occiſionis: ergo.

Sed conſequenter ad noſtram doctrinam, probabiliter æquè Reſpondeo: Nec in hoc caſu fieri irregularem dictum Clericum præbentem arma militi in bello iuſto, cum intentione, vt aliquos in particulari occidat, dicendo illi, *cape arma, & occide hunc, vel illum, vel ſclopetum illum iace, &c.*

Ratio ſit *Primò.* Quia hæc irregularitas, vt ſæpè diximus, & fatetur Candidus, non incurritur à priuata perſona; ergo non poteſt incurri à Clerico præbente arma, etiam cum intentione occidendi aliquem, cum hic ſit perſona priuata, & iuſtè ad necem cooperetur.

Secundò. Quia vt *ſupra q. 116.* eſt habitum, Clericus, abſque metu irregularitatis, poteſt hortari milites in bello iuſto, ad occidendos inimicos: ergo & præbere ad hoc ipſum arma cum eadem intentione.

Tertiò. Quia ſola principalis cauſa cædis in bello iuſto induceit irregularitatem: at ſic eſt quod Clericus præbens arma militi, vt occidat aliquem, eſt tantùm cauſa coadiuuans, ſicuti ſunt cæteri, licèt pugnent: ergo. *Tandem.* Quia hæc irregularitas non eſt in iure expreſſa: ergo. Sic tenent, aut tenere debent conſequenter ad ſuam doctrinam, omnes DD. citati pro noſtra *q. 116.* & eam expreſsè tenet Gibalin. *loc. cit.*

QVÆSTIO CXXV.

An Clericus in bello iuſto, propria manu pugnans, ob defenſionem propriæ vitæ, maneat irregularis, ſi aliquem hominem, ob id occidat.

AFfirmat Maiolus *lib. 5. c. 49. n. 4. pag. mihi* 478. Sed reſpondeo, vt certum: Non manere. Quia quoties Clericus bellare licitè poteſt, etiamſi hominem occidat, eſt ab irregularitate immunis, nam Clericus bellare non poteſt licitè, niſi vrgente occaſione graui, in qua ad id tenetur: at ſic eſt quod quilibet, non ſolum poteſt, ſed tenetur iure naturæ defendere propriam vitam: ergo. Sic omnes (nemine excepto) fateri, ait Puente Hurtado *de fide diſp. 169. de Bello ſect. 14. ſubſect. 2.* §. 140. Sed fallitur, cùm oppoſitum docuerit Maiolus.

QVÆSTIO CXXVI.

An caſu, quo Clerici peccent grauiter, in bello iuſto pugnando propria manu, contra prohibitionem Eccleſiæ, maneant irregulares, ſi aliquos percutiant, aut vulnerent, etiamſi nullum occidant, aut mutilent.

REſpondeo, vt certum: Non manere irregulares. Quia ſic colligitur ex *cap. Petitio, de homicid.*

& docent communiter DD. Nauarr. *cap.27.num.216.* Couarruu. *in Clement. ſi furioſus, de homicid. p.2. §.3. num.2.* Molina *tract.2. diſput.110.* quos citat, & ſequitur Gibalinus *cap.4. de Irregular. quæſt. 3. conſectar.6. diff.3. verſ. Duodecimò.* Suarez *tom.5. diſp.45. ſect.6. num.9.* Luyſius *diſput. 93. dub.2.* quos citat, & ſequitur Puente Hurtado *diſp.169. de Bello, §.141. pag. mihi 1432.* vbi ita ait: Dico quintò. In bello iuſto ad cuius felicem exitum non eſt neceſſaria pugna Clerici, ſi Clericus pugnet, peccat grauiter, non tamen eſt irregularis, niſi ipſe hominem occidat, aut mutilet: quamuis aliquem feriat, & alij ſocij hoſtem occidant: ſola ergo nece, aut mutilatione ab ipſo effecta eſt irregularis. Eum peccare, conſtat, quia militia eſt illi interdicta iure Pontificio. Eum fore irregularem, ſi hominem occidat, eſt omnium ſententia, nec poteſt eſſe dubia. Ab eo non contrahi irregularitatem, tametſi hominem feriat, eſt communis aſſenſus. Sic Hurtado. Et Gibalinus *loc. cit. conſect.6. diff. vltim.*

QVÆSTIO CXXVII.

An ſaltem ſit irregularis Clericus, ſi in bello iniuſto militet ſponte, etiamſi nullum deformat.

AFfirmat Maiolus *lib.5. de Irregul. cap.49. num.6.* exiſtimans, Clericum fieri irregularem eo ipſo ſolùm, quod arma ſumpſerit in bello iniuſto, etiamſi nulla ſecuta ſint homicidia, vel mutilationes: ait enim ſic: Clerici etenim quocumque bello iniuſto, & factioſo, ſponte arma ſumentes, amittunt Ordinis ſui gradum, & perpetuò in Monaſterio detruduntur. Concil. Tolet. IV. *cap.44. (apud Suarum 45.)* nec ibi requiritur, quod ſecuta ſint homicidia, ſed ſufficit ſola illa armorum aſſumptio, vt ibi patet. Hæc Maiolus.

Sed vt ferè certum, Reſpondeo: Nec in hoc euentu eſſe irregularem. Quia ſine fundamento inducitur hæc irregularitas, cum nullibi exprimatur, ſed potius oppoſitum eum opus ſit, ex iure, *cap. Petitio, de homicid.* vt in eo bello fiant mutilationes, aut cædes, vt irregularitas incurratur.

Nec obſtat Toletan. Concilium, quia ibi non agit de Irregularitate, ſed de ſuſpenſione exequenda per iudicem, poſt probatum crimen, & poſt ſententiam, quæ non ſunt neceſſaria ad irregularitatem. Sic Suarez *diſp.47. ſect.5. n.3.* Puente Hurtado *diſp.169. de bello, §.142.* Gibalin. *c.4. q.3. conſect.6. diff.3. in fine, pag. mihi 242.* & alij.

QVÆSTIO CXXVIII.

An Clericus in bello iuſto propria manu licitè pugnans, ſi dubius poſtea maneat, an ipſe occiderit aliquem, cenſeri debeat irregularis.

AFfirmat, non abſolutè, ſed ſub diſtinctione, Sayrus *lib. 6. cap. 19. dub.6. num.13.* his verbis: Reſpondeo cum Angelo *verbo Irregularitas 1. num.6. & 12.* S. Anton. *3. part. tit.29. cap.2. §. fin.* Syluest. *verb. homicidium 3. quæſt 6. verſ. Sextum,* & Tabien. *verb. irregularitas 3. §.21. concl.7. 8. & ſeq.* ſi certus ſit, quod ipſe nullum occiderit, irregularis non erit, quamuis alij occiderint, ſin autem dubius ſit, an aliquem occiderit, & magis credit ſe neminem occidiſſe, non debet ſe reputare irregularem, vt docent Henriq. *lib.3. cap.3. §.4.* Tabien. *cit. concluſ.8.* ſin autem maneat omninò dubius, itavt non habeat maius iudicium ad vnam partem, quàm ad aliam, tunc tutior pars eligenda eſt, vt præfati Authores, S Anton. Syluest. Tabien. & Polanc. *in Director. cap. de Irregul.* tradunt, & ſe irregularem reputare debet, argum. *cap. Ad audientiam, de homicid. & cap. Illud, & cap. Apoſtolica. De Cleric. excomm. miniſt.* Hucvſque Sayrus. Quem citat, & ſequitur Grenadus *loco citato,* Bonacina *q.4. cit. punct.4. num.10.* Villalob. *tract.21. diff.28. num.6.* Barboſa *ad cap. Petitio, de homicid.*

Negat tamen Candidus, nec abſolutè omninò, ſed ſub ſequenti diſtinctione. Ait enim ſic: ſi pugnans in bello iuſto maneat omninò dubius, an ipſe per ſe occiderit, vel mutilauerit, itavt non habeat maius iudicium ad vnam partem quàm ad aliam, & tale iudicium non depoſuerit, tunc in foro interiori debet reputari irregularis, quia in hac materia, qui verè dubitat, tutiorem partem debet eligere, & ſic ſe eſſe irregularem reputare debet &c. *Dixi, ſi tale iudicium dubium non depoſuerit;* quia ſi eſt laicus, poteſt practicè deponere dubium, & reputare ſe non eſſe irregularem, vt dicemus *dub. immediatè ſequenti, concl. 3.* In foro tamen exteriori non poteſt declarari irregularis, quia nullus Iudex debet condemnare aliquem de quo dubitat, an debeat condemnari, nec-ne. Nauar. *in Sum. c.27. num.139* Hucuſque Candidus *diſquiſ.27. art.13. dub.2. dict.5.*

Sed huic quæſtioni, ſic per partes Reſpondeo, & *dico primò*, cum communi omnium ſententia: Si militans in bello iuſto, in quo aliqui occiduntur, vel mutilantur, ſit dubius, an aliquem occiderit, vel mutilauerit, & magis credit ſe neminem occidiſſe, vel mutilaſſe, non debet ſe reputare irregularem. Sic ex Nauarro *lib 9. conſil. de homicid. conſil. mihi 4 n.1.* (alias *conſil.22.*) docet Candid. *loc. cit. dict. 4.* & antea ex Tabiena, & Henriquez (vt vidimus) Sayrus *loc. cit.*

Dico ſecundò. Etiamſi pugnans in bello iuſto maneat omninò dubius, an ipſe per ſe occiderit, vel mutilauerit aliquem, non debet reputari irregularis, adhuc in foro interiori. Quia ex iure, *cap. petitio, de homicid.* colligitur haud obſcurè, ad hanc irregularitatem contrahendam non ſufficere, neſcire, aut neſcire poſſe, aut omninò dubitare, an commiſſum ſit à dubitante homicidium, ſed opus eſſe, id probabiliter credere. Sic ſentit Auil. *part.7. diſp.6. ſect.3. dub.2. concl.3.* vbi ait: Qui pugnauit in bello iuſto ſi dubitat, an occiderit, taliter quod probabiliter reputet occidiſſe, debet ſe iudicare irregularem; aliàs non. Ita Nauarr. *lib.5. conſil. conſ.21. de homicid.* & Henriquez *cap.3. num.4. caſu 5. & c.13. num.2. in fine,* vbi id probat ex *dict. cap. Petitio,* ibi: *S de interfectione cuiuſque, tua conſcientia te remordet* Nam ſi ſolum dubium ſufficeret ad irregularitatem in his, qui pugnant in bello iuſto, innumeri eſſent irregulares. Sic Auila. Qui tamen non omninò benè citat pro hac parte Nauarrum; cum hic Author oppoſitum dicat de illo, qui verè dubitat, vel iuſta ratione tenetur dubitare. Optimè tamen citat Henriquez *num.4. cit. caſu 5.* cum expreſsè id his verbis doceat. Quinimò *excuſatur* Clericus in bello iuſto pugnans propria manu contra ius, ſi manet dubius, an quempiam occiderit. Sic Henriquez. Qui *lit. X.* citat Felician. *cap 9. pag.456.* Et ſic nouiſſimè tenet Merol. *diſp. Theol. tom.1. diſp.5. c.3. num.231.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt.5. de Irregularit. dub.17. num.97.* quos citat, & videtur ſequi Machado in Summ. *lib.1. part.3. tract.17. docum.11. num.5.* vbi hanc noſtram quæſtionem ſic proponit, & reſoluit: *No es menos controuerſo, ſi el que ſe halla dudoſo, de ſi en la guerra juſta matò, ò cortò algun miembro, ſe dua tener, i tratar por irregular. Villalobos, y otros graues Autores defienden que ſi, fundados*

dados en vn texto del Derecho, cap. Petitio, de homicid. *que dize, que el Clerigo, que milita en la guerra juſta, ſe deue tener por irregular, quando matò alguno, ò eſta con dudoſa conſciencia de ſi le mato. Pero otros muchos ſon de contrario parecer, fundados en que en el texto referido no ſolamente el Pontifice por las razones del, pide duda, ſino tambien probabilidad de auer cometido el homicidio en la guerra iuſta. Demas de que ſi ſola la duda baſtara para incurrir en irregularidad en las guerras iuſtas, fueran inumerables los que quedaran irregulares, loqual no ſe ha de preſumir ſer intencion del Pontifice.* Hue vſque Machado.

QVÆSTIO CXXIX.

An ſi quis probabiliter æquè credat, ſe in bello iuſto aliquem occidiſſe, aut mutilaſſe, debeat ſe neceſſariò irregularem reputare.

AFfirmabunt, & conſequenter, Authores pro prima ſententia adducti, quæſt. antecedenti. Et clarè indicat Saytus *loc. cit.* docens, illum qui magis credit, ſe neminem occidiſſe, non debere ſe reputare irregularem: ergo qui æquè credit, debet ſe talem reputare.

Sed probabiliter æquè Reſpondeo: Minimè ſe debere in tali caſu irregularem putare. Quia non tenetur talem ſe putare, qui in dubio omninò eſt, an aliquem occiderit in bello iuſto, vt nuper eſt habitum: ergo neque ille, qui id ſolùm probabiliter reputat. Debet ergo probabilius id putare, vt debeat ſe vt irregularem gerere. Sic innuit apertè Henriquez *lib. 14. c. 13. n. 4. in fine*, his verbis: Si autem dubitat, an ipſe occiderit aliquem, & probabilius reputet occidiſſe, abſtineat tanquam irregularis.

QVÆSTIO CXXX.

An ſaltem Clericus, vel Religioſus militans in bello iuſto ſine licentia Pontificis, ſe debeat reputare irregularem, ſi dubitet omninò, an alium mutilauerit, aut occiderit.

AFfirmat Candidus *diſquiſit. 17. artic. 14. dub. 2.* Quia in iſto caſu, talis Clericus, aut Religioſus dedit operam rei illicitæ, & non potuit iuſtè, propria manu pugnare; cum Clericatus reddat eum inhabilem ad pugnandum, *cap. Ex multa, de voto, §. fin. & cap. penult. de homicid.*

Sed probabilius, iuxta doctrinam à nobis traditam. Reſpondeo dicendum: Nec in dicto caſu Clericum, aut Religioſum, debere ſe putare irregularem. Quia (vt nuper vidimus) nullus irregularis manet, eo quod dubitet, ſe in bello iuſto alium occidiſſe. Nec facit quid ad incurrendam irregularitatem, quod prædictus Clericus faciat contra aliquod Eccleſiaſticum præceptum, vt ex dictis *quæſt. 126.* colliges. Sic expreſsè Henriquez *lib. 14. cap. 5. num. 4.* Cuius verba retuli ſuprà *q. 127.* Et probat benè in ſimili Puente Hurtado *diſp. 169. de bello, §. 135.* Quia licentia Prælati, aut carentia eius, nihil pertinet ad rationem homicidij, aut defectum lenitatis: ergo actio, quæ cum licentia non ſpectat ad eos defectus, nec ſine illa ſpectabit.

QVÆSTIO CXXXI.

An ſi Pontifex diſpenſaret cum aliquo Clerico, vt in bello iuſto propria manu pugnaret, incurreret irregularitatem, ſi aliquos hoſtes in dicto bello occideret.

AFfirmant D. Anton. *3. p. diſp. 29. cap. 2. §. vlt.* citant pro ſe Ioan de Lignano Siluelt. *verb. homicidium 3. q. 6. verſ. Sextum*, referens pro hoc Archidiacon. Et Maiol. *lib. 5. c. 49. n. 5.* Quia putant, quod talis diſpenſatio, & licentia ſit tantum ad ſe defendendum, non autem ad occidendum, etiam Paganum. Horum ſententiam tuetur etiam Lorca *2. 2. diſp. 51. num. 27. pag. 965.* Quia (inquit) milites iuſtè pugnantes, ſi occidant, aut mutilent, irregulares fiunt: ergo eodem modo Clericus.

Sed probabilius Reſpondeo: Non incurrere tunc irregularitatem, etiamſi occidat, aut mutilet. Quia quando ſuperior diſpenſat in aliqua lege, cenſetur conſequenter laxare omnes pœnas, quæ propter illius tranſgreſſionem impoſitæ ſunt. Sicuti ſi Papa diſpenſaret cum aliquo ad duo beneficia obtinenda, quorum ſingula poſtulant reſidentiam: conſequenter diſpenſaretur à reſidentia quam ſingula poſtulant beneficia. Et ſicuti, ſi Papa venderet alicui beneficium Eccleſiaſticum, conſequenter diſpenſaretur hic in pœnis ſimoniacis. Sic Felin. *in cap. Petitio, de homicid.* & ibi Calderin. Panormit. *in cap. 2. de vita, & honeſt. Clericor. num. 2.* Tabien. *irregularitas 3. §. 21. concl. 2.* Couar. *in Clem. ſi furioſus, 2. p. §. 3. num. 2. verſ. Duodecimò, in fine*, vbi ait, eſſe communem opinionem omnium. Henriq. *lib. 14. cap. 11. n. 4.* Sayr. *lib. 6. c. 19. n. 14.* Molin. *tom. 1. tract. 2. diſp. 110. concl. 3.* Suarez *diſp. 47. ſect. 6. n. 12.* Bonacin. *punct. 4. num. 12.* Gibalin. *c. 4. q. 3. conſect. 6. diff. 5. verſ. Vltimò.* Puente Hurtado *diſp. 169. de bello, ſect. 15. §. 139.* Qui ad argumentum Lorcæ benè negat conſequentiam: quia laicus miles vtitur iure communi: Clericus verò iure ſpeciali derogante legi communi. Cum autem Pontifex cenſet cauſas eſſe ſatis ad permittendam Clerico pugnam, cenſuit idem de irregularitate. Candid. *diſquiſ. 17. art. 14. dub. 1.*

QVÆSTIO CXXXII.

An omnes, qui in bello iniuſto mutilant, aut occidunt, & qui illis ad id modo quouis cooperantur, ſint irregulares.

REſpondeo, vt certum, Omnes eſſe irregulares, non ex defectu lenitatis, ſed ex homicidij delicto, niſi aliàs ignorantia probabili excuſentur. Ratio eſt, Quia hi omnes ſunt rei homicidij iniuſti, ac voluntarij: ergo & irregulares ex homicidij delicto. Sic omnes Doctores apud Gibalinum *c. 4. q. 3. conſect. 6. diff. 1. n. 34.* De qua materia agemus latè infrà, vbi *de Irregularit.* ex homicid. iniuſto proueniente.

QVÆSTIO CXXXIII.

An Summus Pontifex ſolùm poſſit diſpenſare in irregularitate prouenientе ex defectu lenitatis.

REſpondeo, vt certum: Quod ſolus Papa, ſtando iuri communi. Cum ſolus ille poteſtatem habeat ſupra ius commune, à quo hæc irregularitas eſt

eſt impoſita. Sic communiter Doctores. Legantur Henriquez *lib.*14.*c.*17.*n.*4.Nauarr.*c.*27. *n.*194.§.7. & alij citandi.

QVÆSTIO CXXXIV.

An ex iure nouo, aut priuilegio poßint Epiſcopi diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis proueniente?

AFfirmant Rodriguez, Couarr. Campanil. Viuald.& Medin. quos citat, & ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſcopi p.*2. *alleg.* 39.*n.*47. Nauar. Plaza, Sà, & Hieronym. Rodrig. quos affert Diana *p.*4. *tract.*2. *Reſol.*69. Quia in Conc. Trid. *ſeſſ.*24. *c.*6. *de Reformat*, conceſſa eſt Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitate.

Sed probabilius Reſpendeo: Non poſſe diſpenſare. Quia in Concil. Trident.*loc.cit.* ſolum conceditur facultas diſpenſandi in irregularitate orta ex delicto occulto: at ſic eſt, quod irregularitas ex defectu lenitatis, non eſt ex delicto: ergo. Ita Bañez 2.2.*q.*64. *art.*8. *part.*2.*in fine dubij* 2. Nauarr. *cap.*27.*num.*194. §.7. *& num.*118 Martin. de Ledeſm. 2.2. *quæſt.*26. *art.*2. *de Irregularit.* Viuald.*de Irregularit. num.*325. Vnde non probè citat illum Barboſa pro parte contraria. Philiarchus, Summa Confeſſor. Zerola, Valentia, Aragon, Salon, quos citat & ſectatur Sayrus *lib* 6. *cap.*19. *num.*15. Bonac. *quæſt.*4.*de Irregularit.punct.*4. *num.*13. & apud illum Suarez, & Filliuc. Præpoſit.*in* 3.*p.quæſt.*5.*de Irregularit.dub.*13. *num.*112. Annil. *part.*7.*diſp.*6. *ſect.* 5.*dub.*1. Hurtad. *diſp.*2. *de Irregul. diff.*20. *num.*66. Tannetus *in* 3. *p. diſp* 6.*quæſt.*10.*dub.*11.*n.*113.Cornejo *in* 3. *p.tract.*5. *de Irregul. diſp.*11. *dub.*3. Mauricius, Alzedo, & Franc. Leo, quos citat & ſequitur Diana *p.*4. *tract.*2. *Reſol.*49.Candid.*diſquiſ.*17.*art.*14.*dub.*3. *num* 5. vbi ita ait: Dico ſextò, ſi ſermo ſit de irregularitate incurſa ob occiſionem, vel mutilationes factas propriis manibus iuſtè militantibus in parte aduerſa, ſolus Pontifex in ea diſpenſat, cum Epiſcopis tantum conceſſa ſit facultas diſpẽſandi in irregularitate contracta ex delicto, ex Conc.Trid.*loc.cit.* quatenus ſit occulta: at irregularitas, quam contrahunt milites in bello iuſto pugnantes, propriis manibus deformantes, prouenit ex defectu lenitatis perfectæ: ergo, &c. ſic ille, & Palaus infrà.

QVÆSTIO CXXXV.

An Prælati Regularium poßint diſpenſare in Irregularitate defectu lenitatis contracta.

NEgant plures Doctores ex adductis nuper pro noſtra ſententia, præcipuè Aragon 2. 2. *q.*64. *art.*4. & Sal.ibid. *controu.*4. *concl. vlt. poſt ſolutionem vlt.argum.* Syueſt. Villadieg. & Couarr. apud. Viuald. vbi infrà.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe. Quia, qui habent priuilegium diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario, poſſunt diſpenſare in irregularitatis ex defectu lenitatis: ſed tale priuilegium habent Prelati Regulares circa ſuos ſubditos; imò & maiora, vt infra: ergo. Sic omninò Doctus Diana *Reſol.* 69. *cit.* citans pro ſe Villalobos *tom.*1. *tract.*21. *diff.*24. *n.*10. Filliucium *tract.*19. *capit.*10. *num.*292. & Lezanam *in Summ. qq. Regul. cap.*18. *num.*43. Quibus addi poſſunt Caietan. *in Summ. verb. irregularitat, in fine.* Suarez *diſp.*47.*ſect.*6. *num.*12. Sayrus *lib.*6. *cap.vltim. & num. vltim.* Rodrig. *tom.*2. *qq. Regul. quæſt.*24. *art.*8. Viuald. *num.*327. vbi ita ait: Aliis tamen videtur tutum, & in praxi ſeruandum, quod ſi occiſio ſit iuſta, vt à Iudice, vel à milite in bello iuſto, & ſimilibus poſſit talis Religionis Prælatus diſpenſare. Tenet Caietan. *verb. irregularitat.* Nauar. in Man. Hiſpano, *cap.*27.*num.*240. Corduba *in Summ. quæſt.* 34. Annill. *verb. irregularitas, num.*13.& Palanc. *in Director. tit. de Irregularit.* & ſic fuit in facti contingentia reſolutum in Sacra Pœnitentiaria Romæ. Hucuſque Viualdus. Cornejo *loc. cit.* Candid. *loc. cit. dub.*4. *num.*6. Puente Hurtado *diſp.*169. *de Bello, ſect.*13.§.140. *pag. mihi* 1433. Layman. *lib.*1. *tractat.*4.*cap.*9. *verſ. His addo.* Palaus *de cenſur. diſp.*6. *punct.*14.§.5. *num.*6. Machad. *lib.*1. *part.*3. *tract.*17. *decum.*12. *num.*4. Auil. *p.*7. *diſp.*6. *ſect.*3. *dub.*1. *concl.*2. Pellizzar. *tom.*2. *Man. Regul. tract.* 29. *c.*3.*ſect.*4.*q.*16.*n.*143.

QVÆSTIO CXXXVI.

An Commiſſarius Cruciatæ poßit diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis ortæ.

REſpondeo: Poſſe. Quia in eius commiſſione dicitur, quod poſſit diſpenſare *Super quacumque alia irregularitate, quæ non procedat ex homicidio voluntario:* at ſic eſt, quod nomine *homicidij voluntarij*, non comprehenditur illud, quod iuſtè, & authoritate publica fit; nam huc iuxta ſententiam D. Thom.1. 2. *quæſt.*88. *art* 6. *ad* 3. non eſt propriè homicidium, ſed occiſio hominis, quia homicidium propriè eſt crimen: ergo. Sic Auila *loco cit. concluſ.* 3. *verſ. Sequitur* 3. Diana, Cornejo, & Machado *loco citato.*

QVÆSTIO CXXXVII.

An irregularitas orta ex homicidio iuſto, facto in bello iuſto, aut à Iudice, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis.

AFfirmant Bañez 2.2. *q.*40.*art.*2.*dub.*4. Campanil.*in diuerſ.iur.Can.Rubr.*11. *c.*23. *n.*138. Nauarr.*in iure nouo Pontif.concl.*81.*n.*3.Hieronym. Rodrig.*in compend.qq.Regul. Reſol.*81.*n.*3.Barboſa *de poteſt.Epiſc.alleg.*39.*n.*47. Plaza, Emman. Rodrig. Couarruu. apud ipſum. Sà *verb.irregularitas ex occiſione licita,n.*3. Medin.*in Summ.*1.*p.c.*11.§.12.(non vt legi apud Dianam *c.*12.§.1.) quos omnes pro hac parte citat Diana 4.*p.tract.*2. *reſol.*69.*&* 70. Sed ex his Medina, ad minus, nec abſolutè id poſſe ad omnes Ordines, nec ex propria ſententia docet, ait namque ſic: *Y muchos Doctores tienen, que puede el Obiſpo diſpenſar en la irregularidad que nace de homicidio voluntario iuſtamente echo, como con el Iuez que matò hombres por juſticia, para ſolas Ordenes menores, y tam bien para beneficio.* Sic ille.

Sed probabilius Reſpondeo: Non eſſe diſpenſabilem ab Epiſcopo. Quia, vt ſuprà eſt habitum, in Concil. Trident. *ſeſſ.*24. *ſeſſ.*6. *de Reformat.* ſolùm permittitur diſpenſatio in Irregularitate ex delicto occulto proueniente: at ſic eſt, quod irregularitas, quæ prouenit ex homicidio iuſtè facto authoritate publica in bello, aut à Iudice, non prouenit ex delicto, vt conſtat: ergo. Sic tenent Gauantus *in Enchirid. Epiſcop. verb. irregularitas, num.*105. Alzed. *in praxi Epiſcop. part.*2. *cap.*6. *num.*46. Gutierrez *in Can. quæſt. lib.*2. *cap.*6. *num.*170. Cornejo *vbi ſup.* Molina *tom.*4. *de iuſtit.tract.*3. *diſp.* 79. *num.*8.

Filliuc.

Filliuc. *tract.* 19. *c.* 10. *n.* 281. Ioan. de Cruc. *p.* 2. *de Irregul. dub.* 9. *concl.* 1. Quos omnes refert, & ſequitur Diana 4. *p. tract.* 2. *Reſol.* 70. Quibus addi poſſunt Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 6. *n.* 13. quem citat & ſectatur Puente Hurtad. *diſp.* 169. *de bello*, §. 147. Bonac. Sayr. & alij omnes ferè ſup. 4. 134. pro noſtra parte citati.

Qvæstio CXXXVIII.

An ſaltem Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate iſta, orta ex homicidio iuſto, facto in bello, aut à Iudice?

NEgabunt à fortiori DD. adducti pro prima ſententiâ, q. 135.

Sed iuxta noſtram ibi adductam, probabilius Reſpondeo: Poſſe abſoluté. Quia qui habent poteſtatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus non prouenientibus ex homicidio voluntario, poſſunt diſpenſare in hac orta ex homicidio iuſto, publica authoritate facto: at ſic eſt, quod Prælati Religionum habent hanc, & maiorem poteſtatem ex Sum. Pontificis indulto: ergo. Maior probatur, quia nex, quæ in bello iuſto, aut à Iudice iuſtè fit, non eſt propriè homicidium, ſed ſolum illa nex, quæ cum mortali infertur: ergo irregularitas, quæ ex nece, aut occiſione hominis facta iuſtè in bello, aut a Iudice ocitur, non eſt hominicidij voluntarij: ergo optimè poſſunt in ea Prælati Religionum diſpenſare. Sic Filliuc. Hieronym. Rodrig. Veg. Cornejo, quos citat, & ſequitur Diana *Reſol.* 70. *cit.* Suarez, Puente Hurtado, Sayrus, & alij vbi ſuprà, Machado etiam *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 18. *docum.* 12. *n.* 4. per hæc verba: *Por loqual afirman tambien, aunque no ſin controuerſia, que todos los que tunieren priuilegio alguno para diſpenſar en las irregularidades, excepto el homicidio voluntario, como es el de los Religioſos, pueden tambien diſpenſar en la irregularidad, que prouiene* ex defectu lenitatis, *y homicidio iuſto. Porque como hemos dicho*, ex doctrina D. Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr. c. 4. & 5. & D. Th. 1. 2. q. 88. art. 6. ad 3. *el homicidio voluntario ſe entiende ſer ſolamente aquel, que por ſu iniuſtitia eſta prohibido en el quinto pracepto.* Hucvſque Machado.

DISPVTATIO VIII.

De Irregularitate proueniente ex delicto ob bellum iniuſtum.

Qvæstio Prima.

An omnes mutilantes, aut occidentes in bello iniuſto, contrahant irregularitatem ex defectu lenitatis, an verò ex delicto?

REspondeo, vt certum apud omnes: Contrahere irregularitatem, ſed non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto. *Prima* pars conſtat. Quia omnes qui in bello iuſto mutilant, aut occidunt, contrahunt irregularitatem, vt nuper *diſp.* 7. §. *vlt.* eſt habitum: ergo & à fortiori, qui in bello iniuſto hæc committunt.

Secunda pars etiam conſtat apud omnes. Quia qui in bello iniuſto aliquos occidunt, verè ſunt rei homicidij iniuſti, ac voluntarij: ergo talium occiſio culpa cum mortali infertur: ergo irregularitas, quæ ex talium occiſione manat, ex delicto erit, non ex defectu lenitatis. Sic omnes. Legantur Nauarr. *c.* 16 *n.* 213. & 224. Auil. *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1. Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 5. *n.* 1. Filliuc. *tract.* 19. *n.* 270 Bonac. *q.* 4. *d. Irregul. punct* 4. *n.* 2. *verſ. His tamen.* Villalob. *tract.* 21. *diff.* 29. *n.* 1. & 21. Baſſeus *Irregularitas* 5. *n.* 15. Machado. *lib.* 2. *p.* 3. *tract.* 18. *docum.* 1. *n.* 4. & alij.

Qvæstio II.

An omnes militantes in bello iniuſto, ſi in eo fiant mutilationes, aut homicidia, maneant irregulares, etiamſi propriis manibus ſanguinem non fundant.

NEgat ex parte Ægidius *de Sacram. diſput.* 18. *dub.* 10. *num.* 98. ita dicens: Communiter Doctores dicunt, omnes adhortantes ad bellum iniuſtum, aut in eo pugnantes, imò cuſtodientes pugnantium ſarcinas, contrahere irregularitatem homicidij vt voluntarij, ſi aliqui ex parte hoſtium occidantur, quia omnes ſunt vna cauſa mortalis, quia ſe mutuò excitant. Sed quamuis hoc, quando ſunt ita pauci, vt ſe mutuò omnes videre, vel audire poſſint, ſit communiter verum, quia omnes ſe mutuo animant; quando tamen ſunt multa millia, videtur valde difficile intelligere, quomodo ſinguli quoſvis occidentes, aut mutilantes ad hoc animent, cum multi ſint qui eos nec videre, nec audire poſſint, & difficilè intelligitur, quomodo quis hic & nunc poſſit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo ſenſu percipit: vnde hanc irregularitatem extenderem ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia poſſunt hi omnes ſe mutuò animare. Ita Ægidius. Cuius ſententiam dictis verbis refert Diana vbi infrà, dicens, aliquos eam, vt probabilem, admittere.

Et certè, vt talem eam expreſsè defendit nouiſſimè Gibalin. *cap* 4. *de Irregularit. quaſt.* 3. *conſect.* 6. *diff.* 4. *num.* 35. his verbis: Reſpondeo primò, mihi videri admodum probabile, quod exiſtimauit Konin. *diſp.* 18. *num.* 98. eos tantum eſſe irregulares, qui moraliter dici poſſunt inuaſſe occidentes, aut mutilantes, quales ſunt tantum aliqui circunſtantes, non autem totus exercitus per latam planniem diffuſus; quia non ſatis intelligitur, quomodo multa millia fuerint huic cædi cooperata: quando verò ex parte iniuſtè pugnantium aliqui cæduntur, ij tantum ex commilitionibus erunt irregulares, qui fuerint cauſa, cur hic, & nunc pugnarint, atque adeò ab hoſtibus occiſi fuerint. Confirmatur hæc ſententia Koninch ex eo qnod non videantur ſinguli milites teneri ad reparandum damnum, quod à toto exercitu in iniuſta vrbis exciſione illatum fuit, vt Palud. *diſt.* 15 *quaſt.* 2. *num.* 30. docuit, cui adhæſit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 37. quia (inquit) ſinguli milites non iuuarunt iniquam expugnationem, niſi faciendo partem ſuam, non autem procurando, vt alij ſuam in illo damno facerent: & ſicut totus exercitus eſt cauſa totius damni, ita ſinguli ſuæ tantum partis, niſi alia ratione eos iuuerint: quod autem ſingolis conflantibus ingentem exercitum, fieri non potuit, reſpectu ſingulorum aliorum, vt patet, atque ea ratio æquè valet in irregularitate, atque in obligatione ad reſtitutionem damni, cum vtraque oriatur ex cooperatione ad damnum, & mortem inferendam. Hucvſque Gibelinus. Et quidem

eſſe hanc ſententiam probabilem, ſatis etiam innuit Machado *loc. cit. num.* 4. vbi poſt relatam oppoſitam ita ait: *Si bien Ægidio Coninch, y otros admiten eſta regula, quando los ſoldados por ſer tan pocos, como cinquenta, o por lo mas ciento, ſe pueden vnos à otros animar, y exortar, que en tal caſo juzga, que no ſolo los que por ſi derraman ſangre, ſino tambien los demas, como verdaderos cooperadores en los homicidios, quedan irregulares; mas no en los exercitos grandes, donde concurren mas de cinquenta ò ciento ſoldados, que entonces juzga, que ſolamente los que por ſus manos derraman ſangere incurren en irregularidad, y no los demas, pues en tanta multitud no pueden ſer los demas cooperadores de tal manera, que incurran en irregularidad. Dotrina conque ſe puede dar ſalida a todos los que militan en la guerra que no derraman ſangre por ſus manos.* Hæc Machado.

Sed probabilius Reſpondeo: Omnes manere irregulares, etiamſi propriis manibus nullum militem mutilent, aut occidant. Quia ad id ſufficit, quod occidentibus, aut mutilantibus commilitent, aut cooperentur, ſiue phyſicè, ſiue moraliter, aut arma præbeant, aut eos adhortentur, aut quouis modo animos adjiciant. Nam omnes ad homicidium iniuſtum cooperantur: ergo omnes irregularitatem induunt. Sic colligunt DD. ex iure *cap. ſi quis viduam, diſt.* 50. *cap. Quod in dubiis, de pœnis,* & *cap. ſi quis poſt, diſt.* 51. Sic optimè nouiſſimè tenet Emin. Card. Ioan. de Lugo *tom.* 1. *de Iuſt. & iure diſp.* 19. *ſect.* 2. §. 5. *num.* 94. vbi adducta oppoſita ſententia cum ſuis ſectatoribus, ſic adiecit: Alij tamen Doctores communiter, & meritò dicunt, omnes & ſingulos contrahere irregularitatem, ſi homicidium, vel mutilatio ſequatur: Imo & cuſtodientem pugnantium ſarcinas, quia & hi aliquo modo concurrunt, & ideo Paulus dicitur omnium manibus lapidaſſe Stephanum, quia ipſe lapidantium veſtes cuſtodiebat. Vnde Hurtad. *diſp.* 2. *de Irregularit.* nominatim doctrinam illam Patris Coninch reprobat. Et quidem exemplum de accuſatione à reſtitutione non iuuat: imò retorqueri poteſt contra Dianam: quia milites gregarij (vt vidimus) licèt non debeant integrè totum damnum à ſociis illatum reſtituere, debent tamen quoad aliquam ſaltem partem, propter concurſum illum partialem, quo ad illud etiam damnum cooperati ſunt: ergo peccauerunt contra iuſtitiam cooperando ad illud etiam damnum. Hoc autem ſufficit ad irregularitatem contrahendam, ad quam non eſt neceſſarius influxus totalis, & ſine quo mutilatio, vel homicidium non fieret, ſed ſufficit influxus partialis. Nam ſi ſimul plures non ſucceſſiuè, ſed ſimul ſuffragiis ſuis concurrant ad ſententiam capitalem iniuſtam, omnes ſunt irregulares, licèt ſinguli partialiter concurrant, & taliter, vt hoc etiam ſuffragio non poſito, ex ſociorum ſuffragiis mors iniuſta ſequeretur. Item ſi plures ſimul aliquem occiderent, ſinguli vulnere non lethali, ſinguli manerent irregulares, licèt vulnus ob hoc inflictum, nec ſufficiens eſſet ad mortem, aut neceſſarium, quia illo non poſito, æquè citò mortuus fuiſſet ex ſociorum vulneribus, alioquin nullus in his caſibus eſſet irregularis, quod abſurdum eſſet. Sufficit ergo ad irregularitatem contrahendam concurſus cum influxu illo ad homicidium iniuſtum: quia hæc irregularitas eſt pœna indiuiſibilis impoſita cooperanti ad homicidium, & in illud influenti, ſiue influxu totali, ſiue partiali. Reſtitutio autem non eſt pœna, ſed debitum naturale contractum ex damnificatione, quæ quo fieret minor, vel ex minori damno, vel ex minori influxu ad damnum, eo minorem obligationem parit. Milites ergo omnes contrahunt irregularitatem, quia ij omnes & ſinguli cooperantur, aliquo modo, vt vidimus: nec enim ad hanc cooperationem requiritur, quod ſinguli à ſingulis videantur, aut percipiantur ſenſu; ſatis eſt, quod ſinguli animentur ad bellum ex præſentia totius exercitus, qui ex omnibus, & ſingulis conſtat. Huc vſque Eminentiſſ. Cardinalis. Cuius doctrinâ præclarâ clarè manent ſoluta fundamenta contraria.

Tenent etiam hanc noſtram ſententiam Suarez *diſp.* 47. *ſect.* 5. *num.* 1. Nauar. *cap.* 27. *num.* 217. & 234. Couar. *in Clement. Si furioſus, de homicid. part.* 2. §. 3. *num.* 2. Auila *part.* 7. *diſp.* 6 *ſect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. Gaſp. Hurtad *loc. cit. diff.* 6. *num.* 21. Layman *ſect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. Mercerus *de Sacram. quæſt.* 24. *dub.* 9. *num.* 1. Cornejo *tract.* 5. *de Irregularit. diſp.* 5 1. *dub.* 2. *quæſt.* 2. Villalobos *tract.* 21. *diff.* 29. *num.* 1. Machado *loc. cit.* Diana *part.* 4. *tract.* 2. *Reſolut.* 27. Ouiedo *de Charit. controuerſ.* 12. *punct.* 9. *in fine*, vbi ait, id eſſe verum, ſi vel vnus occidatur, vel mutiletur. Henriquez *lib.* 14 *cap.* 13. *num.* 3. *litt. A*, & alij penes ipſum. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 4. *q.* 34. *n.* 200.

QVÆSTIO III.

An etiam omnes milites pugnantes maneant irregulares, caſu quo diuiſo exercitu in duas partes, vna pars committat homicidia, altera verò non.

NEgat Bonae. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *num.* 3. docens, quod milites illius tantummodò partis, quæ commiſit homicidia, fiant irregulares; nam alij non videntur cooperati re, aut verbis ad homicidium. Ita ille citans pro ſe Vgolinum *cap.* 13. §. 1. *num.* 3. & Henriquez *lib.* 14. *cap.* 13. *num.* 7. Sed ex bis male Henriquez, quia nec illud *cap.* 13. habet niſi numerum quartum; nec *num.* 3. vbi de hac materia tractat, de præſenti caſu quid agit. Tenet tamen nouiſſimè Gibalinus *loc. cit. diff.* 2. *verſ. Hinc fit Secundo*, &. quidem conſequenter. Ratio eorum eſt. Quia illa pars, quæ non pugnat, nullo modo iuuat aliam: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Manere omnes milites vtriuſque partis irregulares. Quia vtraque pars eſt vna cauſa moralis damni, & iniuſtitiæ cædis. Et quamvis pars non pugnans nil videatur alteram iuuare, iuuat certè, non propriis manibus pugnans, ſed ſua præſentia, qua altera pars iuuatur, vt nuper vidimus, quod ſufficit, vt ſit, & dicatur cauſa moralis occiſionis factæ ab altera parte exercitus. Sic Suar *diſp.* 45. *ſect.* 3. *n.* 10. & innuit *diſp.* 47. *ſect.* 5. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 19. *c.* 10. *q.* 3. *n.* 263. & alij.

QVÆSTIO IV.

An qui in bello iniuſto ſeruant militantium veſtimenta, & ſarcinas, fiant irregulares.

NEgant Villadiego *tractat. de Irregularitate, cap.* 6. *num.* 16 & Gibalinus *t.* 4. *de Irregularit. quæſt.* 3. *conſectar.* 6. *diff.* 2. *verſ. Quartò*, citans pro ſe Coninch.

Ratio eorum eſt. Quia iſti nonniſi remotè admodum cooperantur militibus pugnantibus, & occidentibus.

Sed probabilius Reſpondeo: Fieri irregulares. Quia etiam iſti cooperantur, & proximè, militibus occidentibus. Et conſtat, nam (vt bene vidit Lugo *ſuprà quæſt.* 2.) ideo Paulus dicitur omnium manibus

lapidaſſe

lapidaſſe Stephanum, quia ipſe lapidantium veſtes cuſtodiebat. Sic Henriq. *lib.* 14. *c.* 13. *n.* 3. *litt. E,* vbi citat Syluest. *verb. homicid.* 1. §. 11. *verſ.* 2. *&* §. 13. & Nauar. *n.* 235. ſed hic Auctor in hoc numero nil ad rem affert, benè tamē *n.* 224. vbi eum citat, & ſequitur Auil. *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. *verſ. Hinc ſequitur.* Vgol. §. 1. *n.* 2. Hurt. *diſp.* 6. *de Irregul. diff.* 6. *num.* 21. *& diff.* 12. *n.* 45. ibi: Et etiam qui cuſtodiunt ſarcinas, quia ſic cuſtodiendo expediunt milites, qui interficiunt. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 29. *n.* 1. Qui id colligit ex *c. ſicut dignum, el* 1. §. *Hi quoque, de homicid.* vbi Alexand. III. apertè ait, cuſtodientes ſarcinas iniuſtè occidentium, non debere eſſe à pœna immunes, quia non fuerunt à culpa liberi. Lug *de Iuſt. tom.* 1. *diſp.* 19 *ſect.* 2. §. 5. *n.* 94. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 4. *q.* 34. *numer.* 200. & alij.

Qvæstio V.

An conducentes milites ad bellum iniuſtum, ſint rei cædium, quas milites in illo admittunt, ac proinde irregulares.

NEgat Villadiego loco nuper cit. Eo quod huiuſmodi conducentes ſint ſolùm cauſa remota.

Sed probabilius Reſp. Eſſe reos cædium in bello iniuſto admiſſarum & conſequēter irregulares. Quia iſti verè ſunt, & cenſentur cædium cauſæ proximæ. Aliàs vt benè vidit Auila, ſequeretur, quod nec ille qui conduceret, & rogaret aliquos, vt adiuuarent amicum in rixa iniuſta, eſſet irregularis, morte ſequuta, quod eſt omninò falſum. Sic ex Nauar. Auil. *l. c.* Hurt. *diff.* 12. *cit.* Gibal. *c.* 4. *q.* 3. *conſect.* 6. *diff.* 2. *verſ. Quintò.*

Qvæstio VI.

An animantes, conſulentes, mandantes, exhortanteſve, ad bellum iniuſtum, quamuis hi non interficiant, aut propria manu pugnent, ſint irregulares, ſi ex hoc ſuo delicto mors, aut mutilatio in aduerſariis ſequatur.

REſp. vt certum, Eſſe irregulares. Quia certum eſt, hos omnes verè cooperari ad homicidium iniuſtum, & mutilationem voluntariam: ergo. Sic omnes DD præcipuè ſuprà citati, & Maiolus, vbi infrà. Henriq. *lib.* 14. *c.* 13. *n* 3. Suar. *loc. cit.* Sayr. *lib.* 6 *c.* 19. *n.* 7.

Qvæstio VII.

An duces, & militum Præfecti pugnantes in bello iniuſto maneant irregulares, etiamſi in eo nulla cædes, aut mutilationes fiant.

AFfirmat Sim. Maiol. *lib.* 4. *de Irreg. c.* 49. *n.* 5. his verbis: Quinimò ex eo ſolo, quod quis eſt Præfectus militum, ſeu Capitaneus in bello iniuſto, etiam ſi homicidia nulla contigerint, ſola aſſumptio eius muneris, vel officij eſt cauſa irregularitatis. *Ne Cleric. vel Monach. c. Sententia, diſt.* 51. *c. ſi quis poſt.* Ita Maiolus.

Sed vt mihi certum Reſp. Non manere irregulares. Quia certum eſt, nullibi in iure ſtatui irregularitatem iniuſtè pugnantibus (ſiue laici ſint, ſiue Clerici) ſi nullæ cædes, aut mutilationes committantur. Nec in textibus adductis à Maiolo quid contrarium ſtatuitur, vt benè probant Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 5. *à n.* 2. & Gibal. *c.* 4 *de Irregul. q.* 3. *conſect.* 6. *diff.* 3. *pag.* 241. Sic ipſi, & Pelliz. *q.* 34. *cit. n.* 201. *verſ. Dixi ſi in bello.*

Qvæstio VIII.

An vendentes, aut præbentes arma ad bellum iniuſtum, ſaltem dum propriè inſtat bellū, ſint irregulares, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur.

REſp. vt certum: Irregulares eſſe. Quia huiuſmodi armorum venditores verè ſunt cooperatores, cædium, ac proinde irregulares. Sic Gloſſ. In cap. *Ita quorundam, de Iud.* fundata *in c. Quod in dubiis, de pœn.* Quod citat, & ſequitur Doctiſſ. Nauar. *cap.* 27. *n.* 224. Maiol. *cap.* 49. *cit. n.* 6. Henriq. *lib.* 14. *c.* 13. *n.* 3. Suar. *diſput.* 47. *ſect.* 5. *num.* 1. Auil. *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 2. *verſ. Hinc ſequitur.* Villalob. *tract.* 21. *diff.* 29. *n.* 1. Filliucius *tract.* 19. *c.* 10. *q.* 3. *n.* 263. Pellizz. *n.* 200. & communis.

Qvæstio IX.

An etiam ſint irregulares vendentes arma ad iniuſtum bellum, ſi longo tempore ante illud inductum id faciant.

NEgant Ioan. Andr. Ant. & Anan. (non Antan. vt offendes apud Maiol.) *in c. Petit, de hom.* quos citat & ſequitur Henriq *lib.* 14. *c.* 13. *n.* 3. *in Gloſſ lit. B.* Quia tunc (inquit) non cenſentur moralis cauſa occiſionum quæ in tali bello iniuſto committuntur.

Sed probabilius Reſp. Eſſe etiam irregulares. Sic tenet cum aliis Maiol. *lib.* 5. *c.* 49 *n.* 6. vbi ita ait: ideò gubernans nauem in bello iniuſto fit irregularis, *d. cap. Quod in dubiis,* ſed & ij. qui præparant arma ad opportunitatem futuræ pugnæ, etiam ante conflictum, ſiunt irregulares: quia fauent bello iniuſto Gloſſ. *in c. Ita quorundam, de Iud.* quam approbat Felin. *in d. c. Petit, de hom.* contra ſententiam Ioan. Andr. Antan. & Antan. (lege *Anan.*) qui videntur ſentire contrarium, & malè, quia iſti præparantes arma, ſunt cooperatores, & participes, ſi præſciuerint, ob quam cauſam præparatio illa fieret. Huc vſque Maiolus. Et melius.

Qvæstio X.

An item ſint irregulares, qui in bello nauali iniuſto, gubernant naues, ſequuta occiſione, aut mutilatione alicuius.

REſpondeo, etiam irregulares eſſe. Quia verè cooperantur ad necem, quæ in bello dicto infertur inimicis iniuſtè præliantibus: ergo. Sic Maiol. *loc. cit.* & Henriq. cum aliis *c.* 13. *n.* 3. *cit. lit. B.* Auil. *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. *verſ. Hinc ſequitur.*

Qvæstio XI.

An deinde fiant irregulares, qui in bello iniuſto incutiunt timorem verbis, aut dolo bellico, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur.

REſp. etiam fieri irregulares. Quia iſti etiam ſunt cooperatores occiſionis, aut mutilationis in bello dicto factæ. Sic Henr. *n.* 3. *cit. lit. D.* citans Nauar. *c.* 27. *n.* 235. ſed ego apud meum Nauar. nil ibi ad propoſitum inueni, benè tamen *n.* 224. ibi: Imò & quidquid dicat Specul. *tit. de diſpenſ.* § *Iuxta, verſ.* 56. & nonnulli alij, nos opiniones Innoc. Panor. & Com. in *c. pen. de hom.* etiam putamus, ſcilicèt, quod qui in prælio, vel alia quacumque rixa interſunt illis ex quorum parte ſunt iniuſta, auxiliando, vel fauendo, ſunt irregulares, ſi aliquis in eis deformetur, ſiue interſiot. armati, ſiue inermes, ſiue deformeni, ſiue non, ſiue ob id timor inimicis augeatur, ſiue non. Sic Doctiſſ. Nauar.

QVÆSTIO XII.

An qui obſonia deferunt ad exercitum iniuſtè præliantem, ſint irregulares, ſi cædes ibi inueniantur.

NEgat Gib. *c.4. de Irreg. q.3. conſect.6. diff.6. verſ. Sexto, in fin.* Quia (inquit) huiuſmodi non magis cooperantur cædibus, ſeu homicidiis, quàm qui ſeruant ſarcinas: at hi non ſunt irregulares: ergo.

Sed probabilius Reſp. Eſſe irregulares. Quia dicti obonia deferentes æquè cooperantur homicidiis in bello iniuſto factis, ac illi qui ſeruant ſarcinas: at hi ob id incurrunt irregularitatem, vt *ſupr. q.4* contra ipſum Gibalinum probauimus: ergo & illi incurrent.

QVÆSTIO XIII.

An incurrant irregularitatem, qui ad bellum iniuſtum accedunt, non animo pugnandi, ſed ad pacem componendam, aut iuuandos milites in ſpiritualibus, ſi in tali bello committantur cædes

AFfirmandum videtur, eo quòd per hoc augeatur animus militum iniuſtè bellantium, & timor incutiatur aduerſariis: ergo.

Sed vt certum Reſp. Non incurrere irregularitatem. Quia omnes iſti dant operam rei licitæ, etiam in bello iniuſto. Sic Nauar. *c.27. n.214.* & clarius *n.224.* illis verbis: Qui in prælio vel alia quacumque rixa interſunt illis, ex quorum parte ſunt iniuſta, auxiliando vel fauendo, ſunt irregulares, ſi aliquis in eis deformetur, ſiue interſint armati, ſiue inermes, ſiue deforment, ſiue non, ſiue ob id timor inimicis augeatur, ſiue non: quamuis non qui interſunt ad diſſuadendum prælium, & ſuadendam pacem, licèt inde non nihil animi ſuorum parti, & nonnihil timoris aduerſæ redderetur. Sic Doctus Nau. Quem, ſimul cum S. Thom. Innoc. Hoſtienſ. Panor. & Armil. citat, & ſequitur Henriq. *lib.14. c.13. n.3. in fin.* Auila *p.7. diſp.6. ſect.3. dub.1. concl.1.* Gibalin. *loc. cit.* & Sayr. *lib.6. c.19. n.7.*

Ad rationem dubitandi facile reſpondetur, euenire per accidens, quod ex aſſiſtentia illorum, qui ad componendam pacem, vel audiendas confeſſiones ad bellum iniuſtum accedunt, augeatur animus militum ſuæ partis, & timor incutiatur aduerſariis. Legatur Hurtad. *diſp.2. diff.12. in fin.*

QVÆSTIO XIV.

An Clericus qui intereſt iniuſto bello, etiamſi nihil noceat aduerſariis, ſi tamen in eo committantur aliquæ cædes, ſit irregularis.

NEgat Gibal. *c.4. q.3. conſect.6. diff.2. in fin.* eſſe irregularem, niſi caſu, quo aliquo ſufficienti fauore, auxilio, hortatione, aliáve ratione cooperetur ad dictas cædes, quia ſecluſa hac ſufficienti cooperatione nulla admitti poteſt irregularitas, cum nullibi ſtatuta reperiatur. Quod autem Clericus vacet rei ſibi tunc illicitæ, atque adeo peccet, nihil prorſus efficit, niſi ex ea actione illicita ſequutum fuerit homicidium. Ita Gibalinus.

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe irregularem, non præciſè ex eo tantum, quia vacat rei illicitæ, ſed quia huic vacando, ſimul ſua præſentia animat milites ſuæ partis, & conſequenter concurrit ad homicidium iniuſtum in tali bello commiſſum à ſuis commilitonibus. Sic Maiol. *l.5. c.49. n.5.* vbi citat Specul. *in tit. de diſp. §. Iuxta, v. Poteſt etiam dici*, & ni fallor Sayr. *lib.6. c.19. n.7.* Quod autem ſola aſſiſtentia, aut præſentia aliquorum ſufficiat ad animandum ſui exercitus partem, & timorem incutiendum aduerſis, ex nuper dictis patet.

QVÆSTIO XV.

An militantes in bello iniuſto maneant irregulares, caſu quo occiſiones, aut mutilationes in ſociis ipſorum tantùm contingant.

REſpondeo: Manere etiam irregulares homicidij caſualis. Quia ſequitur ex opere illicito contra iuſtitiam, & periculoſo ex ſe, vt ſimilia homicidia ſequantur. Sic communis. Suar. *diſp.47. ſect.5. n.2.* quem citat & ſequitur Villalob. *tr.21. diff.29. n.4.* vbi ita ait: *Segunda concluſion. Si las muertes, ò mutilaciones no ſucceden en los enemigos, ſino en los compañeros, y amigos, tambien quedan irregulares todos los ſobredichos por la cooperacion, como nota bien Suarez. Mas eſta irregularidad, ſeria de homicidio caſual, por que ellos no la intentaron. De lo dicho* (addit n.5.) *ſe collige que ſi ſuceden en eſta guerra iniuſtas muertes, y mutilaciones de ambas partes (como ſuelen ſuceder) los que en ellas ſe hallan, incurren irregularidades diferentes, vnas de homicidio voluntario, que nacen de delito, y otras de caſual.* Sic ille.

QVÆSTIO XVI.

An ſolus Papa poßit in hac irregularitate diſpenſare.

REſpondeo: Solum Pontificem poſſe quando homicidium factum in bello iniuſto eſt omnino voluntarium, quando verò eſt caſuale, poterit etiam qui habet in huiuſmodi homicidiis poteſtatem diſpenſandi. De quo *infra.* Sic Suar. *loc. cit.* & Villalob. *n.7.* ita dicens; *Quanto à la diſpenſacion ſe ha de dezir, que como eſta irregularidad es de homicidio voluntario, ſolo el Papa diſpenſa: mas en el caſo de la ſegunda concluſion, que es homicidio caſual, diſpenſa el que puede en otros homicidios caſuales.* Sic ille. Sed de hac re lege *diſp.27. q.17. & ſeqq.* vbi an id poſſint ex priuilegio, alibi diſputabitur.

DISPVTATIO IX.

De Irregularitate, quæ contrahitur à Medicis, Chirurgis, & ægrotorum infirmariis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Clericis Ordinibus ſacris initiatis, ſit iure prohibitum officium Medici, aut Chirurgi exercere abſcindendo, vel adurendo.

RESPONDEO, vt certum: Eſſe prohibitum iure, *c. Sententiam ſanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & c. Tua nos, de homicid.* Sic ſentiunt omnes Doctores, vt fatentur Barboſa *in dict. cap. Tua.* Legantur Henriquez *lib.14 c.11. §.1.* Suar. *diſp.45. de Cenſ. ſect.6.* Sayr. *lib.7. c.2. n.7.* Regin. *lib.30. n.114.* Bonac. *diſp.7. q.4. punct.5. & 7.* Molina *tom. 4. de Iuſtit. tract.3. diſp.75.* Maiolus *lib.2. de Irregul. cap.12.* Auila *p.7. diſp.6 ſect.1. dub.20.* Sanchez *tom.3. Summ. lib.6. c.14.* Nauar. *c.27. n.11.* Filliuc. *tract.19 c.10. q.8. n.277. & ſeq.* Gaſp. Hurtad. *diſp.2. de Irregul. diff.11. in fine.*

Luyſius

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An etiam Clericis minoribus Ordinibus inſignitis ſit prohibitum mederi abſcindendo, vel adurando.

NEgant Molina *tom.4. de Iuſt.tr.3. diſp.75. n.2.* (non 4. vt leges apud Macbad.) *verſ. Poſterior autem*, vbi in fine hæc ait: Hanc tamen irregularitatem non incurrunt laici, etiamſi in minoribus Ordinibus ſint conſtituti; imò credo, neque Religioſi, qui Subdiaconi non ſunt, quia id efficiendo nō dant operam rei ipſis illicitæ, eo quòd in Iure probibiti non inueniantur ea exercere. Ita Molina. Quem ſequuntur Bonac. *diſp.7.q.7.punct.5 n.4 verſ. Dixi*, & Machado *document.9.cit.n.1.& 2.* Quia (inquit Bonac. *in c. Sententiam ſanguinis*,) fit tantum mentio Subdiaconi, & Sacerdotis. Ita etiam cum ipſis Diana *p.4. tract.2. reſ.24. in fine.* Bauny *loc.cit.* & Pellizz. *n.212.*

Alij verò contrà affirmant, dicendo: Etiam Clericis in minoribus conſtitutis, & beneficium habentibus, prohibitum eſſe in iure mederi abſcindendo, vel adurendo. Ita Thom. Sanchez *tom.3. Summa, lib. 6.c.14. n.15.* per hæc verba: Secundò interdicitur Religioſis, & quibuſcumque Clericis ſæcularibus in Sacris conſtitutis, vel etiam conſtitutis in minoribus, ſi bi ſufficiens beneficium ad vitam habeant, exercere artem Chirurgiæ cum inciſione, vel aduſtione. De Clericis conſtitutis in Sacris conſtat ex cap. *Sententiam ſanguinis. Ne Cleric. vel Monach.* De Religioſis conſtat ex cap. *Tua nos, de homicid.* De conſtitutis in Minoribus habentibus ſufficiens beneficium, nullus eſt textus: at omnia interdicta Clericis in Sacris conſtitutis, cenſentur quoque interdicta habentibus beneficium ſufficiens ad victum, vt docet Nauarr. *in Summ. c.25. n.112. verſ.3. & Comm.4. n.28. de regul.* Atque ita loquentes de omnibus his docent Abbas *cap. Sententiam ſanguinis, num.22.* Angel. *verb Medicus, n.11.* & ibi Silueſt. *quæſt.2.* Armill. *n.4.* Tabien. *verb. Medicina, q.4.* Nauarr. *Summ. c.25. n.110.* Huc vſque Sanchez. Cuius ſententiam etiam tenuere, & tenent Henriq. *lib.14. cap.11. n.1.* Maiol. *lib.2. c.12. n.7.* Couar. *in Clem. ſi furioſus, part.2. §.4. n.3. de homicid.* Arag. *2.2. q 64 art.8. dub.2.* Quos citat & ſequitur Sayr. *lib.7. Theſaur. c.6. n.7.* Auil. *etiam, p.7. diſp.6. dub. 14. concl.2. verſ. Secundò ſupponendum eſt.*

Alij tandem rigore maiori dicunt, quod non ſolùm Clericis beneficium habentibus, verùm etiam non habentibus, ſit prohibitum mederi, abſcindendo, vel adurendo. Sic videtur ſentire Armilla *verb. irregularitas, n.47.* quatenus in hæc verba ſine diſtinctione prorumpit: Nota quod Clericis, etiam in Minoribus exiſtentibus, ſecundum Panorm. in cap. *Sententiā. Ne Cler. vel Monach.* & Religioſis ars Chirurgiæ prohibetur *in d. cap. Sententiam, & cap. Cum magno. Ne Cler. vel Monach.* ideò ſi exercent illam, quæ aduſtionem, vel inciſionem adducit, & ſequatur mors, etiam quod ex pietate faciant, efficiuntur irregulares *in d. c. Tua nos*, quia eis prohibetur, &c. Ita Armilla. Et alij.

Ego autem Iudex inter has ſententias conſtitutus Reſpondeo: Dicendum, quod hæc vltima ſit probabilis, ſecunda probabilior multò, & prima, attento iure, probabiliſſima, & ſequenda, eo quòd expreſsè, vt vidimus, in cap. *Sententiam*, ſolùm fiat mentio de Subdiaconis, & Sacerdotibus: ergo eos tantum comprehendere voluit in ſuo decreto Innocentius.

QVÆSTIO III.

An item Religioſis ſit interdictum mederi abſcindendo, vel adurendo.

REſpondeo, vt certum: Etiam his eſſe interdictum, vt conſtat ex cap. *Tua nos, de homicid.* vbi id expreſsè Pontifex decreuit. Ita omnes Doctores, præcipuè ſuprà citati. Inter quos non eſt certum, ſed valdè dubium, an omnibus Religioſis id ſit prohibitum: pro quo dubio diſſoluendo, ſit

QVÆSTIO IV.

An omnibus Religioſis, nondum etiam Sacris Ordinibus initiatis, ſit prohibitum mederi adurendo, &c.

AFfirmant abſolutè aliqui Doctores, inter quos numerandus venit Sanch. *loc.cit.* quia quamuis id expreſſe non dicat, indicat tamen.

Negant contrà alij docendo, ſolum eſſe prohibitum Religioſis Sacerdotibus, non aliis. Ita Felinus in d. cap. *tua Tua nos de homicid.* quem citat, & ſequitur Auila *part.7. diſp.6. ſect.1. dub.10. concl. 2. verſ. ſecundo ſupponendum.* Quia (inquiunt) cap. *Tua, cit.* de ſolo Religioſo Sacerdote intelligitur. His Authoribus addi poteſt apud Sanch. *n.18* Abbas in c. *Sententiam ſanguinis, n.22 Ne cleric. vel Monach.*

Sed probabilius Reſpondeo: Dicendum, quod neque omnibus, abſolutè loquendo, Religioſis; neque ſolis Sacerdotibus, ſed Religioſis omnibus, Ordinibus Sacris inſtitutis, Subdiaconis ſcilicet, Diaconis, & Sacerdotibus, ſit prohibitum mederi abſcindendo, vel adurendo. Quia probabilius eſt de iis omnibus, & ſolis intelligi dictum cap. *Tua nos.* Sic expreſsè Molina, cuius verba habes ſupr. *q.2.*

QVÆSTIO V.

An ſaltem licitum ſit prædictis Clericis, aut Religioſis mederi incidendo, aut vrendo, causâ pietatis.

REſpondeo, vt certum: Nec cauſa pietatis medici ſie, eis eſſe licitum. Conſtat ex iuribus cit. Anton. *in c. Tua nos, n.4. de homicid.* & ibi Abbas. *n.5.* & Socin. *n.3.* Armill. *v. irregularit. n.47.* Cuius verba habes ſupr. *q.2.* quos addens Nauar. *in Sum. c.25. n.110.* citat, & ſequitur P. Thom. Sanch. *in Sum. lib.6. c.14 n.16* ſed certè Nauar. nihil (ſaltem in nona impreſſione) habet ad rem *loc. cit. n.110 ſed n.111. ſeq.*

QVÆSTIO VI.

An etiam ſit interdictum dictis Clericis, & Religioſis artem Medicinæ, ſeu Chirurgiæ, abſque inciſione, & aduſtione exercere.

AFfirmant plures Doctores. Quia ſtudium Medicinæ prohibetur Clericis, & Religioſis, in *cap. fin. Ne Cler. vel Monach.* ergo à fortiori prohibetur eius exercitium. Ita Roſell. *verb. Medicus. fine*, & ibi Angel. *n.11.* Sylueſt. *q.4.* Armill. *n.4.* Tabien. *verb. Medicina, q.3.* Nauar. *Sum. c.25. n mihi 111. aliis 110.* & Abbas in cap. *Sentent. ſanguinis, n.22. Ne Cler. vel Monach.* quos omnes citat, & ſequitur Sanch. *libro 6. Sum. c.14. n.18.* Qui hanc partem, alia ratione deſumpta ex Nauarro, probat. Quia licèt verum ſit, quod nullo iure interdictum ſit Religioſis, & Clericis in Sacris conſtitutis, exercitium Medicinæ, ſeu Chirur-

giæ, niſi quando hæc cum inciſione, vel aduſtione exercetur, cenſetur tamen interdictum, eo quod ſit ſæculare negotium, & eorum ſtatum indecens, per generalem prohibitionem contentam in tot tit. *Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.*

Alij abſolute id negant, exiſtimantes Clericis, aut Religioſis non eſſe ſimpliciter interdictum Medicinæ, aut Chirurgiæ exercitium, modo fiat citra inciſionem, & aduſtionem, & conſequenter modò ab his caueant, non incurrere irregularitatem, etiamſi à curatione ipſorum inculpabiliter ſequatur mors alicuius ægroti.

Ratio eſt *Primò*. Quia nullus reperitur textus, in quo id officium citra inciſionem, & aduſtionem Clericis ſit vetitum, vt contrarij fatentur, nam cap. *Sententiam. Ne Cler. vel Monachi*, ſolùm prohibet aduſtionem, & inciſionem.

Secundò. Quia in cap. *Tua, de homicid.* expreſsè definitur, Monachum exercentem Chirurgiam cum inciſione, eſſe irregularem, ſequuta inde morte, quamuis debitam adhibuerit diligentiam ad eam vitandam. Et redditur ibi ratio, quòd deliquerit exercens artem ſibi interdictam. Et tamen in cap. *Ad aures, de ætate & qualit.* reſpondet Clemens III. Canonico Colonienſi, eum non fuiſſe irregularem exercendo medicinam, ſequuta inde morte, ſi diligens ad eam cauendam fuerit: ergo clarè Pontifex non tribuit culpæ Canonico exercere abſolutè artem medicam, aliàs eſſet irregularis quauis diligentia appoſita, quia ille Canonicus vacaſſet rei illicitæ. Ita Cardinal. *in d. c. Ad aures, n. 2.* Couarruu. *in Clement. ſi furioſus, de homicid. 2. p. §. 4. n. 3.* Hoſtienſ. *in c. ſignificaſti, el 2 de homicid.* Felinus *in cap. Tua nos, eod. tit.* vbi de Romana praxi teſtatur. Molina *tract. 3. diſp. 75. num. vlt.* Suar. *diſp. 47. ſect. 7. num. 4.* Auila *p. 7. diſp. 6. ſect. 1. dubit. 10. ſub concluſ. 2. & 5.* qoos omnes citat, & ſequitur Gibalinus *cap. 4. q. 2. conſectar. 11. verſ. Decimoquinto, pag. 197.* Quibus addi poſſunt Henriquez *lib. 14. c. 11. n. 1.* Sayrus *lib. 7. Theſauri, c. 6. n. 11.* & Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 5. n. 4.*

Ego autem clariùs. Reſpondeo dicendum *primò*, quod nullo modo ſit ſpecialiter interdictum Clericis, aut Religioſis artem Medicinæ, aut Chirurgiæ, abſque inciſione, & aduſtione exercere, & ita nullo modo fieri irregulares eo exercitio, etiamſi ex eo inculpabiliter mors ægroti contingat. Et id clarè probant rationes pro ſecunda ſententia adductæ, & tenent eius Authores.

Reſpondeo ſecundò, quod licèt ſit aliqualis indecentia in eo quod ars Medicinæ, ſeu Chirurgiæ à Clericis, & Monachis, etiam citra inciſionem, & aduſtionem, exerceatur, vt probant Authores primæ ſententiæ, non tamen ob hanc incurrent irregularitatem: quia nullibi eſt lata irregularitas ob indecentiam talem: ergo dum Clerici, ſeu Monachi caueant in exercitio Medicinæ, ſeu Chirurgiæ à combuſtine, & inciſione eam non incurrent, licèt ab eorum actione inculpabiliter ſequatur ægroti mors. Sic docent omnes ferè ſecundæ ſententiæ Authores.

Ex quibus ad primam rationem ſententiæ primæ Reſpondeo negando conſequentiam. Quia etiam ſtudium legum prohibetur Clericis eodem *cap. fin.* & tamen non eſt eis prohibitum earum exercitium, cum liceat eis conſulere, tam verbo, quàm ſcripto, modò Aduocati munus non gerant: vt benè etiam Sanchez cum aliis id aduertit.

Ad ſecundam Reſpondeo ex nuper habitis, quod licèt dicta Medicinæ ars, non in ſpecie, ſed in genere ſit aliqualiter, non ſimpliciter, vt quid indecens prohibita Clericis, & Religioſis, non tamen inde ſequitur, quod Clerici, aut Religioſi, qui illam exercent, citra aduſtionem, & inciſionem, incurrant irregularitatem, etiam morte inculpabiliter ſequuta; cum in iure nulla ſit ob id inducta irregularitas. Addo, & melius negando, quod dictæ artis exercitium ſit à iure prohibitum adhuc in genere, ſi fiat citra inciſionem, & aduſtionem, ſed eo ſolùm ſit indecens aliqualiter Clericis, & Monachis, quia illud exercere quaſi ex officio non quadrat cum ſtatu, & munere ipſorum. Legantur Molin. & Bonac. *loc. cit.*

QVÆSTIO VII.

An laici Medici, ſeu Chirurgi, per inciſionem, aut aduſtionem, aut alio quouis modo curantes, incurrant irregularitatem, morte ægroti inde ſequuta, caſu quo adhibeant diligentiam ſufficientem, ne mors infirmi ſequatur.

RESpondeo: Non incurrere irregularitatem caſu, quo ex arte operentur, adhibeantque diligentiam ſufficientem, ne ex eorum curatione ægrotus extinguatur. Ratio eſt, quia vt ſupr. *tract. 1. diſp. 1. quæſt. 7.* eſt habitum, nulla incurritur irregularitas ex delicto, niſi interueniat culpa, & mortalis: ergo ſolum hanc incurrent laici Medici, ſeu Chirurgi per inciſionem, aut aduſtionem, aut alio modo curantes, quando ex mortali ipſorum culpa, ſiue ex imperitia, ſiue ex negligentia, ſiue aliunde oriatur, ægrotus perit, itaut rei illius mortis, atque adeò homicidæ dici poſſint: ergo Medici, qui ex arte operantur, adhibentque ſufficientem diligentiam, ne eorum culpa, ſaltem mortali, pereat ægrotus, ſicut homicidæ non ſunt, ita neque irregulares. Sic communiter Doctores tenent ex cap. *Ad aures, de ætat. & qualit. ordinand.* vbi Abbas, Syluest. *verb. Medicus, q. 8.* Maiol. *lib. 2. c. 12. n. 2.* Molin. *tract. 3. diſp. 75. n. 1.* & alij, cum quibus eſt Gibalin. *c. 4. de Irregul. q. 2. conſect. 11. n. 26.*

QVÆSTIO VIII.

An toties fiet irregularis Medicus, ſiue Chirurgus, ſiue ſit laicus, ſiue Clericus, quoties ex mala curatione facta ab ipſo ſequatur ægroti mors.

RESpondeo: Toties irregularem fieri, quoties eius mortali culpa in curando ægrotum admiſſa, perit ægrotus. Sic colligitur apertè ex c. *Ad aures cit.* & ex c. *Tua nos, de homic.* & tenent communiter Doctores, præcipuè citati. Qui & notant prædictam mortalem culpam Medici, ac Chirurgi, non aliunde poſſe oriri, niſi ex negligentia, aut imperitia ipſorum, vt bene Gibal. *loc. cit.* Quoties ergo ex negligentia, ſeu incuria, aut inſcitia Medicus culpam mortalem admittet in curando aliquo ægroto, toties, ſi ex mala illa curatione ſequatur mors, quod aliorum peritorum Medicorum iudicio, atque ipſius Medici curantis remordente conſcientia, dignoſci facilè poterit, toties fiet irregularis. Sic cum aliis omninò Gibalin. *loc. cit. n. 26.*

QVÆSTIO IX.

An Monachus, ſeu Clericus in Sacris, exercens Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem, fiat irregularis, ſequuta ægroti morte, etiamſi adhibeat ſufficientiſſimam diligentiam in ea curatione.

AFfirmant communiter Doctores, eo quòd ſic expreſsè videatur definitum in cap. *Tua nos, de homicid.* ab Innocent. III vt titulus capitis his verbis exprimit: *Religioſus Chirurgiam exercens, ſi ex*

ex ea mors ſequitur, irregularis eſt, etiamſi ſit peritus, & diligens, & hoc fecerit cauſa pietatis. Et probatur: nam in hoc cap. definit Pontifex, quod quidam Monachus, qui omni diligentia adhibita aperuit apoſtema in gutture mulieris, quæ poſtea ſibimet cauſam mortis inferendo, mortua eſt, irregularis manſerit: *Quia deliquit multum alienum officium vſurpando, quod ſibi minimè congruebat*: ergo. Sic ex Nauarr. *in Summ. c. 27. à n. 228. & in commento de furto in c. fin. 16. à n. 14* Couarru. *in Clem. ſi furioſus, 2. p. § 4. num. 3. & 10.* & Corduba *lib. 2. quaſt. 26. col. 5.* do et Auila *p. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 2.* Qui e (inquit) in cap. *Tua nos, de homicid.* iudicatur irregularis quidam Monachus Chirurgiæ peritus, qui tumorem gutturis fœminæ ferro aperuit, ex quo mortua eſt, quia vero ſe expoſuit, contra prohibitionem Monachi: & tamen ſi eſſet Chirurgus laicus non maneret irregularis. Ita Auila. Quibus addit Diana (vbi infra) Molinam *tom. 4. tract. 3. diſp. 75. n. 3.* Suarium *diſput. 45. ſect. 4. n. 10.* Filliuciū *tom. 1. tract. 20. c. 4. n. 74.* Luyſium Turr. *lib. 9. diſput. 68. dub. 1.* Sayrum *lib. 7. cap. 5. num. 13.* (ſed hic non benè citat locum, vt infra) Layman *ſect. 5. tract. 3. p. 3. c. 10. num. 3.* Bonacinam *de cenſur. diſp. 7. quaſt. 4. punct 7. n. 9.* & Villalob. *tract. 21. diff 23 n. 8.* quos ſequitur ipſe Diana *p. 4. tract. 2. Reſol. 33.* ſed ex his non benè citat Luyſium *loco citato*, quia id docet *diſp. 64. dub. 1.* His adhuc addi poſſunt Barboſa in cap. *Tua nos, c t* citans Bonacin. *q. 4. punct. 5. num. 4. & punct. 7. num 6 verſ. Secundus caſus.* Henriq. *lib. 14. c. 11. n. 1.* Sayrū *lib. 7. c. 2. n. 7.* vbi de hoc caſu expreſsè agit. Et Reginald. *lib. 30. n. 114* Sic etiam Palaus *de cenſur. diſp. 6 punct. 14. § 4. n. 8.* & hanc ſententiam eſſe communiorem ingenue fatetur Machado *lib. 1. p. 3. tract. 18. docum 9. n. 5.* Baunÿ *q. 19. cit. aſſert. 2. & 3.* Ex his tamen Doctoribus Suarez, Bonac. Layman, Diana, & nonnulli alij id in noſtro affirmant caſu, licèt generaliter loquendo, vt vidimus, negent incurri poſſe irregularitatem ob homicidium inculpatum priuata authoritate commiſſum: quia hic caſus (aiunt) eſt in iure expreſſus, & continet exceptionem à regula generali.

Ego autem, quamuis non probabilius, magis tamen conſequenter ad doctrinam nuper traditam, Reſpondeo: Prædictum Monachum, aut in Sacris Clericum, non fieri in dicto caſu irregularem. Ratio ſit, Quia, vt contrahat quis irregularitatem homicidij, neceſſium eſt, vt admittat culpam mortalem homicidij, vt *q. 7.* eſt habitum: at ſic eſt, quod in caſu noſtræ quæſtionis nullam mortalem culpam homicidij commiſit Monachus, cum adhibuerit ſufficientem diligentiam in eo cauendo: ergo quamuis commiſerit culpam aliam contra Religionem, aut aliam virtutem, propter vſurpationem officij ſibi prohibiti, non poterit contrahere irregularitatem homicidij, cum ibi nullum fuit commiſſum à Monacho: ſicut nec fuiſſet commiſſum à laico, vt contrarij fatentur, ſi eamdem omninò actionem, & eodem modo exercuiſſet. Sic docent Ægidius *de Sacram. diſp. 18. dub. 9. num. 83. & 87.* Sotus *lib. 5. de Iuſtit. q. 1. art. 9.* Gaſpar Hurtad. *diſp. 2. diff. 8. num. 18.* & clarius *diff. 11. num. 43.* Præpoſit. *in 3. p. q. 5. de Irregularit. dub. 10. num. 86.* & latè Gibalinus *c. 4. de Irregularit. q. 2. n. 8. in expoſit. ſecunda regula, & conſect. 1. verſ. Difficilis videtur, & conſect. 11. verſ. Tertia, pag. 199.* Et hanc ſententiam eſſe ſatis probabilem, apertè defendit Diana, & cum illo Machad. *loco citato.* Citat etiam Baunyus pro noſtra ſententia Henricum Henriq. *lib. 14. cap. 3. § 7. & c. 15. § 1. 2. 3. & 4.* & Layman. *lib. 3. cap. 4. n. 4.* Et benè, quia id ipſum docet *loco cit.* à contrariis pro ſua ſententia.

Ad textum in cap. *Tua nos*, quem nobis contrarij obiiciunt. Reſpondeo dicendum, quod in illo capite non definitur, Monachum eſſe irregularem, ſed potius indicetur contrarium. Nam primò Pontifex ait, illum grauiter deliquiſſe alienum officium vſurpando. Secundò, quod nihilominus, ſi pietate, non cupiditate ductus id fecerit, & peritus Chirurgiæ fuerit, omnémque ſtuduit, quam debuit, diligentiam adhibere: *Non eſt ex eo quod per culpam mulieris, contra conſilium eius accidit, quod non poſt ſatisfactionem condignam c m eo miſericorditer poſſit agi, vt diuina valeat celebrare.* Tertiò ait Pontifex, talem Monachum, ſi non adhibuiſſet ſufficientem diligentiam, aut ſi imperitus artis fuiſſet, ab omni Sacerdotali officio ex rigore iuris remouendum eſſe: *Alioquin* (inquit Pontifex) *interdicta eſt ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.* Ex quibus manifeſtum fit, Monachum iſtum non eſſe irregularem, quia eius culpâ non contigit homicidium, quamuis peccarit alienum officium vſurpando. Si autem eius imperitiâ, vel negligentia contigiſſet mors mulieris, ex rigore iuris futurum fuiſſe irregularem. Quare tantum abeſt, vt ex eo capite aliquid in ſuam ſententiam ſumere poſſint contrarij, vt potius illo impugnentur: vt quid enim poſuit Pontifex particulam illam aduerſatiuam, *Alioquin & iuris rigorem*, poſtulare dixit interdictionem Sacrorum, ſi imperitia, vel incuria peccaſſet curando illa gutturis ſtruma, indeque fuiſſet ſequuta mors, quandoquidem etiam omni cura, & peritia adhibita volunt aduerſarij iſtum Monachum ex iuris rigore eſſe irregularem, atque omni Sacerdotalis officij executione prohibitum eſſe. Hæc omnia, & plura Gibalinus *conſectar. 1. citat. pag. 175.* Legatur.

Nec rurſus multùm contra nos obſtat inſcriptio dicti capitis, vbi expreſsè dicitur, talem Monachum fuiſſe irregularem. Tum quia inſcriptio capitum iuris non facit ius, cùm ſit extra illud. Tum etiam, quia inſcriptor vſus fuit in tali ſubſcriptione opinione communiori, & ſatis probabili tantum.

QVÆSTIO X.

An prohibitum ſit Monachis, & Clericis Sacris initiatis mederi incidendo, vel adurendo, vrgente neceſſitate, vt tempore peſtis, quando non eſt alius qui hoc munus præſtet.

Affirmarunt aliqui Iuriſperiti, vt refert Molina vbi infra, exiſtimantes, prohibitum eſſe Monachis, & Clericis in Sacris mederi incidendo, & adurendo, etiam vrgente neceſſitate, per cap. *Sententiam. N Cler. vel Monach* & per cap. *Tua nos, cit.* ac proinde ſubſequuta ex tali actione morte, irregulares eſſe. Et horum ſententiam eſſe probabilem apertè inſinuat Sayrus *lib. 6. c. 6. num. 10. verſ. Quando autem.*

Sed vt certum Reſpondeo: Non eſſe illis id per ius prohibitum: ideóque nec peccare, vrgente neceſſitate, inciſione, vel aduſtione curando, nec incurrere irregularitatem, etiam morte ægroti ſequuta, abſque culpa graui curantium. Quia non erat conueniens, nec decens, ob opus aliàs debitum iure naturali, & charitatis, præceptum, & irregularitatem imponere. Sic optimè, & latè Molina *tom. 4. de Iuſtit tract. 3. diſp. 75. n. 3.* Henriq. *lib. 14. c. 11. num. 1. lit. H.* Sayrus *loc. cit.* Auil *p. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 10. poſt concl. 2. verſ. Tertiò ſupponendum eſt.* Bonac. *q. 4. puncto 5. num. 4 verſ. Addo.* Rodrig. *in Sum. 1. p. cap. 177.* Barboſa *in cap. Tua nos, de homicid. num. 3.* Diana *p 4. tract. 2. Reſol. 23.* Palaus *diſput. 6. punct. 15. § 4. num 8.* Machado *lib. 1. Summ. part. 3. tract. 18 docum. 9 num. 6.* Gibalinus *cap. 4. quaſt. 2. conſectar. § 11. verſ. Quartò,*

vrgente neceſſitate, *pag.* 199. & Pellizz. *ſect.* 4. *cit. quaſt.* 40. *n.* 213.

QVÆSTIO XI.

An ſi Monachus, aut Clericus in Sacris exercerent artem Chirurgiæ incidendo, aut adurendo, extra caſum neceſſitatis, cum ignorantia inuincibili huius prohibitionis, peccarent, & incurrerent irregularitatem, morte ægroti ſequuta.

RESpondeo: Quod non. Quia ſicut ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, ita & à pœna, quæ ob peccatum imponitur. Sic Diana & Machad. *loc. cit.* qui & citant Vaſquez, Luyſium, & Molin. *loc. cit.* ſed certè Molina, quem accuratè legi, id ibi non docet; benè tamen alij. Legantur dicta à nobis *tract.* 1. *diſp.* 4. *q.* 3. *& ſeq.*

QVÆSTIO XII.

An prohibitum ſit Monachis, & Clericis in Sacris, per cap. Tua nos, ***applicare emplaſtrum mollificatiuum, quo apoſtema ſeſe aperit, aut aperire carnem cauſtico.***

RESpondeo: Quod non. Quia hæc actio non eſt propriè aduſtio, ſed inciſio. Sic Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 75. *n.* 4. *verſ. Illud admonuerim*, vbi ſic ait: eadem ratione dicerem, neque carnis apertionem cauſtico, neque tumoris, ſeu apoſtematis apertionem mollificatiuo aliquo, aut emplaſtro, quod vim aperiendi habeat per ſeipſum, abſque alia inciſione, aut aduſtione eſſe computanda inter eos Chirurgiæ actus, qui inciſione, aut aduſtione fiant: quoniam propriè, atque in rigore, neque inciſiones ſunt, neque aduſtiones: eaque de cauſa cenſeri non debent prohibita conſtitutis in Ordinibus Sacris: quippe cum pœnæ, ac odia reſtringenda ſint, & non amplianda. Hæc Molina, quem ſequuntur Diana *p.* 4. *tract.* 2. *Reſol* 33. *verſ. Non deſinam.* Gibalinus *c.* 4. *de Irregul. q.* 2. *conſect.* 11. *verſ. Secundò obſeruandum, pag.* 199. Rodriguez *prima parte, c.* 177. Bonac. *diſp.* 7. *q* 4. *punct.* 5. *n.* 5. *verſ. Secundò ſequitur*, & alij, quos ſequitur Pellizz. *n.* 214. Ex quo optimè inferunt, nullo modo fieri irregularem Monachum, aut Clericum dictas actiones circa aliquem ægrotum exercentem, etiamſi mors inde ſequatur abſque culpa graui ipſorum.

QVÆSTIO XIII.

An venæ ſectio ſit Monachis, & Clericis in Sacris prohibita per d. cap. Tua nos, de homicidio.

AFfirmant aliqui: Eo quòd illa ſectio venæ videtur inciſio quam vt vidimus prohibet d. cap. *Tua nos*. Ita Bonac. *loc. cit. verſ. Quartò*, vbi ita ait: Clericus verò Sacris initiatus, ſciendendo venam ad emittendum ſanguinem, fit irregularis, ſecuta morte: quia propriè dicitur incidere. Ita Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 1. *ante* 1. *concluſ.* & alij, contra Rodriguez & Molinam, & alios, exiſtimantes, non fieri irregularem, eo quòd aperire venam ſit proprium tonſorum, non verò Chirurgorum, & Clericis non ſit vetitum artem tonſorum ſub irregularitate exercere, ſed artem Chirurgorum, ſcindendo, vel adurendo. Sed hæc ratio mihi non probatur, exiſtimo enim, opus ſcindendi venam propriè pertinere ad Chirurgum, quamuis hoc tempore præſtetur à tonſoribus tanquam famulantibus, & inſeruientibus Chirurgis, ſeu in defectum Chirurgorum. Hæc ille.

Sed probabilius. Reſpondeo: non eſſe prohibitum per d. cap. *Tua nos*, Monachis, & Clericis in Sacris, aperire venam ad emittendum ſanguinem, & ideò minime fieri irregulares, etiamſi extra caſum neceſſitatis id facerent, & ſequeretur ægroti mors, abſque culpa tamen graui curantium. Quia probabilius eſt, per prohibitam Monachis, & Clericis inciſionem, non intelligi apertionem venæ ad mittendum ſanguinem. Sic Molina *loco citato*, *num.* 4. ita ſcribens: Illud admonuerim, venæ apertionem, non eſſe Chirurgiæ actum, ac proinde nec iure inueniri prohibitum initiatis Ordinibus Sacris. Nec enim actus ille ad Chirurgos ſpectat, ſed ad tonſores, qui ad præſcriptum Medicorum, ac Chirurgorum venas ſcindunt ad ſanitatem inducendam. In pœnalibus autem, & odioſis, vt ſunt prohibitiones, quæ irregularitatem inducunt, facienda non eſt extenſio, argumento à paritate; quin neque à maioritate rationis eorum, quæ diſpoſita comperimur in iure. Huc vſque Molina, cuius opinionem vt æquè probabilem tenent Diana *quarta parte, tractat.* 2. *Reſolut.* 24. & Machado *libro primo, part.* 3. *tract.* 18. *docum.* 9. *num.* 8. & vt probabiliorem Rodriguex *cap.* 177. *citat. num.* 9. Gibalinus *cap.* 4. *q.* 2. *conſect.* 11. *verſ. Secundò obſeruandum eſt, pag.* 199 & vt probabile ſequitur Pellizzar. *ſect.* 4. *cit. q.* 44. *n.* 213.

QVÆSTIO XIV.

An prohibitum ſit dictis Clericis, aut Monachis conſulere, aut imperare; vt alicui cauſa ſanitatis, membrum aliquod abſcindatur, aut comburatur.

RESpondeo: Non eſſe illis id prohibitum. Ratio eſt. Quia ius in cap *ſententiam ſanguinis*, ſolùm prohibet Clericis, ne per ſe ipſos exerceant Chirurgiæ actus, qui ſint inciſio, & aduſtio: ergo non prohibet illis præbere conſilium, aut præcipere, vt per alios exerceantur. Patet conſequentia, tum quia pœnæ, & odia reſtringenda potius ſunt, quàm amplianda. Tum etiam, quia pœna, aut prohibitio alicuius operis nunquam extendi debet ad conſulentes, & mandantes, niſi lex id ipſum exprimat. Sic Henriq. *lib.* 14. *cap.* 11. *n.* 1. *ſub litt. H*, Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 75. *num.* 5. Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 10. *poſt* 2. *concl. verſ. Quarto ſupponendum eſt.* Diana *p.* 4. *tract.* 2. *Reſol.* 33. Gibalinus *loco citat. verſ. Tertiò non prohibetur.* Bonacina *diſp.* 7. *quaſtione* 4. *punct.* 5. *numer.* 5. *verſ. Tertiò*, *& verſ. Quarto*, & Pellizzarius *ſect.* 4. *citata quaſt.* 41. *numero* 214.

QVÆSTIO XV.

An Clericus in Sacris conſtitutus, ſeu Monachus exercens officium Medici, ſeu Chirurgi, abſcindendo, vel adurendo, ſecundùm regulam artis, membrum alicuius ægroti, ſanitatis cauſa, incurrat irregularitatem, ſi mors non ſequatur, ex ea ſaltem actione.

AFfirmare videtur Suarez *diſput.* 47. *ſect.* 7. *in fine*, *num.* 4.

Sed probabilius longè Reſpondeo, Non incurrere. Quia quamuis tunc dictus Clericus faciat contra legem Eccleſiaſticam id ſibi prohibentem; nibilominus

lominos non incurret irregularitatem ex ea abſciſſione, vel aduſtione membri; cùm irregularitas non conſurgat ex quacumque mutilatione, ſed ſolùm ex ea, quæ dirigitur ad priuationem membri, & ex coniuncta cum defectu lenitatis, vt eſt illa, quæ fit à Iudice, vel Miniſtro iuſtitiæ. Ex ea verò mutilatione, quæ ordinatur ad conſeruationem vitæ totius, non incurritur irregularitas, dummodò Clericus adhibuerit debitam diligentiam, nec mors ex dicta mutilatione, aut aduſtione ſequuta ſit, quamuis alias ex alia cauſa æger interierit, vt v. g. propria intemperantia, &c. Sic Bonac. *num. 5. cit. verſ. Quares primò.* Et anteà Henriq *lib. 14. c. 11. n. 1. litt. I.* his verbis: At reuera ille Clericus Chirurgiæ peritus, qui propria manu ſecuit membrum, licèt peccet contra iuris præceptum (ſi aderat alius laicus peritus, qui id facere poſſet) non tamen fit irregularis, nec eſt mutilator voluntarius anctoritate publica, ſed ſanator. Hæc ille, qui & citat Sorum, Victor. Canum, Pennam, & alios. Sic etiam Auila *loc. cit. concluſ. 3. & 5.* vbi citat Couarr. *loc. cit. num. 3. verſ. Primum ad prioris*, circa finem. Diana *part. 4. tract. 2. Reſol. 23. in fine.* Gibalin. *c. 4. quæſt. 2. conſectar. 11. prope finem, verſ. Secunda* Citat etiam Bonacina pro hac parte Sayrum *lib 6. c 6. num. 11.* Sed non benè. Pellizzar. *tom. 4. tract. 7. c. 5. ſect. 4. quæſt 41. num. 214.* & alij.

Qvæstio XVI.

An Clericus, ſeu Monachus adiuuans Chirurgum ad abſcindendum membrum infectum ægroti ob eiuſdem ſanitatem, incurrat irregularitatem.

Affirmandum videtur. Quia qui cooperatur iuſtæ ſententiæ mortis, vel mutilationis, fit irregularis, vt *vt ſupr. diſp. 7. q. 23. & ſeq.* eſt habitum: ergo etiam fiet, qui cooperatur iuſtæ abſciſſioni à Chirurgo factæ.

Sed omninò Reſpondeo: Non incurrere irregularitatem. Quia ſi Chirurgus qui eſt principalis, nullam incurrit irregularitatem: nec cooperans, aut adiuuans, etiamſi ſit Clericus, illam incurret, præcipuè cùm nulli Clericis ſit prohibitum adiuuare Chirurgum ad abſcindendum, ſicut prohibitum eſt per ſeipſos abſcindere. Sic optimè meus Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 217. in fine*, vbi id ſequentibus rationibus probat. *Tum* videlicet, quia rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, *c 2. de Conſtitut.* Et quod, præfatus actus iuuandi eſt bonus iuxta illud Apoſtol. *ad Galat. 6. Alter alterius onera portate.* *Tum* quia nullo iure cauetur, quod iuuans Chirurgum incurrat irregularitatem abſque ſua culpa, propter mortem, vel mutilationem, *cap. Ad aures, de ætate, & qualit. cap. Tua, de homicid.* cum eis annot. per Innocent. receptum. De iouante autem Iudice ſic, *cap. Sententiam ſanguinis. Ne Clerici, vel Monachi.* Et ad oppoſitum, cui nullibi reſponſum memini, reſpondetur negando in vtroque caſu eandem rationem idem ius dictare: quoniam iudex damnans aliquem vt mutiletur, & is qui eum quoquo modo ad mutilandum reum iuuat, licèt moueantur ad id virtute iuſtitiæ; finis tamen eorum eſt vindicare, & actum terrorem, & horrorem inentientem facere, vel ad illum iuuare: Chirurgus autem volens mutilare, & qui eum iuuat, mouentur miſericordia, & pietate ad ſanandum ægrotum: & Eccleſia induxit irregularitatem ob homicidium, & mutilationem ad aſſimilandum Chriſto mitì, & manſueto miniſtros eius, qui mites eſſent, & non crudeles, nec ſimiles crudelibus, quales ſunt etiam qui iuſtè occidunt, vel mutilant, iuxta *cap. Non eſt crudelis, qui crudeles iugulat, ſed crudelis ideò vocatur, quia crudelis patientibus eſſe videtur. Nam latro ſuſpenſus patibulo crudelem iudicem putat, 23. q. 5.* Chirurgus autem, & qui iuuat illum, miſericordia, & pietate moti nec ſunt crudeles, nec ſimiles crudelibus, & ita longè diuerſa ratio induxit Eccleſiam ad conſtituendum iudicem etiam iuſtè iudicantem, & iuuantem eum irregularem, quàm Chirurgum, & eum iuuantem. Ex quibus infertur idem eſſe iudicandum de Medico, & iuuante illum. Hucvſque Sapientiſſimus Nauarrus, qui poſtea idipſum docuit *conſil mihi 22.* Auilæ 18. *de homicid.* eumque ſequuntur Auila *p. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 10. concl. 2.* Molin. *tom 4. tract. 3. diſp. 75. n. 1.* Conar. *in Clem. Si furioſus, 2. p. § 4. n 6.* Henriq. *lib. 14 c. 11. n. 1.* Sayr. *lib. 6. Theſauri cap. 18. n. 27. & 28.* Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 5. n. 6.* Gibal. *c. 4. q. 2. conſectar. 11. verſ Decimo, pag. 169.* Suar. *diſp. 47. ſect. 7. n. 2.* & Pellizzar. *ſect. 4 cit. q 43. n. 217.*

Qvæstio XVII.

An laicus exercens Chirurgiam, aut Medicinam ſecundum regulas artis, fiat irregularis.

Reſpondeo, vt certum: Non fieri irregulatem, etiamſi membrum aliquod abſcindat, vel aduret, ſanitatis cauſa. Quia nullibi in iure eſt hæc ars laicis prohibita. Rurſus in dicta abſciſſione, vel aduſtione non deeſt lenitas, aut manſuetudo, cum abſcindatur pars, vt totum ſeruetur, quod totum ex ſupradictis conſtat: ergo. Sic omnes. Legantur Maiolus *lib. 2 c. 12. à n. 1.* Nauar. *c. 27. n. 219.* Suarez *diſp 47. ſect. 7.* Auila *p. 7. diſp. 6 ſect. 1. dub. 10.* Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 5. n. 1.* Gibalin. *c. 4. de Irregul q. 2. conſect. 11. n. 25 & ſeq* præcipuè *verſ. Decimoquarto*, & alij apud Sayr. *lib. 7. c. 4. n. 5.*

Qvæstio XVIII.

An vt laicus Medicus incurrat irregularitatem, abſcindendo, vel adurendo, aut alio modo medendo ægroto, ſit opus, vt mors eiuſdem ægroti, ex culpa orta ex imperitia, aut negligentia Medici, eueniat?

Reſpondeo, vt certum: Opus eſſe, vt ex culpa graui Medici mors ægroti ſequatur, vt ille irregularitatem incurrat. Nam hæc non incurritur à Medico laico, imò neque in noſtra opinione, à Clerico, niſi interueniente culpa mortali. Itaque Medicus, cuius culpa ægrotus interiit, verè eſt irregularis ex delicto homicidij iniuſti, & ideo non poteſt ad Ordinem promoueri. Secus verò, ſi nulla ipſius culpa graui mortuus eſt. Sic communiter D D. & res. Legantur citati. Et, ea, quæ à nobis *ſup. à q 7.* dicta ſunt.

Qvæstio XIX.

An ſi Medicus, vel Chirurgus dubitet, vtrum eius negligentia, aut imperitia fuerit aliquis infirmus mortuus, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines promoueri?

Reſpondeo: Non poſſe Quia ſic colligitur ex *c. Ad aures, de ætat & qualit. Ordin.* vbi Pontifex Canonicũ, qui Medicinam exercuerat, poſſe ad Ordines promoueri, dixit, *niſi ipſum conſcientia remordeat, vt ſua*

ſua culpa alicui necem attulerit. At ſic eſt quod illum, qui dubitat, an ex eius graui imperitia aut negligen- aliquis mortuus ſit, verè conſcientia remordet talis necis, & homicidij: ergo, ſtante tali dubio, nequit ad Ordines promoueri. Sic innuit Maiolus *lib.2.c.12. à n.1.* & tenent expreſsè Henriquez *lib.14.c.1.n.1.in Gloſſa lit.A.* Auila *p.7.diſp.6.ſect.1.dub.10.concluſ.1.* Et ante illos Angel. *verb. Medicus, n.2.* & Silueſt. *eo verb. n.4.*

QVÆSTIO XX.

An ſaltem Medicus, ſeu Chirurgus, qui probabiliter credit, nullam per imperitiam, aut negligentiam mortis cauſam dediſſe, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines promoueri.

RESpondeo: Poſſe tunc, etiamſi ſub eorum cura multi mortui fuerint. Ratio eſt. Quia, qui probabiliter credit nullius mortis cauſam culpabilem fuiſſe, moraliter eſt certus non habuiſſe culpam in ſuo exercendo munere, ex qua alicuius mors ſequuta fuerit: ergo ſecurè poterit ad Ordines ſacros promoueri. Sic expreſsè Auila *loc. cit.* Qui id colligit ex *c. Ad aures, cit.* vbi Abbas *n.1.* Anton. de Butrio *n.1.& 2.* & Silueſt. *verb. Medicus, n.4.cit.* non 8. vt citat Auila, Angel. *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO XXI.

An incurrat irregularitatem Medicus præbendo ægroto medicinam, quam neſcit, aut dubitat illi profuturam.

AFfirmant Innocent. *in c. Tua nos, de homicid.* & Vgolin. *c.19.§.1.& §.2.n.6.* exiſtimantes peccare mort. & incurrere irregularitatem, ſecuta ex tali medicina ægroti morte.

Sed clariùs Reſpondeo: Peccare quidem Medicum, & incurrere irregularitatem, applicando ægroto medicinam, ſeu remedium, de quo dubitat, an profuturum, vel nociturum ſit, quando ſalus infirmi nondum eſt deſperata. Nam fieri poteſt, vt infirmus, propter illud pharmacum decedat ex hac vita. Quando verò ſalus infirmi iam deſperata eſt, Medicus nec peccat, nec fit irregularis præbendo pharmacum, de quo dubitat, an ſit profuturum, vel nociturum, ſi non habet aliud opportunius remedium: quia in hoc caſu prudentius operatur applicando remedium aliquod cum ſpe ſalutis quàm relinquendo infirmum in ſtatu deſperatæ ſalutis. Sic Bonac. *diſp.8. quæſt.4. punct.5.n.3.* & penes ipſum Sayrus, Valentia, Corduba, & Sanchez, & nouiſſimè Gibalinus *cap.4. de Irregul. q.2. conſect.11. verſ. Quintò, pag.144.* Lege Nauar. *c.25.n.60.*

QVÆSTIO XXII.

An maneat irregularis Medicus, qui ignorans effectum morbi alicuius, illum nihilominus curandum ſuſcipiat, & ad id medicamenta adhibet.

RESpondeo: Manere irregularem, ſi eius errore moriatur æger. Quia eiuſdem ægroti mors ſequuta, ſine dubio fuit, ex imperitia, & temeritate Medici, cum temerarius ſit qui ſuſcipit rem periculoſam, qualis eſt curatio morbi incogniti. Vnde bene Auicenna conſulebat ægritudinem incognitam committere naturæ, & non præproperè aliquid circa illam moliri: quoniam, inquiebat, aut natura ſuperabit ægritudinem, aut faciet illam innoteſcere. Sic Gibalinus *cap.4. quæſt.2. conſectar.11. num.27. verſ. Primò igitur.*

QVÆSTIO XXIII.

An etiam maneat irregularis Medicus, qui in prædicto caſu leue aliquod medicamentum præſcribit, donec morbi vis innoteſcat, ſi inde ita exacerbetur morbus, vt tandem interimat ægrotum.

RESpondeo: Non manere irregularem, ſi ita leue ſit medicamentum, aut præſidium, quod præſcribit, ex quo nullum, aut exiguum admodum damnum timendum eſſe certò ſcit, donec natura morbi innoteſcat. Ratio eſt, quia hac in re prudenter ſe gerit Medicus ſapientum dicta ſequens: nam ita explorandas eſſe affectionum proprietates dicunt, & præcipiunt Galen. de placitis Hippocratis *lib.1. c.6.* & Celſus *lib.4. cap.2.* ergo nullam culpam committit in applicatione talis medicamenti: ergo caſualis omnino erit mors, & omnino inculpabilis, ſi inde contingat: ergo ex illa non poteſt conſurgere irregularitas ex delicto. Sic Gibalinus *loc. cit. verſ. Tertiò.* Addens ex Codron. *lib.1. de Chriſtiana medendi ratione cap.1.* quod nihil oberit, quod non explorandæ affectionis cauſa, ſed vt ſolamen aliquod ægris afferat, Medicus tale medicamentum præſcribat, modò ſit certus quantum ars patitur, eiuſmodi medicamentum benignum eſſe, & nocere non poſſe.

QVÆSTIO XXIV.

An Medici, qui ægrotis deſperatis quoſlibet cibos, etiam noxios, porrigi permittunt, aut imperant, ſi inde mors ſequatur, aut acceleretur, grauiter peccent, & fiant irregulares.

RESpondeo: Et grauiter peccare, & fieri irregulares. Quia verè ſunt cauſæ proximæ mortis ægroti, aut eius accelerationis. Vnde crudelis eſt illa Medicorum pietas, quæ vt ægroto facilem ſe præbeat, illum citius interimit. Non tamen negamus, aliquando non valde lædentia ægrotis vehementer illa cupientibus indulgeri poſſe ad eorum ſolatium, vt ſe feciſſe teſtatur Galenus *lib.4. Epidem. Comm.4. tit.8.* de qua re plura congerit Codronch. *lib.1. cit. cap.8.* Sic omnino Gibalinus *cap.4. q.3. conſ.11. verſ. Septimò, pag.194.*

QVÆSTIO XXV.

An Medicus, qui renitens, ægroto vrgenti, & poſtulanti noxium medicamentum præſcripſit, fiat irregularis, ſi inde ſequatur mors.

NEgant apud Gibalinum *loc. cit. verſ. Duodecimo,* Abbas *in c. Ad aures, de ætate & qualit. Ordin. n.3.* & Angel. *verb. Medicus n.1.* Quia tunc Medicus, inquiunt, non eſt in culpa, ſed ægrotus, quia ita voluit. Sed ex his Auctoribus Angelus minime id ſenſit, nec de hac quæſtione mentionem fecit.

Affirmant è contra Vgolinus *cap.19. §.1. num.8.* talem Medicum eſſe irregularem. Quia (inquit) ſi ipſemet æger abſque neceſſitate membrum abſcidiſſet, foret irregularis: ergo & Medicus, aut Chirurgus,

turgus, qui ægroti iuſſu idem faciet, quia non plus iuris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habet: ergo idem dicendum venit in noſtro caſu

Sed clarius Reſpondeo: Cum diſtinctione dicendum, quod vel Medicus in caſu poſito videt errare ægrotum, dum Poſtulat ſibi noxium medicamentum, & tunc minimè debet erranti ægroto obtemperare, aliàs peccaret grauiter, eſſetque reus mortis, ſi accidat, & conſequenter irregularis, vt benè Vgolinus ait, & anteà Nauar. *c* 26. *n*. 61. vel Medicus dubitat an medicamentum obfuturum ſit, & illi dubitanti ægrotus dicit, ſe vel experimento illius medicaminis bonitatem comprehaſſe, vel ſibi ab alio quopiam perito fuiſſe præſcriptum: & tunc prudenter poterit, depoſito dubio practico, obſequi voluntati ægroti, quam rationabilem eſſe prudenter exiſtimat, atque ita non tenebitur de infelici illius euentu, neque propter illum fiet irregularis. Sic Gibalinus *loc. cit. verſ. Duodecimò*

Qvæstio XXVI.

An ſi Medicus, qui nec publico, nec priuato ſtipendio eſt conductus, nolit curare ægrotum, & ob id hic moriatur, peccet mort. & maneat irregularis.

Reſpondeo: Peccare mort. contra charitatem, ſi credat probabiliter ægrotum moriturum, & non ſit alius Medicus qui eum mederi poſſit: Sed non manere irregularem. Ratio eſt. Quia licèt Medicus in dicto caſu concurrat per talem omiſſionem, in puram negationem curandi, ad peccatum omiſſæ charitatis, non tamen concurrit ad homicidium, quod neceſſum eſt ad incurrendam irregularitatem. Sic S. Anton. quem citat, & ſequitur Nauar *in Sum. c*. 25. *in fine*. vbi ſic ait: Septimò peccat qui non vult gratis mederi pauperi ægroto, iuxta gloſſ. celebrem & recept. *in Sum*. 83. *diſt*. & S. Anton. *vbi ſup*. & alios. *verb. Medicus*. Quod in noſtra ſententia reſtringendum eſt ad eum, qui credit illum probabiliter moriturum, niſi ei medeatur, & non eſt alius, qui id faciat. &c. Sic ille ibi, & *cap*. 27. *n*. 251. *verſ. Decimonone*. Et Sic Maiolus *lib*. 2. *c*. 12. *n*. 3. & 4. & *lib*. 5. *cap*. 48. §. 5. *num*. 4. cum aliis communiter.

Qvæstio XXVII.

An ſaltem ſi Medicus, qui publico, vel priuato ſtipendio conductus eſt, nolit aliquem ægrotum curare, maneat irregularis, ſi ob id mors ei contingat.

Affirmant communiter DD. Quia qui ex iuſtitia tenetur necem alterius impedire, & non facit, ſi ex tali defectu mors ſequitur, reus eſt homicidij, cum ad illud influat, vt vera cauſa, priuando morituum re ſibi debita, nempe auxilio, aut ope, quam tenebatur ei non negare: at ſic eſt, quod Medicus tenetur ratione ſtipendij, ex iuſtitia curare dictum ægrotum: ergo ſi ex negligentia, aut alia voluntaria cauſa id omittit, irregularis debet cenſeri. Ita tenent Maiolus *lib*. 2. *cap*. 12 *à num*. 3. & *lib*. 5. *c* 48. §. 5. *n*. 4. Toletus *lib*. 1. *c*. 29. *verſ. Rurſus tertiò*, & *verſ. Idemque dicendum*, Henriq. *lib*. 14. *c*. 11. *n*. 7. Summa Aſtenſ. Summ. Confeſſorum, Silueſt. & Armilla, quos omnes refert, & ſequitur Saytus *lib*. 7. *c*. 4. *n*. 5. Quibus addi poſſunt Bonac. *de Cenſur. diſp*. 7. *quaeſt*. 4. *punct*. 8. *num*. 37. & *ſequenti*, & apud ipſum Suarez *diſp*. 45. *ſect*. 4. *num*. 5. Nauarr. *cap*. 27. *n*. 232. Filliucius *tract*. 20. *cap*. 4. *quaeſt*. 9. & 10. Reginald. *lib*. 30. *n*. 145. & 168. & *ſequent*. Ita etiam Auila *part*. 7. *diſp*. 6 *ſect*. 2. *dub*. 7. *concluſ*. 2. & expreſsè loquendo de noſtro caſu ibi, *verſ. Sequitur tertiò*, vbi ita ait: Sequitur tertiò, quod ſi Medicus non ſtipendiatus omittat curare infirmum, ex quo moritur, non manet irregularis; ſecus verò ſi erat ſtipendiatus vel ab illo infirmo, vel ab oppido pro incolis, quia in primo caſu tantum agit contra Charitatem, in ſecundo verò agit contra iuſtitiam. Ita Emmanuel *c*. 173. *concl*. 3. Huc vſque ille. Bauyus etiam *tract*. 1. *de Irregul. q*. 21. *dicto* 1. *pag*. 475. Diana *part*. 4. *tract*. 2. *Reſol*. 7. citans vltra aliquos ex citatis, Mercerum *in* 1. *p*. D. Thom. *q*. 14. *dub*. 6. *ad* 2. Pannez *in* 2. 2. *q*. 6. *art* 8. *dub*. 1. *part* 2. *concl* 4 Layman. *ſect*. 5. *tract*. 3. *p*. 3. *c*. 2. *n*. 7. Megalam 3. *p. lib*. 7. *c*. 2. *q*. 5. *n*. 89. Ægidiũ *diſp*. 18. *dub*. 8 *n*. 71. Vegam en eſpejo de curas, *tom*. 2. *cap*. 12. §. 26. *n*. 274. & Villalobos *tom*. 1. *tract*. 21. *diff*. 22. *n*. 16 Ita etiam Gibalinus *c*. 4. *q*. 2. *conſect*. 11. *verſ. Sextò Medicus, pag*. 149. & antea *c*. 4 *q*. 1. *conſect*. 13. *à n*. 34. Dicaſtillo *tom*. 1. *de Iuſt. lib*. 2. *diſp*. 50. *dub* 14 *n*. 200. & alij.

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Non manere irregularem, etiamſi contra iuſtitiam peccet, & manere reſtitutioni obnoxium. Ratio eſt. Quia, qui mortem alterius non impedit, ſicut verè non necat, ita nec propriè dat cauſam homicidio, ſed tantum per accidens, non prohibendo: ergo dictus Medicus deſinens ægrotum curare, nequit incurrere irregularitatem, quæ veros ac proprios homicidas afficit. Sic in primis tenet P. Gabriel Vaſquez, quem ſequitur Luyſius Turrian *lib*. 9. *de Cenſur. diſp* 63. *dub*. 5. (non 3 vt leges apud Gibalinum, Dianam, & Baunium) vbi ita ex aliis id probat. Quia talis, licet peccet contra iuſtitiam, tamen non dicitur in iure propriè occiſor, neque dicitur propriè cauſam dediſſe homicidio, ſed tantùm eſt per accidens, non apponens prohibens. Item ſicut non diceretur excommunicatus, qui ex iuſtitia tenebatur impedire Clerici percuſſionem, & non impediuit, niſi eſſet expreſſum *in c. Quanta, de ſentent. excommun*. Ita non eſt dicendus ille irregularis, &c. Item, quia licèt peccet contra iuſtitiam non impediens; tamen non debet puniri eadem pœna cum ea, qua punitur ille, qui poſitiuè operatur. Vnde ſicut in iure non dicitur fur, qui non impedit furtum: ſic etiam non dicitur homicida, qui non impedit homicidium. Et ita ſenſit P. Vaſquez *manuſcripto tract. de Irregular* Sic ille. Et poſtea Gaſp Hurtad. *diſt*. 2. *de Irregularit. diff*. 9. *num*. 34. Ioan. Præpoſitus *in* 3. *part. q*. 5. *de Irregularit. dub*. 10. *num*. 79. Quorum ſententiam eſſe probabilem ingenuè fatentur Ægidius, Diana, & Baunyus. Et merito, cùm illam antea docuerint Doctiſſimi viri. Tabiena *verb. Irregularitas* 1. §. 2. D. Anton. 3. *part. tit*. 28. *cap*. 2. Armilla *verb. Irregularitas*, *n*. 2. Et nouiſſimè eam tenet Cardin. de Lugo *tom*. 1. *de Iuſt. & iure diſp*. 10. *ſect*. 11. *n*. 19. Quia in iure, ait, non eſt expreſſa irregularitas pro his, qui non impediunt homicidium, cum impedire deberent: ergo illam non incurrunt.

Vnde ad argumentum contrariorum patet ex dictis. Neganda enim eſt illis maior. Quia vt concurreret, vt vera cauſa ad homicidium, ex quo oritetur irregularitas debebat concurrere poſitiuè influens in illud, vel facto aliquo, vel mandato, conſiliòve, &c. in Medico autem, aut in quocumque alio, qui ſolùm permittit ægrum mori, nullum reperitur factum, quapropter à pura permiſſione tantum nulla poteſt naſci irregularitas.

QVÆSTIO XXVIII.

An peccent, & ſint irregulares Medici, Aromatarij, & Pharmacopolæ, qui medicamenta corrupta, aut ſuppoſititia præſcribunt, aut præbent, ex quibus ægroti mors ſequitur.

RESpondeo, vt certum: Et peccare mortaliter, & eſſe irregulares. Quia verè, & poſitiuè ſuo facto, concurrunt ad necem ægroti. Sic omnes. Innoc. *in cap. Tua nos, de homicid.* & ibi Panormitan. Vgolin. *c.19.§.3.n.1.* Summ. Confeſſor. *lib.2.tit.1 q.35.* Sayrus *lib.7.c.4.n.6.* Gibal. *c.4.de Irregular.q.2.conſectar.11.verſ.Nonò,pag.196.* & Bonac. *diſp.7.q.4.punct.7.n.11.* & Suarez, & Filliuc. apud ipſum.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam manſerint irregulares Medici, caſu quo optima, & propitia medicamenta præſcripſerint; Aromatarij tamen aliquid noxium intermiſcuerunt, ex quo mors fuit ſequuta.

RESpondeo etiam vt certum: Tunc non manſiſſe irregulares Medicos, ſed ſolos Aromatarios. Quia iſti ſolummodo concurrerunt ad mortem ægroti. Sic Maiolus *lib.2.c.12.n.2.* hæc dicens: Si Medicus medicamenta facienda ritè diſpoſuerit, ſed corruptio Pharmacorum effectum noxium induxerit, non eſt hoc imputandum Medico, qui ſua diligentia vſus eſt in perſcrutandis pharmacis. Alberic. *in verb. Homicid.6.* Summ. Confeſſ. *eodem tit. quæſt.36.* Sed ipſe Aromatarius erit irregularis, quoniam legitimis, & purgatis pharmacis non eſt vſus. Sic ille. Et Panorm. & Sayrus *loc.cit.*

QVÆSTIO XXX.

An maneat irregularis infirmorum cuſtos, ſeu ſeruitor, qui contra prohibitionem Medici dat aliquam medicinam, ſeu potionem ægroto, ex qua ſequitur, aut notabiliter acceleratur eius mors.

RESpondeo, vt certum: Eſſe irregularem. Quia rei ſibi prohibitæ, & periculoſæ operam dedit, ex qua ſequuta fuit mors. Sic Couar. *in Clem. Si furioſus, de homicid. part.2.§.4.n.3. verſ. Ex his etiam.* Henriq. *lib.14.c.15.§.7.* Innoc. Socin. & Summ. Corona, quos affert, & ſequitur Sayrus *lib.7.cap.6. num.13.* Quibus addo Nauar. *c.27.n.228.* Villadiego *c.6.n.29.* Siluest. *verb. Homicid.2.q.15.* Auila *p.7.diſp.6. ſect.1. dub.8. concl.1.* Bonac. *diſp.7.q.4.punct.7.n.12.* Gibalin. *loc.cit. verſ. Idem verò*, & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An etiam maneat irregularis dictus infirmarius, ſi bona fide, aut ignorantia det aliquid ægroto, ex quo ſequuta, aut nimis accelerata fuit eius mors.

RESpondeo: Tunc non manere irregularem, ſi talis fuerit bona fides, aut ignorantia, quæ à culpa graui excuſarit infirmarium. Quia tunc verè excuſabunt eum ab irregularitate, cum hæc conſurgat à culpa, quam excuſatunt. Sic Silueſt. Nauarr. & Henriq. quos ſequitur Auila *concl.2.* Pellizzarius *tom.2.tract.7. c.5.ſect.4.q.15.n.174.* Gibalin. *loc.cit.* per hæc verba: Idem verò dicendum de miniſtrantibus infirmo, qui illi nociua, ſtolida aliqua pietate, miniſtrant, niſi enim bona fide, & ignorantia excuſentur, ſi inde mortem accelerent, ſunt irregulares: non eſt autem bona fides, quoties contra præſcriptum Medici id faciunt. Sic ille. Et idem dicendum eſt caſu, quo adſint tali facto inaduertentia, aut indeliberatio; nam hæ etiam à culpa, & conſequenter ab irregularitate excuſabunt, vt dictum eſt *ſup. tract.1.diſp.4.*

QVÆSTIO XXXII.

An maneat irregularis infirmarius, qui dat ægrotanti aliquid, ex quo parum acceleratur mors.

AFfirmatiuam ſententiam innuere videtur Bonacina *loc.cit. n.12.* eo quòd ſolùm dicat, non improbare ſententiam oppoſitam. Et certè alij hanc partem tuentur, & non improbabiliter. Legantur dicta à nobis *ſub diſp.7.à q.98.* vbi videbuntur Patroni huius ſententiæ.

Sed probabilius, iuxta ibi dicta, Reſpondeo; Non manere tunc irregularem. Quia quando acceleratio mortis eſt parua, cauſari poteſt abſque culpa graui: ergo nequit ab illa irregularis naſci. Sic Auila *part.7. diſp.6.ſect.1. dub.8.concl.1.* Henriq. *lib.14.c.15.n.5.* quos citat, & ſequitur Gibalin. *c.4.q.2.conſect.11.verſ. Idem verò, pag.194.* vbi ſic ait: Si tam parum acceleretur ægroti mors ex aliquo obſonio, vt vix aduertatur, aut ea concitatio mortis nihili fiat, non incurri hanc irregularitatem, quod iure Bonacina dixit, ſe non improbare. Ratio mihi perſpicua videtur, non enim in ea tam exigua mortis præproperæ acceleratione poteſt contingere culpa mortalis, qualem tamen ad hanc pœnalem irregularitatem requirebamus *2.part. propoſitionis*, &c. Sic Gibalinus.

QVÆSTIO XXXIII.

An qui ægrotum agonizantem, zelo pietatis, & compaſsionis adductus, in aliud latus vertit, vt citiùs moriatur, fiat irregularis, morte ſequuta.

AFfirmat Pelagius *lib.1. de planctu Eccleſ. c.48.* docens, eſſe irregularem, etiam caſu quo voluens ægrotum in aliud latus, faceret ſine culpa. Quia ad incurrendam hanc irregularitatem nullam putat eſſe neceſſariam culpam. Et ideo vetat Clericis fungi infirmarij munere.

Sed vt certum: Reſpondeo dicendum, quod voluens ægrotum in aliud latus, ex intentione accelerandi mortem, reuera peccaret mortaliter, & conſequenter ſequuta ex tali actione morte, fieret irregularis. Quia re vera reus eſſet culpæ grauis, & necis, mortiſque ægroti. Dato autem caſu, ſi poſſibilis ſit, quod vertens ægrotum ex tali intentione, vel ex inaduertentia, aut inculpabili ignorantia, nullam mortalem admitteret culpam, non foret irregularis, vt conſtat ex dictis. Vnde falſum omnino eſt dicere ad incurrendam hanc irregularitatem, nullam eſſe neceſſariam culpam. *Tum*, quia hæc irregularitas non eſt ex defectu lenitatis, quæ ſine culpa incurri poteſt. *Tum* etiam, quia ſi culpa à dicta actione abſit, nullus in ea inuenitur defectus lenitatis, cum potius adſit importuna quædam, & imprudens lenitas, pro qua nunquam fuit impoſita in iure irregularitas,

latitas. Sic communiter Doctores. Legatur Caiet. 2. 2. *q. 64. art.* 8. Henriq. *lib.* 14 *c.* 15. *n.* 5. *&* *c.* 19. *n.* 3. Auila *diſp.* 6 *ſect.* 1. *dub.* 8. Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 7. *n.* 5. Sayr. *lib.* 7. *c.* 6. *n.* 13 Nauarr. *c.* 27. *n.* 228. & alij penes ipſos. Qui bene admonent æquè liberum eſſe Clericis, atque laicis, infirmorum curam gerere abſque metu irregularitatis, ad quod ſtabiliendum ſofficiebat diſpoſitio noſtræ propriæ Regulæ ab Inoocent. III. Pontifice Maximo approbatæ, vbi *in cap. De infirmis,* ſic dicitur: *Infirmi ſeorſum dormiant, & comedant, ad quorum curam habendam conuerſus aliquis laicus, ſiue Clericus deputetur.* Sic Pontifex.

QVÆSTIO XXXIV.

An etiam manſerit irregularis Sacerdos, qui ſuo conſilio fecit, vt alij ægrum iacentem in vita conſpicatum erigerent, & dum ab illis ſuſtolleretur, mortuus eſt.

AFfirmauit Comitolus *in caſu occurrenti libro* 6. *Reſponſ. quæſt.* 52. *num.* 2. dicens, talem Sacerdotem lapſum fuiſſe in irregularitatem ex humicidio non voluntario. Idem affirmaret Pelagius, vt conſtat ex doctrina eius nuper data.

Sed vt certum Reſpondeo, Non manſiſſe irregularem. Nam in primis non manſit irregularis ex defectu lenitatis, quia (vt *ſuprà* eſt habitum) hanc non incurrunt, niſi Iudices, aut eorum Miniſtri, dum in foro ſententiam ſanguinis dicunt. Nec rurſus manſit irregularis ex homicidio inuoluntario: nam ſi hoc fuit inuoluntarium; ergo inculpabile; quia ſine voluntario culpa eſſe non poteſt: ergo neque ex caſuali homicidio, cum hoc ad inducendam irregularitatem ſemper ſupponat culpam mortalem, atque adeo rationem aliquam voluntarij. Sic in terminis docent Filliuc. *tr.* 19. *c.* 10. *quæſt.* 8. *n.* 278. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 79. *verſ. Vnde non bene.* Bauny *tract.* 11. *de Irregularit. q.* 23. *quæſit.* 11. vbi citat Auilam *p.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 2. §. 8. Sed tu lege illum *diſp* 6. *ſect.* 1. *dub.* 8. Henriq. *lib.* 14. *c.* 12. *n.* 7. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *c.* 9. *n.* 103. & Layman *lib.* 1. *ſect.* 5. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 2. Quibus addo Sayrum *lib.* 7. *c.* 6. *n.* 13.

QVÆSTIO XXXV.

An maneat irregularis ille, qui bona fide, & intentione reuoluit infirmum, exhibet cibum & potum, & facit ſimilia, ex quibus acceleratur eius mors: vel qui eo motu ſuffocatur, vel frangitur apoſtema, vel anhelitus impeditur, &c.

AFfirmauit (vt vidimus) Pelagius *lib.* 1. *de Planctu Eccleſ. cap.* 48. Sed ſine fundamento vllo. Vnde

Vt certum Reſpondeo dicendum: Non manere irregularem: dummodo omnia hæc operetur bona fide, & cum ea cautela, & prudentia, qua accurati, & prudentes viri ſolent. Quia tunc nulla interuenit culpa, ſed potius meritum magnum, cum ſit officium, & exercitium Chriſtianæ pietatis, & charitatis: ergo nec interuenire poteſt irregularitas. Sic Bonacina *diſputat.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 12. his verbis: Verum tamen eſt, non fieri irregularem, qui tradit aliquid infirmo bona fide, vel ex præſcripto periti Medici, aut qui tradit aliqoid quod non eſt vetitum infirmo, nec dubitat nociturum: aut qui reuoluit infirmum in lecto, non vt citius pereat, ſed vt facilius ſomnum, qoietem, vel cibum capiat, etiamſi mors ex aliqua culpa acceleretur, modo non ſit culpa lata, ſeu negligentia notabilis, id eſt, modo reuoluens eam adhibuerit diligentiam, quam communiter adhibent homines illius profeſſionis. Sic ille. Et antea Auila *dub.* 8. *cit. concl.* 1. & 2. Henriquez, Reginaldus, Sayrus, Bannius *locis citatis*, Suarez. *diſp* 47. *ſect.* 7. *n.* 3. Diana 3. *p. tract.* 5. *Reſol.* 49. *&* *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 117. Gibalinus *c.* 4. *q.* 2. *conſect.* 21. *verſ. Octauò, pag.* 195. Filliuc. *loc. cit.* & alij.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſi quis ad iram prouocet ægrum, aut ad triſtitiam excitet, vel ſinat è lecto ſurgere, vel domo exire, aut circa feneſtram ſtare, fiat irregularis, ſi inde ſequatur, aut acceleretur mors.

AD hanc quæſtionem reſpondet Gibalinus *loc. cit.* vix talem fieri irregularem; quia vix vnquam peccabit mortaliter miniſtrans. Et licèt benè id dicat

Clarius tamen, & diffuſius Reſpondeo dicendum cum Sayro *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. hoc modo. Si in his omnibus, & ſimilibus non ſit euidens, aut notabilis negligentia, qualis eſſet, ſi aliquid ſcienter, contra præcepta Medici, ægroto porrigeretur, aut qualis eſſet notabilis motus, quo ægrotus ad iram, vel triſtitiam commoueretur; & qualis eſſet, ſi cuſtos infirmi vocaret minutorem, vel porrigat ei vinum, aut aquam, &c. non eſt cur irregularitas timeatur, maximè quando hæc fiunt ex obedientia Superioris, aut ex pietate, & charitate erga infirmum, & abſque vlla intentione nocendi illi: quia ad hoc, vt ſit homicidium voluntarium indirectè & caſuale, non ſufficit ex opere commiſſo, aut ex quacumque minima negligentia mortem ſubſequutam eſſe, ſed neceſſarium eſt, aliquam notabilem culpam in committendo, ex qua indirectè actus voluntarius, & peccatum mortale ſit. Sic (omiſſis quibuſdam vltrò) Sayrus *locis citatis*, & tenent omnes Doctores citati nuper.

QVÆSTIO XXXVII.

An cenſendus ſit irregularis infirmarius, caſu quo dubitet, an ex imprudentia ſua actionis mors ægri contigerit.

REſpondeo dicendum, quod in hoc caſu, conſulendus eſt peritus Medicus, quod ſi hic adiri nequeat, aut dubitet, an imprudentia fuerit grauiter culpabilis, non erit cenſendus irregularis in illo dubio facti, in quo dolus abfuit. Sic Sayrus *loc. cit.* vnde piè Molina dixit, in hac materia conſultius, ſanctiuſque eſſe, ianuam ſcrupulis non aperire. Maximè cum per epichiam ſit credendum, intentum Eccleſiæ non fuiſſe irregularitates in eiuſmodi euentibus velle incurri, nec tardos homines intendiſſe reddere ad inſeruiendum ſuis proximis, dum morbis laborant, mortique ſunt viciniores. Sic ille *tom.* 4. *de Iuſtit. tract.* 3. *diſp.* 75. *n.* 3. *col.* 961. & bene,

QVÆSTIO XXXVIII.

An in hac irregularitate poſſit etiam diſpenſare Epiſcopus.

REſpondeo dicendum, quod cum hæc Medicorum, Chirurgorum, aut infirmorum irregularitas,

latitas, non ſit ex defectu lenitatis (cum hi non ſecent membrum, aut vrant ad vindictam & punitionem delicti, & vt perſonæ publicæ, ſed vt perſonæ priuatæ, & ex pietate, & miſericordia, ad ſalutem ægrotorum) ſed ex delicto homicidij caſualis, caſu quo ægrotus ex culpa graui ipſorum decedat è vita: dicendum, inquam, eſt poſſe Epiſcopum in ea diſpenſare; nam poteſt in irregularitate orta ex homicidio caſuali, vt dicemus *infra diſputatione vltima.* Legantur Saytus *lib. 6.c.18. n.27.* & Machado *lib.1. part.3.tract.18.docum.9.in fine.*

Qvæstio XXXIX.

An etiam, Commiſſarius Cruciatæ poſsit in hac irregularitate diſpenſare.

RESpondeo: Poſſe. Quia poteſt in omni irregularitate orta ex homicidio caſuali, vt docent communiter omnes. Legatur Diana 1.*part. tract.11. Reſol.11.*& Rodriguez *in addit.* §.15.*n.2.*

DISPVTATIO X.

De Irregularitate orta ex homicidio voluntario iuſto directè volito.

Qvæstio Prima.

Quotuplex ſit homicidium.

RESPONDEO, quod duplex. Vnum iuſtum, quod committitur vel in punitionem alicuius criminis ab eo, qui ius vitæ, & necis habet (de quo iam ſupra egimus) vel in ſui, aliorúmve legitimam defenſionem (de quo infra) Alterum eſt iniuſtum, & culpabile, ſaltem ex obiecto, & materialiter. De quo nunc cum omnibus Auctoribus de illo tractantibus. Sunt autem præcipui, quos in principio *tract.1.*dedimus. Inter quos legantur Canoniſtæ, Innocent. Anton.de Butr. Panormit.*in tit.de homicid. in Decretalib.Sexto,& Clement. & in Decreto Gratiani, maximè diſt.*16 Nauar. *in Manual.c.27.à n.191. &* 204. *& in Conſiliis tit.de homicid.*Couar. *in Clement. Si furioſus,de homicid.*Maiolus *lib.5. de irregul. c.*48. Henriq.*lib* 14.*cap.*14. & alibi. Auila *p.7. diſp.6.ſect.2.* Sayt.*lib.7.Theſauri,à cap.*1.Suar.*de Cenſur. à diſp.*44. Bonacina *diſp.7.de Cēſur.q.4 punct.*8.Filliuc.*tract.*20. *de Cenſur. à c.2.* Baunius *tract.1.de Irregul.à q.16.pag.* 467.Petr.Cornejo *in 3.p* D.Th. *tract.5. diſp.1.* Caſtro Palao *de Cenſur diſp.6. à punct.*15. Luyſius Turrianus *de Cēſur.lib.9.diſp.*63.Gaſp.Hurtado *diſp.1.de Irreg. à diſp.*5.Gibalinus *de Irregul.c.4.à q.1.pag.*110.Molina *tom.4.de Iuſt.tract.3.à diſp.*3.Card.de Lugo *tom.1. de Iuſt.diſp.10.à ſect.*2 Dicaſtillo *tom.1. de Iuſt. diſp. etiam* 10 *per totam,* Villalobos *in Summ. tom.1.tract.* 22. *à diff.*18. Machado *tom 1. Summ. lib. 1. part.3. tract.16.à document.*7.& Diana multis in locis, præcipuè *part.4.tract.2. de Irregularitate, & part.5 tractat.4.de homicid.*

Qvæstio II.

Quid, & quotuplex ſit homicidium voluntarium.

RESpondeo: Quod homicidium voluntarium eſt illud, quod in ſe, vel in ſua cauſa proximè volitum eſt. Eſtque duplex, vnum voluntarium directè; indirectè aliud. Homicidium voluntarium directè eſt illud, quod expreſsè, & directè eſt volitum, & ex propoſito factum. Tale erit homicidium commiſſum à Petro animo & intentione occidendi. Homicidium verò indirectè voluntarium eſt illud, quod licet non intendatur in ſe directè, & explicitè, facit tamen aliquid, ex quo tanquam ex cauſa ſequatur certò homicidium. Tale committeret qui feriret punctim circa præcordia, vel cæſim circa caput, ſine intentione tamen occidendi; nam tunc verè cenſeretur velle mortem indirectè, illamque intendere in actu exercito. Sic optimè Nauar.*n.27.c.*240.Suarez *diſp.* 44. *ſect.1. n.*4 Bonacina, Auila, Banny, Gibalinus *loc.cit.*Dicaſtillo *loc.cit.dub.*12.&Sayr.*lib.7.c.1.n.*18.

Qvæstio III.

An homicidium voluntarium iniuſtum inducat irregularitatem.

RESpondeo, vt quid certiſſimum, Inducere. Sic definitur *in c.1. de homicid* & deſumitur ex *lib. Exodi,c.21.*vbi his verbis proponitur: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur,* & in Tridentin. *ſeſſ.14.c.7.de Reformat.& diſtinct.*50.& alibi.

Ex quibus. vt certum omnino, docent Doctores, irregulares eſſe omnes iniuſtè voluntariè occidentes, aut mutilantes, vt *infra.* Legatur Nauar. *cap.27. num.*219.Maiolus *lib.5.cap.*48. *à num.*1. Saytus *lib.7. cap.*1.Gibalinus *cap.4.q.1. n* 8. Molina *tract.3. diſp.* 76.& alij ſupra citati.

Qvæstio IV.

An vt homicidium inducat irregularitatem, debeat eſſe factum contra iuſtitiam, contra quintum Decalogi præceptum.

RESpondeo Affirmatiuè. Itaque vt quis fiat irregularis ex homicidio, neceſſum eſt, quod homicidium ſit contra quintum Decalogi præceptum, hoc eſt, contra iuſtitiam, & non tantum contra charitatem. Quare qui occidit aliquem defendendo ſe, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fiet irregularis, etiam. ſi ex ſummo odio inuaſorem iniquum occidat. Sic latè Molina *tract.3.diſp.33.memb.5.à n:4.& diſp.76.à n.3.*Sayt.*lib 7.c.1.n 4 &* 5.Gibalinus *loco nuper citato* Diana *p.4.tract.2.reſol.*72.& alij.

Qvæstio V.

An ex homicidio voluntario omnino occulto naſcatur irregularitas.

NEgauit Alphonſ. à Caſtro *lib.2. de lege pœnali, cap.vltim,concl.*3. vbi exiſtimat, nullam irregularitatem incurri ex homicidio voluntario omninò per accidens occulto; quod probari non poteſt aliter quàm ex ipſius homicidæ confeſſione. Et probatur

probatur ex *cap. Ex tenore, de tempor. Ordin.* vbi abſolutè & generaliter decernitur, occulta crimina, quantumvis enormia, non inducere irregularitatem: ergo non debet excipi homicidium.

Sed vt certiſſimum Reſpondeo: Naſci irregularitatem ex homicidio, quantumvis occulto. Quia ſic definitum fuit *in c fin. de tempor. Ordin.* & in Trident. *ſeſſ.14.c.7. de Reform. & ſeſſ.24. cap.5.* vnde poſt hoc Concil. hæc noſtra ſententia negari non poteſt. Sic Nauar. *cap.27. num.194. verſ. Sextò, & verſ. Septimò.* Maiol. *lib.5. cap.48. n.2.* Couar. *in Clement Si furioſus, de homicid. p.2 §.3. n.4.* Henriquez *lib.14. cap.3. §.2.* & Cordoba. D. Anton. Martin. de Ledeſma, quos refert & ſequitur Sayrus *lib.7. cap.1. n 6.* Petr. Cornejo *de Irregularit. diſp.1. dub.1. quæſt.3.* Gibalin. *cap.4. quæſt.1. n.8 pag.119.* & alij, quos dedimus *ſup. tract.1. diſp.1. quæſt.10.*

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ dicendum eſt, quod licèt *in d. cap. Ex tenore*, non excipiatur ab illa generali propoſitione homicidium; excipitur tamen *in cap. fin. eod. tit.* quod ius eſt poſterius, & correctorium prioris. Nam Alexand III. qui fuit auctor iuris *cap. Ex tenore*, obiit *anno* 1180. Gregorius verò IX. qui condidit ius *in d. c. fin.* obiit *anno* 1141. Sic reſpondet Cornejo, quem attentè lege propter errores typographi.

QVÆSTIO VI.

An irregularitas incurratur ob homicidium ſolùm attentatum?

AFfirmat Maiol. *lib.5. cap.48. num.3.* (non 5. vt legi apud Petr. Cornejo) vbi ita dicit: Eſt præterea hæc irregularitas tam efficax, vt ſi homicidium ipſum non ſortiatur effectum, ſed ſola vulnera fuerint illata à Clerico animo occidendi, nihilominos efficitur irregularis, cum per eum non ſteterit quin occideret. Specul. *in d. tit. de diſpenſat. §. Iuxta, verſ. Sed quid de Iudice*, & *verſ. Quando autem, & per quem.* Illa enim voluntas homicidium perpetrandi, adhibitis præparatoriis opportunis, cum actu proximo ad mortem, id eſt, cum vulneribus, inducunt irregularitatem, & neceſſaria eſt diſpenſatio. Hæc fuit originalis doctrina *in cap. Si quis poſt*, per illum textum, *diſt* 51. quem refert, ac probat Specul. *in d §. Iuxta, in d verſ. Sed quid de Iudice*, & probat Gloſſ. *in cap. Periculosè, de Pœnit. diſtinct.* 1. quæ dicit, quod Clericus tentans facere homicidium, ſi non fecit, quia non potuit, irregularis eſt. Et ante eam fuit doctrina Ioannis gloſſatoris, ibi. Eadem fuit ſententia Veruec. & Summ. Confeſſor. *lib.2. tit.1. quæſt.23.* & idem ſcripſit Nicolaus de Auximo, auctor Supplementi, *in verb. Irregularitas 1. in princip.* & ita fuit deciſum per Dominos in Rota, vt conſtat *in deciſ.* cauſarum per D. Thomam Faſtol. *cauſa* 14. Quod procedit, etiamſi non ipſe certò percuſſerit, ſed alij ſocij, vt ibi patet. Quod poteſt comprobari ratione: Nam in atrociſſimis delictis, attentatio, etiam non ſequuto effectu, inducit eandem pœnam, ſicut delictum conſummatum. Bald. *in l. ſi fugitiui, C. de ſeru. fug.* Maximè, quia in homicidio, pœna irregularitatis incurritur ipſo iure; vnde ſequitur, quod attentare, & conſummare ſint paris pœnæ. Ioan. Andr. *in cap. Perpetuò, de elect. in 6. & in Reg. in pœnis de reg. iur.* Abbas *in cap.1. de eo qui mitt. in poſſ in verſ. Ex prædictis.* Afflict. *in deciſ.* 276. Hæc omnia Maiolus.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Minimè incurri irregularitatem, ob homicidium attentatum, non ſequuto effectu. Quia ſub hac conditione adſtruunt irregularitatem iura, vt habitum eſt *ſupr. tract. 1. diſp. 1. q. 11. & 12.* Sic Suar. Vgolin. Henriquez, Auila, Filliuc. Bonac. Palao, & alij ibi citati. Quibus nunc addo Couarruuiam *in Clem. Si furioſus, 2. parte initio num.5.*) non 4. vt offendes apud Gibalinum *loc. cit. n.13 pag 121.*) qui id probat *cap. vlt. 15. quæſt. 1. cap Sicut 32 quæſt.2. cap. Cogitationis, de Pœnit. diſt.1.* Et tenent Gloſſa *in cap. Si aliquis, de homicid.* Albertus Trotius, Felinus, Hippolit. vt refert ipſe Couarr. addens Gloſſam *in cap. Periculosè, de Pœnitent. diſt* 1. Nam licèt Anan. Felin. Hippolitus, Trotius (*& Maiolus, vt vidimus*) contrariam ſententiam ſenſiſſe exiſtimarint, non tamen bene. Nam Gloſſa, ſi integrè legatur, communem opinionem probat, vt ait Couarr. Ait enim ſic: *Sed nunquid dices irregularem Clericum qui homicidium voluit facere, nec fecit, quia non potuit? Non credo quod ſit irregularis tanquam de homicidio, licèt ſit voluntarius homicida, quia lex promotionis potius opus conſiderat, quam voluntatem, 15. q. 1. cap. Si quis non iratus, 12 quæſt. 2. c. Sicut, licèt ſit homicida quoad Deum, infra eod. cap. Si cui, vbi tamen factum ſequitur, grauius eſt peccatum.* Hactenus Gloſſa, quæ manifeſtam facit pro communi opinione auctoritatem. Hæc Couarruu. Qui tamen non affert Gloſſam, quam dicit eſſe truncatam. Accipe ergo illam, quæ apud me *in cap. Per iciosè* (non *Periculosè*, *verb. Sed pœnitentia*, ita ſe habet: *Sed nunquid dices irregularem Clericum, qui homicidium voluit facere, nec fecit, quia non potuit? Irregularis eſt tanquam de homicidio, licèt non ſit homicida.* Hæc in meo codice Gloſſa, omnino contraria primæ. Vnde nil mirum ſi contrariæ ſententiæ Auctores pro ſe illam adducant. Ad illam autem communem regulam, in atrociſſimis criminibus conatum reputari pro facto, reſpondetur, veram eſſe, quoad peccatum, non quoad pœnam imponendam à Iudice Legantur Couar. Gibalin *loc. cit* & Molina *tract. 3. cit diſp. 67. col* 928.

QVÆSTIO VII.

An etiam ex iniuſta & voluntaria membri mutilatione oriatur irregularitas.

REſpondeo, vt certum: Oriri. Sic habetur expreſsè *in c. In Archiepiſcopatu, de Raptor. & in Clem. vnica, de homicid. in cap. 1. de Cler pugn. in duello, in c. Clericis, ne Cler. vel Monachi.* vbi omnes Doctores. Legantur Suarez *diſp.44. de Cenſur sect.2. à n.3.* Molina *loc. cit. n.3* Gibalin. *c.4. q.1. n.9. pag.* 119. Maiolus *lib.5. c.50.* Villalob. *tract.21. diff.19.* Machad. *lib.1. p.3. tract.19 docum.8.* Pottel. *in addit. ad dub. Reg. verb. Homicidium, n.6.* & communis.

QVÆSTIO VIII.

An irregularitas, quæ oritur ex mutilatione, ſit eadem cum ea, quæ oritur ex homicidio, aut eius quædam extenſio.

REſpondeo: Non eſſe eandem cum irregularitate homicidij, ſed omnino diſtinctam, licèt cum illa in pleriſque conueniat. Sic Suar. *loc. cit. n.3.* vbi ita ait: Si quis percutiat animo mutilandi, & non occidendi, irregularis fiet, quia talis irregularitas non incurritur titulo homicidij, ſed præcisè cauſa mutilationis, neque alia intentio, ſed dolus in iure poſtulatur. Atque ita talis caſus non eſt propriè exceptio à prædicta regula, quia hæc reuera non eſt irregularitas homicidij, ſed alia diſtincta, quæ cum illa coniungitur propter ſimilitudinem culpæ; nam licèt differant, vt perfectum, & imperfectum, in iure æquiparata

parata ſunt, quoad pœnam irregularitatis, vt Gloſſa notauit *in d.Clem.verb.Mutilat.*Hæc Suarez. Quem ſequuntur Villalob. Gibalinus, & Machado *loc. cit.* Gordon.*lib.7.q.18.num* 47.Portel.*loc.cit.*

QVÆSTIO IX.

An omnia, quæ iura diſponunt circa irregularitatem homicidij voluntarij, ſint extendenda ad irregularitatem mutilationis voluntariæ?

RESpondeo, vt certum: Quod non. Ratio eſt iam aſſignata, ea videlicet, quia irregularitas mutilationis diuerſa exiſtit ab irregularitate ex homicidio. Vnde dicendum eſt, quod illud, quod ad rigorem pertinet, & eſt impoſitum homicidio, nullo modo ſit extendendum ad irregularitatem ex mutilatione, niſi aliàs exprimatur in iure: bene tamen illud, quod pertinet ad lenitatem, vel aliquam pœnæ diminutionem homicidij; tunc enim extendendum eſt ad mutilationem: quia cum crimen mutilationis, leuius ſit crimine homicidij, iniquum foret illud acerbiori pœna plectere, quàm homicidium. Sic cenſuit Sacra Congreg. Cardin. in reſponſione quadam circa *ſeſſ.24. Trid.c.6.de Reform.* in qua negauit reſeruationem diſpenſationis irregularitatis homicidij voluntarij factam Sum. Pontifici, extendendam eſſe ad irregularitatem ex mutilatione, ſed in hac poſſe diſpenſare Epiſcopum. Sic etiam Suar. *diſp.44.ſect.2.n.4.* Gibalin.*c.4.q.1.num.9.pag.*119. Sed de hac materia rurſus tractabimus *diſp.27.* loquendo de diſpenſatione irregularitatis.

QVÆSTIO X.

An ſaltem omnia, quæ iura diſponunt circa irregularitatem mutilationis, debeant extendi ad irregularitatem homicidij.

REſpondeo dicendum, extendi debere ad irregularitatem homicidij, quidquid auſterum, aut rigoroſum eſt impoſitum, circa irregularitatem mutilationis, non verò illud, quod minuit, aut emollit pœnam huius. Ratio primi eſt: Quia quidquid conuenit parti, conuenit toti ratione ſuæ partis, atqui mutilatio ſe habet, vt pars quædam reſpectu homicidij, quod illam formaliter, vel eminenter continet: ergo. Ratio ſecundi eſt, quia diminutio, & mitigatio pœnæ circa leuius delictum, quale eſt mutilatio, non debet extendi ad pœnam criminis grauioris, quale eſt homicidium: ergo. Sic Gibalin.*c.4.q.1.n.9.verſ. Secunda regula, pag.*119.

QVÆSTIO XI.

An ad homicidium directè voluntarium committendum, cuius irregularitas ſoli Papæ eſt reſeruata, ſit opus, vt illud deliberato animo, inito conſilio, ac ex propoſito fiat.

NEgant quamplures DD. exiſtimantes, ad incurrendum homicidium voluntarium per ſe, prout diſtinguitur à caſuali, non eſſe neceſſariam expreſſam voluntatem, ſeu intentionem occidendi, ſed ſufficere virtualem voluntatem occidēdi, eſtò non fiat ex præmeditato, & ex propoſito, vt v. g. ſi quis intenderet vulnus, aut percuſſionem non mortiferam; ſi tamen de facto illatum ſit vulnus ab eo, ex quo mors euenit. Ita Couarr. *in Clement. Si furioſus part.2. in princip.* Bonacin. *diſp.7.q.4.punct.8. n.2.* Villalobos *tractat.2. diff.18.n.2.* Cornejo *tract.5. de Irregularitate, diſp.1. dub.1.quæſt.2.* Sayrus *lib.7.cap.7. num.* 8. latè Molina *tract.3.diſp.3.à col.523.& diſp.21.à col.593.& diſp.75.n.7.col.982.*

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, opus eſſe ad homicidium per ſe, & directè voluntarium, cuius irregularitas ſoli Papæ eſt reſeruata, quod fiat deliberato animo, inito conſilio, & ex propoſito occidendi. Sic colligitur ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.14. cap.7. de Reformat.* vbi in hoc diſtinguit Concilium homicidium voluntarium à caſuali, quod voluntarium ſit *per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito.* Caſuale verò, *non ex propoſito, ſed caſu*: ergo iuxta ſenſum Concilij, homicidium voluntarium, quod ſoli Pontifici eſt reſeruatum, debet eſſe illicitum, intentum, ac volitum per ſe. Vnde vt bene aduertit Diana 2.*part. tract.15. reſol.*19. verba Concilij non ſunt intelligenda, vt volunt Sayrus & alij, de homicidio caſuali non volito in ſe, ſed in ſua cauſa: ſed intelligenda ſunt de homicidio, quod caſu ſolo contingit, ad differentiam homicidij voliti ex intentione, & propoſito. Quod patet, nam Concilium ibi loquitur de homicidio occulto, cuius diſpenſatio reſeruatur Papæ, & tamen certum eſt, quod poſt Concilium poteſt Epiſcopus diſpenſare in homicidio occulto caſuali, volito non in ſe, ſed in cauſa: ergo non loquitur de homicidio, quod contingit caſu, id eſt, non ex propoſito. Ideo tenent noſtram ſententiam Luyſius *lib.9.de Cenſ.diſp.63.dub.1.* ex P. Vaſq.1.2.*ad q.71.art.8.dub.1.* circa textum, docens, quod ad hoc, vt homicidium dicatur voluntarium, neceſſum ſit, vt in illo perpetrando adſit voluntas directa, & expreſſa, & non ſufficiat, vt ſit voluntarium in cauſa. Et ad maiorem explicationem notat, poſſe in homine conſiderari triplicem voluntatem. *Vna* eſt expreſſa occidendi: & hæc ſine dubio ſufficit, ſi alia adſint. *Secunda* eſt expreſſa non occidendi, ſed vulnerandi tantum; & hæc non videtur ſufficere, vt dicatur voluntarium homicidium per ſe, vt diſtinctum à caſuali. *Tertia* poteſt eſſe voluntas vulnerandi expreſsè, nulla præmiſſa cogitatione de occiſione; & hæc etiam voluntas non videtur ſufficere, vt in hac materia dicatur homicidium voluntarium, quod videtur colligi ex Concil. Trid. *ſup.* Hæc Luyſius. Cui adde Gaſp. Hurt. *diſp.2. de Irregul. diff.5.n.16.* dicentem ex prædicto P. Vaſquio 1.2. *diſp.100. n.59.* quod tunc dicitur quis ex propoſito, & non à caſu occidere, quando quis directè intendit homicidium in ipſo, aut in cauſa cum qua homicidium inſeparabiliter coniungitur, vt quando quis alicui propinat venenum, aut apponit aliam cauſam proximam ſufficientem mortis, præuidens mortem inde euenturam: quia iſte moraliter æquiualet intendenti ex propoſito, ſeu directè mortem. Hæc Hurtad. Cuius doctrina clarior redditur tradità nuper à Luyſio. Tenent etiam noſtram ſententiam ipſemet Auctor *eademmet diſp.2.diff.20.n.66.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop.p.2. alleg.39.num.47.* quos citat & ſequitur Diana *part.4. tract.2.reſol.72.* Sà *verb. Homicidium, n.4.* per hæc verba: Homicidium voluntarium dicitur, quod per ſe, & directè intentum, ſeu ex propoſito fit: at ſecus eſt, ſi ſine occidendi intentione fiat id, vnde mors ſequi etiam vt plurimum ſoleat, & ſequatur: aut ſi quis grandi ligno, aut lapide, volens ſolum percutere, occidat. Hæc ille. Suarez etiam (apud Palaum) *diſp.44.ſect.1. num.3.* Filliuc. *tract.20.cap.1. quæſt.2.* Palaus *de Cenſur. diſp.6. punct.15. §.1. num.1.* & reputat probabile Bonacina *loc. cit.* & tenent rurſus Gomez *tom. 3. variar. cap.3.n.15.* & Machado *tom.1. lib.1. part.3. tract.16.*

docum.

*docum.7. num.2.*vbi ita ait: *Digo pues, que es opinion de graues Autores, que como el homicidio ſea voluntario, porque el que lo cometiò lo intento verdadera, y formalmente con animo de matar, en tal caſo el homicidio ſe deue tener por voluntario, en el vno y otro fuero, por ſer aſſi que el Derecho*(capite ſicut dignum, de homicid.l.1.§.Diuus,l. in lege, ff. ad leg. Cornel. de ſicat.) *para la calidad del homicidio voluntario, pide intention a matar.* Ita ille.

Qvæstio XII.

An ſi quis in rixa inopinata ſubitò occidat alium, iudicandus ſit reus homicidij directè voluntarij.

AFfirmant eſſe reum homicidij voluntarij, & conſequenter contrahere irregularitatem, cuius diſpenſatio ſoli Papæ eſt reſeruata, Molina *tom.4. tract.3. diſp.79. num.7. cit.* & Suarez *diſp.44. ſectione 1. num.3.* vbi ita ait: Imò addit Salzedo *c.94. in practica*, ad homicidium voluntarium, prout in hac materia ſumitur, requiri quod deliberato animo, & inito conſilio fiat: nam ſi ex rixa repentè orta, vel ex inimicitia ob iniurioſa verba ſubitò (*ſic lege, non ſabdito*) contracta, homicidium perpetretur, caſuale putat eſſe, non voluntarium. Et citat Didacum Perez *in lib.8. Ordinamenti, titul.13.n.256. in Rubrica.* Sed hæc nimia amplіatio, & extenſio mihi videtur; quamquam enim rixa ex tempore ſuborta ſit, poteſt quis libera voluntate directè intendere mortem alterius: ergo tale homicidium eſt in ſe directè voluntarium, & ſub hac appellatione in iure comprehenditur; niſi fortaſsè induat rationem defenſionis, cuius alia eſt conſideratio, infra tradenda. Hæc Doctiſſ. Suarez. Cuius ſententiam eſſe probabiliorem dicit Diana *p.2.tract.15.reſolut.19.* Quibus addi poſſunt Villalobus *tract.21.diff.18.n.2.* & Petr. Cornejo *tract.5.de Irregul.diſp.1.dub.1.q.2.*

Pro hac ſententia Suarij citari poteſt Palaus *diſp.6. puncto 15.§.1.n.2.* Quia quamuis in principio dicat oppoſitum; limitat tamen poſtea & dicit idem quod Suarez. Accipe verba Palao: Si in rixa inopinata occidas aduerſarium, regulariter te non eſſe iudicandum homicidam voluntarium, colligitur ex *dict. c.1. de homicid*, & ex Trident. *ſeſſione 14.c.7. de Reform.* Etenim homicida voluntarius ille nuncupatur, qui per induſtriam, & per inſidias proximum ſuum occiderit, ſeu ex propoſito. Qui autem ſubitò iratus occidit, non ex propoſito, & per induſtriam, ſed caſu reputandus eſt occidiſſe. Quod intelligendum eſt quoad forum exterius, & etiam quoad forum interius, caſu quo occidenti non conſtet expreſſam voluntatem occidendi habuiſſe; nam ſi de hac voluntate ei conſtet, iam ex propoſito occidit, ideoque ceſſat omnis dubitatio. Hæc Palaus, citans pro ſe Salzedum, Perez, Henriquez, Rodriguez, & Auilam *vbi infra.*

Sed probabiliter certè Reſpondeo, ex nuper dictis, prædictum occidentem non eſſe iudicandum reum homicidij voluntarij, etiam caſu, quo ei conſtet expreſſam voluntatem occidendi habuiſſe. Quia hac voluntate etiam ſuppoſita, adhuc verificatur, quod tale homicidium non fuerit commiſſum, *per inſidias, per induſtriam, inito conſilio* (quod ad homicidium voluntarium, vt diximus, requiritur) ſed ſolùm caſu: ergo. Sic Henriquez *lib.14.c.14.n.1.in fine*, ibi: Nec ſi dum corrigatur, inflammetur ita, & occidat. Vbi *litt. P.* citat Perez *tit.19.lib.8. pag. 256.* & Plazam *lib.1. capite 22. num.3.* Sic etiam Salzedo *Practica crimin. capite 94.* Rodriguez *in Summ verb. Irregularitas, c.179. num.1.* & Auila *part.7. diſp.6.* (non 2. vt offendes apud Corneiom) *ſect.2. dub.1. concl.2.verſ. Præterea dico.* Ægidius *de Sacram diſp.18. dub vlt.num.111. concl.5. verſ. Poteſt etiam.* Quorum ſententiam vt probabilem defendit Diana (licèt contrariam, vt vidimus, probabiliorem dicat) *loc.cit.verſ. Sed contrarium.* Sic etiam Marchio *tom. de Sacram. Ordinis, tract 1.p.9.c 1.diff 3 n.10.pag.141.* vbi ita ait: Sextò deducitur, licere Epiſcopo diſpenſare non ſolùm in irregularitate orta ex homicidio caſuali, vt dictum eſt, ſed etiam ex homicidio volito, non ex conſilio, aut matura deliberatione facto, ſed ex repentina ira, vel rixa. Ratio ſumitur ex illis Concilij verbis ſuprà allegatis: *Cum quis per inſidias, aut per induſtriam occiderit proximum, de altari euelli debeat.* Item ex illis: *Si verò homicidium, non ex propoſito ſed caſu,* &c. Ergo vt Epiſcopus diſpenſare in hac irregularitate nequeat, Concilium requirit, vt homicidium ſit factum animo deliberato: ergo ſi per ſubitam rixam contingat, Epiſcopus diſpenſare poterit, ſi delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum, vel ſi fuerit deductum, iam ceſſarit ſtrepitus iudicialis. Sic Marchinus. Qui non ita bene citat abſolutè pro hac parte Dianam. Sic etiam clariùs, contrà explicationem Caſtri Palao, tenet (ni fallor) Machado *tom.1.lib 1 part.3.tract.16 docum 7 num 2.* ibi: *Pero Diego Perez, y otros graues Authores defienden que el homicidio voluntario, de que el Concilio Tridentino*, loco cit. *diſpone que el Obiſpo no pueda diſpenſar en ſu irregularidad, no baſta que ſea como quiera voluntario, ſino que ſe aya intentado de caſo penſado, y animo deliberado de cometerle: porque ſi caſo ſe trabaſe la refriega por auerle dicho alguno algunas palabras afrentoſas, ò por qualquiera otra razon, que fueſſe caſualmente, y no de caſo penſado; aunque el tuuieſſe intencion, y voluntad de matar, y ſe ſiguieſe el efeto, no ſeria homicidio voluntario, ſino caſual: fundanſe en las miſmas palabras del Concilio, que en vna parte dizen: Per induſtriam & per inſidias, id eſt, non ex propoſito, ſed caſu.* Hæc, Machado. Tenet etiam hanc ſententiam ex noſtris, me citato, perdoctus P. Franciſcus de S. Iuliano *tract.de foro Regul. capite 6, aduertentia 3.n 12.* An autem in hac irregularitate poſſit ſe per diſpenſare abſolutè Epiſcopus, dicemus *infra diſp.27 q.17.*

Qvæstio XIII.

An non ſolùm phyſicus homicida voluntarius, ſed etiam omnes ad homicidium voluntarium cooperantes irregularitatem homicidij voluntarij incurrant?

REſpondeo: Omnes quocumque modo poſitiuè ad homicidium cooperantes, ſiue id faciant per actionem phyſicam, ſiue per moralem, irregularitatem homicidij incurrere. *Prima pars* conſtans eſt apud omnes. Quia omnes cooperantes homicidio voluntario per phyſicam actionem, verè & propriè occidunt, quamuis non ſoli: ergo omnes homicidij voluntarij irregularitatem contrahunt; alij vt principales cauſæ, alij vt minùs præcipuæ.

Secunda pars etiam conſtat. Quia in iure expreſsè cauetur ad morales cauſas extendi etiam irregularitatem homicidij, nam de mandante quidem, & conſulente homicidium, apertè indicant textus *in c. Significaſti, & c. Sicut dignum, § Clericos, 2. de homicidio, & c.fin.eod.tit.in 6.* & *c. Si quis viduam, diſt.50.* ergo, &c. Sic tenent communiter Doctores, præcipuè ſtatim citandi.

§. I.

De mandante homicidium, & ratum illud habente.

QVÆSTIO XIV.

An mandans homicidium expreſſe, reus ſit homicidij, & conſequenter irregularis.

RESpondeo, vt certum: Reum eſſe homicidij, & conſequenter irregularem. Ratio eſt: Quia mandans homicidium, verè influit poſitiuè, & efficaciter in illud, cum aliàs homicidium non fuiſſet ſequutum, ſi mandans de eo committendo mandatum non dediſſet. Sic omnes. Legantur Silueſt. *verb. Homicidium* 1. *quaeſt.* 7. Nauar. *c.* 27. *p.* 233. Maiolus *lib.* 4. *c.* 48. §. 2. Saytus *lib.* 7. *c.* 2. Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 3. Henriq. *lib.* 14. *c.* 14. & 16. Auila *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub* 2. Molina *tract.* 3. *diſp.* 3. per rotam; & præcipuè *membro* 3. *col.* 673. & antea *tract.* 2. *diſp.* 550. 729. & 73 n. Anton. Gomez *tom* 3. *variar. cap.* 3. *à num* 39. Vgolinus *de Irregularitate*, *c.* 15. § 4. Azorius 3 *part. lib.* 1. *c.* 8. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 124. Filliucius *tract.* 27. *à num.* 27. Toletus *lib.* 1. *Summ. c.* 80. Bonacina *diſp.* 7. *quaeſt.* 4. *punct.* 9. *à num.* 13. Couar. in *Clement. Si furioſus*, *part.* 2. *num.* 8. Gaſp. Hurtad. *diſp.* 2. *de Irrelarit. diff.* 6. Luyſius *lib.* 9. *de Cenſur. diſp.* 63. *dub.* 3. Gibalins *cap* 4. *q.* 1. *n.* 11. & 39. *pag.* 139. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 2. Lugo *de Iuſt. tom.* 1. *diſp.* 19. *ſect.* 2. Dicaſtillo *de Iuſtis lib.* 2. *diſp.* 10. *dub.* 14 Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 8. *à num.* 65. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 10. Machado *tom.* 1. *lib.* 3. *p.* 3 *tract.* 16. *docum.* 9. Portel *in addit ad dub. Regul. verb. Homicidium*, *n.* 10. & alij.

QVÆSTIO XV.

An mandans homicidium tacitè, & implicitè ſit etiam irregularis.

AFfirmant aliqui abſolutè docentes: Etiam eſſe irregularem. Quia etiam hoc modo influit moraliter poſitiuè in homicidium voluntarium. Ita Dicaſtillo *loc. cit. n.* 189. per hæc verba: Aſſero tertiò: Si ei, qui affirmat ſe hominem interfecturum, in gratiam tui, idque credas ab ipſo faciendum eſſe, nec contradicas, aut impedias cum poſſis, tunc tacitè conſentis, & mandas. Argum. *cap. Conſtituitis* 1. *de teſtib. l. in delictis, ff. de noxalibus actionibus, l.* 3. §. *Itē is, ff. ad l. Cornel. de ſicariis, l. Qui patitur, ff. mandati.* Ita Gomez *ſup. c.* 3. *à num.* 47. & *deinceps.* Molina *tract.* 2. *diſp.* 530. & *tract.* 3. *diſp.* 33. *memb.* 4. Ioan. Faber *in* §. 1. *Inſtit. de noxalibus actionibus.* Eademque eſt ratio, ſi te rixante, verbi gratia, cum Ioanne, & ſuperuenientes amici tui in tui gratiam Ioannem occidant à te non prohibiti, aut repulſi. In quibus duobus caſibus irregularis fies argum. *cap. Petrus, de homicid.* vbi id docet Abbas *notab* 2. Couar. *in citata Clement. p.* 2. *num.* 8. *caſu* 4 Henriquez *lib.* 14. *cap.* 13. *n.* 4. Auila *p.* 7. *diſp.* 6 *ſect.* 3. *dub.* 5. Nauar. *in Summ. cap.* 27. *n.* 231. aliique, quos referemus agentes de Irregularitate contracta ex homicidio. Hucuſque Dicaſtillo. His auctoribus addi poſſunt Bonac. & Gibalinus *loc. cit.* & alij communiter, præcipuè adducti pro prima ſententia *diſp.* 9. *quaeſt.* 17.

Sed clarius, & magis conſequenter ad doctrinam traditam *ſupr. loc. cit.* Reſpondeo dicendum, quod nullo modo fiat irregularis mandans, ſi poſitiua aliqua actione, inſinuationéve, implicita ſaltem, non mandet tale homicidium, vt quæſtione ſequenti explicabimus. Vnde non eſt verum id quod Dicaſtillo dicit, ex eo videlicet, quod quis affirmet, ſe hominem interfecturum in gratiam alicuius, idque credat, & non contradicat, aut impediat, cum poſſit, tunc tacitè homicidium mandare, ideóque irregularem fieri; cum enim nullo modo id poſitiuè confirmet, nec modo quodam poſitiuè mandat, per permiſſionem talem nullam homicidij voluntarij irregularitatem contrahet. Et minùs contrahet illam in caſu ſecundo, quem aſſignat, vt optimè docuit Luyſius *lib.* 9. *cit. diſput.* 63. *dub.* 3. per hæc verba: ſed explicandum eſt, an incurrat, ſi ſciens non contradicat volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ illatæ ei, qui poteſt impedire, & non impedit? Ad huius exactam explicationem oportet referre caſus aliquos, quos refert Couar. 2. *part. relect.* §. 2. *num.* 8. Primus eſt, quoties quis dedit cauſam rixæ, & eius famuli, amici, vel conſanguinei occidunt in vindictam eius qui dedit cauſam rixæ. In quo caſu Villadiego *tract. de Irregularit. cap. De pura fide*, & Couar. aiunt, eſſe irregularem. Quia *in c. Petrus*, ille excuſatur, quia nec dedit cauſam rixæ, & contradixit.

Oppoſitum docuit Gloſſa *in cap. vlt.* 23. *quaeſt. vltim.* Silueſt. *verb. Homicidium* 2. §. 1. & alij Iuriſtæ, quos refert Couarr. & ſequitur Vaſquez. *Primò:* Quia *cap.* illud citatum pro contraria opinione, non fauet illi: quia ideo Petrus ille excuſatur ab irregularitate, quia repugnauit; & ſic non fuit cauſa mortis: Et idem erit quoties ſolùm dedit cauſam rixæ, & alij occiderunt poſtea in vindictam prioris iniuriæ.

Alius caſus eſt: quando quis dedit cauſam rixæ, eo quòd pugnante illo, alij occurrentes occiderunt alium ratione propriæ inimicitiæ. In quo caſu ambiguum putat eſſe Couarruuias, neque ſuam ſententiam profert, etiamſi inclinare videatur in ſententiam Villadiego, aſſerentis eſſe irregularem eum qui dedit cauſam rixæ. Sed contrarium docuit Silueſt. *ſuprà*, quem ſequitur Pater Vaſquez. Putat enim non eſſe irregularem, quando qui dedit cauſam rixæ, non fuit cauſa talis, vt per aggreſſionem alij poſſent occidere, neque de hoc cogitauit: non eſt irregularis ex eo ſolùm, quod non impedierit, iuxta ſupradicta. Et in his omnibus conſiderandum ſemper eſt, an qui dedit cauſam rixæ aliquo modo faciat in occiſionem alterius, vt poſſit dici cauſa. Hæc omnia doctè, & conſequenter Luyſius. Quem ſequi, conſequenter loquendo, omnes Doctores citati pro noſtra ſententia *ſup. diſp.* 9. *q.* 27. coarctantur. Legantur pro nobis Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. § 2. *n.* 6. & Suarez *diſp.* 44 *ſect.* 3. *num.* 14.

QVÆSTIO XVI.

An Pater, aut Dominus maneant irregulares, ſi filio, aut famulo dicant: Domum non redeatis, donec aliquid noui de vobis audiamus.

REſpondeo, vt certum: Manere irregulares, ſi filius, aut famulus, illis verbis auditis, occidant eum, qui Patrem, aut Dominum iniuriis affecit. Ratio eſt: Quia certum eſt, dictis verbis contineri mandatum tacitum de offendendo illum, à quo Pater, vel Dominus accepit iniuriam: ergo tale homicidium imputari debet mandanti illicitè. Patet conſequentia, quia (vt benè Suarez) moraliter

parum differunt explicitum,& implicitum, directum, & indirectum. At ſic eſt quod mandans homicidium explicitè & directè fit homicida, & irregularis: ergo & qui mandat illud indirectè,& implicitè.Sic Maiolus *lib.5 c 47.§.2 n.*8. & apud illum Bartholom. Angel. Imola,Anchatan. Abbas, & Tabiena. Nauar. *cap.*27. *n.*233. *verſ. Vigeſimò* Couarruuias *in Clem. Si furioſus,p.*2.§.1. *num.* 3. Henriquez *lib.*14 *cap.*14. §.2. & *cap.*16.§ 1.Sayrus *lib.*7.*c.*2.*n.*2.Suarez *diſp.*44.*ſect.*3. *n.*14.Bonacin.*diſp.*7.*q* 4 *punct.*9.*n.*16.Vgolinus *c.*15. §.1.*n.*3.Reginald.*lib.*30.*n* 133.& alij.

Qvæstio XVII.

***An etiam fiant irregulares Pater, aut Dominus, caſu quo dicant filio aut ſeruo hac verba*: Caue ne occidas Petrum, qui mihi iniuriam intulit; non tamen reuertaris domum, donec aliquid noui de te audiam.**

NEgant in caſu ſimili Ioan.Præpoſitus,quem citat,& ſequitur Diana mox citandus.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam in hoc caſu manere irregularem Patrem, aut Dominum, ſecuto homicidio, ſicuti manent filius, aut ſeruus occidantes. Quia limitatio exhibita illis verbis,*Caue ne occidas Petrum*,non tollit, quin mors ſequuta debeat tribui illicitè mandanti vindictam,etiamſi hanc mandatarius exceſſerit.Sic docet expreſsè Henriq. *c.* 16. *cit.*iis verbis: Qui mandat grauiter percutere citra mortem, eſt cauſa homicidij, quod præcogitare debuit,dum mandatarius excedens occidit. Mandatum tacitum ſatis eſt ad irregularitatem, vt ſi læſus iniuria dicat filio,aut famulo, caue ne illum occidas, ſed ne reuertaris domum, donec aliquid noui audiam de te. Hæc Henriq.& ex illo Sayr.*loc.cit.* & conſtabit amplius ex mox dicendis.

Qvæstio XVIII.

An mandans alicui, vt aliquem verberet, aut percutiat illicitè,& expreſsè prohibeat,ne occidat, vel mutilet, irregularis fiat, ſi mandatarius excedens mandatum, verberando alterum occidat.

NEgat Ioan.Præpoſitus *in* 3. *p q.*5. *de Irregular. dub.*10.*n.*78.Cuius ſententiam vt æquè probabilem,defendit Diana *p.*4 *tract.* 2. *reſol.*19. Quia ita mandans nullo modo eſt reus homicidij: ergo neque dignus irregularitate. Ita etiam ſentire videtur, ait Sayrus *vbi infra*,Henriq. *lib.*14.*c.*14.*n.*2. his verbis: Qui ope concurrit cum aliis, vel qui mandat occidere,aut id conſulit,eſt voluntarius homicida:at non dicitur voluntarius qui mandauit tantum percutere, & tamen mandatarius excedens occidit. Ita ille.

Sed alij probabilius Reſpondent:Fieri irregularem. Quia ſic expreſsè cauetur *in cap.fin.de homicid. in* 6. Cuius ratio datur in dicto capite, quia mandans verberare in culpa fuit,imperando aliquid,ex quo euenire poſſe homicidium,debuit cogitare Sic Nauar.*c.*27. *n.*233. & 140. & *conſ.*27.*de homicid.*Couar.*in Clem. Si furioſus,p.*2.§.1.*n.*2.Innoc Panorm. Alberic.D. Ancon.Syluest.Tabiena,Ledeſma, Graffius, Viuald. & alij,quos citat & ſectatur Sayrus *lib.*7.*c.*2.*n.*7.Suarez *diſp.*44. *ſect.*2.*n.*3. Filliuc. *tract.* 20. *n.* 94. Bonacina *quæſt.* 4. *punct.* 8. *num.* 18. dicens tale homicidium poſſe dici caſuale. Gibalin.*c.*4. *de Irregularit.q.*2.*con-*

*ſectar.*1. *in fine*.Avila *p.*7.*diſp.*6 *ſect.*2.*dub.*1.*concl.*2.

Sed probabilius omnium Reſpondeo: Fieri quidem irregularem, caſu tamen ſolùm, quo mandans mandaret verberare grauiter, & vulnerare lethaliter; non ſi leuiter,quia ſi primo modo mandauit, in cauſa voluit homicidium,fuitque verè homicida,& irregularis:non verò ſi modo ſecundo præcepit vulnerare,aut percutere.Sic tenet,& explicat *d.c fin de homicid.in* 6. Luyſius Turrian. *lib.*9. *diſp.*63. *dub* 3. *verſ. Sed oportet.* Sicque concordari poterunt prædictæ ſententiæ.An verò inde homicidium ſit voluntarium, aut caſuale,dubium eſt,pro quo ſit,

Qvæstio XIX.

An præfatum homicidium,quod committit mandans, ſit directè, vel indirectè voluntarium, aut potius caſuale.

AFfirmat eſſe voluntarium indirectè volitum,Couar.*loc.cit.*quem citat,& ſequitur Sayrus *lib.* 7. *c.*2.*n.*7.Qui & præbet rationē iſtam.Quia (vt ait Couar.)tale homicidium eſt indirectè mandanti voluntarium;fertur enim voluntas in id ex quo immediatè mors ſecuta fuit,& ideo irregularis eſt. Volūtas enim indirectè fertur in homicidium, propter illam culpā, quam habuit mandator, non præcauendo, quod ex huiuſmodi percuſſionibus, & ictibus ſoleat mors immediata, & vtplurimum contingere.Non enim excuſatur ex eo quod non habuerit animum occidendi, ſicut nec excuſatur qui malo animo enſe alterū percuteret in capite, aut iuxta cor,nolens eum occidere, ſi ex vulnere mors ſequatur.Vnde Couar.vnum notatu dignum addit, quod cum homicidium illud ſit voluntarium, indirecta ſcilicet occidendi voluntate commiſſum, & non caſuale, qui poteſtatem haberet diſpenſandi in irregularitate ex homicidio caſuali contracta,non poſſet in hoc caſu diſpenſare,vnde pari ratione non poteſt diſpenſari virtute Concil. Trid. *ſeſſ.*24.*de Reformat.c.*6.Huc vſque Sayrus.

Sed conſequenter ad noſtram doctrinam Reſpondeo dicendum, tale homicidium non eſſe voluntarium propriè,& ideo nec mandatorem illius eſſe reum homicidij voluntarij,ſed caſualis. Ratio eſt, quia (vt *ſupr.q.*10 & 11.eſt habitum) ad committendum homicidium voluntarium requiritur,quod fiat ab aliquo poſitiuè, animo deliberato, ex propoſito, per induſtriam,& inſidias:at ſic eſt,quod omnes hæ requiſitæ circunſtantiæ in noſtro caſu deficiunt: ergo & deficit homicidium voluntarium, ſolùmque erit caſuale, & ideo poterit in eo diſpenſare virtute Concil. Trid. quiſquis vi illius poteſt in homicidio caſuali, & in irregularitate per commiſſionem talis homicidij contracta. Sic ſentit in primis Henriq.*lib.*14.*c.*14. *num.*2. Cuius verba habes *q.*17.ex quibus conſtat,ſenſiſſe tale homicidium non eſſe voluntarium. Quod idem docet *eod c.*14.*n.*2 *lit.N.*adducens pro ſe Caietan. & Nauar. Sic etiam Auila *p.*7.*diſp.*6 *ſect.*2.*dub* 1. *poſt* 2. *concl.verſ.Ex dictis ſequitur* Suar.*diſp.*45.*ſect.*4. *n.*10. Luyſius *diſp.*63.*dub.*1.Bonac.*diſp.*7.*q.*4.*punct.*8. *n.*18.

Qvæstio XX.

An Iudex dicens militibus*: Ite,& adducite mihi talem,vel talem viuum,aut mortuum, *ſi milites eum occidant,aut mutilent,irregularis efficiatur.

REſpondeo: Eſſe irregularem, vt diximus *ſuprà diſp.*7.*quæſt.*25.cum Maiolo,Vgolino, & Gibalino,

lino. Quibus nunc addo Henriquez *lib.14. c.16.§. 1.* & Sayrum *lib.7.c.2.n.10.* Qoi hoc limitat, niſi aliàs reus reſiſteret vi, & atmis: quia ſi his reſiſteret ne eaperetur, ſicut milites non valentes aliter eum capere, niſi occidant, aut militent, non erunt rei homicidij, vt potè quibus iure id permittitur: ita nec Iudex homicidij reus erit nec irregularis. Sic ille. Cuius limitationem antea adhibuerat Maiolus *lib.5.c.48.§.2.n.8.* Legantur dicta à nobis *diſp.7.q.25.& ſeq.*

QVÆSTIO XXI.

An maneat irregularis qui mandat fieri homicidium ei, qui aliàs erat facturus.

AFfirmat, non abſolutè, ſed ſub diſtinctione, Sayrus *lib.7.cap.2.n.11.* ita ſcribens: Reſpondeo cum Couar. *in Clem. Si furioſus, p.2.§.2.n.1. de homicid.* vel mandatarius erat aliàs facturus, vel non: ſi non, tunc certum eſt mandantem irregularem eſſe, ſecuto effecto: ſi ſic, tunc vel ex mãdato citius occidit, vel non; ſi ſic, tunc erit irregularis, cum ſit cauſa propinqua accelerationis, vt patet ex communi DD. ſententia: ſi non, tunc irregularis non erit, & eſt communis opinio ex Couar. *vbi ſupra.* & faciunt quæ tradunt Gloſſa *in c. ſicut dignum, §. Qui verò, verb. Pronocaſſent, de homicid.* & Gloſſ. *in c. Nuper, §. In ſecunda verò, in verb. Concilium, de ſent ent. excommun.* Panormitan. in ſimili caſu *c. Ex litteris, n.5. de exceſſ. Prælat.* Tabiena *verb. Irregularitas 2.§.4. in fine,* Silueſt. *verb. Homicidium 3.q.5. verſ. Quartam.* Henriquez *lib.14.c.19.n.14. verſ. At ſi Iudex,* &c. Hæc Sayr.

Sed probabilius abſolutè, & ſine diſtinctione Reſpondeo: manere irregularem mandantem fieri homicidium ei, qui aliàs erat illud facturus. Quia dato adhuc, quod Mandatarius tale homicidium eſſet admiſſurus, in facti tamen contingentia, iudicandum eſt, tale crimen mandantis cauſa patratum fuiſſe: ergo. Sic expreſsè ſentit Couar. *loc. cit.* à Sayro pro ſua ſententia. Nam quamuis hic auctor, loquendo de illo, qui conſilium de homicidio patrando dedit, prædictam doctrinam tradat (quod & faciunt alij Doctores citati à Sayro) oppoſitum docet loquendo de mandante homicidium *loc. cit. n.1. verſ. In eo verò dubio* vbi ita dicit: Hæc verò diſtinctio, an eſſet quis alioqui facturus, vel non, minimè habet vim, nec eſt admittenda in mandante. Is etenim tenetur, etiamſi Mandatarius alioqui ſine mandato eſſet delictum illud commiſſurus. Quia fit, hoc in caſu, crimen ipſius mandantis cauſa, & reſpectu: quemadmodum in ſpecie notat Bartol. *in d.l. Non ſolum, §. ſi mandato, col. vlt. ff. de iniur.* cuius opinionem aſſerit eam ſequutus, communem eſſe Iaſon *in l.1. C. de ſeruis fugit. n.23.* Idem *in l. ſi quis mihi bona, §. Sed quid ſi mandauit, n.16 ff. de acquir. hæredit.* Ludouic. Carret. *in d.§. Circa, n.75.* Huc vſque Couar. Ex cuius verbis iam conſtat malè adductum fuiſſe pro ſe à Sayro. Sic poſt hæc ſcripta inueni idem docere Doctiſſ. Dicaſtillo *de Iuſt. lib.2. tract.1. diſp.10. dub.14. n.188.* vbi adducit diſcrimen inter mandatum & cõſilium, quod mandatum, inquit, fit in gratiam mandantis, conſilium verò in gratiam capientis. Vnde fit quod ſi Petro ſuadeas occidere, qui antè tale propoſitum firmiter conceperat, nihil efficies. Sin verò etiam mandes, atque is exequatur mandatum tuum, iam tuo nomine homicidium fit, & tibi tanquam cauſæ adſcribitur. Sic Dicaſtillo.

QVÆSTIO XXII.

An mandans aliquem occidi, vel mutilari, irregularitatem ex homicidio voluntario contrahat, ſi ipſemet mandatarius occidatur.

AFfirmant aliqui Doctores, eo quòd mandans dat operam rei illicitæ talia mandando, & ita nihil refert, quod præter eius intentionem ſequatur mors mandatarij; cogitare namque debuit talia contingere poſſe: ergo eam indirectè ſaltem voluit: ergo tale homicidium reſpectu mandantis voluntarium erit.

Sed longè probabilius Reſpondeo: Non contrahere irregularitatem ex homicidio voluntario. Quia mandans, vt ſupponit quæſtionis titulus, minimè habuit expreſſam intentionem, aut voluntatem, vt Mandatarius in ea occaſione conſtitutus occideretur: at ſic eſt, quod vt quis contrahat irregularitatem ex homicidio voluntario, opus eſt, vt expreſsè, & ex propoſito intendat homicidium, & cum effectu ſequatur, vt *ſupr.* habitum eſt: ergo. Sic ſentiunt communiter Doctores, & vt certum ſupponunt Suar. *diſp.44. ſect.3.n.17.* Ægidius *diſp.17. dub.8.n.66.* Palaus *diſp.6. punct.15.§.2.n 5.* Legatur Diana *2 p. tract.15. reſol.17. & p.4. tract.2. reſol.12. & 14.* Qui de hac quæſtione latè agit. Necnon Cardin. de Lugo *tom.1. de Iuſt. diſp.19. ſect.2.§.2.n.40.*

QVÆSTIO XXIII.

An in præaſſignato caſu, incurrat mandans irregularitatem ortam ſaltem ex homicidio caſuali.

AFfirmant communiter DD. incurrere irregularitatem ex homicidio ad minus caſuali, & præcipuè caſu, quo mandans præuidere potuerit periculum occiſionis mandatarij. Ratio eſt. *Tum* quia mandans, ſiue conſulens alicui, vt aliquem occidat, verè eſt cauſa moralis cædis mandatarij, aut conſultarij, cum eam indirectè voluerit exponendo eius periculo prædictum mandatarium, aut conſultarium: ergo tale homicidium mandanti, aut conſulenti imputari aliquo modo debet.

Tum etiam. Quia ille, qui ſine rationabili cauſa, ſe exponit periculo mortis, verè eſt homicida ſui ipſius, ſi occidatur: ergo & qui conſulit, aut mandat alicui, vt huiuſmodi periculo ſe obiiciat, conſulit, aut mandat homicidium: ergo ſi contingat, verè homicida erit: ergo irregularis. Ita Suarez *diſput. 44. ſect.3. num.18.* qui contrariam ſententiam, neque ſpeculatiuè, nec practicè ſequendam dicit. Nauarr. *c.27. num.233.* Maiolus *lib 5. cap.48.§.2. num.4.* dicens periculoſam eſſe opinionem contrariam, & adducit pro ſe Abbatem, Syluęſt. & Ioan. Andr. Sayrus *lib 7. cap.2.n.12. & cap.3. num.3.* Vgolinus *cap.16.§.8.* Molina *tract 3. diſp.32. num.2.* Couar. *in Clement. Si furioſus, 2. part.§.2. num.1.* Auila *part.7. diſp.6. ſect.2. dub.5. concl.4.* Ægidius *diſp.18. dub.8. num.47.* Bonac. *diſp.7. quæſt.4. punct.7.n.17. verſ. Addunt aliqui.* Diana *p.4. tract.2. reſol.62.§. 14.* Cornejo *in 3.p. tract.5. de Irregularitate, diſp.1. dub.2. quæſt.2.* Palaus *diſp.16. puncto 15.§.2. num.5.* Villalob. *tom.1. tract 21. diff.20. n.10.* Quibus videtur conſentire Pellizzarius *tom.2. tract.7. cap.5. ſect.4. quæſt.80. num.284. verſ. Addit Diana ex Cornejo.*

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Dictum mandantem

dantem, aut conſulentem, nullam adhuc ex homicidio caſuali, irregularitatem incurrere in caſu aſſignato. Ratio eſt, quia nulla in iure impoſita eſt irregularitas, niſi illi, qui mandat, aut conſulit alicui, vt occidat ſe ipſum, aut alium quempiam: at ſic eſt, quod ille, qui mandat, aut conſulit alicui, vt alium occidat, non mandat vt ſe ipſum occidat, quamuis mandet, vt occidendo alium exponat ſe periculo, vt ab alio occidatur: ergo etiamſi reuera mandatarius in eo caſu occidatur, dum mandatum, aut conſilium ſibi datum exequitur, mandans non fiet irregularis. Sic in primis Vaſquez 1. 2. *diſp.*100.*q.*73.*art.*9.*dub.*3.*n.*45. vbi ita ait: Tametſi in opinione ſit poſitum, vtrum ſe ipſum occidere ſit contra fortitudinem, aut contra iuſtitiam, conſilium autem traditum ei, qui occiditur, quod non tendit ad mortem, niſi ratione periculi, quod incautè aggreditur, non videtur in iure prohibitum, nec is dicitur homicida preſsè & propriè in iure ad effectum irregularitatis, ſed ille ſolum qui conſilium præbet occidendi aut ſeipſum, aut alterum. Sic Vaſquez, & ex illo Luyſius *lib.*9.*de Cenſur.diſp.*93.*dub.*4. Hurtad. *diſp.de Irregularit.diff.*6.*n.*22. Præpoſitus *in* 3.*p.q.*5. *de Irregularit.dub.*10. *n.*78. quos nouiſſimè ſequitur Gibalin.*c.*4.*de Irregular.q.*2.*conſect.*7.*n.*18. *pag.*182. Qui ſimul cum Diana citat pro hac parte Henriquez *lib.*14.*c.*16.*n.*1. Sed hic auctor ſolùm dicit id eſſe ſuſtinendum in foro conſcientiæ; ſecus in foro exteriori. Legatur in Gloſſa *lit. K.* Tenet etiam hanc ſententiam Lugo loco nuper allegato. Qui eam probat, quia irregularitas ex conſilio (adde, *aut mandato*) homicidij, non eſt in iure inflicta, niſi quando conſilium directè tendit ad ipſam occiſionem: tunc enim, ſecuta occiſione, ad quam conſilium tendebat, contrahitur irregularitas. Sic ille. Qui infra id limitat, vt non procedat, quando ex animo conſilium quis dedit, vt ipſe conſultarius (*aut mandatarius*) occideretur. Quam limitationem eſſe veram, & vt talem à nobis amplectendam, ex dictis quæſt. antecedenti videbis.

QVÆSTIO XXIV.

An mandans homicidium excuſetur ab irregularitate, ſi ante patratum homicidium mandatum reuocet.

NEgant aliqui, quos ſuppreſſis nominibus refert Suar. *vbi infr.* Quia mandatarius exequens homicidium, ſemper mouetur ex impreſſione relicta à priori mandato: ergo licet mandans reuocet mandatum, nequit ab irregularitate excuſari.

Sed, vt certum Reſpondeo: Excuſari ab irregularitate mandantem homicidium, ſi ante patratum homicidium reuocet mandatum, & reuocationem intimet mandatario. Quia in hoc caſu iam mandans non eſt moralis cauſa homicidij, cum perfectè retractauerit mandatum, & mandatarius retractationem illam cognouerit: ergo non poteſt moueri ad patrandum homicidium ex mandato illius, ſed ſi mouetur, mouetur quidem ex ſua voluntate. Sic communiter Doctores. Canoniſtæ *in c. Ad audientiam, de homicid* Nauarr. *in Summ. c.*27.*n.*233. Suar. *diſp.*44.*ſect.*3. *n.*7. Auila *p.*7. *diſp.*6 *ſect.*2.*dub.*4.*concl.*1.*&* 2. Couar. *in Clement. Si furioſus,* 2.*p.initio, num.*9. *verſ. Quinto ex his.* Henriq. *lib.*14.*cap.*16.*n.*2.& communis apud Saytum *libro* 7. *c.*2.*n.*13. Dicaſtill. *de Inſt.lib.*2. *tract.*2. *diſp.*4. *dub.*4. *n.*52.& Pellizzar. *loc.cit.q.*80.*n.*273.

QVÆSTIO XXV.

An vt mandans homicidium excuſetur ab irregularitate, teneatur non ſolum reuocare mandatum, & talem reuocationem intimare mandatario, ſed etiam monere occidendum, vt caueat.

AFfirmant nonnulli Doctores, exiſtimantes, prædictum mandantem homicidium, obligari, non ſolum ad reuocationem mandati, & ad manifeſtandam reuocationem Mandatario ſed etiam, ad faciendum certiorem occidendum, vt ſciat generatim periculum, quod illi imminet, vt ſic ab illo caueat. Ratio eorum eſt. Quia mandans ipſe ſuo mandato in eo periculo conſtituit hominem occidendum: ergo ſi videat reuocationem mandati non ſufficere, ad hoc vt mandatarius deſiſtat ab occiſione, tenebitur monere occidendum, vt caueat. Pro hac ſententia citat Diana (*vbi infra*) Petrum Cornejo *in* 3.*p.* D. Thomæ, *tract.* 5. *de Irregular.diſp.*1.*dub.*2. (lege tu 1.) *n.*2. Luyſium Turrianum *de Cenſur. lib.*7. (lege 9.) *diſp.*63.*dub.*3. & Hurtadum *diſp.*2.*de Irregul.diff* 6.*n.*14. Et bene quidem, quidquid Lugo *infra* dicat, hos Doctores ſolum docere, eſſe obligationem monendi occidendum, quando mandans non poteſt efficaciter reuocare mandatum; hoc eſt quando non poteſt intimare Mandatario reuocationem mandati. Sed fallitur certè Sapientiſſ. Cardinal. nam expreſsè tenent dicti duo primi Doctores, obligatum eſſe mandatorem monere occidendum vt caueat, etiam poſt reuocationem mandati, & manifeſtationem talis reuocationis factam & intimatam mandatario. Legantur Luyſius *loc.cit. verſ. Vocant verò, & verſ. Quærunt verò.* Cornejo *loc.cit.verſ. Dico* 1.*& verſ. Et ſi roges.* Hurtad. verò iudicat quod Lugo notat. Tenet etiam hanc affirmatiuam partem Maiolus *lib.*5.*c.*48.§.2.*n.*3.

Alij verò è contra dicunt, mandantem ſolum teneri ad reuocandum mandatum, & manifeſtandam talem reuocationem mandatario, & per hoc excuſari ab irregularitate homicidij à Mandatario patrati. Ita Auila *part.*7. *diſputat* 6. *ſect.*2. *dubio* 4. *concl* 3. vbi ita ait: Qui conſulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate, debet efficacius reuocare conſilium, quàm mandatum, quia in mandato agitur res mandantis, in conſilio verò agitur res ipſius conſulti. Vnde conſulens debet conari precibus importunis, ne conſilium mandetur executioni, quod ſi non firmiter credit, preces profuturas, debet indicare occidendo in particulari, vel in generali, ad arbitrium viri prudentis, vt caueat, qua diligentia facta, liber erit ab irregularitate, quia tunc mors imputabitur negligentiæ occiſi. Ita Sylueſt. *verb. Homicidium* 1.*num.*13.*fine.* Anton. 3.*parte, titul.*28 *cap.*2. §.2. Henriquez *num.*5. Eman. *capit.* 178.*concluſ.*12.& alij contra Nauarrum *n.* 253. Hinc ſequitur, quod ſi conſulens non poteſt occidendum monere de periculo, manet irregularis. Sic Henriquez *ibi.* At verò mandans, non tenetur monere, vt inquit Henriquez *numer.*2. Hæc ſunt verba Auilæ fidelius, quàm à Diana relata. Villalobos *tom.*1. *tract.*21.*diff.*20. *n.* 7. quos refert, & ſequitur Diana *part.*4.*tract.*2.*reſolut.*14. Sayrus *lib.*7. *cap.*2. *num.*14. vbi ait hanc opinionem eſſe communem DD. licèt contraria ſit tutior. Bonacina *q.*4.*punct.*8.*num.*14. ex Vgolino *cap.*15 §.5. Legatur Henriquez *lib.*14.*cap.*21. *num.*2.*lit.N.* Machado *lib.*1.*part.*3.*tract.*16. *docum.*9. *num.*3. Portel. *in addit.ad dub.Regul.verb.homicidium, num.*10.

Alij denique media via incedentes dicunt, quod in prædicto euentu, vel mandans poteſt monere

proximum occidendum, abſque periculo grauioris damni, vel non poteſt. Si poteſt, tenetur eum monere, & exequutionem mandati impediat: ſi non poteſt, non tenetur. Ita Cardin. de Lugo *tom. 1. de Iuſtit. diſp. 16. ſect. 2. §. 1. n. 50. & 51.*

Ego autem in hac re Reſpondeo dicendum teneri mandantem, vel ex charitate, vt aliqui volunt, vel ex iuſtitia, vt alij, non ſolùm ad reuocationem mandati, & ad manifeſtationem reuocationis faciendæ mandatario: ſed etiam ad monendum occidendum, caſu quo mandanti conſtet de pertinacia mandatarij, & id poſſit facere ſine ſuo grauiori damno: dato tamen quod hoc vltimum omittat, non ideo incurrere irregularitatem ex homicidio ſequuto.

Primam Partem huius noſtræ reſponſionis probat ratio facta ab Auctoribus primæ ſententiæ, quam latiùs proſequitur Lugo. *Secundam* verò ratio facta pro ſecunda ſententia, quæ hanc ſolùm probat. Et conſtat ex ſupradictis. Nam ad incurrendam hanc irregularitatem ex homicidio voluntario, requiritur, vt quis moraliter, & poſitiuè influat in illud: at ſic eſt, quod mandans, qui iam reuocauit mandatum, & huius reuocationis fecit certiorem mandatarium, minimè influit moraliter in homicidium poſt factum à mandatario, vt conſtat ex ſupradictis: ergo.

Qvæstio XXVI.

An mandans homicidium ſit irregularis, ſi pace iam inita cum occidendo, mandatarius illum occidat.

RESpondeo: Negatiuè, caſu quo mandatarius pacem, & familiaritatem inter mandantem & proximum occidendum, eſſe initam ante patratum homicidium, cognouerit. Quia tunc debuit mandatarius cognoſcere mandatum eſſe tacitè reuocatum, ergo homicidium poſtea ſequutum, non debet cenſeri ortum habuiſſe à priori mandato, ſed à malitia mandatarij: ergo tale homicidium non debet imputari mandanti: ſic Saytus *lib. 7. c. 2. n. 14.* vbi dicit, quod reuocatio mandati poteſt fieri vel mandatario, vel expreſsè, veluti ſi expreſſis verbis, vel per epiſtolam, vel per nuntium moneat mandatarium, vt ceſſet à tali facto. Vel tacitè, vt ſi mandans reconcilietur ei, cuius homicidium mandauit, vel cum eo amicitiam, vel affinitatem contrahat, ſciente mandatario; ſufficit autem, vt mandans ab irregularitate excuſetur, quod tacitè cenſeatur reuocaſſe mandatum. Sic Sayr. *lib. 7. c. 2. n. 14.* Syluest. Tabiena, Summ Confeſſor. & Viuald. apud illum. Bonac. *n. 14. cit.* Henriq. Vgolin. & Filliuc. penes illum Petr. Cornejo *diſp. 1. de Irregul. dub. 1. q. 1. verſ. Quod intelligendum eſt.* Et antea Maiol. *lib. 5. c. 48. §. 2. n. 3. in fine.* Nauarr. *c. 27. n. 243.* Pellizzar. *loc. cit. n. 273.* Machad. *loc. cit.* Palaus *diſp. 5. punct. 15. §. 2. n. 2.*

Qvæstio XXVII.

An mandans ſit irregularis, caſu quo non poſſit monere mandatarium de non occidendo proximum, vel ex eo quod hic longè diſtet, aut ſit infans, cuius aborſum fieri mandauit matri.

AFfirmant communiter DD. mandantem in dicto caſu, ſequuto homicidio, eſſe irregularem, quantumuis pœniteat facti; quia ad incurrendam ex homicidio irregularitatem ſatis eſt effectum in cauſa non impedibili ſtetiſſe voluntarium: vt conſtat in eo, qui poſtquam iecit ſagittam in aliquem, pœnitet antequam feriat, qui tamen nullo modo excuſatur ab irregularitate: ergo, &c. Ita docet Nauar. *c. 27. n. 233. fine.* Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 2. lit. P.* Sayr. *lib. 7. c. 2. n. 13.* & innuit in ſimili Lug. *de Iuſt. diſp. 16 §. 1. n. 26.*

Alij è contrà negant, exiſtimantes mandantem excuſari ab irregularitate, ſi ante occiſionem aduerſarij reuocauit mandatum, & fecit omnem diligentiam; mandatarius tamen ad quem non peruenit reuocatio, occidit. Ratio eſt, quia ſi mandans decedat ante occiſionem, non incurrit; quia morte ſoluitur mandatum: ergo nec in noſtro caſu Ita docent Innocent. *in cap. Mulieres, de ſententia excommunic.* & idem, quoad Deum, ait Gloſſa *in cap. Cum quis, de ſentent. excomm. lib 6.* cum Brixien. & ſentit Anton. Gabr. *tom. 2. tit. de pactis, concl. 2.* Angel. *ſect. 2 excomm. 5. n. 33.*

Sed quamuis hæc ſententia ſit certè probabilis, vt innuit Henriquez, probabilius tamen longè Reſpondeo dicendum: Manere prædictum mandantem irregularem. Quia etiam in eo caſu operatur mandatarius necem nomine mandantis: ergo ſemper mandans cenſetur influere moraliter in occiſionem factam à mandatario. Leguntur à nobis dicenda infrà *q. 47.* Auil *p. 7. diſp. 6 ſect. 2. dub. 4. concl. 2.* & Bonac. *q. 4. punct. 8. n. 1.* vbi dicit, me affici irregularitate, ſi Titius in mox propoſito caſu (*nempe q. præcedentis*) occidit Caium neſciens pacem, & familiaritatem inter me & illum celebratam: tunc enim mandatum non cenſetur reuocatum, cùm illius reuocatio non innotuerit mandatario, etiamſi ego omnia tentauerim, vt reuocatio ad illius aures perueniret. Sic ille.

Qvæstio XXVIII.

An mandans homicidium fiat irregularis, ſi mandatarius non ſtatim, ſed diu, nempe poſt duos, vel plures annos, homicidium committat.

NEgat Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 2.* Quia exiſtimat, tunc cenſendum eſſe expiraſſe mandatum. Ita enim ait *lit. S.* mandatum expirat, & renocatur morte mandantis, re integra, aut ob temporis lapſi diuturnitatem, aut ob reconciliatam amicitiam, ſciente Mandatario. Ita Henriq. citans pro ſe Anton. Gab. loco nuper citato, *concl. 1.*

Sed probabilius longè Reſpondeo: Irregularem fieri. Itaque ſi quis v. g. ex Hiſpania mitteret aliquem in Galliam cum mandato Petrum occidendi, vel mutilandi, & mandans per longum tempus nihil de mandatario, nec de executione mandati audiuit, ſed tandem audiuit Petrum eius inimicum à ſuo mandatario interfectum fuiſſe, tunc mandator irregularis manebit. Ratio eſt: Quia ſemper cenſetur commiſſum homicidium ex anteriori illo mandato, dum de expreſſa, aut tacita reuocatione mandati non conſtet. Sic Speculat. *tit. de diſpenſ. §. Iuxta, verſ. Sed quæritur.* Silueſt. *homicidium 1. q. 8. verſ. Sextò.* Tabien. *irregularitas 2. n. 13.* quos citat, & ſequitur Maiol. *de Irregul. lib. 5. cap. 48. §. 2. n. 2. verſ. Amplia tertiò.* Viuald. *de Irregul. ex homicid volunt. §. 4. de Mandante, q. 5. num.* mihi *252.* Molin. *de Iuſtit. tract. 3. diſp. 33. membr. 3. n. 4 column. 675.* Sayr. *lib. 7. c. 2. n. 13.* Baunius *tract. 11. de Irregularit, quæſt. 20. dub. 3. verſ. Patet ſecundò, pag. 475.*

Qvæstio XXIX.

An ſit irregularis qui mandat alicui, vt occidat aliquem, ſi Mandatarius à principio nolit acceptare mandatum, poſtea tamen, mutata ſententia, acceptat illud, & exequitur.

NEgandum videtur. Quia prius mandatum, eo ipſo quod à mandatario acceptatum non fuit, manſit inefficax, & velnti extinctum: ergo homicidium poſtea ſequutum non poteſt tribui mandanti, vt cauſæ; cum non ſit ex motione eius: ergo, &c. Propter hoc alicui poſſet videri id eſſe probabile, vt certe innuit Luyſius *infra*.

Sed omnino Reſpondeo dicendum: Eſſe irregularem mandantem (etiamſi retractauerit voluntatem ſuam) ſi non ſufficienter reuocauit mandatum. Ratio eſt: Quia ad hoc, vt mandans incurrat irregularitatem, non eſt neceſſarium, quod mandatarius à principio acceptet illud, & virtute illius moueatur ad patrandum homicidium mandatum: quia tunc mandans verè dicitur, & eſt cauſa influens in illud homicidium. Ex quo conſtat, primum mandatum nequaquam eſſe extinctum, eo quod à principio non fuerit acceptatum. Sic Maiolus *loc. cit. verſ. Quartò amplia*, citans Innocentium *in cap. Ad audientiam, de homicid.* & Bald. *in l. 1. C. de ſeruis fugit. col. 2. ad finem.* Quos omnes (reiecta eorum, pro hac parte defendenda, ratione) ſequitur Suarez *diſp. 44. ſect. 3. n. 9.* Reginald. *lib. 3. n. 126.* Vgolinus *de Irregularit. c. 15. n. 3.* Filliuc. *tract. 20. c. 1. n. 29.* Bonac. *q. 4. punct. 8. num. 17.* Viualdus *loc. cit. n. 254. pag. mihi 242.* Luyſius *lib. 9. de Cenſur. diſp. 63. dub. 3. verſ. difficultas reſtat.* Petr. Cornejo *diſp. 1. de Irregularit. dub. 2. verſ. Sed quid ſi Mandatarius.* Sayr. *lib. 7. c. 2. n. 15.* Dicaſtillo *de Iuſtit. lib. 2. tract. 2. diſp. 4. dub. 3. n. 55.* Pellizz. *ſect. 4. cit. q. 80. n. 275. verſ. Quod ſi quis.*

Qvæstio XXX.

An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit alicui, vt occideret aliquem nocte, mandatarius verò occidit illum meridie.

REſpondeo: Etiam huiuſmodi mandantem eſſe irregularem. Quia etiam in hoc caſu Mandatarius motus eſt ad occidendum, præcepto ipſius mandantis, nec quid obſtat, quod non obſeruaret tempus à mandatore aſſignatum, quia id, cùm ſit quid accidentale, non tollit, quin occ patrata mandanti, vt cauſæ motiuæ, tribuatur. Idemque dicendum eſt de illo, qui mandauit alteri, vt occideret magiſtratum, poſtquam depoſitus eſſet ab officio, ſed Mandatarius occidit illum nondum ab illo depoſitum. Sic Bonacina *punct. 8. n. 17. cit. in fin.* Legatur Dicaſtillo *loc. cit.*

Qvæstio XXXI.

An maneat irregularis ille, qui mandauit occidere equum Petri, & mandatarius, putans mandari occiſionem ipſius Petri, illum occidit.

REſpondeo: Mandatorem tunc non manere irregularem. Ratio eſt: Quia in hoc caſu, occiſio Petri non potuit oriri à mandato, cum nunquam fuerit de tali occiſione datum, ſed ab errore, & falſa exiſtimatione ipſius Mandatarij: ergo talis occiſio non poteſt imputari mandanti: ergo propter illam nequit irregularis putari. Sic Lugo *tom. 1. de Inſtit. diſp. 19. ſect. 2. §. 1. num. 25. & 26.*

Qvæstio XXXII.

An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit homicidium fieri, & voluntate mutata, reuocationem mandatario per nuntium miſit, qui tamen non intimauit ei.

NEgabunt auctores ſecundæ ſententiæ *quæſt. 26.* adducti. Quia re vera mandans in tempore reuocauit mandatum, & fecit omne id quod potuit, & ad quod tenebatur, vt talis reuocatio mandatario intimaretur, ergo ſufficiens fuit diligentia præſtita, vt mandantem ab incurſione irregularitatis ex homicidio ſubſequuto liberaret.

Sed longè probabilius Reſpondeo: Eſſe etiam irregularem, adhuc in caſu, quo nuntius falsò diceret mandanti, ſe litteras reuocationis Mandatario dediſſe. Quia licèt id ſufficeret ad hoc, vt ſine noua culpa mandantis exequatur homicidium, non tamen vt ſine culpa commiſſa, quando primum mandauit: & ideo quidquid ex illa ſequitur, imputari debet mandanti in ordine ad reſtitutionem, & irregularitatem: nam non poteſt impediri eius moralis influxus, niſi impediatur, quod mandatarius in operis executione moueatur à mandato prius accepto: hoc autem impeditur per mandati reuocationem ipſi mandatario intimatam, & ab ipſo intellectam, quæ abeſt in noſtro caſu. Sic Lugo *loco nuper cit.* & conſequenter loquendo, omnes DD. quos pro prima ſententia (quæ eſt noſtra) citauimus *q. 25.*

Qvæstio XXXIII.

An mandans homicidium ſit item irregularis, caſu quo mandatarius reuocationem mandati accipiat, ſed poſtea inuincibiliter reuocationis oblitus homicidium commiſit.

AFfirmat adhuc Lugo *tom. 1. de Iuſt. diſp. 19. ſect. 2. §. 1. n. 27.* quatenus docet teneri mandantem in hoc caſu ad reſtitutionem, ſi credat mandatarium ex ſuo priori mandato motum fuiſſe ad homicidium admittendum. Quia adhuc (inquit) ſufficit, quod ex iniuſta actione præterita mandantis, hoc damnum revera ſubſequatur, prout revera ſubſequitur. Nec enim Mandatarius mouetur à mandato ficto, ſed ex vero, quod præceſſerat, & cuius reuocationis non recordatur: ergo mandatum præteritum influit in hoc damnum præſens. Ita Lugo. Quod idem videtur dicendum in ordine ad irregularitatem contrahendam. Nam idem iudicium eſt de reſtitutione, & irregularitate, vt ſupponit Dicaſtillo *lib. 2. de Iuſt. tract. 2. diſp. 4. dub. 3. in fine, n. 55.* licèt hoc non concedant omnes, vt ex dictis à nobis conſtat, imò nec ipſe Lugo.

Sed probabilius Reſpondeo: In hoc caſu non manere irregularem mandantem. Quia eius mandatum omnino expirauit per reuocationem acceptam, & intellectam à mandatario: ergo homicidium poſtea ſubſequutum non poteſt procedere ex mandato vero, cum iam deſierit omnino eſſe: ergo nec reduci ad mandantem: ergo hic iam non erit homicida: ergo nec irregularis.

Nec valet, quod dicit Lugo *n. 28.* ſufficere mandatum præteritum, à quo mouetur mandatarius ad patrandum homicidium ad hoc vt mandans ſit cauſa ſaltem partialis influens partialiter in illud: ergo & ad hoc vt denominetur homicida: ergo & vt ſit irregularis.

Nam

Nam contra eſt. *Primò* : quia quod ſemel eſt extinctum, & conſequenter inefficax, & impotens ad influendum in actum motalitet, nequit reuiuiſcere, & vires ad id reſumere per obliuionem mandatatij, aur per quamcunque aliam eius actionem, cùm mandatum ipſi datum, nec in fieri, nec in conſeruari ab illo dependeat : ergo tale præteritum mandatum, nec partialiter iam poteſt influere in homicidium ſubſequutum. *Secundò*. Quia ſi inſtantia Cardinalis de Lugo quid ad probandum ſuum intentum valeret, etiam valens eſſet ad probandum, teneri mandantem ad reſtitutionem, eſſeque irregulatem, etiam caſu, quo mandatarius acceptaſſet reuocationem, ſed poſtea, mutata voluntate, vellet exequi mandatum præteritum, patet quia etiam in hoc caſu erit verum dicere, quod Mandatarius fuit motus ad occidendum, ex mandato vero, & præterito, & conſequenter ſufficienti ad hoc, vt mandans cauſa ſit, ſaltem partialis, homicidij, &c. conſequens autem nullus concedet : ergo, &c.

QVÆSTIO XXXIV.

An ſi quis homicidium, non ſuo nomine factum approbet, irregularitatem incurrat.

RESponden, vt certum : Nec irregularitatem, nedum obligationem reſtituendi, incurrere. Quia iuxta cap. *Cum quis, de ſent. excommun. in 6. Nemo ratificare poteſt, quod ſuo nomine geſtum non eſt.* Sic omninò Dicaſtill. *lib. 2. de Iuſt. tract. 1. diſp. 10. dub. 14. n. 193.* & antea Cornejo *diſp. 1. de Irregul. dub. 2 q. 3. dict. 2.* vbi ait, hanc eſſe communem ſententiam. Aula *p. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 6. in principio.*

QVÆSTIO XXXV.

An ſaltem incurrat irregularitatem, qui homicidium ſuo nomine factum ratum poſtea habet.

AFfirmant plures Doctores. *Primò* : Quia *regula 10. iuris in 6.* docet, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium æquiparari* qui mandat homicidium incurrit irregularitatem : ergo & ille, qui illud nomine ſuo factum, ratum habet, & approbat.

Secundò. Quia qui approbat, & ratam habet percuſſionem Clericorum, incurrit excommunicationem, vt habetur *in cap. Cum quis, de ſent. excommunicat.* Et qui approbant violationem factam aduerſus Cardinales, puniuntur iiſdem pœnis, quibus violatores puniuntur, *cap. Felicis, de pœnis in 6.* Et *Clem. de pœnis.* Ergo ſimiliter incurrere debet irregularitatem, qui ratum habet, & probat homicidium ſuo nomine factum. Propter hoc ita ſentiunt Sylueſt. *verb. homicid. 1. q. 7.* Felin. *in cap ſicut dignum, de homicid.* Maiol. *lib. 5. de Irregul. c. 48. § 6.* (non 5. vt offendes apud Gibalinum) *num. 1 2. & 3.* Roſell. *homicidium 2. n. 5.* Nauar. *c. 27. n. 233. & conſil. 19. de homicid. num. 2.* Molina *tract. 3. diſp. 53. memb. 4.* Rodrig. *c. 177. n. 12.* Ploue *Regul. 26. de Irregul.* Fernand. *in medulla, par. 2. c. 10. § 14. n. 12.* Albertus Trotus, & Ludou. Carriet. Sayr. *vbi infrà.*

Sed probabilius Reſpondeo : Nec hunc incurrere irregularitatem. *Primò* : Quia nemo irregularitatem contrahit homicidij, niſi in illud aliquo modo influxerit, & cauſa illius fuerit : atqui ratihabitio non influit in homicidium prius commiſſum, neque eius cauſa eſſe poteſt, vt ex natura ratihabitionis actionem conſequentis ſtatim apparet : ergo.

Secundò. Quia lex imperans, aut prohibens aliquid, nunquam comprehendit illam ratam habentes, & approbantes, niſi lex id apertè exprimat : at ſic eſt, quod nullibi ius extendit irregularitatem homicidij, ad ratum illud habentes, aut approbantes : ergo neque nos illam extendere debemus. vnde

Ad primum argumentum contrariorum dicendum eſt, ratihabitionem mandato æquiparari, quoad culpam ; ſiquidem poteſt quis ita grauiter peccare, complacendo in homicidio facto, ac ſi illud mandaſſet ; non tamen quoad incurrendam hanc irregularitatis pœnam, quæ ſolùm imponitur iis, qui ſunt cauſa homicidij : conſtat autem, quod ille, qui ſolùm ratum habet factum, non eſt cauſa facti illius.

Ad ſecundum dicendum eſt, textus illos potiùs noſtram ſententiam firmare ; nam, vt excommunicatio comprehenderet illos, qui ratam haberent percuſſionem Clericorum, & offenſiones factas in perſonas Cardinalium, &c. neceſſum fuit, id exprimere in dictis capitibus, aliàs illos non comprehenderet. Cum ergo nullibi in iure inueniatur, vt irregularitas homicidij ad ratum illud habentes extendatur, clarè conſtat, hos illam non incurrere. Sic ſentiunt communiter Doctores, Speculat. *titul. de diſpenſ. §. Iuxta, verſ. Sed quid ſi agenti.* Couaruu. *in Clemen. ſi furioſus, p. 2. § 1. num. 4.* Vgald. *tract. de Irregularit. num. 299. & 301.* Henriq. *lib. 14. cap. 16. n. 1.* Archidiac. Hoſtienſ. Angel. & Tabien. quos citat, & ſequitur Sayr. *lib. 7. cap. 4. num. 17.* Suar. *diſp. 44. ſect. 3. num. 24.* Aul. *part. 7.* non 2. vt legi apud Dianam) *diſp. 6 ſect. 2. dub. 6.* Vaſq. *in manuſcripto de Irregularit. dub. 8. num. 66.* Luyſ. *de cenſur. lib. 9. diſp. 63. dub. 3. in fine.* Gaſp. Hurtad. *diſp. 2. de Irregularit. diff. 7. num. 25.* Ægid. *de Sacrament diſp. 18. dub. 8. num. 72.* Laym. *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 6.* Cornejo *diſp. 1. de Irregular. dub. 2. quæſt. 3.* Villalob. *tract. 21. diff. 20. num. 12.* & Megal. *in 3. p lib 7. cap. 2. quæſt. 9. num. 85.* quos omnes refert & ſectatur Diana *part. 4. tract. 2. Reſol. 13.* Quibus adhuc addi poſſunt Bonac. *diſp. 7. quæſt. 4. punct. 8. num. 42.* Præpoſit. *quæſt. 5. de Irregularit. num. 66.* Palaus *diſp. 6. punct. 15. § 2. num. 7.* Cardin. de Lugo *tom. 1. de Iuſtit. diſp. 16. ſect. 2. § 1. in fine,* Dicaſtill. *tom. 1. de Iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 14. num. 191.* Gibalin. *cap. 4. de Irregul. quæſt. 1. conſect. 15.* Machad. *lib. 1. part. 3. tract. 16. docum. 9. num. 7.* & Bauny *tract. 11. de Irregularit. quæſt. 30. pag. 502.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 7. cap 5. ſect. 4. q. 82. num. 277. pag. 155.*

QVÆSTIO XXXVI.

An ad minus maneat irregularis, qui ratum, & gratum habet, ac probat homicidium à ſeipſo ignoranter, ac inculpabiliter commiſſum.

AFfirmabunt à fortiori, Authores primæ ſententiæ relatæ nuper, ob fundamenta ibi adducta.

Sed probabilius Reſpondeo ; Nec hunc manere irregulatem, ob talem ratihabitionem, & complacentiam de homicidio. Ratio eſt aſſignata. Quia hæc poſterior complacentia nihil influit in illud homicidium antecedens : ergo complacena de illo, neqoit tanquam culpabilis cauſa eiuſmodi homicidij plecti irregularitate. Sic Gibalio. *loco citato, conſectar. 15.*

*ſtar.*15. *in fine.* Qui benè addit, quod ſi aliquando ex ſpeciali diſpoſitione iuris pœna obliget ratum habentes aliquod facinus, imponatur ea pœna propter culpam commiſſam in homicidio, ſed in ipſamet ratihabitione, quæ ſola plectitur, non autem crimen, cuius ipſi nullo modo cauſa fuerunt. Filliuc. *tract.*20. *n.*41. quem citat & ſequitur Pellizzar. *loc. cit. n.*278.

QVÆSTIO XXXVII.

An ad minus tandem fiat irregularis, qui ratum habet homicidium, quod coram illo & ſuo nomine patratur.

AFfirmant communiter Doctores, & clarè Filliuc. *tract.*20. *cap.*2. *quaſt.*5. *num.*58. his verbis: Conſentire in homicidium dum actu fit nomine conſentientis, hoc eſt, ad eum vindicandum, vel quod exiſtimetur eidem placere, induit irregularitatem. Ratio eſt: quia talis conſenſus etiam eſt moralis quædam cooperatio; tenetur enim ad effugiendam irregularitatem, & culpam homicidij, repugnare illi, & ſe oſtendere alienum ab huiuſmodi opere, quantum poteſt, propterea quod eius nomine, & intuitu fiat. Quod ſi exterius ita faciat, quamuis interius deſideret homicidium, non eſſet irregularis; quia tantum homicidia mentalis eſſet, quidquid contra Hoſtienſ. *cap. ad Audientiam* ſed patet veritas ex dictis *de cenſur.* Hucuſque Filliuc. Idem docent Suar. *diſp.*44. *ſect.*3. *num.*21. Cornejo *diſp.*1. *de Irregul. dub.*2. *quaſt.*3. *Dicto* 1. & Gibal. *cap.*4. *de Irregul. quaſt.* 1. *conſectar.* 15. Qui exiſtimant, quod in caſu propoſito vix poſſit præſcindi à morali cooperatione conſenſus, & approbatio homicidij. Meo enim conſenſu (ait Gibalinus) coniungo me occidenti, & per eius manus occido.

Sed clariùs Reſpondeo: Fieri quidem irregularem, ſi conſentiat in homicidium coram ſe, & gratia ſui factum, probando illud aliquo ſigno exteriori, aut nutu. Quia tunc certum eſt, quod ratificat homicidium moraliter cooperando exterius ad illud, præbendo animum ipſi occidenti: in quo omnes conſentiunt. At verò, ſi ratificet homicidium approbando illud, hoc eſt, conſentiendo in illud ſolo actu interno puro; tunc revera talis ratificans non erit irregularis; quia nihil influeret in homicidium. Nec in noſtra ſententia tenetur quis ad vitandam irregularitatem, exterius repugnare occidenti, & ſe à tali homicidio diſſentire, manifeſtare occiſori; ſed ſufficit quod exterius non concurrat, ſed merè negatiuè ſe habeat: eo quòd ad effugiendam irregularitatem ex homicidio non adſtringitur quis illud vitare, aut repugnare. Sed ſufficit exterius non iuvare, vt conſtat ex habitis *ſup. diſp.* 9. *quaſt.* 27. & hac *diſp.*10. *q.*15. Legantur etiam pro nobis Dian *p.*4. *tract.*2. *Reſol.*6. & Machad. *loc. cit. num.*6.

§. II.

De conſulente homicidium.

QVÆSTIO XXXVIII.

An qui conſulit homicidium illi, qui paratus non erat ad illud patrandum, fiat irregularis, ſequuto effectu.

REſpondeo vt certum. Fieri irregularem. *Primò:* Quia ſic habetur *in cap. ſignificaſti, & cap. Sicut dignum, de homicid. & cap. fin. eod. tit. in* 6. *& alibi. Secundò*: Quia conſulens eſt vera cauſa moralis effectus: ergo qui conſulit homicidium illi, qui aliàs paratus non erat ad illud faciendum, vera cauſa illius erit: ergo reus erit homicidij, & conſequenter irregularis. Sic omnes DD. tenent. Legantur citati ſupra.

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam fiat irregularis conſulens homicidium illi, qui iam paratus erat ad occidendum.

REſpondeo: Tunc nullo modo fieri irregularem, abſolutè loquendo. Quia tunc conſulens non cenſetur cauſa efficax influens in homicidium, quamuis aliàs peccet ratione effectus, & intentionis homicidij. Sic tenent communiter Doctores. Legantur Couarr. Dicaſtill. & alij citati ſuprà *q.*21. Bonac. *q.*4. *punct.*8. *n.* 19. *verſ. Dixi in propoſitione.* Sayr. *lib.*7. *theſauri, cap.*4. *n.* 1. & 2. Hurtad. *diſp.*2. *de Irregul. diff.* 6. *n.*20. & Dian. *part.*8. *tract.*7. *Reſol.* 92. Baun. *tract.*11. *de Irregul. q.*27. *n.*11 *pag.*196. ſed de hac quæſtione infrà latiùs agemus *q.*58.

QVÆSTIO XL.

An ſaltem fiat irregularis ille, qui conſuluit cuidam, qui iam determinatus erat Petrum occidere, ſed ex dicto conſilio citius occidit.

AFfirmant abſolutè aliqui, inter quos eſt Bonac. *loc. cit.* vbi ita ait: Eſt tamen irregularis, ſi voluntatem occidendi auget, nam verè dicitur influere in homicidium; vt accidit quando quis ſuo conſilio facit, vt alter facilius, vel citius, vel crudelius committat homicidium. Ita Couarr. *Clem. vnic. par.*2. §. 2. Auil. *p.*7. *diſp.*6. *ſect.*2. *dub.* 7. (tu lege *dub.*3. *concl.*5.) Vgol. *c.* 16. §. 1. *n.* 1. Toler. *lib.*1. *c.*81. & alij communiter, quidquid alij dicant. Hucuſque Bonacina. Ita etiam Sayr. *loc cit.* Petr. Cornejo *diſp.*1. *de Irregul. dub.*2. *verſ. Sed quid ſi vis.* Quia verè (ait) influit in homicidium; nam augendo voluntatem, conſequenter auget actionem exteriorem à voluntate procedentem.

Alij verò contra docent, prædictum conſulentem non fieri tunc irregularem, eo quòd licèt conſulens tunc ſit cauſa diſtincti numero actus; non tamen in homicidium quoad ſubſtantiam influit, ſed quoad modum duntaxat, ſi qui ſibi dari conſilium patitur ita erat animo comparatus, affectuſque ante illud auditum, ac receptum, vt ipſe, ſine illo homicidium confecturus eſſet. Sic tenent Bauny *loc. cit.* quem refert, & ſequi videtur Diana *p.*8. *tract.*7. *Reſol.*92. ſiquidem confirmat id ex doctrina Lupi *de caſib. reſeruat. p.*2. *caſu* 8. *n.*12. & Mazucheli *diſp.*2. *cap.*18. *q.* 2. *n.*37. aſſerentium, non incidere in caſum reſeruatum, ſi quis dedit conſilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licèt ex illo conſilio poſtea libentius, & citius homicidium commiſerit. Lege pro hac parte Dianam *tertia parte, tract.*5. *Reſol.*84. *verſ. Notandum eſt etiam.*

Sed ego clarius, & probabilius Reſpondeo: Dicendum, fieri quidem irregularem dictum conſulentem, ob rationem aſſignatam ab Authoribus primæ ſententiæ nuper; niſi aliàs illa acceleratio ſit ita leuis, vt pro nihilo reputari debeat, iuxta doctrinam à nobis traditam *diſp.*7. *à q.*98. Legantur rurſus pro hac noſtra ſententia Suar. *diſp.*44. *ſect.*3. *n.*10. Vaſquez, quem refert, & ſequitur Luyſ. *lib.*9. *diſp.*63. *dub.*4. *verſ. Explicat verò.* Hurtadus *diſput.* 2. *de Irregul.*

Irregularit. diſſ. 6. in princip. Bonac. *loco citato*, Palaus *diſp. 6. punct. 15. §. 2. n. 3.* Auil. *loc. cit.* Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 3.* ibi: Ex conſilio dato non fio irregularis niſi ſecuto effectu, & vt meo conſilio tanquam moralis cauſa influxerim in animum alterius, vt faceret, aut nouo modo faceret. Sic ille.

Qvæstio XLI.

An conſulens homicidium ficto animo, ſit irregularis.

RESpondeo: Irregulatem eſſe, ſequuto homicidio. Quia reuera ille ſuo conſilio verè fuit cauſa proxima illius homicidij. Nec quid obſtat, quod dederit conſilium animo ficto, quia cum hanc animi fictionem omninò ignorauerit conſiliarius, non potuit per illam à patrando crimine impediri. Sic Gibalin. *c. 4 de Irregul. q. 1. conſectar. 12. pag.* 140. per hæc verba: Hinc ſolues quæſtionem propoſitam à Comitolo *lib. 7. q. 61.* de tribus fratribus, qui in necem Nouercæ conſpirarant, & de modo eam inferendi conſuluerant, & cum à natu maximo illata fuiſſet, natu minimus, qui aberat, cauſabatur, ſe ex animo noluiſſe eam cædem. Cùm enim conſuluiſſet, habitus eſt irregularis, neque à Romana Curia potuit obtinere diſpenſationem. Et ſanè cum eius conſilium influxiſſet in mortem illam, quamuis ficto animo conſilium dediſſet, poſuerat cauſam proximam illius homicidij. Huc vſque ille.

Qvæstio XLII.

An cenſendus ſit irregularis, qui dubitat, an ſuum conſilium influxerit in homicidium reuera commiſſum.

AFfirmant communiter Doctores. Et probatur. Quia qui dubitat de commiſſo homicidio, cenſeri debet irregularis, vt habitum eſt *ſupr. tract. 1. diſp. 1. à q. 16.* ergo & qui dubitat, an ſuum conſilium in homicidium ſine dubio factum influxerit. Ita tenent Couarruu. *in Clement. ſi furioſus, de homicid. 2. p. n. 1. verſ. In eo dubio.* Sayr. *lib. 7. Theſauri, c 3. num. 2.* Auila *p. 7. diſp 6 ſect 2. dub. 3.* (non 2. vt leges apud Dianam) *concl. 5.* Sanchez *lib. 2. Summa, cap. 10. num. 44.* Præpoſitus *in 3. part queſt. 5. de Irregularit. num 64.* Merolla *tom. 1. cap. 3. diſp. 3. num. 251.* Cornejo *in 3. p. diſp. 1. de Irregularit. dub. 2. verſ. Sed quid ſi conſulens*, & alij quos ſequitur Diana *parte 4. tractat. 2. Reſol. 25.*

Negat verò contra Henriquez *lib. 14. cap. 16. n. 3.* in Gloſſa *litt. D.* per hæc verba: Sed in dubio æquali, poſt factam diligentiam, poteſt practicè deponere dubium, & ſcrupulum repuians ſe excuſatum ab irregularitate, propter poſſeſſionem innocentiæ. Ita ille. Cuius ſententiam admittit (ſaltem quoad forum internum) Gibalinus *cap. 4. de Irregularitat. queſt. 1. conſect. 11. num 32.* vbi expreſsè negat dictum conſulentem in dicto dubio contrahere irregularitatem. Quia in dubio facti homicidij, ideò contrahitur irregularitas, quoniam ſic diſponitur ſpecialiter à iure, cuius diſpoſitio nequaquam in aliis irregularitatibus valet, niſi in aliis caſibus à iure expreſſis, atqui in iure nunquam habetur in dubio, an conſilium influxerit in homicidium, contrahi irregularitatem, nam loca omnia quæ tribuunt hanc irregularitatem conſilio, ſupponunt, vi illius poſitum fuiſſe effectum: de dubio autem, an ex illo conſilio ſequuta fuerit cædes, nihil planè definiunt, quare relinquunt iuri communi, quod in dubio facti irregularitatem contrahi non vult, niſi in quibuſdam caſibus ab ipſomet expreſſis, *cap. Ad audientiam, & cap. Significaſti, 2. de homicid.* Hæc Gibalinus. Qui tandem fatetur, in hoc dubio præſumi conſilium fuiſſe operatum, & ideò ex ea præſumptione damnabitur tanquam irregularis iſte conſulens, non ratione dubij homicidij, ſed certi, & conſtantis ex ea præſumptione: cui definitioni non tenebitur ſeſe aptare forum internum, quod ducitur rei veritate, & non ſola præſumptione, quam ſequi ſæpius cogitur forum externum. Hæc etiam ille.

Sed ego clarius, & probabilius Reſpondeo: Dicendum *Primò*, quod conſulens in dicto dubio debeat ab ipſo, cui dedit conſilium, ſcire an ſuum conſilium influxerit in homicidium, vel non. Et ſi dicat, ſe nec ad ſubſtantiam homicidij, nec ad illius accelerationem motum fuiſſe ex conſilio, liber manet conſulens ab irregularitate, vt concedunt omnes Doctores. Secundò dico, quod caſu, quo id non poſſit ſciri ab ipſo conſulto, tunc conſulens debet vti prudentibus coniecturis, & ſi omnibus penſatis, prudenter iudicet ſuum conſilium minimè concurriſſe ad homicidium, liber erit ab irregularitate, ſi verò ſemper maneat dubius, tunc irregularis cenſebitur, quia prudenter eſt præſumendum, quod conſultus non committeret homicidium, niſi inſtigatus conſilio. Præcipuè cum tunc conſulens de conſilio dato ſit certus, & incertus de eo, quod in ipſum non influxerit. Sic Saytus, Couar. Auila, Cornejo, & Diana *loc. cit.*

Qvæstio XLIII.

An conſulens homicidium maneat irregularis, ſi conſultus non ſtatim, ſed poſt multos dies occidat.

NEgare videtur Auila *loc. cit. concl. 5.* his verbis: Si ego dedi conſilium Ioanni, qui ardenti voluntate occidit ſtatim, ſignum eſt, quod meum conſilium influxit: at verò ſi occidit poſt multos dies, non poteſt ſumi certa coniectura: nam licèt pro tunc, quando ego dedi conſilium, fortaſſis excitauerim, & intenderim eius voluntatem, at verò poſt tot dies potuit ille feruor elangueſcere, & voluntas redire ad ſtatum priſtinum, in quo erat ante conſilium, & tunc ego non ſum irregularis. Ita Auila. Pro cuius ſententia fuit Henric citatus ſupr. *q. 28.*

Sed longè multò probabilius. Reſpondeo: Manere irregularem. Quia, dum contrarium non conſtat, ſemper cenſetur factum homicidium ob coſilium datum. Sic Tabiena *verb conſilium, num. 5.* quem citat, & ſequitur Diana *p. 4. tract. 2. Reſol. 25.* Legantur pro hac parte citati pro noſtra, loquendo de mandante ſupr. *q. 28.*

Qvæstio XLIV.

An conſulens alteri, vt occidat aliquem, maneat irregularis caſu, quo is cui datum eſt conſilium, occidatur.

AFfirmat conſequenter Sayr. *lib. 7. c. 3. n. 3.* quia id ipſum docuit de mandante, quando mandatarius occiditur, *c. 2. n. 12.* citatque pro ſe. Nauarr. Maiolum, Henriq. Angelum, Couar. Tabien. & alios plures, quos nos adduximus ſup. *queſt. 21 & 25.* Ita etiam Filliuc. *tract. 20. c. 4. q. 4. dict. 2. n. 98.*

Sed æquè probabiliter, & conſequenter ad ſupr à dicta

dicta, Reſpondeo: Minimè tunc manere irregulatem, ob rationem, quam dedimus ſupr. *q.* 22. *&* 23. citatis, propter quam diximus, non manere irregularem illum, qui mandauit alicui occidere aliquem, caſu quo ipſe mandatarius occiſus ſit. Sic Luyſ. Hurtad. Vaſq. Præpoſitus, & Gibalin. *q.* 23. allegati. Quorum ſententiam vt probabilem ſequitur Lugo *de Inſtit. tom.* 1. *diſput.* 19. *ſect.* 2. §. 2. *n.* 40.

QVÆSTIO XLV.

An conſulens homicidium euitet irregularitatem, ſi ante factum homicidium, conſilium datum reuocet, idque manifeſtet ei, cui conſilium dedit.

AFfirmant non pauci DD. vitare irregularitatem. Quia illa diligentia eſt ſufficiens ad hoc vt mandatis homicidium irregularitatem effugiat, vt habitum eſt ſupr. *quæſt.* 24. *&* 25. ergo & vt conſulens. Ita tenent Ioan. Præpoſit. *in* 3. *part. q.* 5. *de Irregularit. dub.* 8. *num.* 62. *&* 64. & Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 26. quos citat, & ſequitur Diana *p.* 3. *tract.* 5. *Reſol.* 83. *&* *part.* 4 *tract.* 2. *de Irregularit. Reſol.* 14. *verſ. Non deſinam*, & loquendo in ordine ad reſtitutionem 2. *part. tract.* 2. *Miſcellaneo, Reſol.* 15. *&* 16. (non 17. & 18. vt leges apud Lugum.) Qui, & affert pro ſe D. Antoninum, Syluestrum, Auilam, Tannerum, & alios. Quibus addo ego Gibalinum *cap.* 4. *de Irregularit. quæſt.* 1. *conſectar.* 12. *pag.* 250. & antea *cap.* 5. *de cenſur. quæſt.* 3. *num.* 27. Suarium *diſp.* 44. *ſect.* 3. *num.* 13. Pellizzar. *loco cit. quæſt.* 83. *num.* 280. Portel. *loco cit. num.* 12. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *n.* 34. Hurtado *diſp.* 2. *diff.* 6. *num.* 23. Baunium *tract.* 11. *de Irregularit. quæſt.* 27. *quæſito* 11. *pag.* 496. Et caſu, quo conſulens admoneat eum, contra quem dederat conſilium, Auilam *part.* 7. *diſp.* 6 *ſect.* 2. *dub.* 4. *concl.* 3. Palaum *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 2. *n.* 4. & Machad. *docum.* 9. *citat. num.* 3.

Negant verò è cõtra cõmuniter DD. docentes abſolutè minimè ſufficere ad euitadam irregularitatem, conſulenti, vt ille reuocet conſilium de homicidio faciendo prius à ſe datum, etiamſi id manifeſtet ei, cui conſilium dedit; ſed manere irregulatem, etiam poſt hanc reuocationem factam, ſi ſequatur homicidium, propter prius conſilium datum. Ratio horum vna eſt. Quia hæc eſt diuerſitas inter mandantem, & conſulentem, quod mandans in mandando imponit vim, & obligationem mandatario, itaut quicquid iſte agat, in gratiam ipſius mandantis agere videatur: vnde ad hanc obligationem tollendam ſatis eſt, quod reuocet mandatum priùs datum, & illud mandatario manifeſtet; poſt quam reuocationem, ſi mandatarius occidat, non imputabitur homicidium mandanti, cum iam non in gratiam ipſius id fecerit. At verò conſilium eſt in fauorem eius, cui datur; vnde conſulens quaſi veneno voluntatem eius infecit, ideóque non ſatis erit ei, qui conſuluit homicidium, reuocare conſilium, ſed conari debet precibus importunis, & contrario conſilio, & ſuaſione, ne conſilium à ſe datum mandetur executioni. Ita omninò Sayrus *libro* 7. *Theſauri, cap.* 3. *num.* 4. & apud illum Summ. Confeſſor. *lib.* 4. *titul.* 1. *quæſt.* 6. Innocent. *in cap. Ad audientiam, num.* 3. *de homicid.* Syluestr *homicidium* 1. *quæſt.* 7. *verſ. Tertium*, Angel. *homicid.* 1. *num.* 13 Martin. de Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 26. *art.* 2. *de Irregular. pag.* 365. *col.* 4. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 233. Maiol. *lib.* 5. *capit.* 48. §. 2. *numer.* 3. Aſtenſ *part.* 2. *lib.* 6. *tit.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 3. Vinald. *tract. de Irregular. n.* 258. Summa Corona *eod. tit. num.* 21. & Henriq. *lib.* 14. *c.* 16. §. 5. Quibus addi poſſunt Bonacina *quæſt.* 4. *de Irregularit. punct.* 8. *num.* 20. Villalobos *tract.* 21. *diff.* 20. *numero* 7. licèt numero ſequenti oppoſitum videatur defendere.

Alij denique, media via incedentes, reſpondent notando, quod conſilium duabus rationibus dari, & peti poſſit. *Prima*, ad ſciendam ſolam veritatem, vt ſi quis quærat ab aliquo Doctore, an talis contractus ſit licitus, vel à Medico, an talis medicina ſit bona. *Secunda*, non tam ad ſciendam veritatem, ſed ad ſciendam vtilitatem, vel conuenientiam, vt ſi quis quærat ab aliquo, an ei conueniens, & vtile ſit occidere Petrum ob iniuriam ſibi illatam. Hac diſtinctione ſuppoſita, reſpondent, quod ſi primo modo detur conſilium, tunc ſi conſulens reuocet conſilium, oſtendendo falſum eſſe quod dixit, iam conſulens nec tenebitur ad reſtitutionem, nec ſi poſt hanc conſilij reuocationem ſequatur mors, reus illius erit, nec irregularis fiet; quia tunc qui conſilium accepit, non mouetur conſilio, aut auctoritate conſulentis, cum hic fateatur ſe fuiſſe deceptum, ſed ſua propria malitia. Si verò ſecundo modo detur conſilium, v. gr. ſi conſulens dicat tibi, ſine honore & fama manebis in caſu à me quæſito, niſi occidas inimicum, aut vindictam ſumas, aut ſi te doceat modum, quo tale homicidium tutò, & facilè exequi poſſis: tunc etiamſi conſulens reuocet conſilium, & conſulat contrarium, ne peccet, nihilominus ſi qui accepit conſilium, motus rationibus, aut motiuis ſibi à conſulente propoſitis, homicidium exequatur, tunc reus erit conſulens homicidij, & irregularitatis, quia tunc conſilium eius, non obſtante reuocatione, influit, non ſecus ac ille qui tradit Petro enſem, vt occidat Paulum, qui quamuis poſtea id diſſuadeat, niſi inſtrumentum auferat ante homicidium, ſemper cauſa homicidij erit. Sic docent duo noua, & magna Societatis lumina, nempè Eminentiſſim. Card. de Lugo *tom.* 1. *de Inſt. diſp.* 19. *ſect.* 2. §. 2. *n.* 37. & Sapientiſſ. Ioan. Dicaſtill. *tom. etiam* 1. *de Iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſput.* 10. *dub.* 14. *n.* 187. *&* *tract.* 2. *diſp.* 14 *dub.* 4. *à n.* 56. *vſq. ad* 65. citantes pro hac parte Molin. *diſp.* 731. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 5. Vaſq. *c.* 9. *de Reſtit.* §. 1. *n.* 10. *&* 11. Nauar. Azorium, & alios. Sic etiam Bonac. *q.* 4 *punct.* 8. *n.* 24. citans Suar. *diſp.* 44 *ſect.* 3. *n.* 14.

Ego in hac quæſtione Reſpondeo: Dicendum, quod omnes tres dicendi modi ſint prorſus probabiles, ſed probabilior hic vltimus, iuxta quem intelligenda ſunt quæ diximus *tom.* 2. *de cenſur. aliquibus in locis.*

QVÆSTIO XLVI.

An qui conſuluit homicidium cuiuſdam Clerici, & poſteà ſeriò tale conſilium reuocauit, manſerit nihilominus excommunicatus, & irregularis, & obligatus ad reſtitutionem, ſequuto homicidio.

NEgat Diana *parte* 3. *tractat.* 5. *Reſolut.* 83. per hæc verba: Pulchra eſt hæc quæſtio, & ex illa à Confeſſariis multi caſus benigne, ſi opus erit, reſolui poſſunt. Ideò probabiliter negatiuè reſpondendum eſſe puto. Et ratio eſt, quia quando conſulens fecit quod potuit, vt prius conſilium euertat, vel oſtendat omnibus conſideratis, eſſe iniquum, & non amplectendum, non videtur in tali caſu exequutor ipſius conſilio moueri, ſed potius ſua malitia. Et ideò contra Nauar. *in Man. c.* 27. *n.* 253. & alios hanc ſententiam quoad excommunicationem tenent Layman. *in Theol. Morali, lib.* 2. *tractat.* 5. *part.* 2. *capit.* 5. *num.* 7. Auila *de cenſur. parte* 2. *cap.* 5. *diſput.* 3. *dubio* 7. *concl.* 3. & alij. Idem quoad irregularitatem, contra Molin.

*tract.2.tom.3.poſter.diſp.*731. Tolet. *lib.1.cap.*85. & alios tenet D.Anton.*in 3.part.tit.*28.*cap.*2.§.2. Sylueſt. *verb.homicidium* 2. *num.*11.§.3. *&* *n.*12. *in fine.* Petr. Nauar.*de reſtitut.lib.*3.*c.*1.*num.*27.Et hanc ſententiam probabilem vocat Leſſius *lib.*2. *c.*13. *dub.* 1. *n.*17.& Layman.*loc.cit.* Et tandem quoad obligationem reſtituendi,liberant enim conſulentem, qui ſeriò ſuum conſilium reuocauit,non ignobiles Authores,vt Tanner. *in* 2.2 *diſp.*4.*quaſt.*6. *dub.*15. *num.*394. Salonius *in* 2.2.*quaſt.*62. *art.*7.*controuerſ.*6. & expreſſiùs Petr. Nauarr.*de Reſtit.loc.cit.* Emman. Sa *verb.reſtitut.num.*11.contra Malder.in 2.2.*tract.*4.*c.*2.*dub.*3. Et hanc ſententiam cum Leſſio probabilem etiam vocat Layman,vt re vera eſt. Concludendum eſt igitur cum dicto Layman, in gratiam Confeſſariorum ad tollendos omnes ſcrupulos, quod qui alteri, propoſitis rationibus homicidium iniuſtum perſuaſit, ſi eas poſtea ſeriò,& quatenus poteſt,efficaciter retractauit,ſequuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem reſtituendi incurrit.Huſcuſque Doctus Diana.Sed an benè omninò citet Doctores adductos, infra conſtabit.

Negant etiam alij,non ita abſolutè, ſed cum aliqua conditione, nempe caſu, quo conſulens non ſolum retractet ſuum conſilium, & perſuadeat conſultum, vt prius conſilium euertat;ſed etiam moneat occidendum vt ſibi caueat. Ita expreſsè tenet Auila, loquendo de excommunicatione,loco à Diana citato, non *concluſ.*3.*ſed* 4. his verbis: Quarta concluſio. Qui conſulit percuſſionem Clerici, & reuocauit conſilium, ſi non firmiter credit conſultum reuocaſſe propoſitum, debet indicare percutiendo, vel in particulari, vel in generali, ad arbitrium boni viri,vt ſibi caueat, & ſi totum id faciat, quamuis ſequatur percuſſio, non incurret excommunicationem, nec irregularitatem. Sic Auila. Et eodem modo, & cum eadem conditione,non aliter,ſentiunt D Anton. Sylueſt.& Petr. Nauar. quoad irregularitatem loquendo, vt notant Auil.*loc.cit.*Layman *n.*7. *verſ.At vero.* Qui eos, licèt loquendo de excommunicationis incurſione,ſequatur; minimè verò loquendo de irregularitatis incurſione, & damni compenſatione,cùm oppoſitum probabilius fateatur *loc.cit. verſ. Reſolutio igitur ſit.* Vnde conſtat,malè ex parte citaſſe hunc Authorem Dianam. Tenent etiam hanc ſententiam prædicto modo explicatam,Palaus & Machado citati quæſtione antecedenti.

Sed probabilius Reſpondeo: Iuxta nuper dicta, manſiſſe excommunicatum irregularem, & noxium reſtitutioni, ſi conſilium reuocatum adhuc influxerit in homicidium, eo quòd illud conſuluerit ad vitandam infamiam, aut aliam commoditatem conſequendam, &c. ſic ob rationem aſſignatam *quaſt. antecedent.*tenent Authores ibi citati pro tertio modo dicendi.

QVÆSTIO XLVII.

An ſit irregularis conſulens abortum fœtus animati, ſi poſtea, reuocato conſilio, non poſſit fœminam ad id perſuaſam, remouere ab abortu procurando.

NEgant eſſe irregularem Henriq.*lib.*14.*c.*16. *n.*5. *lit. O.* (non Q. vt leges apud Gibalinum) vbi ita ait: Non tamen ſit irregularis Clericus, qui coniugatam diſſuadere non poteſt à conſilio aborſus dato.Quia (*addit in margine*) ſat eſt præmonuiſſe infantem in matre ſua,vt moneri potuit. Ita Henriq. & aliqui Recentiores apud ipſum. Et apud Diana *p.* 4. *tract.*2.*Reſol.*15. Petrus Nauarrus & Præpoſitus citati ſupra *quaſt.*45. & Villalobos *tract.*21. *diff.*20. *num.*8 Quibus addo ego Gibalin. *loco cit.conſeil.*12. *pag.* 140. ita caſui noſtro ſatisfacientem: Reſpondetur, hunc conſiliarium non fore irregularem, etiamſi ſequatur aborſus, cuius tunc cauſa eſt ſola malitia eius fœminæ, non conſilium ipſi datum, quod reuocatum eſt, & impeditum ne ageret: cùm enim ſit cauſa moralis, & non phyſica, actiuitas impediri poteſt. Ita ille. Citat etiam Lugo pro hac parte Dianam *loco citat.*ſed malè, quia licèt non conſequenter,partem oppoſitam ſentit eſſe probabiliorem, & tutiorem.

Sed probabilius Reſpondeo: eſſe irregularem. Quia vt ſupr. *quaſt.*45. eſt habitum, quando conſilium datum fuit de committendo homicidio, oſtendendo,aut proponendo vtilitatem,aut honorem eius, cui datur: aut docendo modum, quo poſſit exequi, tunc etiamſi conſulens reuocet conſilium, verè incurret irregularitatem, ſequuto effectu. Ratio eſt, quoniam in hoc caſu conſilium reuocatum etiam influit in aborſum,& homicidium: nam conſilium non influit propter voluntatem perſeuerantem conſulentis, ſed propter motiua vtilitatis, vel commoditatis, quam in opere iniquo manifeſtauit.Hæc namque motiua ſunt, ſicut arma, quibus ſi aliquem ad homicidium armaſti, licèt poſtea petas, ne illis vtatur, ſemper denominant te cauſam damni dandi;nam totum illud prius voluiſti in cauſa,& præuidere debebas fore,vt poſtea non poſſes, etiamſi velles,repetere arma, vel motiua illa,quibus animum ad malum operandum inflexiſti. Sic Cardin.de Lug. *tom.*1. *de Iuſt. diſp.*19. *ſect.*2.*n.*37.*&* 39.citans Nauar.*c.*27.*n.*233. Cordub.*in Summ.q.*173.§.6.Auil.*p.*7 *diſp.*6 *ſect.*2. *dub.*4. *concl.*3. *verſ.Hinc ſequitur.* Sayt.*lib.*7.*c.*3.*n.*5. & Petrum Cornejo *in* 3.*p.tract.*5.*de Irregul.diſp.*1.*dub.*2.*q.*2.*num.*3. *verſ.Ex quibus.* Quibus addi poſſunt Bonacin.*quaſt.*4. *punct.*8.*n.*27.Ægid.*diſp.*18.*n.*64.Lop.1.*p.inſtruct.c.*63. Imò Henriquez videtur id ſentire *c.*16.*cit.*§.2. *lit.O*, dum hæc verba, loquendo de mandante, dicit: Qui non potuit monere mandatarium (vt ſi longè diſtet) aut eum qui periculum patitur (puta infantem cuius aborſum fieri mandauit matri) ſit irregularis,quantumuis pœniteat facti. Sic ille. Etſi §.5. *cit.* eiuſdem capitis, (vt vidimus)id negare loquendo de conſulente videatur. Sed non conſequenter certè. Nec ſufficit (vt putat hic Author) illa monitio infantis in matre, vt conſulens euitet irregularitatem; quia,vt benè vidit Auila,illa monitio nullius eſt momenti; ſiquidem ipſe infans nullo modo potuit ſe liberare à morte ſibi inflicta.

QVÆSTIO XLVIII.

An qui conſuluit homicidium, & reuocauit illud, ac bona fide credidit, id ſufficere, vt occiſio non ſequeretur, maneat nihilominùs irregularis, ſi homicidium ſubſequatur.

NEgat Saytus *libro* 7. *capit.*3. *numer.* 6. ſub his verbis: ſi bona fide putauit ſufficere reuocationem, non erit irregularis, etiamſi ſequatur homicidium, argum. *cap. Sicut tuis, de Simonia, &* 1. *quaſt.*4.*cap. Quia præſulatus.* Sin verò aliqua ratione dubitauit, aut dubitare debuit, non ſufficere reuocationem, tenetur indicare ei, contra quem conſilium datum eſt,vt ſibi caueat; aliàs ſequuto homicidio,irregularis erit.Sic Innocent.quem referunt,ac ſequuntur Summ. Piſanell. *verb. homicidium* 2. §. *Quid ſi aliquis conſuluit.* S.Anton.*part.*3.*tit.*29.*cap.*2.§.2.Sylueſt.*verb.homicidium* 1.*q.*3.*verſ.Tertium.*Tabien.*verb.*

irregula

Digitized by Google

irregularitas; a §. 14. Maiol. *lib.* 5. *c.* 48. §. 2. *n.* 3. & Henriq. *lib.* 14. *c.* 16. §. 2. Hucuſque Saytus.

Sed ex his Authoribus, in primis Maiolus ſolùm docet ſecundam partem ſententiæ Sayri, non primam, cum potius oppoſitum ſentiat, vt dicunt hæc ipſius verba: Vno tamen caſu excuſaretur hic mandans, vel adhortans, qui reuocauit mandatum, & non monuit occiſum, ſi videlicet putauit veriſimiliter, quod mandatarius propter reuocationem deſiſteret ab homicidio. Ita Albetic. *in verb. homicidium* 2. *in princip.* Tabien. *in verb. irregularitas* 2. *n.* 1. & 13. Anton. Flor. *lib. de cenſur. c.* 97. §. 13. quæ ſententia eſt periculoſa: quia cum adhuc maneat mentis corruptio mandatarij, non videtur ſufficere reuocatio, niſi etiam moneatur occidendus. Ita Maiolus. Rurſus licet Henriquez ſententiam Sayri teneat, non tamen §. 2. ſed 6. *in gloſſa litt. K*, vis verbis: At ſi putauit conſulens ſatis fuiſſe intimationem reuocationis, & preces ſuas, vt conſultus deſiſteret, excuſatur ab irregularitate in foro conſcientiæ. Ita Henriquez citans Maiol. Tabien. Albetic. & D. Antonium, ſed Maiolum non benè, vt vidiſti.

Tenent tamen nouiſſimè ſententiam Sayr. Petr. Cornejo *in* 3. *p. tract.* 5. *de Irregul. diſp.* 1. *dub.* 2. *q.* 2. *n.* 4. *verſ. Inſtabis.* citans pro ſe D. Anton. Syluest. Maiolum, & Henriquez locis à Sayro citatis. Et Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *de Irregul. Reſol.* 14. *in fine* hæc dicens: Notandum eſt tamen hic obiter, quod ſi bona fide conſulens putauit ſufficere tantum reuocationem ſolam non erit irregularis, etiam ſi ſequatur homicidium: ita Sayrus, & Cornejo *loc. cit.* Hæc Diana.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Manere irregularem, ſi homicidium ſubſequatur. Quia bona fidea conſulentis exiſtimantis ſufficere reuocationem ſui conſilij, ſolùm poteſt excuſare nouam ipſius culpam, non verò irregularitarem, eum tc vera non impedierit influxum conſilij præcedentis in homicidium poſtea ſubſequutum. Sic Card. Lug. *tom.* 1. *de Inſt. diſp.* 19. *ſect.* 2. §. 1. *n.* 26. dicens doctrinam oppoſitam eſſe falſam, ſi vniuerſaliter intelligatur. Et hanc noſtram confirmat ex ſimili, quam ſuprà *q.* 32. tradidimus.

QVÆSTIO XLIX.

An præbens conſilium pium, ex quo præter intentionem homicidium ſequitur, irregularitatem incurrat.

RESpondeo, vt certum: Non incurrere. Quia cum ex vna parte talis actus ſit pius, ac bonus, & ex alia minimè ſit ordinatus in homicidium, nec à præbente conſilium intentus, nullo modo efficiet conſulentem irregularem. Sic Maiol. *lib.* 5. *c.* 48. §. 2. *n.* 7. quem citat, & ſequitur Sayr. *lib.* 7. *c.* 3. *n.* 7. Qui varia exempla ad hoc confirmandum affetunt, de quibus etiam nos dicemus. Sit ergo;

QVÆSTIO L.

An conſulens alteri, vt pro fide Chriſti, aut pro Eccleſia ſe morti exponat, fiat irregularis, morte conſulti ſequuta.

RESpondeo, vt certum: Non fieri irregularem. Quia in hoc caſu conſulens nihil aliud facit, quàm exortari militem Chriſti ad fortiter pro Chriſti honore, aut pro eius fide, ac ſponſa Eccleſia pugnandum, quod quidem eſſe actum maximæ virtutis, conſtat ex dictis ſup. *diſp.* 7. *q.* 120. Sic tenent communiter DD. Maiol. *lib.* 5. *c.* 48. §. 2. *num.* 9. *cit. verſ. Pro fide.* Couar. *in Clem. ſi furioſus, p.* 2. §. 9. *n.* 6. & apud illum R. P. Leand. de Irregularit.

Innoc. Anton. Cardin. Socin. & Felin Henriq. *lib.* 14. *cap.* 16. §. 4. *litt Z*, vbi citat etiam Hoſtienſ. Angel. Roſel. Syluest. D. Anton. Armill. Tabieo. Alberic. & alios. Sayr. *lib.* 7. *c.* 3. *num.* 8. Auil. *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. & alij.

QVÆSTIO LI.

An etiam vitet irregularitatem, qui conſulit alteri, vt ſe pro bono publico, aut pro defendenda Patria periculo mortis exponat, ſi inde mors conſulti ſequatur.

RESpondeo, etiam vitare irregularitatem. Quia vt conſtat ex dictis ſup *diſp.* 7. *q.* 121. licitum eſt cuilibet in bello iuſto adhortari milites ad pugnandum abſque metu incurrendæ irregularitatis: ergo. Sic Auil. *loc. cit.* Syluest. Angel. & Roſell. apud ipſum. Et Henriq. §. 4. *cit. litt. Y*, vbi in Gloſſa notat, contrarium ſentire Felic. c. 9. cum Innoc. Hoſtienſ. Supplem. Angel. *homicidium*, §. 15. & Syluest. *homicidium* 1. §. 8. caſu, quo conſulens veriſimiliter putet ſecuturam in proximo, hoc eſt, in conſulto, mortem. Sed quidquid hi authores limitent, tu tene abſolutè concluſionem.

An autem etiam ſit ab irregularitate immunis, qui conſulit alicui, vt patrem ſuum periclitantem, aut ſuum amicum defendat, etiam caſu quo conſultus interficiatur, conſtat ex dictis *diſp.* 7. *cit. q.* 122. vbi diximus eum communi, immunem eſſe. Legatur Auil. *loc. cit. concl.* 2.

QVÆSTIO LII.

An conſulens alteri, ne hoſtem fugiat, eo quòd exiſtimet hoſtem, qui eum inſequitur, ob ſuam præſentiam non occiſurum, irregularis maneat, ſi exinde conſultus occidatur.

RESpondeo: Non manere irregularem caſu, quo conſulens id probabiliter, & cum fundamento aliquo exiſtimauerit eo quod eſſet amicus, vel affinis ipſius hoſtis, aut magnæ authoritatis apud illum. Secus verò ſi conſulens nec amicus, nec affinis, nec vllius authoritatis erat apud hoſtem inſequentem conſultum, quia tunc verè mors conſulti imputabitur conſulenti, eo quòd temerè hortatus eſt illum ad ſubſiſtendum, & ideò tunc manebit irregularis. Sic Maiol. *lib.* 5. *c.* 48. §. 2. *n.* 9. Alberic. Summ. Confeſſ. Tabien. & Armill. apud ipſum. Henriq. etiam *lib.* 14. *c.* 16. *n.* 4. *litt. X*, vbi abſolutè docet, non eſſe irregularem, qui volenti fugere violentiam hoſtium, conſulit manere animo componendi pacem. Vbi citat Maiol. Felic. Alberic. & Summ. Confeſſ. Sed certè hi authores, non abſolutè, ſed diſtinctionè noſtra loquuntur. Sic etiam Sayr. *lib.* 7. *c.* 3. *n.* 9. Somm. Piſana, Aſtenſ. Syluest. D. Antoo. & Summ. Corona apud ipſum. Bonac. *q.* 4. *punct.* 3. *n.* 16. Vgol. *c.* 16 §. 7. Reginn. 144. Legatur Gibal. *c.* 4. *q.* 1. *concl.* 10. *verſ. Quarto.*

QVÆSTIO LIII.

An qui tranſeunti flumium rapaciſſimum iumento debili, conſulit vt deſcendat, vt ſic melius illud pertranſeat, fiat irregularis, ſi exinde deſcendens ſubmergatur.

RESpondeo: Non fieri irregularem. Quia conſulens hoc conſiliū præſtitit bona fide putans, ſic tutius

flumen euaſurum. Sic Maiol. *lib.5.c.48.§.2.n.9.* ita dicens : Si cùm ſeruus flumen tranſiret , aſinus autem, vel equus, quo inſedebat, in ipſo medio fluminis ſubſtiterit, vnde ſit in euidenti periculo ſubmerſionis ; ſi Clericus ob pietatem hortetur , vt ſeruus equo , vel aſino deſcendat , putans illum tutius euaſurum, & contra euenerit, quia ſcilicet ſeruus deſcendens , vi fluminis fuerit ſubmerſus , non fiet irregularis Clericus , qui hortatus eſt , vt deſcenderet. Speculat. *in dict.§. Iuxta, verſ. Sed pone ruſticus ſuper aſino,* Sic Maiolus. Quem citat, & ſequitur Saytus *lib.7.cap.3. numer.* 10. vbi citat etiam Heoticum Henriquez *lib.14.cap.*16.§.4. Sed hand bene. Quia hic Auctor non loquitur de hoc, ſed de caſu à nobis nuper *q.51.* in fine adducto. Ait enim ſic : Nec videtur irregularis , ſi conſulat exponere ſe periculo pro virtute quadam , *vt* pro amici defenſione , quem hoſtes occidere intentant ; vel qui periclitatur fluminis impetu raptus ; quia id pertinet ad virtutem amicitiæ. Hæc Henriquez.

QVÆSTIO LIV.

An qui parato occidere Clericum adulterum conſulit , vt potius mutilet, maneat irregularis , ſi de facto eum mutilatum faciat.

Affirmabunt forſan defendentes , peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem illum, qui conſulit minus malum volenti fecere maius. Sunt autem Antoninus *in cap. Super eo, de vſuris.* Gabriel *in 4. diſt.* 15.*q.*11.*art.*3.*dub.*14. Caiet. 2.2. *q.*78. *art.*4. *notab.* 3. Syluest. *verb Matrimonium* 7.*q.*5.*dict.*9. Couar. 4. *decret.* 1.*part.cap.*4.*in princip.num.vltim.* Valentia 2. 2. *diſp.*5. *quaſt.*21.*punct.*4. *col.*4. Sà , Angles , Conradus & alij , quos refert Sanchez *lib.7. de Matrimon. diſp.* 11.*num.*14. quorum ſententiam eſſe ſatis probabilem putat.

Sed probabilius Reſpondeo, Prædictum conſulentem non manere irregularem. Quia illo ſuo bono cõſilio nullo modo peccat, ergo per illud nequit contrahere irregularitatem ex delicto. Conſequentia patet ex dictis *tr.*1.*diſp.*2. *q.*7. Antecedens verò probatur. Quia verius , & probabilius eſt, eſſe omnino licitum, conſulere minus malum, gratia vitandi maioris, quando is, cui conſulitur, conſtitutum apud ſe habebat maius illud malum perpetrare, & alia via à malo propoſito reuocari nequit, eo quod huiuſmodi conſilium non eſt abſolutum, ſed conditionatum explicitè, vel implicitè, ſcilicet ſi vnum ex his malis facturus es, fac hoc minus, & non illud grauius , quod quidem rationabiliter conſulitur, cum ex duobus malis minus malum ſit eligendum : Et ita hanc doctrinam , vt veriorem, tradunt Nauar. *in Man.c.*14 *n.*40. *verſ.* 13. *& cap.* 17. *num.* 163. *& cap.*24.*num.* 11. Petr. Nauarr. *lib.3. de Reſtitut. cap* 4. Gutiertez 4. *Can. lib.*2. *c.*23. *n.*43. Molina *tom.*2. *de Iuſt. tract.*2. *diſp.*335. Salon, Aragon, Vega, Corduba, Medina, & alij plures, quos refert, & ſequitur Sanchez *loc. cit. n.*15. Quibus addi poſſunt Lugo *de Iuſt. tom.* 2. *diſp.*19. *ſect.*5.§.2. *num.*43. & Dicaſtillo *tom.*1. *de Iuſt. lib.*2. *tract.*2. *diſp.*4. *dub.*4. *n.*74. & alij: ergo & licitum erit conſulere illi , qui paratus eſt occidere Clericum adulterum , vt potius illum mutilet, aut percutiat: ergo ob id nequit irregularitatem contrahere. Et ita in propriis terminis ſic ſentiunt Saytus *lib.7.cap.3.num.*13. Suarez *diſp.*45 *ſect.*3. *n.*2. *& ſeq.* Auila *part.7.diſp.6.ſect.5.dub.* 3. (non 7. vt leges apud Bonac.) *concl.*1. Henriquez *lib.14.cap.16.num.4.lit.G.* ibi : Quod ſi parato occidere adulterum Clericum in. in delicto deprehenſum conſular, & roget, vt contentus ſit facere exectum, aut mutilatum , non videtur irregularis, quia huius conſilium moraliter non influit, vt fiat mutilatio , ſed fiat homicidium , & conſulens non incurrit excommunicationem, dum maritus mutilat Clericum , quia non peccat in eo bono conſilio. Sic Henriquez , citans Nauarrum *num.*40. *citat.* Sic etiam Filliucius *tract.* 30.*c.*4. *quaſt.*5.*nu.*102. Ægidius *diſp.*18.*dub.*8.*n.*69. Rodriguez *c.*178. *n.*21. Bonacina *quaſt.4. de Irregularit. punct.*8.*num.*19. *verſ. Dixi in propoſitione.* Sanchez *loco citat. num.*15. Palans *diſp.*6. *punct.*15.§.6.*n.*1. Cornejo *diſp.*2.*dub.vnic.quaſt.*5. *pag. mihi* 785.

QVÆSTIO LV.

An maneat irregularis , qui conſulit alicui , vt bona ſua tueatur ac defendat , ſi conſultus ob id ſe exponat periculo, & occumbat.

Affirmat cum aliis Henriquez *lib.*14.*cap.*16.*n* 4. *lit. E.* ſub iis verbis : Conſulens tamen , vt pro rerum defenſione exponat, videtur fieri irregularis ſequuto effectu, ſi aduertit incurrere periculum vitæ. Ita ille. Et antea Silueſt. *verb. Homicidium* 1.*quaſt.*8, *verſ. Octauum.* Tabiena *irregularitas* 2.§.15. Maiolus *lib.5, c.*48.§.2.*n.*9. & alij.

Sed probabilius Reſpondeo : Non manere irregularem, caſu quo res, quas tuetur conſultus, ſint magni momenti & ad vitam neceſſariæ. Quia tunc conſilium eſt de re licita, & bona: ergo per accidens erit , ſi inde ſequatur mors conſulti , quam conſulens nullo modo intendit: ergo per tale conſilium, etiam ſequuta morte conſulti, non manebit conſulens irregularis. Sic Sayr. *lib.*7.*c.*3.*n.*12. & Gibalin. *c.4. de Irregul. q.*2. *conſect.*8. *n.*19. *pag.*183. ita dicens : Qui conſulit alteri, vt exponat ſe probabili vitæ periculo, quod licitè poteſt adire pro bono publico, aut priuato, non eſt irregularis, non modò quia illud conſilium eſt de re bona, ac proinde non poteſt puniri pœna irregularitatis, ſed etiam quia non conſulit , vt iam oſtendi , ſui ipſius homicidium Sic ille.

QVÆSTIO LVI.

An qui conſulit alteri aliquod crimen, v.g. furtum, ex quo ſcit illum morte puniendum , fiat irregularis.

Affirmant omnes illi, qui exiſtimant, conſulentes rem illicitam, ſi mors inde alicuius ſequatur, irregulares eſſe. Sic Saytus *lib.7.c.3. in fin.* Qui id probat ex *c. Continebatur, de homicid. & c. fin. eod. tit. in 6.* & citat pro ſe Summ. Piſan. *verb Homicid.* 2.§. *Quid ſi non conſulit.* Innocent. *in cap. Ad audientiam, n.*1. *de homicid.* Sum. Confeſſor. *lib.*2. *tit.*1.*q.*6. D. Anton. 3.*p. tit.*29.*c.*2.§.2. *circa med.* Panorm. *in c. Ad audientiam, cit.* Summ. Corona *tract. de Irregul. n.*11. & Henriq. *lib.*14 *c.*16.§.1. Sed hic vltimus Auctor non loquitur certè de conſulente , ſed de mandante, ait enim *lit. G.* ſic : Mandans capere iniuſtam poſſeſſionem beneficij , aut Caſtri , cum ſtrepitu armorum, aut bombardarum, & baliſtarum, ſequuto homicidio fit irregularis. Ita Henriq. Ita etiam Vgolin. *cap.*16.*num.*6. *&* 9. Speculat. & Felin. apud Gibalinum & Bonac. *punct.*8. *cit. n.*15.

Sed iuxta à nobis dicta *ſupra quaſtion.* 22. *&* 23. Reſpondeo probabilius dicendum : nullo modo talem conſulentem fieri irregularem , niſi aliàs eo animo conſilium dediſſet, vt ipſe cõſultatus occideretur. Probatur *Primò* ratione, *loco citat.* aſſignata *Secundò*, Quia conſulens crimẽ, ex quo videt conſultum morte eſſe

eſſe puniendum, non eſt cauſa proximè influens in homicidium: ergo per tale conſilium non incurrit irregularitatem. Sic tenet expreſsè cum Vaſquez Gibalin. *conſ.*8. *cit. verſ. Secundò*, & debent tenere omnes citati.

QVÆSTIO LVII.

An Confeſſarius qui conſulit pænitenti fateri crimen dignum morte, ſi iuridicè interrogetur, ſit irregularis, ſequuta pænitentis morte.

NEgant plures Doctores eſſe irregularem. Quia hoc non eſt concurrere ex parte inferentis mortem (ait Cornejo) ſed ex parte ſuſtinentis, & hoc iuſtè. Præterquam, quod ſolùm intendit conſulere animæ pœnitentis, & mors eſt per accidens ſequuta. Sic ille *diſp.*11. *dub.*1. *q.*4. Qui & citat Sayr. *lib.*6. *c.*18. *n.*26. *in fine*, & Henriq. *lib.*16. *n.*4. *lit. A & B.* Diana etiam *part.*4. *tract.*1. *Reſol.*99. & Gibal. *c.*4. *de Irregul. q.*1. *conſ.*8 *pag.*184. ita dicens: Confeſſarius qui conſuluit pœnitenti fateri crimen dignum morte, eſtò aliqua fortaſſis de cauſa excuſetur ab aperièda veritate, non erit irregularis, ſequuta pœnitentis morte, non modo quia modò eſt illud conſilium, & de ſe licita, quamuis enim iure poſſet crimen tacere, fateri tamen illud iure poterit, ſed quia non conſulit mortem, neque in illam proximè influit. Sicut enim iſte non occidit, aut mutilat ſe ipſum fatendo crimen: ita neque cauſat ipſius occiſionem, aut mutilationem, qui ad eam manifeſtationem hortatur. Sic Gibalinus *ibi.* licèt non ita abſolutè loquatur poſtea *c.*4 *q.*3. *conſ.*7. *diff.*10. *pag.*170.

Sed iuxta dicta ſuprà *diſp.*7. *q.*33. & 34. Reſpondeo: Dicendum ſub diſtinctione: Non eſſe quidem irregularem conſulendo pœnitenti, vt fateatur crimen dignum morte, caſu quo teneatur illud fateri: ſecus verò ſi probabilem ſequendo opinionem, non teneatur, quia tunc probabilius eſt conſulentem proximè ad mortem pœnitentis concurrere, eo quod debeat ſub morte illum à morte occurrenti, cum poſſit licitè, liberare. Legantur dicta à nobis *q.*33. *& ſeq.* vbi quæ hic deſiderari poſſunt, inuenientur.

QVÆSTIO LVIII.

An ſit irregularis, qui conſulit homicidium alicui, qui aliàs illud eſſet commiſſurus abſque conſilio tali.

NEgat Bonac. *quæſt.*4. *de Irregul. punct.*8. *n.*23. Quia conſulens in hoc caſu non cenſetur cauſa efficax homicidij, eo quòd exequens illud ſolùm occidat ſua voluntate, non impulſu, & ſuaſione conſulentis.

Sed clarius Reſpondeo: Non eſſe quidem reum irregularitatis, ſi conſultus nullo modo fuit motus ad occidendum, ob conſilium, & ſuaſionem conſulentis, ſed ob ſuam meram malitiam, & voluntatem, vt benè Bonacina probat. Secus verò, ſi aliqua ratione commiſerit homicidium, ob dictum conſilium: vt ſi illud commiſiſſet ob propriam voluntatem, & etiam ob conſilium ſibi datum; nam tunc conſulens verè influeret in homicidium, & conſequenter fieret irregularis. Legantur Bonac. *loc. cit.* Molin. *diſp.*33. *memb.*6. Vgol. *c.*14. §. 3. & *c.*16. *n.*2. Sayr. *lib.*7. *c.*2. *n.*11. & Henriq. *lib.*14. *c.*16. §. 4. Qui idem docent loquentes de mandante homicidium, quando mandatarius, nulla ratione commiſit homicidium ob mandatum ſibi impoſitum.

§. II.

De auxiliante, aut cooperante ad homicidium.

QVÆSTIO LIX.

An auxiliantes, & cooperantes ad homicidium vel mutilationem, ſint ſequuto effectu irregulares.

REſpondeo: Tanquam quid certum. Eſſe irregulares. Quia efficaciter influunt in homicidium, vel mutilationem, cùm eorum cooperatio ſit omnium, & maximè propria culpa homicidij, & ideò illi impoſita eſt pœna irregularitatis in *cap. Sicut dignum, §. Illi, & cap ſignificaſti*, 2. *de homicid.* vbi omnes Doctores. Notantes, quod ad hoc, vt quis ſua cooperatione, & auxilio contrahat irregularitatem ex homicidio voluntario, debeat expreſsè mortem occiſi intendere, & aliquam actionem præſtare, ex qua phyſicè, ſeu directè mors ſequatur; nam aliàs ſi cum contrahet irregularitatem ex homicidio caſuali. Rurſus, quod talis cooperatio debeat habere rationem culpæ mortalis contra quintum Decalogi præceptum. Quia cooperatio non alia ratione facere poteſt quem irregularem, quàm facit ipſum homicidium, quod nunquam facit, niſi quando quis in eo committendo peccat mortaliter: ergo. Legantur Suar. *diſp.*44. *ſect.*3. *n.*31. & *diſp.*45. *ſect.*3. *à n.*1. vbi de homicidio agit caſuali. Sayrus *lib.*7. *cap.*4. *à n.*9. Vgolinus *cap.*17. Nauarr. *in Man. cap.*27. *num.*224 Couarr. *in Clement. ſi furioſus ſecunda parte*, §. 2. *num.*2 Henriq. *lib.*54. *c.*14. *n.*2. Bonacin. *diſp.*7 *quæſt.*4. *punct.*8. *à num* 18. Palaus *diſp.*6. *punct.*15. §. 2. & 6. Gibalin. *cap.*4. *de Irregularit. q.*2. *conſectar.*9 & 10. & alij.

QVÆSTIO LX.

An quando plures de communi conſenſu vnum aliquem aggreſſi ſunt, & aggreſſus vnico vulnere perit, omnes maneant irregulares.

REſpondeo, vt quid certum: Omnes irregulares manere. Quia omnes ſunt veluti vna cauſa mortalis huius homicidij, ſiquidem omnes cooperati ſunt ad homicidium, concitando ſe, & conſulendo illud, ex qua concitatione, conſilio, & præſentia ſequutum eſt, licèt vnus tantum inflixerit lethale vulnus. Sic communiter DD. id colligentes ex cap. *Significaſti, cit.* vbi apertè dicitur eum, cuius conſilio alter occiſus eſt, irregularem eſſe. Sic igitur tenent D. Thom. 2. 2. *q.*64. *art.* 7. Couar. *in Clem. cit. part.*2. §. 2. *n.*3. vbi citat Bartol. Angel. Cynum, Ludouic. Carriet. Hyppolit. & alios. Vgolin. *cap.*14. *n.*5. Henriq. *num.*2. *cit.* Molin. *diſp.*33. *membr.*1. & 7. Suar. *diſp.*44. *ſect.*3. *num.*33. & *diſp.*46. *ſect.*3. *num.*9. Sayr. *lib.*7. *cap.*4. *num.*13. Auila *part.*7. *diſp.*6. *ſect.*3. *dub.*3. *concluſ.*1. Filliuc. *tract.*10. *cap.*4. *quæſt.*7. *num.*109. Bonac. *loc. cit. num.*19. & Gibal. *cap.*4. *de Irregularit. q.*1. *conſect.*8. *pag.*132.

QVÆSTIO LXI.

An etiam omnes maneant irregulares, quando plures, non præmiſſo conſilio, aut conſenſu, ſed in rixa ſubitò contingenti, omnes inuolarunt in vnum, & vulnerarunt Petrum, & ſolùm vnum vulnus fuit lethale, neſcitur tamen à quo fuerit inflictum.

AD hanc quæſtionem reſpondent aliqui DD. vnumquemque eorum ſuæ conſcientiæ relinquendum eſſe; tutius tamen eſſe in tali dubio ſe homicidas, & conſequenter irregulares reputare; cùm nullum ſit in hac parte periculum, in alia verò eſſe poſſit. Ita Gloſſa *in c. Quieſcamus, verb. Sed quoniam omnes, diſt.*42. Speculat. *tit. de diſp.*5. *Iuxta, n.*52. Hoſtienſ. *in Summ. lib.*5. *tit. de homicid.* Aſtenſ. *in Summ. part.*2. *lib.*6. *cap.*24 *art.*8. *q.*3. Marian. Socin. *in c. Ad audientiam, n.*46. *de homicid.* & Nicol. Plouios *de Irregul. regula* 28.

Sed vt certum Reſpondeo: Omnes eſſe irregulares, ſi omnes dubitant, an vulnus illud intulerint lethale. Ratio eſt *Primò.* Quia ſic videtur definitum *in cap. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti, el* 2. *de homicid.* vbi qui percuſſerat, & dubitat, an illo ſuo vulnere cauſa mortis fuerit, cenſetur irregularis: atqui in caſu noſtro, omnes, & ſinguli ſciunt, ſe percuſſiſſe, & ſolùm dubitant, an ſua percuſſione occiderint: ergo omnes cenſeri debent irregulares, & vt tales pronunciari à foro externo, quod nequit diſcernere quiſnam occiderit, ex eo quod vnum tantum reperiatur vulnus lethale, ex quo iudicio Chirurgorum obierit.

Secundò. Quia in iſto euentu, vel nullus debet haberi vt homicida, & irregularis, vel omnes: non nullus, quia ſi omnes pœnas homicidij euaderent, daretur culpa ſine pœna, quod videtur abſurdum: ergo omnes & homicidæ, & irregulares cenſeri debent, cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, Sic communiter Doctores, præcipuè Couarruuias *in Clement. ſi furioſus, de homicid.* 2. *part.* §. 2. *num.* 5. *verſ. Quoad irregularitatem.* & apud illum Ioan. Andreas, Gotofred. Anan. Anton Panormit. & alij. Sayrus *lib.*7. *cap.*5 *num.*13. Henriquez *lib.*14. *c.*14. §. 3. Graff. *lib.*2. *deciſ. c.*62. *num.*74. Auila *part.*7. *diſput.*6. *ſect.*3. *dub.*3. *concluſ.*1. *verſ.* Couarruuias *num.*5. Molina *diſp.*32. *memb.*7. *in fine.* Reginald *num.*161. Suarez *diſp.*45. *ſect.*3. *num.*11. Bonacina *diſp.*7. *quæſt.*4. *punct.*9. *n.*29. Filliuc. *n.*110. Gibalin. *conſectar. cit. verſ. Secundò,* dicens id eſſe certiſſimum. Philibert. Marchin. *de Ordine tract.*1. *part* 8. *cap.*3. *pag.*136. *num.*1. Machad. *lib.*1. *part.*3. *tract.*16. *docum.*9. *num.*9. Barboſ. *in cap. ſignificaſti, cit. num.*6. Palaus *diſp.*6. *punct.*15. § 6. *num.*2. Qui idem dicunt, & à fortiori, quando plures percuſſerunt, ſed neſcitur quo vulnere percuſſus obierit.

QVÆSTIO LXII.

An etiam in dicto caſu ſint omnes irregulares, dato quod conſtet, quis illud vulnus lethale, ex quo percuſſus eſt mortuus, intulerit.

AFfirmant, etiam in iſto caſu manere omnes irregulares, quamplures Doctores, inter quos præcipui ſunt Nauarr. *in Man. cap.*27. *num.*224. *verſ. Decimò infertur, & conſil.*24. *aliàs* 32. *de homicid. in fine.* Suarez *diſp.*45. *ſect.*3. *num.*10. & 11 Filliuc. *tract.* 20. *cap.*4. *quæſt.*7. *num.*111. & Auila *part.*7. *diſp.*6. *dub.*3. *concl.*4. qui id probat. Quia omnes, facto ipſo, mutuò ſe iuuant, & debilitant aduerſarium: ergo omnes concurrunt ad occiſionem. Et confirmat, quia licèt non concurrant, præmiſſo conſilio, tamen ex quo omnes ſimul ex vna parte ſimul oppugnant aduerſarium, concurrunt tanquam vna cauſa totalis moralis: ergo. Ita ille. Qui & citat pro ſe Henriq. *lib.*14. *cap.*14. *n.*2 *lit. D.* iuncta doctrina eiuſdem *num.*3. *lit. N.* & Emman. Roderic. *cap.*178. *concl.*16. Sic etiam Maiol. *lib.*5. *cap* 48. §. 4. *num.*7. Ægid. *diſp.*18. *dub.*8. *num.*70. Palaus §. 6. *cit. num.*4. Citat enim Gibalinus pro hac parte Sayrum; ſed omninò malè, cùm oppoſitam expreſsè doceat.

Alij verò contrà negant manere omnes irregulares, ſed ſolùm illum, qui lethaliter percuſſit, quia quamuis omnes teneantur de percuſſione, non verò de homicidio. Probant hanc ſuam ſententiam: Quia in iure non eſt vnde colligatur ex tali facto irregularitas. Nam textus *in c. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti, de homicid.* non loquuntur de illo qui ſcit, ſe non percuſſiſſe lethaliter, ſed tantùm de eo qui dubitat, vnde ex his textibus potius colligitur, illum qui ſcit, aut probabiliter exiſtimat, ſe non percuſſiſſe lethaliter, & ex vulnere, quod intulit, non fuiſſe ſequutam mortem, minimè irregularem eſſe, quamuis ſciat ſe percuſſiſſe: nam illi Sacerdotes, de quibus agebatur in citatis textibus, fatebantur ſe percuſſiſſe, ſed dubitabant an ex illa ſua percuſſione cædes facta eſſet: propter quod dubium voluit Pontifex, illos eſſe irregulares, non propter percuſſionem præcisè. Ita tenuit in caſu contingenti Diana *part.*1. *tract.*13. *reſol.* 18. adduceos pro ſe Sayrum *lib.*7. *cap.*4. *n.*13. Couarr. *in Clement. ſi furioſus, part.*2. §. 2. *num.*3. *verſ. Secundus caſus.* Bonac. *de cenſur. diſp.*7. *q.*4. *punct.*8. *num.*29. & Villadieg. *c.*6. *n.*47. Quibus addit Gibalin. Henricum Henriquez *cap.*14 *cit. n.*3. & Auilam *loc. cit.* pro contraria, *concl.*2. & non male hunc certè; ſed debebat notare, oppoſitum expreſsè poſtea tenuiſſe *concl.*4. vt vidimus. Tenet etiam Machado *docum* 9. *citat. num.*9. vbi ita ait: *Los Doctores diſputan, ſi en caſo que no ſe auerigue, quien de los compañeros le matò, todos deuan tenerſe por incurſos en la irregularidad. Suarez defiende que ſi, no ſolo quando es incierta la perſona que matò, ſino aun tambien quando es cierta, y conocida. Pero la mas comun y recebida opinion es, que quando la perſona que matò es cierta, ſola ella queda irregular, y los demas no: pero ſi es incierta, del derecho conſta que ſe deuen portar como incurſos.* Sic Machad. Et ſic etiam Philibert. Marchin. *loc. cit. ſup.* Quos videtur ſequi Gibalin. *cap.*4. *de Irregul. q.*1. *conſect.*8. *verſ. Tota itaque difficultas.* Licèt in oppoſitum videatur inclinare.

Ego autem in hac quæſtione maiori cum diſtinctione Reſpondeo: Dicendum *Primò,* ſi in caſu aſſignato omnes concurrerent ad percutiendum, vel occidendum, non per modum vnius, nec ſeſe mutuò iuuantes, ſed quodam ſubitaneo impetu ſinguli inuolarent, ſine alia maiori morali coniunctione, quàm ſi ſeorſim illum fuiſſent aggreſſi, tunc non erit irregularis, niſi ille qui vulnus lethale intulit: at verò ſi ita rixa communis ſit, vt ſinguli fecerint vnam veluti cauſam moralem, & ſeſe mutuò iuuauerint, aut excitauerint ad alium oppugnandum, ac proinde vno impetu, & vna ex parte coniunctis viribus ipſum aggreſſi fuerint, tunc omnes iſti ratione cooperationis erunt irregulares, licèt vnus tantum occiderit, ſiue dubitent ſe occidiſſe, ſiue non dubitent, & certò ſciant ſe vel non percuſſiſſe, vel non lethaliter percuſſiſſe, ſiue intenderint cædem, ſiue non

intenderint,

intenderint, cùm reipſa fuerint ad illam cooperati. Id, & non aliud, videtur ſentire Henriquez *loc.cit.* vt hæc eius verba inſinuant, ait enim ſic: Dum plures ſeparatim ſine ſociali concurſu dederunt vni plura vulnera, & in occiſo reperitur vnicum lethale vulnus, ſi conſtet ille ſolus qui lethaliter percuſſit, excuſantur reliqui ab irregularitate. Sic ille. Necnon Gibalinus *loc.cit.*

Reſpondeo *Secundò*, licèt ſpeculatiuè loquendo valde probabilis ſit ſecunda ſententia, in praxi verò tenenda prima, & iuxta illam dicendum, omnes cenſendos fore irregulares. Quia in praxi ferè ſemper contingit, vt quando plures in ſubita concertatione, ſeu rixa eundem percutiunt, ſe mutuò iuuent, coniungántque re ipſa ſuas vires; atque id faciant, ne vnus, aut pauci aliquot non poſſint ſe tueri, aut fuga, alióve modo ſaluti ſuæ conſulere, vti facilè poſſent, ſi ab vno tantum, aut altero oppugnarentur. Ex quo fit vt in praxi vix vnquam iſti ſimul percutientes, aut rixantes excuſari valeant ab irregularitate, quando aliquis occiditur, ſiue ſciant ſe non occidiſſe percutiendo, ſiue dubitent. Sic omnino Gibalin. *loc.cit.pag.*134. Legatur Molina *tract.*3.*diſput.*33.*membr.*7. *n.*2. An autem hæc irregularitas ſit ex homicidio directè voluntario, an verò ex caſuali, conſtat ex dictis *ſupr. q.*12.

QVÆSTIO LXIII.

An qui ſcienter aſſociat euntem ad occidendum aliquem, animo ſolùm defendendi eum (ſi opus fuerit) ne ſuccumbat, maneat irregularis, ſi aſſociatus occidat.

RESpondeo affirmatiuè cum Henriq. *lib.*14.*cap.*14. *n.*2.*lit.T.& clarius c.*16.*n.*1. *lit.L.* hæc dicente: Qui volentem occidere comitatur, vt eum defendat, licèt alter ſine ſocio occidat, fit irregularis: quia ſocius, licèt diſſuaſerit occidere, adiecit animum. Sic ille. Et antea Armilla *verb.Irregularit.n.*34. his verbis: Aſſocians volentem facere homicidium, vt defendat eum, ſi opus erit, etiam quod diſſuadeat homicidium, fit irregularis, ſi ſequitur mors, ſecundum Hoſtienſ. & facit *cap. Hæreticus, de Cler. pugn. in duell.* nam ex eius aſſociatione factus eſt homicida animoſior, & ſic cooperatus eſt morti. Ita Armilla. Ledeſma etiam *q.*16.*n.*2. Roſella §.1. Couar. *in Clement. Si furioſus, part.*2.§.2. *n.*2. *verſ. Quatenus verò, in fine*, licèt hic non ita in terminis. Plouius, D. Anton. Felin. Speculat. Quos ſequitur Auila *p.*7.*diſp.*6. *ſect.*3. *dub.*3. *concl.*1. limitans tamen horum doctrinam, vt non procedat quando non eſt auctus animus occiſoris, eò quod viribus, & armis multùm ſuperabat aduerſarium. Quam limitationem colligit ex doctrina Henrici *cap.* 14. *cit. num.* 2. *lit. D.* & bene, nam ita ibi ait: At ſi duo caſu concurrant, & rixa ſubitò oborta primus leuiter percuſſit, etiam animo occidendi, & debilitauit, & nihil influxit in animum alterius, ſolus ſecundus qui eum lethali vulnere occidit, tenetur damnum reſtituere, & fit irregularis. Ita ille. Quem admittit Gibalinus *vbi infra*. Et ego facilè admitterem hanc limitationem, ſi facilè eſſet verificari, quod non redderetur animoſior occiſor ex præſentia aſſociantis; & debilior occiſus ad ſe tuendum, ex eiuſdem præſentia, vt bene Suarez *diſputat.*45.*ſect.*3. *num.*10. cum aliis. Et nouiſſimè Gibalinus *cap.*4. *de Irregularitate, quæſt.*1. *conſectar.*10.*num.*13.

QVÆSTIO LXIV.

An ſaltem immunis ſit ab irregularitate, ſi aſſocians ſit pater, vel filius, vel valdè amicus eius, qui ad occidendum aliquem exit, ſi hic contrarium occidat.

AFfirmant nonnulli Doctores, tunc eſſe immunem ab irregularitate, ſi bono animo aſſociauit ſuum filium, patrem, aut amicum, ne in tali rixa periclitaretur, quia dat operam rei licitæ. Ita Henriquez *lib.*14.*c.*16.*n.*1.*in fine*, & Auila *loc.cit* qui id confirmat ex doctrina Nauarr. *conſ.*32. (mihi 24.) *de homicid.* vbi docet (ait Auila) non eſſe irregularem eum, qui bono animo tenebat enſem euaginatum in manu ſua ſine alia læſione, quamuis alius percuſſus à fratre in rixa poſtea obiit ex percuſſione. Ita Auila. Quorum ſententiam tenet Gibalin. *loc.cit.* & videtur ſequi Diana *p.*4.*tract.*2. *reſol.*17. licèt addiderit, hanc opinionem limitaſſe Præpoſitum *in* 3.*p.q.*5.*de Irregular. dub.*8.*n.*65. dicendo, intelligendam eſſe, ſi exterius ita amicum rixantem aſſociando non videatur illum animare ad occidendum.

Sed hanc limitationem prius adiecit Nauarrus *loco citat.* ab Auila, quod non aduertit Diana. Nam ibi inquirit, An ſit irregularis frater, qui bono animo aſtans, enſem tenebat in manu euaginatum, ſi alius in rixa à ſuo fratre occiſus ſit? & Reſpondet, non eſſe irregularem, niſi probetur, quod præfatus frater iuuit fratrem ſuum homicidam, accedendo euaginato gladio feſtinanter ad rixam, eo quòd ſuo ad illam acceſſu auxit animum fratris ad occidendum. Vnde Gibalinus abſolutè, & ſine limitatione vlla, etiam in caſu, quo ex aſſociatione fratris, filij, vel patris creſcat homicidæ animus, docet tenendam eſſe ſententiam Auilæ.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè eſſe immunem ab irregularitate talem aſſociantem ſuum patrem, filium, aut amicum, euntem ad occidẽdum alium. Quia reuera negari non poteſt, quod ſua præſentia exhibeat auxilium, & fauorem ſuo patri, aut filio, vel amico occiſori, & debiliorem reddat animo inimicum occiſum, vt conſtat ex ſæpè dictis. Vnde negandum eſt contrariis, quod prædictus aſſocians ſuum fratrem, aut patrem, aut amicum euntem illicitè ad occidendum aliquem, det operam rei licitæ. Legatur Suar. *diſp.* 45. *ſect.*3.*num.*10.

QVÆSTIO LXV.

An quando plures vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe lethalia, ſed tamen ſimul ſumpta, ſunt cauſa ſufficiens mortis, omnes, & ſinguli incurrant irregularitatem.

REſpondeo tanquam certum: Omnes irregularitatem incurrere. Quia reuera omnes, & ſinguli ſunt cauſæ partiales mortis, & ex iis vna totalis conſurgit. Vnde negari nequit, omnes fuiſſe cooperatos ad mortem inferendam. Sic communis, & præcipuè Couarr. *in Clement. Si furioſus*, 2.*p.*§.2.*n.*4. *verſ. Quarta*, & apud illum Bartholom. Ananias, Felinus, Ludouic. Carrier. & alij. Suarez *lib.*7.*cap.*4.*n.*14. Maiolus *lib.*5. *c.*48.§.4.*n.*7.*&* 8. Henriquez *lib.*14.*c.*16.*num.*3. Auila *part* 7.*diſp.*6.*ſect.*3.*dub.*4. *concluſ.*5. Bonacina *diſp.*7. *quæſt.* 4. *punct.*8. *num.*30. Molina, Suarez, Vgolinus, Ægidius, & Filliucius apud ipſum, Gibalinus *cap.*4.

de Irregularitate, quæſt.1. conſectar.8. in fine. Barboſa *in cap. ſignificaſti 2. de homicid. num.9.* & alij.

QVÆSTIO LXVI.

An quando plures habitantes in aliqua domo, nec ex dolo, aut malitia, nec ex mutua cooperatione, ſed ex aliqua leuitate, & negligentia lapides ſingulos proiecerunt, vno tamen lapide percuſſus obiit quis: an, inquam, omnes ſint irregulares?

AFfirmauit apud Auilam, Didacus Perez *cap.6.n. 45. verſ. De quæſtione tamen ſupradicta*, & apud Henriq. Brixien. *q.15.* docentes quod in hoc caſu debeat Iudex omnes reputare irregulares.

Sed probabilius reſpondeo: Nullum ex prædictis, qui proiecerunt lapides, cenſeri irregularem debere, aut à Iudice vt talem reputari. Quia in hoc caſu, nulla fuit cooperatio homicidij: ergo non poterit irregularis pronunciari vllus: neque etiam omnes; tum quia æquius eſt vnum nocentem tolerare, quàm plures innocentes damnare. Tum etiam, quia re vera omnes non ſunt cooperati illi homicidio, neque conſilio, neque actione ipſa: ergo. Sic Henriquez *lib. 14. capite 14. num.3. in fine*, per hæc verba: Si ex quatuor, qui ſimul coniecerunt ſingulos lapides caſu, & ſine mutua cooperatione conſtet vno tantum lapide percoſſum obiiſſe, nec conſtat, cuius eſſet ille lapis, omnes abſoluuntur; quia præſtat non damnari innocentes, quàm vnum nocentem ignotum abſoluere, Sic ille. Qui citat Speculat. Maiol. Albert. Angel. Villadiego, & Perez. Sed hunc vltimum malè, ait Auila. Sic etiã hic Auctor *p.6. diſp.6. ſect.5. dub.3. concl.3.* & apud ipſum Hoſtienſ. & Ioan. Andr. Bonac. *punct.8. in vltima edit. n.29.* Gibalin. *conſectar.8. cit. verſ. Tertiò.* Palaus *diſp.6. punct.15. §.6. n.2. in fin.* Qui citat Suarium *diſp.45. ſect.3. dub.3. concl.2.* Sed non bene: quia Suarius *in ſect. cit.* nec dubia aliqua propunit, nec concluſionem: ſine dubio citare voluit vtrumque, Suarium videlicet *ſect.3 cit. n.11. in fine*, & Auilam *dub.3. concl.3. cit.* Addit tamen Maiolus *lib.5. c.48. §.4. n.9.* quod in foro poli non ſit dubium, quin maneat irregularis ille, qui ſciret ſe deliquiſſe, ſed nihilominus Iudicem in foro iudiciali neminem illorum declarare poſſe irregularem, ob rationem dictam.

QVÆSTIO LXVII.

An ſi quis animo latronem occidendi, non lethaliter, ſed leuiter percuſſit, ſed deinde alij neque vocati, neque incitati à primo percuſſore, lethaliter percuſſerunt, omnes maneant irregulares.

AFfirmat omnes manere irregulares, Speculat. *in tit. de diſpenſ. §. Iuxta, numer.48. verſ. Illud etiam nota*, & apud Bonacinam Suarez *diſp.45. ſect.3. num.9.* & Filliucius *tract.20. c.4. quæſt.7. num.111.* Sed malè citat vtrumque pro hac parte, cùm oppoſitam expreſsè teneat vterque. Tenent tamen Maiolus *lib.5. c.48. §.4. num.6. verſ. Si quis*, Syluest. & Tabiena apud ipſum.

Probabilius ergo longè Reſpondeo: Solùm vltimos percuſſores manere irregulares, non primum. Quia huius percuſſio non influxit in mortem, quam vltimi ſine conſilio, aut cooperatione illius dedere Et hic eſt caſus expreſſus *in cap. Significaſti, el 2. de homicid.* vbi Parochus, qui percuſſerat latronem ſpoliantem Altaria, quem deinde accedentes Parochiani occiderunt, pronuntiatur immunis ab irregularitate, ſi leuiter tantùm percuſſit, & neque aliis conſuluit, neque mandauit ſequutam occiſionem. Sic in primis tenet Suar. *ſect.3. cit. n.12.* id optimè probans. Filliuc. etiam *num.111. cit. verſ. Non obſtat.* Henriq *lib.14. c.14. n.1. in fine.* Saytus *lib.7 cap.4. num.15.* Bonacina *diſput.7. quæſt.4 punct.8 num.32.* Gibalinus *cap.4. quæſt.1. conſectar.9. num.28. in princ.* Barboſa *in cap. Significaſti, cit. num.9.*

QVÆSTIO LXVIII.

An etiam è contra, quando quis primò lethaliter percuſſit aliquem, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm percuſſerunt, primus percuſſor tantùm irregularis ſit.

AFfirmant plures DD. ſolum primum percuſſorem manere irregularem, non cæteros aduenientes. Ita abſolutè docent Auila *part.7. diſp.6 ſect 3. dub.4. conc.4. verſ Sed quid primum.*

Alij verò docent, in præaſſignato caſu, ſolum primum lethaliter percuſſorem, eſſe irregularem, non verò illum ſequentes, niſi aliàs hi venerint, tanquam auxiliatores, & ad mortem citius inferendam aliquid contulerint ſuis leuibus percuſſionibus Ita Gibalinus *loc. cit. verſ. Secundò.* vbi citat Henriq *lib.14. c.14. (ſic lege, non 24.) n.2.* Saytum *lib.7. c.4. n.15.* Auilam *loc. citat.* & Bonacinam *punct.8. n.22.* Sed ex his Auctoribus, ſolùm Bonacina, & Auila agunt in terminis de hac quæſtione propoſita modo à nobis relato, cæteri verò minimè. Nullus tamen ex his, excepto Auila, reſoluit caſum, cum ſolùm doceant id conditionatè, dicendo non ſolum primum percuſſorem manere irregularem, ſed etiam reliquos, ſi ſuis leuibus percuſſionibus ad mortem citius inferendam cooperati ſunt: hic enim opus eſt, vt de facto cenſendi ſint ad illam cooperati, vt de facto irregulares iudicentur.

Vnde alij melius abſolutè reſpondent dicendo, quod regulariter loquendo, nõ ſolum ille, qui primò lethaliter percuſſit, ſed etiam reliqui, qui poſtea leuiter percuſſerunt, ſint, atque maneant irregulares, morte percuſſi ſequuta. Ratio eſt, quia non videtur dubitandum, quin, regulariter loquendo, ex poſtremis percuſſionibus, quantumuis leuibus, acceleretur percuſſi mors, quam licèt cauſaſſet vulnus primum lethale, ſed non tam facilè, aut tam properè: ergo non ſolum primus percuſſor, ſed etiam reliqui dicendi ſunt cooperatores mortis, ac proinde irregulares. Sic Suarez *diſp.45. ſect.3. n.9.* qui id ex mente Bartoli per hæc verba probat: Accedit doctrina Bartoli, eos qui inflixerint vulnera de ſe non lethalia poſt inflictum lethale vulnus ab alio, vt homicidas puniri etiam à Iudice ciuili: quia vulnera, quæ aliàs non eſſent lethalia, in corpore ſic vulnerato & affecto lethalia ſunt: ergo de his dubitari non poteſt quin incurrant irregularitatem. Sic ille. Quem non citatum ſequitur Filliuc. *n.111. cit.* ita dicens: Secundum, ſi vnum vulnus ſit lethale, non autem reliqua, omnes cenſentur irregulares, quia ſaltem cooperati ſunt ad mortem, quodlibet enim vulnus ſiue præceſſerit lethale, ſiue ſubſequutum ſit, reipſa iuuat ad mortem, & reddit ſubiectum debilius ad reſiſtendum vulneri lethali, & ſaltem accelerat mortem. Sic Filliuc.

Ego, ex his tribus ſententiis, hanc vltimam vt meliorem eligendam puto, adhibita tamen aliqua limitatione, ſeu explicatione; nempe, vt non intelligatur in caſu, quo poſtrema vulnera ſint ita admodum leuia, vt iudicio Chirurgorum (cui hæc res eſt committenda) aut nihil morti intulerint, aut parum valde

valde illam accelerauerit: quia tunc ob paruitatem materiæ, immunes ab irregularitate manerent vltimi percuſſores, iuxta doctrinam à nobis traditam *ſup. tract. 1. diſp. 4. q. 1.*

QVÆSTIO LXIX.

An quando primus aliquem lethaliter percuſſit, & cæteri aduenientes (nullo habito conſilio, aut cooperatione) etiam lethaliter percuſſerunt, omnes maneant, ſequuta percuſſi morte, irregulares.

AFfirmant plures Doctores ex *cap. Significaſti, el 5. de homicid.* vbi ſtatuitur, percutientem mortiferè eſſe irregularem, etiamſi percuſſus ab aliis fuerit occiſus: quamuis certum non ſit, imò dubium, ipſum vulneratum ex priori vulnere moriturum, ſi ab aliis non foret iterum percuſſus, & exanimatus. Ita Ioan. Igneus, Florian. Alberic. Celſus, & alij, quos citat & ſequitur Couarru. *in Clem. Si furioſus. 2. p. §. 2. n. 4.* Quibus adde Molinā *tom. 4. tract. 3. diſp. 33. memb. 7. n. 3. col. 707.* & apud ipſum Anton. Gomez & Iul. Clarum, Vgolinus *c. 14. §. 1.* Barboſa *in c. Significaſti, cit. n. 1.* & alios.

Sed probabilius ſub diſtinctione ſi Reſpondeo dicendo, omnes quidem percutientes manere irregulares, ſi non ſtatim, ſed poſt aliquod tèmpus, ac fuit percuſſus à ſecundis percuſſoribus, obiit percuſſus. Si verò ſtatim obiit, tunc non manere irregularem primum percuſſorem, ſed ſolùm ſecundos.

Prima pars conſtat ex dictis. Quia tunc non ſolum poſtrema vulnera, ſed etiam primum lethale, cooperatum eſt ad mortem, aut ad eius accelerationem; aut ſaltem dubitari iure poteſt, an vtrumque illud vulnus cauſarit eam mortem: ſed in eo dubio contrahitur irregularitas, ex *c. Significaſti, cit.* ergo certum eſt ex iure in hoc euentu tam primum, quàm ſecundos lethaliter percuſſores, irregulares manere, vt in hac parte optimè ſentiunt Auctores primæ ſententiæ, cum communi.

Secundos verò pars, quæ contra illos militat, ſic clarè probatur. Quia ad incurrendam irregularitatem homicidij, neceſſariò debet quis eſſe cauſa proxima illius: ſed in caſu, quo percuſſus ſtatim obiit, ac fuit percuſſus à ſecundis, tunc primus percuſſor non fuit cauſa proxima dicti homicidij, ſed ſolùm ſecundi, qui reuera illum occiderunt: ergo. *Confirmatur.* Quia ſi percuſſus à Petro vulnere lethali, ſtatim occidatur à fulmine, tunc Petrus non manet irregularis, eo quòd vulnus inflictum à Petro non cauſauit mortem: ergo nec in præſenti caſu dicetur filius occidiſſe Caium à ſe lethaliter percuſſum, ſi illi ſuperueniens Sempronius hoſtis caput vno ictu demeſſuerit. Si igitur primum vulnus, quamuis lethale, reipſa, non cauſatit mortem, nec ipſam aliquantulum accelerauit, ſed tota illata fuit à ſecundo, aut ſecundis percutientibus, tunc primus qui vulnerauit, nullo modo contrahit irregularitatem. Id verò, vt ſupra notauimus, petendum eſt ex peritorum Medicorum, aut Chirurgorum iudicio.

Nec obſtat textus *in cap Significaſti*, quem contra nos obiiciunt DD. primæ ſententiæ. Quia ibi ideo primus percuſſor definitur irregularis, quia dubium erat, an vulnus, quod impoſuerat, mortem illius latronis reipſa cauſaſſet, aut acceleraſſet: in noſtro autem caſu ſupponimus cauſam cædis commiſſæ fuiſſe ſecundum vulnus, quod colligimus ex eo quod ſtatim ab illo inflicto interierit. Sic tenent Zaſius apud Couar. *loc. cit.* Auila *part. 7. diſput. 6. ſect. 3. dub. 4.* Ægidius *diſp. 18. dub. 8. num. 60.* & Bonacina *quæſt. 4. punct. 8. n. 33.* quos citat & ſequitur Gibalinus *cap. 4. q. 1. conſectar. 9. verſ. Tertio.* Palaus *diſp. 6. punct. 15. §. 6. num. 6.* & penes ipſum Henriquez *lib. 14. c. 14. num. 3.* Molina *tract. 3. diſp. 33. memb. 6. n. 4.* & Layman. *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. in fine.* Sed ex his, quos Palaus citat, Auctoribus in primis Henriq. in oppoſitum potiùs inclinare videtur: nam hæc dicit verba *cit. loc.* Si primus lethaliter percuſſit, & tamen alius, qui ſe ſolo ſufficeret, occidit, vterque fit irregularis; nam ſaltem eſt dubium probabilius, quod primum vulnus iuuit ad mortis accelerationem: Si tamen ex Medicorum iudicio, & bonis coniecturis credatur primum vulnus de ſe ſufficiens non concurriſſe de facto ad mortem, hic fortaſſe excuſabitur ab irregularitate. Hæc Henriquez. Rurſus Molina loco citato à Palao, nihil ad propoſitum dicit, & oppoſitum expreſsè tenet loco à nobis allegato. Layman denique ſolùm dicit, hanc partem eſſe valde probabilem. Qui etiam malè citat Molinam vbi Palaus. Tenent etiam noſtram ſententiam alij Iuniores.

QVÆSTIO LXX.

An omnes cenſendi ſint irregulares, caſu quo poſterius lethaliter vulnerantes occurrunt inuitati à primo, qui tantum leuiter vulnerauit.

REſpondeo, vt certum: Omnes cenſeri irregulares. Quia tam ille qui inuitat, quàm illi qui auxilium præbuerunt, in mortem ſubſequutam proximè influxerunt, vel phyſicè, vel moraliter. Sic omnes. Legantur Gibalinus *loc. cit. verſ. Quartò, pag. 136.*

QVÆSTIO LXXI.

An fiat irregularis ille qui rixam iniuſtam habens cum alio, admonet amicos, famulos, conſanguineos occurrentes in ſui auxilium, ne quid mali illi inferant, ſi hi nihilominus occidant eum, aut mutilent.

AFfirmant fieri irregularem caſu, quo rixa primi contendentis cum occiſo fuerit iniuſta, & illicita, quamplures Doctores, ex eo quod ille dederit culpam præambulam ad occiſionem; quod ſufficit ad incurrendam irregularitatem, vt colligitur ex *cap. Petrus 17. de homicid.* vbi ab irregularitate excuſatur, qui ignorauit, & prohibuit; quia non dedit cauſam intentioni, nec rixæ, ſed potius ipſe occiſus fuit in culpa illius inimicitiæ & pugnæ: ergo è contra, qui dedit cauſam rixæ, & eius amici, famuli, vel conſanguinei accurrentes, alterum eum eo pugnantem occiderunt, etiamſi id præter eius voluntatem, imò contra eius prohibitionem facerent, irregularis cenſebitur. Ita Villadiego *de Irregularit. cap. de percuſſore, col. 8.* & Marc. Socin. *in cap. Ad audientiam, de homicid. num 50.* quos citat, & ſequitur Couarr. *d. Clement. Si furioſus, 2. part. §. 2. num 8. verſ. Primum.* Iacob. de Graff. *part. 1. deciſ. aur. lib. 2. cap. 64. num. 17.* Vgolinus *de Irregularit. cap. 18. §. 2.* Riminald. Iun. *conſil 441. vol. 4.* Ozaſc. *deciſ. 104. n. 5.* & Bellet. *diſquiſit. Cleric. part. 1. tit. de diſcipl. Clericor. §. 5. num. 54.* quos omnes affert, & ſequitur Barboſa *in cap. Petrus 17. de homicid. num. 3.* Qui contrarium cum communi cenſet de illo, cuius occaſione non cauſam dante, ab eius amicis, famulis, vel conſanguineis homicidium committitur: quia in hoc caſu ille non debet cenſeri homicida, cùm non fuerit cauſa homicidij. Ita ille *num. 1. & 2.* ex

Abbate,

Abbate, Innocent. Zarabella, Anania, & aliis Canoniſtis: quos quoad hoc vltimum, ſequitur Hentiquez *vbi infrà.*

Sed probabilius Reſpondeo: Nullo modo fieri irregularem (ſi aliàs non contulerit aliquid ad eius mortem, aut eius accelerationem per vulnera à ſe priùs facta, iuxta doctrinam à nobis ſupra datam.) Ratio eſt. Quia ille primus, qui cauſam dedit rixæ, nullo modo cooperatus eſt morti ſui inimici, cum potius illam impedierit, quantum potuerit: ergo propter illam nequit fieri irregularis. *Confirmatur*, quia tale homicidium non fuit commiſſum voluntate illius, qui cauſam dedit contentioni, vt conſtat ex dictis: ergo non potuit eſſe voluntarium reſpectu illius: ergo nec irregularis propter illud. Sic Gloſſ. *in cap. vlt. 23. q. vlt.* Bald. & Hippolyt. apud Couar. *loc. cit.* Henriq. *lib.* 14. *c.* 13. *n.* 4. & apud illum Recentiores Theologi. Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 5. *concl.* 1. Reginald. *n.* 147. Bonac. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 34. Gibalin. *cap.* 4. *q.* 1. *conſect.* 9. *in fine, pag.* 136. & alij.

Qvæstio LXXII.

An qui vulnerauit lethaliter aliquem, quem domus corruens interemit, maneat irregularis.

AFfirmatiuam ſententiam poſſe defendi, ſatis innuit Molin. *tract.* 3. *diſp.* 33. *membr.* 7. *n.* 4. *col.* 709. dum contrariam ferè inuitus amplectitur.

Sed vt mihi certum Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia, vt optimè ait Molina *loc. cit.* irregularitas non prius incurritur, quàm mors actu ex cauſa illius, quam homicida dedit, ſequuta, etiamſi conſtet cauſam ſofficientiſſimam illius eſſe datam. Quare, cum quando in eo euento mors ſequeretur ex ca, caſu fortoito ſuperueniente, falſum eſſet dicere mortem fuiſſe ſequutam ex vulbere lethali inflicto, falſumque eſſet dicere eum, qui id vulnus lethale inflixit, interfeciſſe eum hominem, fuiſsève homicidam illius; ſed ſolum ſit verum dicere, dediſſe cauſam ſufficientem ad homicidium, futurumque fuiſſe homicidam illius hominis, niſi mors illius aliunde fuiſſet præuenta: vtique dicendum erit, illum non contraxiſſe irregularitatem ex tali interitu eius hominis. Sic Molina. Ex cuius doctrina colligitur, quod ſi quis v. g. poſt acceptum lethale vulnus feritur fulmine, aut ruina domus opprimitur, aut ſubitò comminuitur ictu bombardæ, aut ab alia cauſa extinguitur, tunc percutiens non erit irregularis, vt conſtat ex dictis *q.* 69. & tenent Auila, Bonac. & alij ibi citati. Legatur rurſus Gibalin. *loc. cit. conſectar.* 10. *n.* 30. *pag.* 136.

Qvæstio LXXIII.

An maneat irregularis ille, qui leui vulnere aliquem percuſſit, & percuſſus incidens in ſaxa, vel flumen mortuus eſt.

REſpondeo etiam vt certum: Manere irregularem, vel ex homicidio voluntario, vel caſuali, iuxta nuper dicta. Quia reuera, illud leue vulnus, in eo euentu verè intulit mortem percuſſo. Sic colligitur ex *cap. Studeat, distinct.* 30. & tenent Maiolus *loco citato, num.* 6. Addens idem eſſe dicendum de illo, qui leuiter vulnerauit aliquem, ſed tamen cauſa fait, ne fugeret percuſſus, & ſic non fugiendo, faciliùs occiſus eſt à ſuperuenientibus; tunc enim ille primo, licèt leuiter vulnerans, manebit irregularis. Silueſt. *verb. Homicidium* 3. *q.* 7. *verſ. Secundum.* Sayt. *n.* 5. *cit. in fine*, dicens eſſe commune. Sed hoc vltimum additum, vt ſit verum, intelligendum eſt caſu, quo percuſſio leuiter vulnerantis aliquo modo influat in mortem, quam ſuperuenientes intulere, vt explicauimus *ſupr. q.* 67.

Qvæstio LXXIV.

An qui ſagittam aut gladium de vulnere alicuius extrahit, fiat irregularis, ſi ob id vulneratus citius pereat.

AFfirmat abſolutè Mainlus *lib.* 5. *c.* 48. *§.* 4. *n.* 3. per hæc verba: Morti etiam opem fert ille, qui de gutture lethaliter vulnerati ſagittam extraxerit, ſi ob id vulneratus celerius moriatur. Argum. c. *Tua*, & *cap. quamuis, de homicid.* Speculat. *in d. §. Iuxta, verſ. Si autem aliquis ſagittam.* Hæc Maiolus. Quibus addi poſſunt Socin. Panormitan. & Villadiego apud Couar. mox citandum.

Sed probabilius cum diſtinctione ſic Reſpondeo dicendum, quod ſi extrahens non extrahat ſagittam, aut gladium cautè, & ſecundum regulas artis, & exinde accelerata ſit mors vulnerati, tunc verè ſit irregularis: quia periculosè, & illicitè accelerauit mortem percuſſi. Si verò extrahat ſecundùm regulas artis, & bono fine, animóque ſanandi, tunc non manet irregularis, licèt caſu acceleretur mors, quia id euenit per accidens. Sic Couar. *in Clem. Si furioſus, p.* 2. *§.* 4. *n.* 3. *verſ. Hi vero dicendo.* Auctores etiam irregularem eſſe opinantur eum, qui à vulnerato ſagittam extraxerit, ſi ex hoc ipſe vulneratus moriatur. Quorum ſententiam ego admitterem, vbi in extrahendo ſagittam aliquam culpam habuerit, quia non ſeruauit modum ab huius rei viris peritiſſimis præſcriptum, vel operam dederit rei ſibi illicitæ, & interdictæ, alioqui non eſt omnino vera prædicta opinio. Sic ille. Et antea Nauar. *c.* 27. *n.* 229. Henriquez *lib.* 14. *c.* 11. *n.* 1. Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 9. *per totum.* Bonac. *etiam. q.* 4. *punct.* 7. *n.* 13. & alij.

Qvæstio LXXV.

An cenſeri debeat irregularis ille, qui dubitat an ex vulnere graui, vel leui à ſe illato, vulneratus obierit.

REſpondeo, vt certum: Cenſeri debere. Quia ita videtur expreſſum c. *Ad audientiam, de homicid.* vbi dicitur irregularis ille, qui cultello, & vagina decidente alium leuiter in dorſo vulnerat, eo quòd dubium eſſet, an ex eo vulnere, aut ex alia infirmitate obiiſſet: quod dubium multo maius foret, ſi vulnus graue, & mortiferum fuiſſet. Verum igitur eſt illud in hac materia commune; Quod irregularis ſit quiſquis in dubio facti homicidij, ſecus in dubio iuris. Sic Couar. *in Clem. Si furioſus, part.* 1. *num.* 3. Sayrus *lib* 6. *cap.* 2. *num.* 17. Azorius 1. *part. lib.* 2. *cap.* 10. *quaſt.* 19. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 2. *num.* 23. Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. diſp.* 41. *num.* 9. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 18. & 19. & *ſect.* 6. *n.* 1. Salas, Valentia, Bonacina, Filliucius, Sancius Rebellus, & Salas, quos omnes refert Barboſa *in d. cap. Ad audientiam, n.* 2. De quo etiam nos egimus *ſupr. tract.* 1.

QVÆSTIO LXXVI.

An caſu, quo vulnus illatum alicui leue fuit, incuria tamen Medicorum, aut propria intemperantia, aut alia quapiam accedente cauſa, vulneratus obiit, habendus ſit irregularis, qui ipſum ita leuiter vulnerauit.

AFfirmant plures DD. Quorum ratio eſt: quia de facto mors ſequuta eſt ex illato vulnere, cum aliàs ſequuta non fuiſſet, ſi vulnus illud inflictum non fuiſſet: ergo irregularis manebit ſic percutiens. Ita apud Saytum *lib.7.cap.4. num.16.* tenent Silueſt. *homicidium 2. quæſt.2.* Tabiena *verb. Irregularitas 3. §.6.* Nauar. *cap.27. num.223. verſ. Octauò, in fine.* Maiolus *lib.5.cap.48.§.4.num.6.* Viualdus *de Irregularit. num.141.* Ledeſma *2.4 quæſt.26. art.2. de Irregularit. pag.395.* Ludouic. Carrer. Ancharan. D. Antun. & alij, & apud Auilam Couat. *part.2. §.2.n.9.* Corduba *in Summ. quæſt.34.* Villadiego *c.6.n.17. verſ. Ex prædicto,* & ibi Didacus Perez, Luyſius *lib.9. de Cenſur. diſp.64.dub.1. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè habendum eſſe talem percutientem pro irregulari, ſi certum appareat ex Medicorum iudicio, tali vulnerato aliunde omnino, quàm ea illato vulnere mortem contigiſſe. Ratio eſt. Quia in dicto caſu qui leuiter vulnerauit, nulla ratione proximè influit, adhuc partialiter, in mortem percuſſi: ergo non eſt reus homicidij, & conſequenter nec irregularis. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur. Quia quoties alicui alteri cauſæ poſitiuæ, proximæ & totali poteſt tribui mors ſubſequuta, minimè tribuenda eſt illi, qui leuiter vulnerauit: at ſic eſt, quod in præſentiarum, mors ſubſequuta vulnerato, totaliter, proximè, & poſitiuè euenit illi ex ſua intemperantia, aut incuria Medicorum, &c. ergo. Sic Gibalinus *cap.4. quæſt.1. conſectar.10. verſ. Tota itaque.* Qui bene occurrit argumento contrariorum dicentium, ſufficere ad incurrendam irregularitatem, quod prius illud vulnus fuerit occaſio cædis vulnerati, quia ſic non fuiſſet vulneratus, etiamſi eadem intemperantia vixiſſet, aut cum eadem incuria à Medicis curatus fuiſſet, non obiiſſet, quia (inquit) cum occaſio, & cauſa plurimum differant, & effectus nunquam tribuatur occaſioni, ſed cauſæ proximæ, aut remotæ ita cum proxima neceſſariò connexæ, vt ea remota ſemel poſita, neceſſariò ſequatur proxima, atque eius deinde effectus, huic vulneri aſſignari non poteſt homicidium tanquam cauſæ, ſiue proximæ, ſiue remotæ reipſa influenti propter neceſſariam connexionem quam habet cum cauſa proxima ab ipſa conſequente: ergo ratione illius occaſionis, & vulneris, neque homicidium externum, neque irregularitas ex eo proueniens contrahetur. Hæc Gibalinus. Et ante ipſum hanc docuerunt ſententiam Hoſtienſ. *in Sum. lib.5. tit. de homicid. §. Quæ pœna, verſ. Item ſecus.* Caietan. *2.2. quæſt.64. artic.8.* Sotus *lib.5. de Iuſtit. quæſt.1. art 9.* Henriquez *lib.14. cap.14. num.4.* Salon *in 2.2. quæſt. 64. art.8.* Angel. *verb. Homicidium 2. §.12.* & Toletus *in Summ lib.1. cap.29.* quos omnes citat, & ſequitur Saytus *lib.7. cap.4. num.16.* His addi poſſunt Aragon *2.2. quæſt.64. artic.8.* Auila *part.7. diſp.6. ſect.1. dub.5. concl.1. verſ. Dixi, ſi vulnus erat graue* (vnde malè citat illum Bonacina pro parte contraria, ſicuti citat Henriquez; nam hi Doctores loquendo de vulnere leui, hanc noſtram docent ſententiam.) Suarez *diſput.45. ſect.6. num.29.* Filliucius *numer.83.* Reginald. *num.164.* Leſſius *lib.2. cap.9.* Bonacina *diſp.7. quæſt.4. punct.7. num.16.* Qui & citat Couarruuiam pro hac parte, eodem loco, ac Auila pro contraria citauit. Et non miror, cùm Couar. in principio abſolutè teneat prædictum leuiter percutientem manere irregularem: in fine verò oppoſitum ſentiat caſu, quo vulnus ſit nimis leue, per hæc verba: Quod ſi vulnus illatum eſſet adeò leue, quod nullo, vel modico medicamine percuſſus poſſet liber, & ſanus euadere, & tamen vulneri oppoſitum eſt venenum: tunc percuſſor, ni fallor, non eſſet iudicandus irregularis, quia ex veneno potius quàm ex vulnere percuſſus moritur. Sic ille. Tenent etiam Hurtad. *diſp.2. diff.8. n.31.* imò & Diana *p.4. tract.2. reſol.10.* Palaus *d.1. punct.15. §.5. n.5.* ac alij.

QVÆSTIO LXXVII.

An ſaltem maneat irregularis, ſi vulnus quod intulit fuit graue, aut lethale, etiamſi percuſſus, ex malo regimine, aut ex imperitia, aut negligentia Medici, aut Chirurgi moriatur.

AFfirmant à fortiori omnes Doctores pro prima ſententia adducti, & alij plures ex noſtris, præcipuè Auila *loc. cit. concluſ.1.* vbi ita ait: Si vulnus erat graue, licèt non lethale de ſe, percuſſor manet irregularis. Probat, quia ſi vulnus non eſſet illatum, mors non eſſet ſequuta, etiam poſita imperitia Chirurgi, & malo regimine: ergo vulnus fuit cauſa mortis. Ita ille, qui citat pro ſe Henriquez *lib.14. cap.14. num.4.* Couar. Nauarrum, & alios. Indicantque Bonacina, Gibalinus, Saytus, Diana, & alij penes illos.

Sed ego iuxta doctrinam *quæſt.69.* datam, Reſpondeo probabiliùs: Minimè manere irregularem talem lethaliter, aut grauiter percutientem, caſu quo percuſſus de facto, non ex inflicto vulnere, ſed ea alia quapiam cauſa totali, & proxima influente in mortem percuſſi, pereat, & moriatur. Probatur ex dictis. Quia irregularitas ex homicidio non prius incurritur, quàm mors actu, & ea cauſa quam homicida dedit, ſit ſequuta, etiamſi conſtet cauſam ſufficientiſſimam, & euidentiſſimam illius eſſe datam, vt probatum manet *quæſt.72.* ergo quantumuis percuſſor graue, ſeu lethale inferendo vulnus, ſufficientiſſimâ det cauſam morti percuſſi, tamen ſi reipſa, & de facto hoc non pereat, aut moriatur ex illa, quam vulnerans oppoſuit, cauſa, ſed ex alia occurrenti, & ab alio data, minimè dicetur reus homicidij facti, nec irregularis; ſed ille alius, qui cauſam totalem proximam & poſitiuam reipſa dedit, & qua poſita, vulneratus periit.

Confirmatur hæc ſententia ex doctrina quam tradunt Couar. Saytus & alij Doctores contrariæ opinionis. Dicunt enim, quod quando vulnus ab aliquo illatum adeo leue eſt, quod modico medicamine percuſſus poſſet ſanus euadere; ſi tunc venenum aliquod illi leui vulneri, loco medicaminis, adhibeatur, percuſſor non eſt iudicandus irregularis; quia ex veneno potius, quàm ex vulnere percuſſus mori iudicatur. Sic illi. Nunc ego. Ergo idem dicendum in caſu, quo vulnus illatum ſit ex ſe lethale, ſi illi loco medicamenti adhibeatur aliquod venenum, quo adhibito, ſtatim pereat percuſſus: patet conſequentia, quia vtrobique eſt eadem ratio, cum vtraque percuſſio ſolùm rationem conditionis, vt mors contingat, ſortiatur, vt notum ex dictis manet.

Noc obſtat, ſi dicas, eſſe inter has percuſſiones maximum diſcrimen; nam ex leui non foret mors ſequuta, niſi apponeretur illi venenum: bene tamen

ex

ex percuſſione lethali : quia hinc ſolùm ſequitur, quod foret percuſſor reus homicidij, & inde irregularis, ſi alia cauſa præueniens non inferret mortem vulnerato : non tamen ſequitur, quod de facto ſit reus homicidij, cum id aliter præueniens commiſerit, ac inde nec irregularis.

QVÆSTIO LXXVIII.

An qui leuiter vulnerauit, fiat irregularis, ſi ex vulnere percuſſus pereat, eo quòd non potuit inueniri Chirurgus, aut medicamen ad manum.

NEgandum eſſe, ex dictis conſtare videtur. Quia qui leuiter (aut etiam grauiter) aliquem percuſſit, non manet irregularis, ſi percuſſus ex imperitia Chirurgi moriatur : ergo nec irregularis euadet, ſi percuſſus moriatur, quia non eſt inuentus Chirurgus : patet conſequentia, nam idem importat non curare, ac curare malè ex imperitia artis.

Sed, vt certum Reſpondeo : Irregularem fieri. Ratio eſt : Quia quamuis defectus Chirurgi, aut medicaminis, ſeu curationis fuerit aliquo modo cauſa negatiua mortis; non tamen poſitiua, cui tribui poſſit mors; nam hæc tantum fuit vulnus illatum à percutiente, à quo poſitiuè, & phyſicè illata eſt mors: quare vulnerans verè homicida eſt, & irregularis. Ex quo conſtat manifeſtè irregularem eſſe illum, qui in medio campi percuſſit alium, non lethaliter; quia tamen impediuit, ne domum, aut aliò recipere ſe poſſet, vt ſanguinem ſiſteret, interiit, aut frigore, vel fame necatus fuit. Sic Sotus *lib.5. de Iuſt. q.1. art.9.* Nauar. *c.27. n.223.* Auila *p.7. d.5. ſect. 1. dub.5. concl.1. verſ. Confirmatur.* Sayrus *lib.7. c.4. n.16. verſ. Quartò.* Layman. *lib.3. tract.3. p.3. c.10. n.5.* dicens eſſe communem. Gibalinus *c.4. de Irregularit. q.1. conſ.10. n.31.* & alij.

Ad rationem dubitandi neganda eſt conſequentia : diſparitas conſtat ex dictis, quia imperitia Chirurgi, aut inepta eius curatio verè influit vt poſitiua, & phyſica cauſa in mortem vulnerati, & ideo optimè poteſt tribui illi mors ſequuta : at verò negatio curationis ſolùm eſt cauſa negatiua, aut merum non ens, & non agit, & ideo illius non actionis nullus poteſt eſſe effectus.

QVÆSTIO LXXIX.

An item fiat irregularis, qui percuſſit leuiter, ſi mors non ſequatur præcisè ratione vulneris, eo quòd non fuerit mortale, ſed ratione febris, aut alterius infirmitatis inde prouenientis.

REſpondeo cum diſtinctione ſic : Si vulnus initio leue, ita tamen ſenſim ſuperercreuit, vt quamuis Medici, & Chirurgi quidquid erat artis contulerint, non potuerint impedire febrim, ex qua tandem mors ſucceſſit, tunc percutiens irregularis erit, quia liquidò conſtat, vulnus fuiſſe cauſam poſitiuam & proximam cædis, & conſequenter de illa tenebitur vulnerans, & fiet irregularis. Si verò vulnus initio ita leue fuerit, vt Medicus illud facilè curare poſſet, tamen lucri cauſa, aut incuria curationem prolongauit, aut percuſſus ipſe ſua intemperentia ita vulnus exacerbauit, vt febrim, aut morbum, ex quo poſtea obiit, creauerit, tunc mors nulla ratione vulneri antea illato tribuenda eſt, ſed potius Medico, aut malo regimini ægri, & ideo eius cauſa minimè contrahet reus irregularitatem. Sic Nauar. *cap.27. n.223.* Henriq. *lib.14. cap.14. num.4.* & Couar. quos pro hac parte citat & ſequitur Auila *part.7. diſp.6. ſect.1. dub.5. concl.2.* Qui tamen non ita diſtinctè & clarè loquutur, ſicuti nos. Sayrus *lib.7. cap.4. n.17. verſ. Secundò, & verſ. Tertiò.* Gibalinus *cap.4. de Irregularitate, q.1. conſectar.10. verſ. Tertiò, & verſ. Quartò.* Palaus *diſp.1. punct.13. §.5. n.5.* Layman *ſect.5. tract.3. part.3. c.10. n.5.* & penes ipſum Couar. *loc. cit. §.2. n.9.*

QVÆSTIO LXXX.

An ſi vulneratus ex vulnere non lethali ſemel conualuit, & poſtea in morbum recidit, & tandem obiit, immunis maneat vulnerans ab irregularitate, & aliis obligationibus homicidij.

REſpondeo : Immunem manere ab irregularitate, & ab aliis homicidij obligationibus. Quia tunc vulnus non fuit cauſa mortis, ſed morbus ex aliis accidentibus ſuperueniens. Sic conſtat ex *c.2. de homicid. & ex l. Qui occiderit, §. vltim. ff. ad leg. Aquiliam,* & tenent communiter DD. Couar. *in Clem. Si furioſus, de homicid. 2. p. §.2. num.9 in fine.* Molina *tract.3. diſp.32. n.2.* Auila & Laymā *loc. cit.* Gibalinus *c.4. de Irregularit. q.1. conſect.10. n.31. verſ. Secundò,* & alij notantes, ſtandum eſſe Medicorum, & Chirurgorum iudicio, necnon Iudicis arbitrio, vt ſciatur vtrum ſuperueniens infirmitas, qua vulneratus obiit, originem traxerit ex vulnere, vel ex alia cauſa extrinſeca, & etiam vtrum vulnus fuerit lethale, vel non. Legatur Auila *loc. cit. concl.2.* vbi adducit Gloſſam *l.1. in verbo Depulſa, C. de emendis ſeruis*; docentem quod, ſi poſt vulnus, finito triduo ambulauit pedibus ſuis, non dicitur vulnus mortale. Quam Gloſſam Felinus dicit eſſe ſingularem ſecundum omnes. Sed eam limitat Salicet. citatus à Felino, quando erat dubium : vtrum eſſet mortale. Legatur etiam Barboſa *in cap. ſignificaſti, el 2. de homicid. vbi n.7.* ex Farinacio, Bernardo Græueo & aliis docet, quod illud dicatur vulnus lethale, cuius curatio vel omnino impoſſibilis, vel difficilima ſit. Legatur tandem Molina *tract.3. diſp.32. per totam.*

QVÆSTIO LXXXI.

An ſi vulneratus ſurgat è lecto, triduo iam tranſacto, poſt acceptum vulnus, præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſi poſtea decedat.

NEgandum videtur ex Gloſſa nuper citata, indicante, præſumendum eſſe tunc vulnus illatum non fuiſſe lethale : ergo nec ex illo deceſſiſſe. Sed hanc Gloſſam, quam pro hoc modo dicendi citant Auila, & Anton. Gomez *vbi infra,* id non docere docet Molina *loc. cit. num.3. col.657.*

Alij verò è contra docent, vulneratum præſumi ex vulnere deceſſiſſe, non ſolùm quando poſt illud acceptum, finito triduo ex lecto ſurrexit, verùm etiamſi tranſactis diebus octo, pedibus ſuis ambulauerit. Sic tenet Barboſa *in cap. Presbyterum, num.5. de homicid.* & *in cap. Continebatur, eo t. tit. num.3.* ex Farinac. *part.5. quæſt.127. n.38. & 77* Boër. *deciſ.323. num.12.* Et Anton. Gomez *tom.3. var. cap.3. num.29. verſ. Ex quibus.*

Alij rurſus aliter ſentiunt, dicendo, quod ſi vulneratus poſt acceptum vulnus nunquam conualuit, præſumi debeat ex vulnere accepto deceſſiſſe, etiamſi

poſt

poſt longum tempus è vita decedat. Si verò conualuit, & poſtea recidit, ſi moriatur poſt octo menſes, non præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſecus tamen ſi ante præfictum tempus mortuus ſit. Ita Villadiego *c.6.verſ.ſed pone, n.35.* quem refert, & ſequitur Auila *p.7. diſp.6. ſect.1. dub.5. in fine*, qui & id probat ex *c.1.de Clerico percuſſore.*

Sed ego melius Reſpondeo dicendum, quod ad ferendum iudicium de cauſa mortis ſequutæ, an videlicet illa è vulnere illato proceſſerit, an verò ex alia noua ſuccedente cauſa, non ſit præcisè attendendum ad tempus poſt acceptum vulnus, nempe an percuſſus non ſit mortuus ſtatim intra tres, quatuor, vel octo dies, aut etiam menſes, &c. eo quòd id poſſit facilè contingere, ſi vulneratus nunquam perfectè conualeat, ideoque ſtandum ſit, & relinquendum arbitrio prudentis Iudicis, adhibito conſilio Medicorum, ſeu Chirurgorum, ſpectatáque qualitate vulneris, ſpectatiſque aliis circunſtantiis occurrentibus. Sic Molina *loc. cit. n.3.* & tandem illi conſentiunt Villadiego, Auila & alij *ſup.*citati.

Qvæstio LXXXII.

An præbens arma alicui, quem ſuſpicatur ea emere, aut petere ad iniuſtam occiſionem Petri, ſit irregularis, occiſione ſequuta.

Affirmant communiter DD. eo quòd occiſio ex donatione armorum ſequuta, præbenti illa indirectè ſit volita, & ad illam omnino influat ponendo ipſius cauſam. Ita Vgolin. *cap.17.n.3.* Molin. *tract.3.diſp.33.memb.6.n.8.col.699.* Suar. *diſp.45. ſect.3.n.5.* & Filliuc. Quos citat & ſequitur Bonac. *diſp.7. q.4.punct.8.n.35.* & antea Felin. *in c. Sicut dignum, de homicid.* Sayr. *lib.7.c.4.n.9.in fine*, ibi: Qui ei, quem ſcit occiſurum alium, tradit gladium, erit irregularis: ſecus autem ſi neſciat, etiamſi occidat; quia tunc eſt cauſa remota. Ita ille. Avila *etiam part.7. diſp.6. ſect.3.dub.2.* & alij.

Sed ego Reſpondeo dicendum. *Primò*, quod nullo modo fiat irregularis ille, qui arma, aut aliud inſtrumentum ad homicidium patrandum confert, ſi probabiliter ignoret, petentem velle illa ad tale delictum admittendum: quia tunc ſicut excuſatur à culpa, ita excuſatur ab irregularitatis pœna. In hac prima reſponſione omnes conueniunt Doctores, præcipuè citati, inter quos Molina *n.7.* eam latè declarat, & probat.

Reſpondeo *Secundò*: æquè probabile eſt, quod qui præbet arma alicui ea petenti, ſuſpicans eſſe ad iniuſtè occidendum, non maneat irregularis, niſi dicta arma ea intentione homicidij perpetrandi præbeat. Ratio eſt: Quia tunc non dicitur, niſi ad ſummum valde remotè, & impropriè cooperari homicidio; cum tunc tantum tribuat arma, quibus occidens poſſit benè, vel malè vti, abſque intentione mali vſus: quod non pertinet ad homicidium, abſque dicta intentione: quamuis ſuſpicetur illum malè vſurum, alioquin qui vendunt res, quibus licèt abuti, quoties ſuſpicio pulſaret mentem, emi ad malum vſum, deberent aut abſtinere à venditione, aut deponere ſuſpicionem, aut rei forent ipſius criminis, quod ex eius mercis abuſu committeretur. quod nemo dixerit. Sic Hurtad. *diſp.2. de Irregul. diff.8. in fine*, quem citat, & ſequitur Gibalin. *c.4. q.1.conſect.10. pag.187.* Addentes tamen, ad ſummum prædictum præbentem arma peccare peccato ſcandali paſſiui, & contra iuſtitiam ſecundariò, & ideo non manere obligatum ad reſtitutionem damni. Nec Auctores oppoſitæ ſententiæ forſitan aliud, quàm nos, ſequenti quæſtione dicemus, volunt.

Qvæstio LXXXIII.

An ſaltem maneat irregularis, ſi præbeat arma petenti illa in ſubitanea rixa, aut in procinctu cædis.

Affirmabunt à fortiori omnes DD. nuper pro prima ſententia adducti.

Sed clarius & diſtinctius Reſpondeo: Manere quidem tunc irregularem, præbendo in hoc caſu arma, quæ ſi aliàs petenti denegaret, vitaret cædem alterius alioquin certò ſequuturam, dummodo abſque ſuo magno damno denegare poſſet. Ratio eſt: Quia in hoc euentu qui præbet iamiam rixanti arma, non ſolùm peccat contra charitatem, vt conſtat, ſed etiam contra iuſtitiam, & quintum præceptum Decalogi; cum reuera telo armauit homicidam, & conſequenter cooperatus eſt homicidio, & iniuſtæ cædi, quam ille perpetrauit. Sic ſentit Gibalin. *loc. cit. verſ. Crediderim, pag.187.* & in hoc ſenſu interpretatur auctores primæ ſententiæ quæſt. præcedenti allegatos. Addens, quod nec Hurt. diſſentiret, loquendo de præbente arma in illo momento cædis inferendæ, ad quam arma inclamat, & poſtulat homicida. Si enim (ait Gibalin.) illi in eo procinctu vocatus adſim, aut auxilium fero, vnde fiat, vt mea præſentia audacior factus, aut potentior meo ſubſidio, occidat inimicum, reuera fio irregularis, vt diximus, quidni idem continget, ſi præſtando arma auxilio ſim. Niſi igitur aliqua cauſa legitima excuſaſſet, vt fortaſſis continget in ſerno, dicor huic cædi propriè cooperari, & ſum irregularis. Huc vſque ille.

Qvæstio LXXXIV.

An ſi quis tradat arma Caïo, ad occidendum Titium, fiat irregularis, ſi Caius occidat Titium aliis armis.

Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia rè ipſa, & in effectu, non influit in homicidium: ergo in eo præcisè caſu præbens arma non manet irregularis. Secus eſt dicendum, ſi homicida, cui præſtita ſunt arma, illis factus ſit animoſior, & terruerit aduerſarium, atque ipſis adiutus ſit, vt facilius illum confoderet, etſi aliis armis, quia tunc qui præbuit arma, reus erit homicidij, in quod illa armorum præſtatione contulit, & ideo manebit irregularis. Sic Bonac. *q.4. de Irregul. punct.8.n.36.* citans Vgolin. *c.17.n.2.* Suarium *diſp.45. ſect.3.n.10.* & Filliuc. *tract.20.n.46.100. & 125.* Sed hi Auctores non loquuntur de caſu noſtræ quæſtionis propriè, licèt eorum doctrina noſtræ reſolutioni vires tribuat: Tenet tamen expreſsè Gibalin. *c.4. de Irregularit.q.1.conſect.10.verſ. At verò pag.187.* vbi idem docet de illo, qui præbuit arma Caio ad occidendum Titium, ille verò occidit Sempronium: quia tunc (inquit) præbens arma non fiet irregularis, niſi aliàs illa dederit, vt Caius his vteretur in rixa contra Titium, quem Sempronio, & ſimul aliis amicis, & ſociis ſtipatum ſciebat: nam periculum, ne quem alium quàm Titium occideret, cauere debuit.

Qvæstio LXXXV.

Ad qui ad iniuſtè comburendum aliquem viuum, ignem admouet, aut extruit focum, ſit irregularis.

Reſpondeo: irregularem eſſe. Quia reuera concurrit ad Rei mortem, & cauſam proximam applicat.

applicat. Sic communiter Doctores, Nauar. *cap.27.n.217.* Gibalin. *loc.cit.verſ. Tertiò*, & alij citati *ſupr.diſp.7.q.95. 96.& 97.* loquendo de Irregularitate ex defectu lenitatis proueniente. Vbi ſecus diximus de vendentibus, aut donantibus ligna ad comburendos viuos hæreticos. Legantur ibi dicta, & applicentur hic.

---

§. IX.

De non impediente homicidium.

QVÆSTIO LXXXVI.

An incurrat irregularitatem, qui non impedit homicidium iniuſtum, ſi ad id nec ex charitate, nec ex iuſtitia, nec alio titulo teneatur.

RESpondeo, vt certum apud omnes: Non incurrere. Quia irregularitas ex delicto non incurritur abſque culpa: at qui non tenetur aliquo titulo impedire homicidium iniuſtum, non peccat illud permittendo, ſeu non impediendo: ergo ille, qui non tenetur impedire homicidium iniuſtum, vel quia non poteſt, aut quia ſi poteſt, non poteſt abſque graui incommodo, aut aliter, non fiet irregularis illud non impediendo. Sic omnes DD. vt teſtantur Hurtad. *diſp.2. de Irregularit. diff.9.* Gibalin. *cap 4. quæſt.1. conſect.13.num.34.* Inter quos ſolùm eſt difficultas, an fiat irregularis, ſi non impediat homicidium iniuſtum quando aliquo titulo tenetur, & poteſt abſque graui incommodo, aut alio titulo excuſante. Pro cuius difficultatis deciſione, ſit

QVÆSTIO LXXXVII.

An qui voluntariè non impedit iniuſtum homicidium, quando non ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate illud impedire tenetur, incurrat irregularitatem.

AFfirmant aliqui incurrere irregularitatem illum, qui etiam ſolo titulo charitatis (quo titulo tenentur omnes proximum defendere, quando commodè poſſunt, *cap.Non inferenda, & cap.vlt.23.q.3.*) tenetur impedire iniuſtum homicidium, & non impedit. Ratio eorum eſt. Quia omnis qui moraliter influit in homicidium iniuſtum, incurrit irregularitatem ex delicto: at qui non impedit, cùm poteſt, & debet, homicidium, influit vt cauſa moralis in illud: ergo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur tum ex Ambroſio *lib.1. de offic. cap.36.* vbi eiuſdem culpæ facit reum, qui non repellit iniuriam à ſocio, cum poſſit, & qui illam infert: tum etiam ex Alexand. III. qui *in cap. Sicut dignum, de homicid.* ait, *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, accidit*: ergo, &c. Ita tenent aliqui, quos ſuppreſſis nominibus, refert Hurtadus *loc cit.* Et indicant Caiet. Ricard. & Maior, quos citat Lugo *de Iuſtit.diſp.19.ſect.4. n.99.* affirmantes teneri ad reſtitutionem, qui non impediunt furtum, etiamſi ex ſola charitate ad id teneantur.

Alij verò non ita abſolutè id affirmant, ſed limitatè, dicendo manere irregularem illum, qui cùm poteſt, non impedit homicidium ex dolo, hoc eſt, ex odio, & affectu, vt homicidium ſequatur. Ita Angel. *verb. Homicidium 1.n.17.* & Couarr. *in Clement. Si furioſus, de homicid. part.2. §.2. n.7. in fine.* Qui ſecus dicunt caſu, quo non ex dolo, ſed ex negligentia, vel ex puſillanimitate, vel quia noluit ſe immiſcere tumoribus, non impedit homicidium; quia tunc, inquiunt, minimè eſt cenſendus irregularis, etiamſi tutò, & commodè occiſum defendere potuiſſet. Ita præter citatos DD. ſentiunt apud Sayrum *vbi infra*, Summa Aſtenſ. *p.2.lib.6.tit.14.art.8. q.9.* Summ. Piſanel. *homicidium 4.§.penult.* S. Anton. *3.p.tit.29.cap.2. in princip.* Maiol. *lib.5. cap. 48. §.5. num.2.* & Henriquez *lib.14. cap.22. §.7.* His addi adhuc poteſt Abbas *in c. Quanta, de ſent.excommun.* vbi id apertiſſimè dicit: & Ratio (ait Maiolus) quare in hoc euentu non incurratur irregularitas, eſt quia delictum eſt in omittendo, vnde non poteſt dici ipſum concurrere verbo, vel facto ad homicidium, ſicut eſt neceſſe ad incurrendam irregularitatem; nam tam de iure canonico, quàm de iure ciuili ex communi ſententia, nemo tenetur aliquem defendere, vt latè probat Decius *in l. culpa caret ff. de regul.iur.* Hæc Maiolus.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè manere irregularem illum, qui non impedit homicidium iniuſtum, quando impedire illud ex ſola charitate, non ex iuſtitia, tenetur; quamuis ex dolo non impediat. Ratio eſt. Quia ille qui non impedit homicidium iniuſtum, quando ex charitate tenetur, & ſine damno conſiderabili poteſt, non dicitur propriè homicida: ergo nec irregularis. Conſequentia eſt nota. Antecedens probatur, quia homicidium propriè eſt peccatum oppoſitum iuſtitiæ: at qui non impedit homicidium, quando ex ſola charitate tenetur, ſolùm peccat contra charitatem: ergo. Sic tenet communis ſententia. Nauarr. *c.27.n.231.& antea cap.24.n.2.* Molina *tract.3.diſp.33. membr.5.* Suarez *diſp.45.ſect.4.n.5.* Henriquez *lib.14. c.22. §.7. lit. F.& G.* Sayrus *lib.7. c.4. num.3.* Auila *part.7. diſp.6. ſect.2. dub.7. concluſ.1.* & penes ipſum Silueſt. & Rodriguez. Filliuc. *tract.20.c.4.quæſt.9. n.127.* Reginald. *lib.30.num.145.* Ægidius *diſp.18.n.71.* Layman. *lib.3. tract.5. p.3. c.12.num.7.* Toletus *lib.1.cap.83.num.4.* Bonac *diſp.7. q.4. punct.8. n.37.* Hurtad. *diſp.2. de Irregul.diff.9.* Gordon. *lib.7.quæſt.18.num.57.* Barboſ. *in cap. Sicut dignum, de homicid. num.19.* Gibalinus *cap.4.q.1.conſect.13.num.34.* Palaus *diſp.6. punct.15. §.7 num.1.* Dicaſtillo *tom.1. de Iuſtit. lib.2. tract.1. diſp.10 dub.14 aſſert.5.num.194.* Diana *p.4. tract.2. reſol.7.* vbi citat Megal. Mercer. Bannez. Vega, Villalubos, & alios. Machado *lib.1.p.3. tract.16. docum.9. num.11.* & loquendo de obligatione reſtituendi, Lugo *de Iuſt. diſp.19 ſect.4.num.99.* Leſſius *cap.13.dub.10. num 63.* & alij. Qui ad argumenta contrariorum dicunt, vel quod ibi accipiatur occiſio latè, ſolùm prout eſt contra charitatem, non prout eſt contra iuſtitiam, ſicut accipitur à D. Ambroſio *in c. Paſce, diſtinct.87.* vel quod ibi agatur de præſumpta voluntate, & fauore præſtito, vt benè probat Lugo.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An ſaltem qui tenetur ex iuſtitia impedire homicidium, & non impedit, cum commodè poſſit, fiat irregularis.

AFfirmant communiter Doctores. Quia iſte talis non impediens verè peccat contra iuſtitiam, & in opinione omnium tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti: ergo nil deficit, vt fiat irregularis. Ita tenent expreſsè Nauarrus, Molina, Suarez, Henriquez & (exceptis nonnullis, infra allegandis) omnes nuper citati. Et expreſsè Gibalinus *loc.cit.*

Sed probabiliter ſanè Reſpondeo: Huiuſmodi non impe

Digitized by Google

impedientem homicidium iniuſtum, non fieri irregularem, etiamſi teneatur ex iuſtitia impedire, & quamuis dolo non impediat, dummodo id faciat per puram, & ſimplicem omiſſionem defenſionis, aut non impeditionis homicidij: nam ſecus eſſet ſi huic adiungeret aliquam actionem poſitiuam, per quam poſitiuè iam diceretur concurrere ad homicidium, vt infra explicabimus.

Probatur *Primo*. Quia nullo modo incurritur irregularitas, niſi in caſibus iure expreſſis, vt cum communi ſupra diximus: at ſic eſt, quod nullus vſquam eſt textus, qui propter homicidium imponat irregularitatem, niſi illi, qui fuerit cauſa illius poſitiuè per actionem aliquam, conſilium, mandatum, auxilium, per aliamve ſimilem poſitiuam actionem: ergo non impediens homicidium, etiamſi ex iuſtitia teneatur, non incurret irregularitatem ex illo, ſi per puram, & ſimplicem omiſſionem defenſionis illius id faciat. Patet conſequentia: quia licèt hæc pura omiſſio defenſionis, aut non impeditio homicidij, ſit ſufficiens, vt non impediens ſit, & cenſeatur cauſa moralis, ſeu voluntaria homicidij, non tamen vt per illam fiat irregularis; cum in iure non ſit expreſſum, ex ſola, & pura permiſſione irregularitatem contrahi.

Secundò Probatur. Quia lex promotionis requirit factum, *cap. fin. quæſt.* 1. Sed in eo qui ſolum purè, & ſimpliciter permittit homicidium, aut non impedit, ſeu non defendit, etiamſi ex iuſtitia teneatur, & conſequenter contra iuſtitiam peccet, nullum reperitur factum: ergo. Sic in primis ſentiunt Innocent. *in cap. Petrus, de homicid.* vbi negat, eum fuiſſe irregularem, qui non impediuit homicidium, quod tractari nouerat (de quo infra) cuius Pontificis dictum eſſe communiter receptum, teſtatur Nauar. *in cap. Non inferenda*, 23. *quæſt.* 3. *num.* 17. & illud *ibidem num.* 34. recipit. Rurſus idem ſentiunt D. Anton. 3. *p. tit.* 28. *cap.* 2. & Alberic. *in verb. Homicidium* 1. Tabiena *irregularitas* 1. §. 2. vbi citat Hoſtienſ. Archidiacon. & alios. Armilla *verb. Irregularitas*, *n.* 2. *in fine*, vbi ſic ait: Similiter cùm quis permittit aliquem occidi, cum poſſit adiuuare, non incurrit ſecundum veram opinionem: quia hæc non ſunt in iure expreſſa, & non incurritur niſi ſecundum quod expreſſum eſt *in dict. cap. Is qui.* Sic ille. Tiraquell. *tract. de pœnis remittend. cauſa* 44. vbi hanc irregularitatem negat ex ſola omiſſione defenſionis, & allegat Cardinal. Luyſius Turrianus *lib.* 9 *de Cenſur. diſputatione* 63. *dub.* 5. (non 3. vt offendes apud Dianam, Gibalinum, & Machadum) *verſ. Sed difficultas eſt.* Gaſp. Hurtad *diſp.* 2. *de Irregularitate, diff.* 9 *numero* 34. & Gabriel. Vaſquez apud ipſos, *in manuſcripto* Ioan. Præpoſitum *in* 3. *part. quæſt.* 5. *de Irregularitate, dub.* 10. *num.* 79. Et hanc opinionem eſſe probabilem expreſsè dicunt Diana, Palaus *loc. cit.* & Machado *numero* 12. vbi præpoſita, vt probabiliori, & communiori oppoſita ſententia, ſic concludit: *Pero no obſtante eſto, Vaſquez, y Hurtado, y otros defienden, que el que no impide el homicidio, aunque eſte obligado à ello por juſticia, y aunque lo dexe de hazer, maliciosamente, y porque el otro muera, no incurre en irregularidad; porque aunque es aſſi, que el que no impide el homicidio, teniendo obligacion, influye moral, y voluntariamente en el, y es cauſa moral, voluntaria del homicidio, que no impidiò. Con todo eſſo, no es cauſa poſitiua, que influye poſitiuamente con obra alguna, ayuda, o conſejo: y en el Derecho Canonico, no ſe pone irregularidad, ſino ſolamente contra los verdaderos, y poſitiuamente homicidas, por lo menos con ayuda, y conſejo.* Hæc Machadus.

Ex quibus iam conſtat, quid dicendum ſit argumento contrariorum. Concedendum enim eſt illis, quod qui omittit defenſionem, aut non impedit homicidium, quando poteſt commodè, & ex iuſtitia tenetur, peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem; non tamen inde ſequatur, quod fiat irregularis: nam ad hoc, vltra prædicta requiritur, vt poſitiuè influat per actionem aliquam, mandatum, aut conſilium in homicidium ab altero commiſſum. Hæc dicta ſint in genere: ad particulares caſus deſcendamus. Sit ergo pro illis decidendis.

QVÆSTIO LXXXIX.

An gubernatores, iudices, & alij Prælati, qui ex iuſtitia tenentur impedire homicidium iniuſtum, incurrant irregularitatem, ſi non impediant quando commode poſſunt?

AFfirmant communiter Doctores *ſupr.* pro prima ſententia adducti. Quia omnes iſti peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ſi quando ſine graui damno poſſunt, non impediunt homicidium: ergo ſunt rei homicidij: ergo & irregulares. Ita in ſpecie noſtri caſus Maiol. *lib.* 5. *cap.* 48. §. 5. *n.* 2. *verſ. Quandoque verò*, & penes ipſum Speculat. Angel. Marian. Socin. & Nauar. *c.* 27. *n.* 232. *verſ. Decimoſeptimo*, & *in c. Non inferenda, num.* 18. vbi quatuor requirenda dicit, vt hic non impediens, aut nõ defendens, incurrat pœnas iuris. *Primò*, poſſe defendere. *Secundò*, obligatum eſſe ad defendendum. *Tertiò*, poſſe ſine damno corporis, rerum, aut honoris, *Quarto*, ſi ſit illi manifeſtum homicidium patrari. Sic Nauar. Molina *tractat.* 3. *diſputat.* 33. *membro.* 5. Henriquez, *libro* 14. *capit.* 12. *nummer.* 7. in gloſſa *litter. D.* Dicaſtillo *loc. cit. dub.* 14. *n.* 200. Sayr. *lib.* 7. *c.* 4. *n.* 4. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 7. & alij. Qui idem docent de aliis Miniſtris iuſtitiæ.

Sed iuxta doctrinam traditam à nobis, probabiliter Reſpondeo: Minimè irregularitatem incurrere præfatos Gubernatores, Iudices & Prælatos, non impediendo homicidium iniuſtum, ſi id faciant purè & ſimpliciter illud permittendo, non per aliquam poſitiuam actionem coadiuuando homicidæ. Ratio eſt, quia prædictis publicis perſonis, ſic modo dicto ad homicidiũ concurrentibus, non eſt ſpecialiter in iure irregularitas poſita: ergo non poteſt ab illis incurri. Sic ex P. Vaſquio tenet expreſsè Luyſ. *lib.* 9 *diſp* 63. *dub.* 4. *verſ. Addendum eſt.* Cui conſentire debent omnes DD. ſupra pro noſtra opinione adducti. Ad argumentum contrariorum concedendum eſt, prædictos Iudices, &c. peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſed non amplius.

QVÆSTIO XC.

An Procurator, & Aduocatus, qui doloſè aſſumptum rei patrocinium deſerunt, ſint irregulares, ſi reus ob deſertionem damnaretur ad mortem.

AFfirmant conſequenter prædicti primæ ſententiæ Auctores, ſed ſpecialiter Sayrus, & Diana *loc. cit.* Gibalinus *etiam c.* 4 *de Irregul. q.* 1. *conſect.* 14. *verſ. Nonò* Et antea Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 5. *verſ. Poſſunt etiam, pag* 469. Nam, inquit, ſi per meram negligentiam, & ignauiam, & imperitiam ipſorum damnaretur reus in ſuum patrocinium ſuſceptus, fierent irregulares, vt ſcribit Hoſtienſ. *in c.* 1. *de Poſtulat.* & diximus *ſupr lib.* 2. *c.* 9. multò ergo magis, ſi doloſè. Ita Maiolus.

QVÆSTIO LXI.

An etiam omnes maneant irregulares, quando plures, non præmiſſo conſilio, aut conſenſu, ſed in rixa ſubitò contingenti, omnes inuolarunt in vnum, & vulnerarunt Petrum, & ſolùm vnum vulnus fuit lethale, neſcitur tamen à quo fuerit inflictum.

AD hanc quæſtionem reſpondent aliqui DD. vnumquemque eorum ſuæ conſcientiæ relinquendum eſſe; tutius tamen eſſe in tali dubio ſe homicidas, & conſequenter irregulares reputare; cùm nullum ſit in hac parte periculum, in alia verò eſſe poſſit. Ita Gloſſa *in c. Quieſcamus, verb. Sed quoniam omnes, diſt.*42. Speculat. *tit. de diſp.*5. *Iuxta, n.*52. Hoſtienſ. *in Summ. lib.*5. *tit. de homicid.* Aſtenſ. *in Summ. part.*2. *lib.*6. *cap.*14. *art.*8. *q.*3. Marian. Socin. *in c. Ad audientiam, n.*46. *de homicid.* & Nicol. Plouius *de Irregul. regula* 28.

Sed vt certum Reſpondeo: Omnes eſſe irregulares, ſi omnes dubitant, an vulnus illud intulerint lethale. Ratio eſt *Primò.* Quia ſic videtur definitum *in cap. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti*, *el* 2. *de homicid.* vbi qui percuſſerat, & dubitat, an illo ſuo vulnere cauſa mortis fuerit, cenſetur irregularis: atqui in caſu noſtro, omnes, & ſinguli ſciunt, ſe percuſſiſſe, & ſolùm dubitant, an ſua percuſſione occiderint: ergo omnes cenſeri debent irregulares, & vt tales pronunciari à foro externo, quod nequit diſcernere quiſnam occiderit, ex eo quod vnum tantum reperiatur vulnus lethale, ex quo iudicio Chirurgorum obierit.

Secundò. Quia in iſto euentu, vel nullus debet haberi vt homicida, & irregularis, vel omnes: non nullus, quia ſi omnes pœnas homicidij euaderent, daretur culpa ſine pœna, quod videtur abſurdum: ergo omnes & homicidæ, & irregulares cenſeri debent, cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, Sic communiter Doctores, præcipue Couarruuias *in Clement. ſi furioſus, de homicid.* 2. *part.* §. 2. *num.* 5, *verſ. Quoad irregularitatem.* & apud illum Ioan. Andreas, Gotofred. Anan. Anton Panormit. & alij. Sayrus *lib.*7. *cap.* 5 *num.* 13. Henriquez *lib.*14. *c.*14. §. 3. Graff. *lib.*2. *deciſ. c.*62. *num.*74. Auila *part.*7. *diſput.*6. *ſect.* 3. *dub.*3 *concluſ.*1. *verſ.* Couarruuias *num.*5. Molina *diſp.* 31. *memb.*7. *in fine.* Reginald *num.* 161. Suarez *diſp.*45. *ſect.* 3. *num.*11. Bonacina *diſp.*7. *quæſt.*4. *punct.*9. *n.*19. Filliuc. *n.* 110. Gibalin. *conſectar. cit. verſ. Secundò*, dicens id eſſe certiſſimum. Philibert. Marchin. *de Ordine tract.* 1. *part.*8. *cap.*5. *pag.* 136. *num.* 1. Machad. *lib.*1. *part.*5. *tract.*16. *docum.*9. *num.*9. Barboſ. *in cap. ſignificaſti, cit. num.*6. Palaus *diſp.*6. *punct.*15. § 6. *num.*2. Qui idem dicunt, & à fortiori, quando plures percuſſerunt, ſed neſcitur quo vulnere percuſſus obierit.

QVÆSTIO LXII.

An etiam in dicto caſu ſint omnes irregulares, dato quod conſtet, quis illud vulnus lethale, ex quo percuſſus eſt mortuus, intulerit.

AFfirmant, etiam in iſto caſu manere omnes irregulares, quamplures Doctores, inter quos præcipui ſunt Nauarr. *in Man. cap.*27. *num.* 224. *verſ. Decimò infertur, & conſil.*24. *aliàs* 32. *de homicid. in fine.* Suarez *diſp.*45. *ſect.* 3. *num.* 10. & 11 Filliuc. *tract.* 20. *cap.*4. *quæſt.*7. *num.* 111. & Auila *part.*7. *diſp.*6. *dub.*3. *concl.*4. qui id probat. Quia omnes, facto ipſo, mutuò ſe iuuant, & debilitant aduerſarium: ergo omnes concurrunt ad occiſionem. Et confirmat, quia licèt non concurrant, præmiſſo conſilio, tamen ex quo omnes ſimul ex vna parte ſimul oppugnant aduerſarium, concurrunt tanquam vna cauſa totalis moralis: ergo. Ita ille. Qui & citat pro ſe Henriq. *lib.*14. *cap.*14. *n.*2 *lit. D.* iuncta doctrina eiuſdem *num.*3. *lit. N.* & Emman. Rodric. *cap.*178. *concl.*16. Sic etiam Maiol. *lib.* 5. *cap.* 48. §. 4. *num.*7. Ægid. *diſp.*18. *dub.*8. *num.*70. Palaus §. 6. *cit. num.*4. Citat enim Gibalinus pro hac parte Sayrum; ſed omninò malè, cùm oppoſitam expreſsè doceat.

Alij verò contrà negant manere omnes irregulares, ſed ſolùm illum, qui lethaliter percuſſit, quia quamuis omnes teneantur de percuſſione, non verò de homicidio. Probant hanc ſuam ſententiam: Quia in iure non eſt vnde colligatur ex tali facto irregularitas. Nam textus *in c. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti, de homicid.* non loquuntur de illo qui ſcit, ſe non percuſſiſſe lethaliter, ſed tantùm de eo qui dubitat, vnde ex his textibus potius colligitur, illum qui ſcit, aut probabiliter exiſtimat, ſe non percuſſiſſe lethaliter, & ex vulnere, quod intulit, non fuiſſe ſequutam mortem, minimè irregularem eſſe, quamuis ſciat ſe percuſſiſſe: nam illi Sacerdotes, de quibus agebatur in citatis textibus, fatebantur ſe percuſſiſſe, ſed dubitabant an ex illa ſua percuſſione cædes facta eſſet propter quod dubium voluit Pontifex, illos eſſe irregulares, non propter percuſſionem præcisè. Ita tenuit in caſu contingenti Diana *part.* 1. *tract.* 15. *reſol.* 18. adducens pro ſe Sayrum *lib.*7. *cap.*4. *n.*13. Couarr. *in Clement. ſi furioſus, part.*2. §. 2. *num.*3. *verſ. Secundus caſus.* Bonac. *de cenſur. diſp.*7. *q.*4. *punct.*8. *num.*29. & Villadieg. *c.*6. *n.*47. Quibus addit Gibalin. Henricum Henriquez *cap.*14. *cit. n.*3. & Auilam *loc. cit.* pro contraria, *concl.*2. & non male hunc certè; ſed debebat notare, oppoſitum expreſsè poſtea tenuiſſe *concl.*4. vt vidimus. Tenet etiam Machado *docum* 9. *citat. num.*9. vbi ita ait: *Los Doctores diſputan, ſi en caſo que no ſe auerigue, quien de los compañeros le matò, todos deuan tenerſe por incurſos en la irregularidad. Suarez defiende que ſi, no ſolo quando es incierta la perſona que matò, ſino aun tambien quando es cierta, y conocida. Pero la mas comun y recebida opinion es, que quando la perſona que matò es cierta, ſola ella queda irregular, y los demas no: pero ſi es incierta, del derecho conſta que ſe deuen portar como incurſos.* Sic Machad. Et ſic etiam Philibert. Marchin. *loc. cit. ſup.* Quos videtur ſequi Gibalin. *cap.*4. *de Irregul. q.*1. *conſect.*8. *verſ. Tota itaque difficultas.* Licèt in oppoſitum videatur inclinare.

Ego autem in hac quæſtione maiori cum diſtinctione Reſpondeo: Dicendum *Primò*, ſi in caſu aſſignato omnes concurrerunt ad percutiendum, vel occidendum, non per modum vnius, nec ſeſe mutuò iuuantes, ſed quodam ſubitaneo impetu ſinguli inuolarent, ſine alia maiori morali coniunctione, quàm ſi ſeorſim illum fuiſſent aggreſſi, tunc non erit irregularis, niſi ille qui vulnus lethale intulit: at verò ſi ita rixa communis ſit, vt ſinguli fecerint vnam veluti cauſam moralem, & ſeſe mutuò iuuauerint, aut excitauerint ad alium oppugnandum, ac proinde vno impetu, & vna ex parte coniunctis viribus ipſum aggreſſi fuerint, tunc omnes iſti ratione cooperationis erunt irregulares, licèt vnus tantum occiderit, ſiue dubitent ſe occidiſſe, ſiue non dubitent, & certò ſciant ſe vel non percuſſiſſe, vel non lethaliter percuſſiſſe, ſiue intenderint cædem, ſiue non

intenderint,

intenderint,cùm reipſa fuerint ad illam cooperati. Id, & non aliud,videtur ſentire Henriquez *loc.cit.*vt hæc eius verba inſinuant,ait enim ſic : Dum plures ſeparatim ſine ſociali concurſu dederunt vni plura vulnera, & in occiſo reperitur vnicum lethale vulnus , ſi conſtet ille ſolus qui lethaliter percuſſit , excuſantur reliqui ab irregularitate. Sic ille. Necnon Gibalinus *loc.cit.*

Reſpondeo *Secundò* , licèt ſpeculatiuè loquendo valde probabilis ſit ſecunda ſententia , in praxi verò tenenda prima,& iuxta illam dicendum , omnes cenſendos fore irregulares. Quia in praxi ferè ſemper contingit, vt quando plures in ſubita concertatione, ſeu rixa eundem percutiunt,ſe mutuò iuuent, coniungántque te ipſa ſuas vires ; atque id faciant , ne vnus, aut pauci aliquot non poſſint ſe tueri, aut fuga,alióva modo ſaluti ſuæ conſulere,vti facilè poſſent,ſi ab vno tantum, aut altero oppugnarentur. Ex quo fit vt in praxi vix vnquam iſti ſimul percutientes, aut rixantes excuſari valeant ab irregularitate , quando aliquis occiditur,ſiue ſciant ſe non occidiſſe percutiendo , ſiue dubitent. Sic omnino Gibalin. *loc.cit.pag.*134. Legatur Molina *tract.*3.*diſput.*33.*membr.*7. *n.*2. An autem hæc irregularitas ſit ex homicidio directè voluntario, an verò ex caſuali,conſtat ex dictis *ſupr. q.*12.

Qvæstio LXIII.

An qui ſcienter aſſociat euntem ad occidendum aliquem , animo ſolùm defendendi eum (ſi opus fuerit) ne ſuccumbat , maneat irregularis , ſi aſſociatus occidat.

Reſpondeo affirmatiuè cum Henriq.*lib.*14.*cap.*14. *n.*2.*litt.*T.*& clarius c.*16.*n.*1. *lit.L*, hæc dicenter Qui volentem occidere comitatur,vt eum defendat,licèt alter ſine ſocio occidat,fit irregularis : quia ſocius, licèt diſſuaſerit occidere, adiecit animum. Sic ille. Et antea Armilla *verb. Irregularit.n.*34. his verbis: Aſſocians volentem facere homicidium, vt defendat eum, ſi opus erit,etiam quod diſſuadeat homicidium, fit irregularis,ſi ſequitur mors,ſecundum Hoſtienſ.& facit *cap. Hæreticus,de Cler.pugn.in duell.* nam ex eius aſſociatione factus eſt homicida animoſior , & ſic cooperatus eſt morti.Ita Armilla. Ledeſma etiam *q.*26.*n.*2. Roſella §.1. Couar.*in Clement.Si furioſus,part.* 2.§.1. *n.*2. *verſ.Quatenus verò,in fine* , licèt hic non ita in terminis. Plouius,D.Anton Felin. Speculat. Quos ſequitur Auila *p.*7.*diſp.*6.*ſect.*3. *dub.*3. *concl.*1. limitans tamen horum doctrinam , vt non procedat quando non eſt auctus animus occiſoris,eò quod viribus,& armis multùm ſuperabat aduerſarium. Quam limitationem colligit ex doctrina Henrici *cap.* 14. *cit. num.* 2. *lit.* D.& bene,nam ita ibi ait : At ſi duo caſu concurrant , & rixa ſubitò oborta primus leuiter percuſſit , etiam animo occidendi , & debilitauit , & nihil influxit in animum alterius , ſulus ſecundus qui eum lethali volnere occidit, tenetur damnum reſtituere , & fit irregularis. Ita ille. Quem admittit Gibalinus *vbi infra.* Et ego facilè admitterem hanc limitationem, ſi facilè eſſet verificari , quod non reddatur animoſior occiſor ex præſentia aſſociantis : & debilior occiſus ad ſe tuendum , ex eiuſdem præſentia , vt bene Suarez *diſputat.*45.*ſect.*3. *num.*10.cum aliis. Et nouiſſimè Gibalinus *cap.*4. *de Irregularitate* , *quæſt.*1. *conſectar.* 10.*num.*13.

Qvæstio LXIV.

An ſaltem immunis ſit ab irregularitate , ſi aſſocians ſit pater , vel filius , vel valdè amicus eius,qui ad occidendum aliquem exit, ſi hic contrarium occidat.

Affirmant nonnulli Doctores , tunc eſſe immunem ab irregularitate, ſi bono animo aſſociauit ſuum filium,patrem,aut amicum, ne in tali rixa periclitaretur,quia dat operam rei licitæ. Ita Henriquez *lib.*14.*c.*16.*n.*1.*in fine* , & Auila *loc.cit* qui id confirmat ex doctrina Nauarr.*conſ.*32. (mihi 24.) *de homicid.* vbi docet (ait Auila) non eſſe irregularem eum, qui bono animo tenebat enſem euaginatum in manu ſua ſine alia læſione, quamuis alius percuſſus à fratre in rixa poſtea obiit ex percuſſione. Ita Auila. Quorum ſententiam tenet Gibalin.*loc.cit.*& videtur ſequi Diana *p.*4.*tract.*2. *reſol.*17. licèt addiderit, hanc opinionem limitaſſe Præpoſitum *in* 3.*p.q.*5.*de Irregular. dub.*8.*n.*65.dicendo,intelligendam eſſe, ſi exterius ita amicum rixantem aſſociando non videatur illum animare ad occidendum.

Sed hanc limitationem prius adiecit Nauarrus *loco citat.*ab Auila,quod non aduertit Diana Nam ibi inquirit , An ſit irregularis frater , qui bono animo aſtans , enſem tenebat in manu euaginatum , ſi alius in rixa à ſuo fratre occiſus ſit ? & Reſpondet „non eſſe irregularem , niſi probetur , quod præfatus frater iuuit fratrem ſuum homicidam , accedendo euaginato gladio feſtinanter ad rixam , eo quòd ſuo ad illam acceſſu auxit animum fratris ad occidendum.Vnde Gibalinus abſolutè,& ſine limitatione vlla , etiam in caſu , quo ex aſſociatione fratris , filij , vel patris creſcat homicidæ animus, docet tenendam eſſe ſententiam Auilæ.

Sed probabilius Reſpondeo : Minimè eſſe immunem ab irregularitate talem aſſociantem ſuum patrem, filium,aut amicum,euntem ad occidédum alium. Quia reuera negari non poteſt , quod ſua præſentia exhibeat auxilium,& fauorem ſuo patri , aut filio, vel amico occiſori,& debiliorem reddat animo inimicum occiſum,vt conſtat ex ſæpè dictis. Vnde negandum eſt contrariis,quod prædictus aſſocians ſuum fratrem,aut patrem , aut amicum euntem illicitè ad occidendum aliquem,det operam rei licitæ. Legatur Suar. *diſp.* 45. *ſect.*3.*num.*10.

Qvæstio LXV.

An quando plures vulnera inflixerunt , quorum ſingula non ſunt ex ſe lethalia , ſed tamen ſimul ſumpta , ſunt cauſa ſufficiens mortis., omnes , & ſinguli incurrant irregularitatem.

Reſpondeo tanquam certum : Omnes irregularitatem incurrere. Quia reuera omnes, & ſinguli ſunt cauſæ partiales mortis, & ex iis vna totalis conſurgit. Vnde negari nequit , omnes fuiſſe cooperatos ad mortem inferendam. Sic communis,& præcipuè Couarr. *in Clement.Si furioſus*,2.*p.*§.2.*n.*4. *verſ.Quarta*, & apud illum Bartholom.Ananias, Felinus, Ludouic. Carrier.& alij. Suarez *lib.*7.*cap.*4.*n.*14.Maiolus *lib.*5. *c.*48.§.4.*n.*7.*&* 8.Henriquez *lib.*14.*c.*16.*num.*3. Auila *part* 7.*diſp.*6.*ſect.*3.*dub.*4. *concluſ.*5. Bonacina *diſp.*7. *quæſt.* 4. *punct.*8. *num.*30. Molina, Suarez , Vgolinus, Ægidius, & Filliucius apud ipſum , Gibalinus *cap.*4.

de Irregularitate, quæſt. 1. *conſectar.* 8. *in fine.* Barboſa *in cap. ſignificaſti* 2. *de homicid. num.* 9. & alij.

QVÆSTIO LXVI.

An quando plures habitantes in aliqua domo, nec ex dolo, aut malitia, nec ex mutua cooperatione, ſed ex aliqua leuitate, & negligentia lapides ſingulos proiecerunt, vno tamen lapide percuſſus obiit quis: an, inquam, omnes ſint irregulares?

AFfirmauit apud Auilam, Didacus Perez *cap.* 6. *n.* 45. *verſ. De quæſtione tamen ſupradicta*, & apud Henriq. Brixien. *q.* 15. docentes quod in hoc caſu debeat Iudex omnes reputare irregulares.

Sed probabilius reſpondeo: Nullum ex prædictis, qui proiecerunt lapides, cenſeri irregularem debere, aut à Iudice vt talem reputari. Quia in hoc caſu, nulla fuit cooperatio homicidij: ergo non poterit irregularis pronunciari vllus: neque etiam omnes; tum quia æquius eſt vnum nocentem tolerare, quàm plures innocentes damnare. Tum etiam, quia re vera omnes non ſunt cooperati illi homicidio, neque conſilio, neque actione ipſa: ergo. Sic Henriquez *lib.* 14. *capite* 14. *num.* 3. *in fine*, per hæc verba: Si ex quatuor, qui ſimul coniecerunt ſingulos lapides caſu, & ſine mutua cooperatione conſtet vno tantum lapide percuſſum obiiſſe, nec conſtat, cuius eſſet ille lapis, omnes abſoluuntur; quia præſtat non damnari innocentes, quàm vnum nocentem ignotum abſoluere. Sic ille. Qui citat Speculat. Maiol. Albert. Angel. Villadiego, & Perez. Sed hunc vltimum malè, ait Auila. Sic etiã hic Auctor *p.* 6. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 3. & apud ipſum Hoſtienſ. & Ioan. Andr. Bonac. *punct.* 8. *in vltima edit. n.* 29. Gibalin. *conſectar.* 8. *cit. verſ. Tertiò.* Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 6. *n.* 2. *in fin.* Qui citat Suarium *diſp.* 45. *ſect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. Sed non bene: quia Suarius *in ſect. cit.* nec dubia aliqua proponit, nec concluſionem: ſine dubio citare voluit vtrumque, Suarium videlicet *ſect.* 3 *cit. n.* 11. *in fine*, & Auilam *dub.* 3. *concl.* 3. *cit.* Addit tamen Maiolus *lib.* 5. *c.* 48. §. 4. *n.* 9. quod in foro poli non ſit dubium, quin maneat irregularis ille, qui ſciret ſe deliquiſſe, ſed nihilominus Iudicem in foro iudiciali neminem illorum declarare poſſe irregularem, ob rationem dictam.

QVÆSTIO LXVII.

An ſi quis animo latronem occidendi, non lethaliter, ſed leuiter percuſſit, ſed deinde alij neque vocati, neque incitati à primo percuſſore, lethaliter percuſſerunt, omnes maneant irregulares.

AFfirmat omnes manere irregulares, Speculat. *in tit. de diſpenſ.* §. *Iuxta, numer.* 48. *verſ. Illud etiam nota*, & apud Bonacinam Suarez *diſp.* 45. *ſect.* 3. *num.* 9. & Filliucius *tract.* 20. *c.* 4. *quæſt.* 7. *num.* 111. Sed malè citat vtrumque pro hac parte, cùm oppoſitam expreſsè teneat vterque. Tenent tamen Maiolus *lib.* 5. *c.* 48. §. 4. *num.* 6. *verſ. Si quis*, Syluest. & Tabiena apud ipſum.

Probabilius ergo longè Reſpondeo: Solùm vltimos percuſſores manere irregulares, non primum. Quia huius percuſſio non influxit in mortem, quam vltimi ſine conſilio, aut cooperatione illius dederc Et hic eſt caſus expreſſus *in cap. Significaſti*, *el* 2. *de homicid.* vbi Parochus, qui percuſſerat latronem ſpoliantem Altaria, quem deinde accedentes Parochiani occiderunt, pronuntiatur immunis ob irregularitate, ſi leuiter tantùm percuſſit, & neque aliis conſuluit, neque mandauit ſequutam occiſionem. Sic in primis tenet Suar. *ſect.* 3. *cit. n.* 12. id optimè probans. Filliuc. etiam *num.* 111. *cit. verſ. Non obſtat.* Henriq *lib.* 14 *c.* 14. *n.* 2. *in fine.* Sayrus *lib.* 7 *cap.* 4. *num.* 15. Bonacina *diſput.* 7. *quæſt.* 4 *punct.* 8 *num.* 32. Gibalinus *cap.* 4. *quæſt.* 1. *conſectar.* 9. *num.* 28. *in princ.* Barboſa *in cap. Significaſti, cit. num.* 9.

QVÆSTIO LXVIII.

An etiam è contra, quando quis primò lethaliter percuſſit aliquem, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm percuſſerunt, primus percuſſor tantùm irregularis ſit.

AFfirmant plures DD. ſolum primum percuſſorem manere irregularem, non cæteros aduenientes. Ita abſolutè docent Auila *part.* 7 *diſp.* 6 *ſect.* 3. *dub.* 4 *conc.* 4. *verſ Sed quid primum.*

Alij verò docent, in præaſſignato caſu, ſolum primum lethaliter percuſſorem, eſſe irregularem, non verò illum ſequentes, niſi aliàs hi venerint, tanquam auxiliatores, & ad mortem citius inferendam aliquid contulerint ſuis leuibus percuſſionibus. Ita Gibalinus *loc. cit. verſ. Secundò.* vbi citat Henriq *lib.* 14. *c.* 14. (*ſic lege, non* 24.) *n.* 2. Sayrum *lib.* 7. *c.* 4. *n.* 15. Auilam *loco citat.* & Bonacinam *punct.* 8. *n.* 22. Sed ex his Auctoribus, ſolùm Bonacina, & Auila agunt in terminis de hac quæſtione propoſita modo à nobis relato, cæteri verò minimè. Nullus tamen ex his, excepto Auila, reſoluit caſum, cum ſolùm doceant id conditionatè, dicendo non ſolum primum percuſſorem manere irregularem, ſed etiam reliquos, ſi ſuis leuibus percuſſionibus ad mortem citius inferendam cooperati ſunt: hic enim opus eſt, vt de facto cenſendi ſint ad illam cooperati, vt de facto irregulares iudicentur.

Vnde alij melius abſolutè reſpondent dicendo, quod regulariter loquendo, nõ ſolùm ille, qui primò lethaliter percuſſit, ſed etiam reliqui, qui poſtea leuiter percuſſerunt, ſint, atque maneant irregulares, morte percuſſi ſequuta. Ratio eſt, quia non videtur dubitandum, quin, regulariter loquendo, ex poſtremis percuſſionibus, quantumuis leuibus, acceleretur percuſſi mors, quam licèt cauſaſſet vulnus primum lethale, ſed non tam facilè, aut tam properè: ergo non ſolum primus percuſſor, ſed etiam reliqui dicendi ſunt cooperatores mortis, ac proinde irregulares. Sic Suarez *diſp.* 45. *ſect.* 3. *n.* 9. qui id ex mente Bartoli per hæc verba probat: Accedit doctrina Bartoli, eos qui inflixerint vulnera de ſe non lethalia poſt inflictum lethale vulnus ab alio, vt homicidas puniri etiam à Iudice ciuili: quia vulnera, quæ aliàs non eſſent lethalia, in corpore ſic vulnerato & affecto lethalia ſunt: ergo de his dubitari non poteſt quin incurrant irregularitatem. Sic ille. Quem non citatum ſequitur Filliuc. *n.* 111. *cit.* ita dicens: Secundum, ſi vnum vulnus ſit lethale, non autem reliqua, omnes cenſentur irregulares, quia ſaltem cooperati ſunt ad mortem, quodlibet enim vulnus ſiue præceſſerit lethale, ſiue ſubſequutum ſit, reipſa iuuat ad mortem, & reddit ſubiectum debilius ad reſiſtendum vulneri lethali, & ſaltem accelerat mortem. Sic Filliuc.

Ego, ex his tribus ſententiis, hanc vltimam vt meliorem eligendam puto, adhibita tamen aliqua limitatione, ſeu explicatione; nempe, vt non intelligatur in caſu, quo poſtrema vulnera ſint ita admodum leuia, vt iudicio Chirurgorum (cui hæc res eſt committenda) aut nihil morti influxerint, aut parum

valde

valde illam accelerauerit: quia tunc ob paruitatem materiæ, immunes ab irregularitate manerent vltimi percuſſores, iuxta doctrinam à nobis traditam *ſup. tract.* 1. *diſp.* 4. *q.* 1.

Qvæstio LXIX.

An quando primus aliquem lethaliter percuſſit, & cæteri aduenientes (nullo habito conſilio, aut cooperatione) etiam lethaliter percuſſerunt, omnes maneant, ſequuta percuſſi morte, irregulares.

AFfirmant plures Doctores ex *cap Significaſti,* 2. *de homicid.* vbi ſtatuitur, percutientem mortiferè eſſe irregularem, etiamſi percuſſus ab aliis fuerit occiſus: quamuis certum non ſit, imò dubium, ipſum vulneratum ex priori vulnere moriturum, ſi ab aliis non foret iterum percuſſus, & exanimatus. Ita Ioan. Igneus, Florian. Alberic. Celſus, & alij, quos citat & ſequitur Couarru. *in Clem. Si furioſus.* 2. *p.* §. 2. *n.* 4. Quibus adde Molinā *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 33. *memb.* 7. *n.* 3. *col.* 707. & apud ipſum Anton. Gomez & Iul. Clarum, Vgolinus *c.* 14. §. 1. Barboſa *in c. Significaſti, cit. n.* 1. & alios.

Sed probabilius ſub diſtinctione ſi Reſpondeo dicendo, omnes quidem percutientes manere irregulares, ſi non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus, ac fuit percuſſus à ſecundis percuſſoribus, obiit percuſſus. Si verò ſtatim obiit, tunc non manere irregularem primum percuſſorem, ſed ſolùm ſecundos.

Prima pars conſtat ex dictis. Quia tunc non ſolum poſtrema vulnera, ſed etiam primum lethale, cooperatum eſt ad mortem, aut ad eius accelerationem; aut ſaltem dubitari iure poteſt, an vtrumque illud vulnus cauſarit eam mortem: ſed in eo dubio contrahitur irregularitas, ex *c. Significaſti, cit.* ergo certum eſt ex iure in hoc euentu tam primum, quàm ſecundos lethaliter percuſſores, irregulares manere, vt in hac parte optimè ſentiunt Auctores primæ ſententiæ, cum communi.

Secundos verò pars, quæ contra illos militat, ſic clarè probatur. Quia ad incurrendam irregularitatem homicidij, neceſſariò debet quis eſſe cauſa proxima illius: ſed in caſu, quo percuſſus ſtatim obiit, ac fuit percuſſus à ſecundis, tunc primus percuſſor non fuit cauſa proxima dicti homicidij, ſed ſolùm ſecundi, qui reuera illum occiderunt: ergo. *Confirmatur.* Quia ſi percuſſus à Petro vulnere lethali, ſtatim occidatur à fulmine, tunc Petrus non manet irregularis, eo quòd vulnus inflictum à Petro non cauſauit mortem: ergo nec in præſenti caſu dicetur filius occidiſſe Caium à ſe lethaliter percuſſum, ſi illi ſuperueniens Sempronius hoſtis caput vno ictu demeſſuerit. Si igitur primum vulnus, quamuis lethale, reipſa, non cauſarit mortem, nec ipſam aliquantulum accelerauit, ſed tota illata fuit à ſecundo, aut ſecundis percutientibus, tunc primus qui vulnerauit, nullo modo contrahit irregularitatem. Id verò, vt ſupra notauimus, petendum eſt ex peritorum Medicorum, aut Chirurgorum iudicio.

Nec obſtat textus *in cap Significaſti*, quem contra nos obiiciunt DD. primæ ſententiæ. Quia ibi ideo primus percuſſor definitur irregularis, quia dubium erat, an vulnus, quod impoſuerat, mortem illius latronis reipſa cauſaſſet, aut accelerаſſet: in noſtro autem caſu ſupponimus cauſam cædis commiſſæ fuiſſe ſecundum vulnus, quod colligimus ex eo quod ſtatim ab illo inflicto interierit. Sic tenent Zaſius apud Couar. *loc. cit.* Auila *part.* 7. *diſput.* 6. *ſect.* 3. *dub.* 4. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 8. *num.* 60. & Bonacina *quæſt.* 4. *punct.* 8. *n.* 33. quos citat & ſequitur Gibalinus *cap.* 4. *q.* 1. *conſectar.* 9. *verſ. Tertio.* Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 6. *num.* 6. & penes ipſum Henriquez *lib.* 14. *c.* 14. *num.* 3. Molina *tract.* 3. *diſp.* 33. *memb.* 6. *n.* 4. & Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *in fine.* Sed ex his, quos Palaus citat, Auctoribus in primis Henriq. in oppoſitum potiùs inclinare videtur: nam hæc dicit verba *cit. loc.* Si primus lethaliter percuſſit, & tamen alius, qui ſe ſolo ſufficeter, occidit, vterque fit irregularis; nam ſaltem eſt dubium probabilius, quod primum vulnus iuuit ad mortis accelerationem: Si tamen ex Medicorum iudicio, & bonis coniecturis credatur primum vulnus de ſe ſufficiens non concurriſſe de facto ad mortem, hic fortaſſe excuſabitur ab irregularitate. Hæc Henriquez. Rurſus Molina loco citato à Palao, nihil ad propoſitum dicit, & oppoſitum expreſsè tenet loco à nobis allegato. Layman denique ſolùm dicit, hanc partem eſſe valde probabilem. Qui etiam malè citat Molinam vbi Palaus. Tenent etiam noſtram ſententiam alij iuniores.

Qvæstio LXX.

An omnes cenſendi ſint irregulares, caſu quo poſterius lethaliter vulnerantes occurrunt inuitati à primo, qui tantum leuiter vulnerauit.

REſpondeo, vt certum: Omnes cenſeri irregulares. Quia tam ille qui inuitat, quàm illi qui auxilium præbuerunt, in mortem ſubſequutam proximè influxerunt, vel phyſicè, vel moraliter. Sic omnes. Legantur Gibalinus *loc. cit. verſ. Quartò, pag.* 136.

Qvæstio LXXI.

An fiat irregularis ille qui rixam iniuſtam habens cum alio, admonet amicos, famulos, conſanguineos occurrentes in ſui auxilium, ne quid mali illi inferant, ſi hi nihilominus occidant eum, aut mutilent.

AFfirmant fieri irregularem caſu, quo rixa primi contendentis cum occiſo fuerit iniuſta, & illicita, quamplures Doctores, ex eo quod ille dederit culpam præambulam ad occiſionem; quod ſufficit ad incurrendam irregularitatem, vt colligitur ex *cap. Petrus* 17. *de homicid.* vbi ab irregularitate excuſatur, qui ignorauit, & prohibuit; quia non dedit cauſam intentioni, nec rixæ, ſed potius ipſe occiſus fuit in culpa illius inimicitiæ & pugnæ: ergo è contra, qui dedit cauſam rixæ, & eius amici, famuli, vel conſanguinei accurrentes, alterum cum eo pugnantem occiderunt, etiamſi id præter eius voluntatem, imò contra eius prohibitionem facerent, irregularis cenſebitur. Ita Villadiego *de Irregularit. cap. de percuſſore, col.* 8. & Marc. Socin. *in cap. Ad audientiam, de homicid. num.* 50. quos citat, & ſequitur Couarr. *d. Clement. Si furioſus*, 2. *part.* §. 2. *num* 8. *verſ. Primum.* Iacob. de Graff. *part* 1. *deciſ. aur. lib.* 2. *cap.* 64. *num.* 17. Vgolinus *de Irregularis. cap.* 18. §. 1. Riminald. Iun. *conſil* 441. *vol.* 4. Ozaſe. *deciſ.* 104. *n.* 5. & Bellet. *diſquiſit. Cleric. part.* 1. *tit. de diſcipl. Clericor.* §. 5. *num.* 54. quos omnes affert, & ſequitur Barboſa *in cap. Petrus* 17. *de homicid. num.* 3. Qui contrarium cum communi cenſet de illo, cuius occaſione non cauſam dante, ab eius amicis, famulis, vel conſanguineis homicidium committitur: quia in hoc caſu ille non debet cenſeri homicida, cùm non fuerit cauſa homicidij. Ita ille *num.* 1. & 2. ex Abbate,

Abbate, Innocent. Zarabella, Anania, & aliis Canoniſtis: quos quoad hoc vltimum, ſequitur Henriquez *vbi infrà*.

Sed probabilius Reſpondeo: Nullo modo fieri irregularem (ſi aliàs non contulerit aliquid ad eius mortem, aut eius accelerationem per vulnera à ſe priùs facta, iuxta doctrinam à nobis ſupra datam.) Ratio eſt. Quia ille primus, qui cauſam dedit rixæ, nullo modo cooperatus eſt morti ſui inimici, cum potius illam impedierit, quantum potuerit: ergo propter illam nequit fieri irregularis. *Confirmatur*, quia tale homicidium non fuit commiſſum voluntate illius, qui cauſam dedit contentioni, vt conſtat ex dictis: ergo non potuit eſſe voluntarium reſpectu illius: ergo nec irregularis propter illud. Sic Gloſſ. *in cap.vlt.* 23.*q.vlt.* Bald. & Hippolyt. apud Couar. *loc.cit.* Henriq. *lib.* 14. *c.*13.*n.*4. & apud illum Recentiores Theologi. Auila *p.*7.*diſp.*6.*ſect.*3.*dub.*5.*concl.*1. Reginald. *n.*147. Bonac. *q.*4.*punct.*8.*n.*34. Gibalin. *cap.*4.*q.*1.*conſect.*9. *in fine, pag.*136. & alij.

Qvæstio LXXII.

An qui vulnerauit lethaliter aliquem, quem domus corruens interemit, maneat irregularis.

AFfirmatiuam ſententiam poſſe defendi, ſatis innuit Molin. *tract.*3.*diſp.*33.*membr.*7.*n.*4.*col.*709. dum contrariam ferè inuitus amplectitur.

Sed vt mihi certum Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia, vt optimè ait Molina *loc. cit.* irregularitas non prius incurritur, quàm mors actu ex cauſa illius, quam homicida dedit, ſequuta, etiamſi conſtet cauſam ſufficientiſſimam illius eſſe datam. Quare, cum quando in eo euentu mors ſequeretur ex ea, caſu fortuito ſuperueniente, falſum eſſet dicere mortem fuiſſe ſequutam ex vulnere lethali inflicto, falſumque eſſet dicere eum, qui id vulnus lethale inflixit, interfeciſſe eum hominem, fuiſſeve homicidam illius; ſed ſolum ſit verum dicere, dediſſe cauſam ſufficientem ad homicidium, futurumque fuiſſe homicidam illius hominis, niſi mors illius aliunde fuiſſet præuenta: vtique dicendum erit, illum non contraxiſſe irregularitatem ex tali interitu eius hominis. Sic Molina. Ex cuius doctrina colligitur, quod ſi quis v. g. poſt acceptum lethale vulnus feritur fulmine, aut ruina domus opprimitur, aut ſubitò comminuitur ictu bombardæ, aut ab alia cauſa extinguitur, tunc percutiens non erit irregularis, vt conſtat ex dictis *q.* 69. & tenent Auila, Bonac. & alij ibi citati. Legatur rurſus Gibalin. *loc. cit. conſectar.*10.*n.*30.*pag.*136.

Qvæstio LXXIII.

An maneat irregularis ille, qui leui vulnere aliquem percuſſit, & percuſſus incidens in ſaxa, vel flumen mortuus eſt.

REſpondeo etiam vt certum: Manere irregularem, vel ex homicidio voluntario, vel caſuali, iuxta nuper dicta. Quia reuera, illud leue vulnus, in eo euentu verè intulit mortem percuſſo. Sic colligitur ex *cap. Studeat, diſtinct.*30. & tenent Maiolus *loco citato, num.* 6. Addens idem eſſe dicendum de illo, qui leuiter vulnerauit aliquem, ſed tamen cauſa fuit, ne fugeret percuſſus, & ſic non fugiendo, faciliùs occiſus eſt à ſuperuenientibus; tunc enim ille primo, licèt leuiter vulnerans, manebit irregularis. Siluest. *verb. Homicidium* 3.*q.*7. *verſ. Secundum.* Sayt. *n.*5.*cit. in fine*, dicens eſſe commune. Sed hoc vltimum additum, vt ſit verum, intelligendum eſt caſu, quo percuſſio leuiter vulnerantis aliquo modo influat in mortem, quam ſuperuenientes intulere, vt explicauimus *ſupr. q.*67.

Qvæstio LXXIV.

An qui ſagittam aut gladium de vulnere alicuius extrahit, fiat irregularis, ſi ob id vulneratus citius pereat.

AFfirmat abſolutè Maiolus *lib.*5.*c.*48 §.4.*n.*3. per hæc verba: Morti etiam opem fert ille, qui de gutture lethaliter vulnerati ſagittam extraxerit, ſi ob id vulneratus celerius moriatur. Argum. *c. Tua*, & *cap. quamuis, de homicid.* Speculat. *in d.* §. *Iuxta, verſ. Si autem aliquis ſagittam*. Hæc Maiolus. Quibus addi poſſunt Socin. Panormitan. & Villadiego apud Couar. mox citandum.

Sed probabilius cum diſtinctione ſic Reſpondeo dicendum, quod ſi extrahens non extrahat ſagittam, aut gladium cautè, & ſecundum regulas artis, & exinde accelerata ſit mors vulnerati, tunc verè ſit irregularis: quia periculosè, & illicitè accelerauit mortem percuſſi. Si verò extrahat ſecundùm regulas artis, & bono fine, animóque ſanandi, tunc non manet irregularis, licèt caſu acceleretur mors, quia id euenit per accidens. Sic Couar. *in Clem. Si furioſus, p.*2.§.4 *n.*3.*verſ. Hi vero dicendo*. Auctores etiam irregularem eſſe opinantur eum, qui à vulnerato ſagittam extraxerit, ſi ex hoc ipſe vulneratus moriatur. Quorum ſententiam ego admitterem, vbi in extrahendo ſagittam aliquam culpam habuerit, quia non ſeruauit modum ab huius rei viris peritiſſimis præſcriptum, vel operam dederit rei ſibi illicitæ, & interdictæ, alioqui non eſt omnino vera prædicta opinio. Sic ille. Et antea Nauar. *c.*17.*n.*229 Henriquez *lib.* 14.*c.*11.*n.*1. Auila *p.* 7. *diſp.*6. *ſect.*1. *dub.*9. *per totum.* Bonac. *etiam, q.*4. *punct.*7.*n.*13 & alij.

Qvæstio LXXV.

An cenſeri debeat irregularis ille, qui dubitat an ex vulnere graui, vel leui à ſe illato, vulneratus obierit.

REſpondeo, vt certum: Cenſeri debere. Quia ita videtur expreſſum *c. Ad audientiam, de homicid.* vbi dicitur irregularis ille, qui cultello, & vagina decidente alium leuiter in dorſo vulnerat, eo quòd dubium eſſet, an ex eo vulnere, aut ex alia infirmitate obiiſſet: quod dubium multo maius fuiſſet, ſi vulnus graue, & mortiferum fuiſſet. Verum igitur eſt illud in hac materia commune; Quod irregularis ſit quiſquis in dubio facti homicidij, ſecus in dubio iuris. Sic Couar. *in Clem Si furioſus, part.* 1. *num.* 3. Saytus *lib* 6. *cap.*2. *num.*17. Azorius 1.*part. lib.*2. *cap.*10. *quaſt.*19. Ægidius *diſp* 18. *dub.*2. *num.* 23. Sanchez *lib.*2. *de Matrimon. diſp* 41. *num.*9. Suarez *diſp.*40. *ſect* 5.*num.*18. & 19. & *ſect* 6 *n.*1. Salas, Valentia, Bonacina, Fillucius, Sancius Rebellus, & Salas, quos omnes refert Barboſa *in d.cap. Ad audientiam, n.*1. De quo etiam nos egimus *ſupr. tract.*1.

QVÆSTIO LXXVI.

An caſu, quo vulnus illatum alicui leue fuit, incuria tamen Medicorum, aut propria intemperantia, aut alia quapiam accedente cauſa, vulneratus obiit, habendus ſit irregularis, qui ipſum ita leuiter vulnerauit.

AFfirmant plures DD. Quorum ratio eſt: quia de facto mors ſequuta eſt ex illato vulnere, cum aliàs ſequuta non fuiſet, ſi vulnus illud inflictum non fuiſſet: ergo irregularis manebit ſic percutiens. Ita apud Saytum *lib.7.cap.4. num.16.* tenent Silueſt. *homicidium 2. quæſt.2.* Tabiena *verb. Irregularitas 3. §.6.* Nauar. *cap.27. num.223. verſ. Octauò, in fine.* Maiolus *lib.5. cap.48. §.4. num.6.* Viualdus *de Irregularit. num.141.* Ledeſma 2.4 *quæſt.26. art.2. de Irregularit. pag.395.* Ludouic. Carrer. Ancharan. D. Anton. & alij, & apud Auilam Couar. *part.2. §.2.n.9.* Corduba *in Summ. quæſt.34* Villadiego *c.6.n.17. verſ. Ex prædicto*, & ibi Didacus Perez, Luyſius *lib.9. de Cenſur. diſp.64. dub.1. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè habendum eſſe talem percutientem pro irregulari, ſi certum appareat ex Medicorum iudicio, tali vulnerato aliunde omnino, quàm ex illato vulnere mortem contigiſſe. Ratio eſt. Quia in dicto caſu qui leuiter vulnerauit, nulla ratione proximè influit, adhuc partialiter, in mortem percuſſi: ergo non eſt reus homicidij, & conſequenter nec irregularis. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur. Quia quoties alicui alteri cauſæ poſitiuæ, proximæ & totali poteſt tribui mors ſubſequuta, minimè tribuenda eſt illi, qui leuiter vulnerauit: at ſic eſt, quod in præſentiarum, mors ſubſequuta vulnerato, totaliter, proximè, & poſitiuè euenit illi ex ſua intemperantia, aut incuria Medicorum, &c. ergo. Sic Gibalinus *cap.4. quæſt.1. conſectar.10. verſ. Tota itaque.* Qui bene occurrit argumento contrariorum dicentium, ſufficere ad incurrendam irregularitatem, quod prius illud vulnus fuerit occaſio cædis vulnerati, quia ſic non fuiſſet vulneratus, etiamſi eadem intemperantia vixiſſet, aut cum eadem incuria à Medicis curatus fuiſſet, non obiiſſet, quia (inquit) cum occaſio, & cauſa plurimum differant, & effectus nunquam tribuatur occaſioni, ſed cauſæ proximæ, aut remotæ ita eum proximæ neceſſariò connexæ, vt ex remota ſemel poſita, neceſſariò ſequatur proxima, atque eius deinde effectus, huic vulneri aſſignari non poteſt homicidium tanquam cauſæ, ſiue proximæ, ſiue remotæ reipſa influenti propter neceſſariam connexionem quam habet cum cauſa proxima ab ipſa conſequente: ergo ratione illius occaſionis, & vulneris, neque homicidium externum, neque irregularitas ex eo proueniens contrahetur. Hæc Gibalinus. Et ante ipſum hanc docuerunt ſententiam Hoſtienſ. *in Sum. lib.5. tit. de homicid. §. Quæ pœna, verſ. Item ſecus.* Caietan. 2.2. *quæſt.64. artic.8.* Sotus *lib.5. de Iuſtit. quæſt.1. art.9.* Henriquez *lib.14. cap.14. num.4.* Salon *in 2.2. quæſt.64. art.8.* Angel. *verb. Homicidium 2. §.12.* & Toletus *in Summ lib.1. cap.59.* quos omnes citat, & ſequitur Sayrus *lib.7 cap.4 num.16.* His addi poſſunt Aragon 2.2. *quæſt.64. artic.8.* Auila *part.7. diſp.6. ſect.1. dub.5. concl.1. verſ. Dixi, ſi vulnus erat graue* (vnde malè citat illum Bonacina pro parte contraria, ſicuti citat Henriquez; nam hi Doctores loquendo de vulnere leui, hanc noſtram docent ſententiam.) Suarez *diſput.45. ſect.6. num.29.* Filliucius *numer.83.* Reginald. *num.164.* Leſſius *lib.2. cap.9.* Bonacina *diſp.7. quæſt.4. punct.7. num.16.* Qui & citat Couarruuiam pro hac parte, eodem loco, ac Auila pro contraria citauit. Et non miror, cùm Couar. in principio abſolutè teneat prædictum leuiter percutientem manere irregularem: in fine verò oppoſitum ſentiat caſu, quo vulnus ſit nimis leue, per hæc verba: Quod ſi vulnus illatum eſſet adeò leue, quod nullo, vel modico medicamine percuſſus poſſet liber, & ſanus euadere, & tamen vulneri oppoſitum eſt venenum: tunc percuſſor, ni fallor, non eſſet iudicandus irregularis, quia ex veneno potius quàm ex vulnere percuſſus moritur. Sic ille. Tenent etiam Hurtad. *diſp.2. diff.8. n.31.* imò & Diana *p.4. tract.2. reſol.10.* Palaus *d.1. punct.15. §.5. n.5.* ac alij.

QVÆSTIO LXXVII.

An ſaltem maneat irregularis, ſi vulnus quod intulit fuit graue, aut lethale, etiamſi percuſſus, ex malo regimine, aut ex imperitia, aut negligentia Medici, aut Chirurgi moriatur.

AFfirmant à fortiori omnes Doctores pro primæ ſententia adducti, & alij plures ex noſtris, præcipuè Auila *loc. cit. concluſ.1.* vbi ita ait: Si vulnus erat graue, licèt non lethale de ſe, percuſſor manet irregularis. Probat, quia ſi vulnus non eſſet illatum, mors non eſſet ſequuta, etiam poſita imperitia Chirurgi, & malo regimine: ergo vulnus fuit cauſa mortis. Ita ille, qui citat pro ſe Henriquez *lib.14. cap.14. num.4.* Couar. Nauarrum, & alios. Indicantque Bonacina, Gibalinus, Sayrus, Diana, & alij penes illos.

Sed ego iuxta doctrinam *quæſt.69.* datam, Reſpondeo probabiliùs: Minimè manere irregularem talem lethaliter, aut grauiter percutientem, caſu quo percuſſus de facto, non ex inflicto vulnere, ſed ex alia quapiam cauſa totali, & proxima influente in mortem percuſſi, pereat, & moriatur. Probatur ex dictis. Quia irregularitas ex homicidio non prius incurritur, quàm mors actu, & ex cauſa quam homicida dedit, ſit ſequuta, etiamſi conſtet cauſam ſufficientiſſimam, & euidentiſſimam illius eſſe datam, vt probatum manet *quæſt.72.* ergo quantumuis percuſſor graue, ſeu lethale inferendo vulnus, ſufficientiſſimè det cauſam morti percuſſi, tamen ſi reipſa, & de facto hoc non pereat, aut moriatur ex illa, quam vulnerans oppoſuit, cauſa, ſed ex alia occurrenti, & ab alio data, minimè dicetur reus homicidij facti, nec irregularis; ſed ille alius, qui cauſam totalem proximam & poſitiuam reipſa dedit, & qua poſita, vulneratus periit.

Confirmatur hæc ſententia ex doctrina quam tradunt Couar. Sayrus & alij Doctores contrariæ opinionis. Dicunt enim, quod quando vulnus ab aliquo illatum adeo leue eſt, quod modico medicamine percuſſus poſſet ſanus euadere; ſi tunc venenum aliquod illi leui vulneri, loco medicaminis, adhibeatur, percuſſor non eſt iudicandus irregularis; quia ex veneno potius, quàm ex vulnere percuſſus mori iudicatur. Sic illi. Nunc ego. Ergo idem dicendum in caſu, quo vulnus illatum ſit ex ſe lethale, ſi illi loco medicamenti adhibeatur aliquod venenum, quo adhibito, ſtatim pereat percuſſus: patet conſequentia, quia vtrobique eſt eadem ratio, cum vtraque percuſſio ſolùm rationem conditionis, vt mors contingat, ſortiatur, vt notum ex dictis manet.

Non obſtat, ſi dicas, eſſe inter has percuſſiones maximum diſcrimen; nam ex leui non foret mors ſequuta, niſi apponeretur illi venenum: bene tamen

ex

ex percuſſione lethali: quia hinc ſolùm ſequitur, quod foret percuſſor reus homicidij, & inde irregularis, ſi alia cauſa præueniens non inferret mortem vulnerato: non tamen ſequitur, quod de facto ſit reus homicidij, cum id aliter præueniens commiſerit, ac inde nec irregularis.

Qvæstio LXXVIII.

An qui leuiter vulnerauit, fiat irregularis, ſi ex vulnere percuſſus pereat, eo quòd non potuit inueniri Chirurgus, aut medicamen ad manum.

NEgandum eſſe, ex dictis conſtare videtur. Quia qui leuiter (aut etiam grauiter) aliquem percuſſit, non manet irregularis, ſi percuſſus ex imperitia Chirurgi moriatur: ergo nec irregularis euadet, ſi percuſſus moriatur, quia non eſt inuentus Chirurgus: patet conſequentia, nam idem importat non curare, ac curare malè ex imperitia artis.

Sed, vt certum Reſpondeo: Irregularem fieri. Ratio eſt: Quia quamuis defectus Chirurgi, aut medicaminis, ſeu curationis fuerit aliquo modo cauſa negatiua mortis; non tamen poſitiua, cui tribui poſſit mors; nam hæc tantum fuit vulnus illatum à percutiente, à quo poſitiuè, & phyſicè illata eſt mors: quare vulnerans verè homicida eſt, & irregularis. Ex quo conſtat manifeſtè irregularem eſſe illum, qui in medio campi percuſſit alium, non lethaliter; quia tamen impediuit, ne domum, aut aliò recipere ſe poſſet, vt ſanguinem ſiſteret, interiit, aut frigore, vel fame necatus fuit. Sic Sotus *lib. 5. de Iuſt. q. 1. art. 9.* Nauar. *c. 27. n. 223.* Auila *p. 7. d. 5. ſect. 1. dub. 5. concl. 1. verſ. Confirmatur.* Sayrus *lib. 7. c. 4. n. 16. verſ. Quartò.* Layman. *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 10. n. 5.* dicens eſſe communem. Gibalinus *c. 4. de Irregularit. q. 1. conſ. 10. n. 31.* & alij.

Ad rationem dubitandi neganda eſt conſequentia: diſparitas conſtat ex dictis, quia imperitia Chirurgi, aut inepta eius curatio verè influit vt poſitiua, & phyſica cauſa in mortem vulnerati, & ideo optimè poteſt tribui illi mors ſequuta: at verò negatio curationis ſolùm eſt cauſa negatiua, aut merum non ens, & non agit, & ideo illius non actionis nullus poteſt eſſe effectus.

Qvæstio LXXIX.

An item fiat irregularis, qui percuſſit leuiter, ſi mors non ſequatur præcisè ratione vulneris, eo quòd non fuerit mortale, ſed ratione febris, aut alterius infirmitatis inde prouenientis.

REſpondeo cum diſtinctione ſic: Si vulnus initio leue, ita tamen ſenſim ſupercreuit, vt quamuis Medici, & Chirurgi quidquid erat artis contulerint, non potuerint impedire febrim, ex qua tandem mors ſucceſſit, tunc percutiens irregularis erit, quia liquidò conſtat, vulnus fuiſſe cauſam poſitiuam & proximam cædis, & conſequenter de illa tenebitur vulnerans, & fiet irregularis. Si verò vulnus initio ita leue fuerit, vt Medicus illud facilè curare poſſet, tamen lucri cauſa, aut incuria curationem prolongauit, aut percuſſus ipſe ſua intemperentia ita vulnus exacerbauit, vt febrim, aut morbum, ex quo poſtea obiit, creauerit, tunc mors nulla ratione vulneri antea illato tribuenda eſt, ſed potius Medico, aut malo regimini ægri, & ideo eius cauſa minimè contrahet reus irregularitatem. Sic Nauar. *cap. 27. n. 223.* Henriq. *lib. 14. cap. 14. num. 4.* & Couar. quos pro hac parte citat & ſequitur Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 5. concl. 2.* Qui tamen non ita diſtinctè & clarè loquutur, ſicuti nos. Sayrus *lib. 7. cap. 4. n. 17. verſ. Secundò, & verſ. Tertiò.* Gibalinus *cap. 4. de Irregularitate, q. 1. conſectar. 10. verſ. Tertiò, & verſ. Quartò.* Palaus *diſp. 1. punct. 13. §. 5. n. 5.* Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. c. 10. n. 5.* & penes ipſum Couar. *loc. cit. §. 2. n. 9.*

Qvæstio LXXX.

An ſi vulneratus ex vulnere non lethali ſemel conualuit, & poſtea in morbum recidit, & tandem obiit, immunis maneat vulnerans ab irregularitate, & aliis obligationibus homicidij.

REſpondeo: Immunem manere ab irregularitate, & ab aliis homicidij obligationibus. Quia tunc vulnus non fuit cauſa mortis, ſed morbus ex aliis accidentibus ſuperueniens. Sic conſtat ex *c. 2. de homicid. & ex l. Qui occiderit, §. vltim. ff. ad leg. Aquiliam,* & tenent communiter DD. Couar. *in Clem. Si furioſus, de homicid. 2. p. §. 2. num. 9 in fine.* Molina *tract. 3. diſp. 32. n. 2.* Auila & Laymá *loc. cit.* Gibalinus *c. 4 de Irregularit. q. 1. conſect. 10. n. 31. verſ. Secundò,* & alij notantes, ſtandum eſſe Medicorum, & Chirurgorum iudicio, necnon Iudicis arbitrio, vt ſciatur vtrum ſuperueniens infirmitas, qua vulneratus obiit, originem traxerit ex vulnere, vel ex alia cauſa extrinſeca, & etiam vtrum vulnus fuerit lethale, vel non. Legatur Auila *loc. cit. concl. 2.* vbi adducit Gloſſam *l. 1. in verbo Depulſa, C. de emendis ſeruis*; docentem quod, ſi poſt vulnus, finitio triduo ambulauit pedibus ſuis, non dicitur vulnus mortale. Quam Gloſſam Felinus dicit eſſe ſingularem ſecundum omnes. Sed eam limitat Salicet. citatus à Felino, quando erat dubium: vtrum eſſet mortale. Legatur etiam Barboſa *in cap. ſignificaſti, el 2. de homicid. vbi n. 7.* ex Farinacio, Bernardo Græueo & aliis docet, quod illud dicatur vulnus lethale, cuius curatio vel omnino impoſſibilis, vel difficilima ſit. Legatur tandem Molina *tract. 3. diſp. 32. per totam.*

Qvæstio LXXXI.

An ſi vulneratus ſurgat è lecto, triduo iam tranſacto, poſt acceptum vulnus, præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſi poſtea decedat.

NEgandum videtur ex Gloſſa nuper citata, indicante, præſumendum eſſe tunc vulnus illatum non fuiſſe lethale: ergo nec ex illo deceſſiſſe. Sed hanc Gloſſam, quam pro hoc mudo dicendi citant Auila, & Anton. Gomez *vbi infra,* id non docere docet Molina *loc. cit. num. 3. col. 657.*

Alij verò è contra docent, vulneratum præſumi ex vulnere deceſſiſſe, non ſolùm quando poſt illud acceptum, finito triduo ex lecto ſurrexit, verùm etiamſi tranſactis diebus octo, pedibus ſuis ambulauerit. Sic tenet Barboſa *in cap. Presbyterum, num. 5. de homicid. & in cap. Continebatur, col. 111. num 3.* ex Farinac. *part. 5. quæſt. 127. n. 38. & 77* Boër. *deciſ. 323. num. 12.* Et Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 3. num. 29. verſ. Ex quibus.*

Alij ruſſus aliter ſentiunt, dicendo, quod ſi vulneratus poſt acceptum vulnus nunquam conualuit, præſumi debeat ex vulnere accepto deceſſiſſe, etiam ſi

poſt

poſt longum tempus è vita decedat. Si verò conualuit, & poſtea recidit, ſi moriatur poſt octo menſes, non præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſecus tamen ſi ante præ ſictum tempus mortuus ſit Ita Villadiego *c.6.verſ.ſed pone, n.35.* quem refert, & ſequitur Auila *p.7. diſp.6 ſect.1. dub.5. in fine*, qui & id probat ex *c.1.de Clerico percuſſore.*

Sed ego melius Reſpondeo dicendum, quod ad ferendum iudicium de cauſa mortis ſequutæ, an videlicet illa è vulnere illato proceſſerit, an verò ex alia noua ſuccedente cauſa, non ſit præcisè attendendum ad tempus poſt acceptum vulnus, nempe an percuſſus non ſit mortuus ſtatim intra tres, quatuor, vel octo dies, aut etiam menſes, &c. eo quòd id poſſit facilè contingere, ſi vulneratus nunquam perfectè conualeat, ideoque ſtandum ſit, & relinquendum arbitrio prudentis Iudicis, adhibito conſilio Medicorum, ſeu Chirurgorum, ſpectitáque qualitate vulneris, ſpectatiſque aliis circunſtantiis occurrentibus. Sic Molina *loc. cit. n.3.* & tandem illi conſentiunt Villadiego, Auila & alij *ſup.* citati.

Qvæstio LXXXII.

An præbens arma alicui, quem ſuſpicatur ea emere, aut petere ad iniuſtam occiſionem Petri, ſit irregularis, occiſione ſequuta.

Affirmant communiter DD. eo quòd occiſio ex donatione armorum ſequuta, præbenti illa indirectè ſit volita, & ad illam omnino influat ponendo ipſius cauſam. Ita Vgolin. *cap.17. n.3.* Molin. *tract.3.diſp.33.memb 6.n.8.col.699.* Suar. *diſp.45. ſect. 3.n.5.* & Filliuc. Quos citat & ſequitur Bonac. *diſp 7. q.4.punct.8.n.15.* & antea Felin. *in c. Sicut dignum, de homicid.* Sayr. *lib.7, c.4.n.9. in fine*, ibi: Qui ei, quem ſcit occiſurum alium, tradit gladium, erit irregularis: ſecus autem ſi neſciat, etiamſi occidat; quia tunc eſt cauſa remota. Ita ille. Avila *etiam part.7. diſp.6. ſect.3.dub.2.* & alij.

Sed ego Reſpondeo dicendum. *Primò*, quod nullo modo fiat irregularis ille, qui arma, aut aliud inſtrumentum ad homicidium patrandum confert, ſi probabiliter ignoret, petentem velle illa ad tale delictum admittendum: quia tunc ſicut excuſatur à culpa, ita excuſatur ab irregularitatis pœna. In hac prima reſponſione omnes conueniunt Doctores, præcipuè citati, inter quos Molina *n.7.* eam latè declarat, & probat.

Reſpondeo *Secundò*: æquè probabile eſt, quod qui præbet arma alicui ea petenti, ſuſpicans eſſe ad iniuſtè occidendum, non maneat irregularis, niſi dicta arma ex intentione homicidij perpetrandi præbeat. Ratio eſt: Quia tunc non dicitur, niſi ad ſummum valde remotè, & impropriè cooperari homicidio; cum tunc tantum tribuat arma, quibus occidens poſſit benè, vel malè vti, abſque intentione mali vſus: quod non pertinet ad homicidium, abſque dicta intentione: quamuis ſuſpicetur illum malè vſurum, alioquin qui vendunt res, quibus licèt abuti, quoties ſuſpicio pulſaret mentem, emi ad malum vſum, deberent aut abſtinere à venditione, aut deponere ſuſpicionem, aut rei forent ipſius criminis, quod ex eius mercis abuſu committeretur, quod nemo dixerit. Sic Hurtad. *diſp.2. de Irregul. diff.8. in fine*, quem citat, & ſequitur Gibalin. *c.4. q.1.conſect.10. pag.187.* Addentes tamen, ad ſummum prædictum præbentem arma peccare peccato ſcandali paſſiui, & contra iuſtitiam ſecundariò, & ideo non manere obligatum ad reſtitutionem damni. Nec Auctores oppoſitæ ſententiæ forſitan aliud, quàm nos, ſequenti quæſtione dicemus, volunt.

Qvæstio LXXXIII.

An ſaltem maneat irregularis, ſi præbeat arma petenti illa in ſubitanea rixa, aut in procinctu cædis.

Affirmabunt à fortiori omnes DD. nuper pro prima ſententia adducti.

Sed clarius, & diſtinctius Reſpondeo: Manere quidem tunc irregularem, præbendo in hoc caſu arma, quæ ſi aliàs petenti denegaret, vitaret cædem alterius alioquin certò ſequuturam, dummodo abſque ſuo magno damno denegare poſſet. Ratio eſt: Quia in hoc euentu, qui præbet iamiam rixanti arma, non ſolùm peccat contra charitatem, vt conſtat, ſed etiam contra iuſtitiam, & quintum præceptum Decalogi, cum reuera telo armauit homicidam, & conſequenter cooperatus eſt homicidio, & iniuſtæ cædi, quam ille perpetrauit. Sic ſentit Gibalin. *loc. cit. verſ. Crediderim, pag.187.* & in hoc ſenſu interpretatur auctores primæ ſententiæ quæſt. præcedenti allegatos. Addens, quod nec Hurt. diſſentiret, loquendo de præbente arma in illo momento cædis inferendæ, ad quam arma inclamat, & poſtulat homicida. Si enim (ait Gibalin.) illi in eo procinctu vocatus adſim, aut auxilium fero, vnde fiat, vt mea præſentia audacior factus, aut potentior meo ſubſidio, occidat inimicum, reuera fio irregularis, vt diximus, quidni idem continget, ſi præſtando arma auxilio ſim. Niſi igitur aliqua cauſa legitima excuſaſſet, vt fortaſſis continget in ſeruo, dicor huic cædi propriè cooperari, & ſum irregularis. Huc vſque ille.

Qvæstio LXXXIV.

An ſi quis tradat arma Caio, ad occidendum Titium, fiat irregularis, ſi Caius occidat Titium aliis armis.

Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia re ipſa, & reio effectu, non influit in homicidium: ergo in eo præcisè caſu præbens arma non manet irregularis. Secus eſt dicendum, ſi homicida, cui præſtita ſunt arma, illis factus ſit animoſior, & terruerit aduerſarium, atque ipſis adiutus ſit, vt facilius illum confoderet, etſi aliis armis, quia tunc qui præbuit arma, reus erit homicidij, in quod illa armorum præſtatione contulit, & ideo manebit irregularis. Sic Bonac. *q.4. de Irregul. punct.8.n.36.* citans Vgolin. *c.17.n.2.* Suarium *diſp.45. ſect.3.n.10.* & Filliuc. *tract.20.n.46.100. & 125.* Sed hi Auctores non loquuntur de caſu noſtræ quæſtionis propriè, licèt eorum doctrina noſtræ reſolutioni vires tribuat: Tenet tamen expreſsè Gibalin. *c.4. de Irregularit.q.1.conſect.10.verſ. At verò pag.*187. vbi idem docet de illo, qui præbuit arma Caio ad occidendum Titium, ille verò occidit Sempronium: quia tunc (inquit) præbens arma non fiet irregularis, niſi aliàs illa dederit, vt Caius his vteretur in rixa contra Titium, quem Sempronio, & ſimul aliis amicis, & ſociis ſtipatum ſciebat: nam periculum, ne quem alium quàm Titium occideret, cauere debuit.

Qvæstio LXXXV.

Ad qui ad iniuſtè comburendum aliquem viuum, ignem admouet, aut extruit focum, ſit irregularis.

Reſpondeo: irregularem eſſe. Quia reuera concurrit ad Rei mortem, & cauſam proximam

applicat. Sic communiter Doctores, Nauar. *cap.27.n.* 217. Gibalin. *loc.cit.verſ. Tertiò*, & alij citati *ſupr.diſp.* 7.*q.*95. 96.*&* 97. loquendo de Irregularitate ex defectu lenitatis prouenientе. Vbi ſecus diximus de vendentibus, aut donantibus ligna ad comburendos viuos hæreticos. Legantur ibi dicta, & applicentur hic.

---

§. IX.

De non impediente homicidium.

QVÆSTIO LXXXVI.

An incurrat irregularitatem, qui non impedit homicidium iniuſtum, ſi ad id nec ex charitate, nec ex iuſtitia, nec alio titulo teneatur.

RESpondeo, vt certum apud omnes: Non incurrere. Quia irregularitas ex delicto non incurritur abſque culpa: at qui non tenetur aliquo titulo impedire homicidium iniuſtum, non peccat illud permittendo, ſeu non impediendo: ergo ille, qui non tenetur impedire homicidium iniuſtum, vel quia non poteſt, aut quia ſi poteſt, non poteſt abſque graui incommodo, aut aliter, non fiet irregularis illud non impediendo. Sic omnes DD. vt teſtantur Hurtad. *diſp.2. de Irregularit. diff.* 9. Gibalin. *cap 4. quaſt.1. cenſect.13.num.*34. Inter quos ſolùm eſt difficultas, an fiat irregularis, ſi non impediat homicidium iniuſtum quando aliquo titulo tenetur, & poteſt abſque graui incommodo, aut alio titulo excuſante. Pro cuius difficultatis deciſione, ſit

QVÆSTIO LXXXVII.

An qui voluntariè non impedit iniuſtum homicidium, quando non ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate illud impedire tenetur, incurrat irregularitatem.

AFfirmant aliqui incurrere irregularitatem illum, qui etiam ſolo titulo charitatis (quo titulo tenentur omnes proximum defendere, quando commodè poſſunt, *cap. Non inferenda, & cap.vlt.*23.*q.*3.) tenetur impedire iniuſtum homicidium, & non impedit. Ratio eorum eſt. Quia omnis qui moraliter influit in homicidium iniuſtum, incurrit irregularitatem ex delicto: at qui non impedit, cùm poteſt, & debet, homicidium, influit vt cauſa moralis in illud: ergo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur tum ex Ambroſio *lib.1. de offic. cap.*36. vbi eiuſdem culpæ facit reum, qui non repellit iniuriam à ſocio, cum poſſit, & qui illam infert: tum etiam ex Alexand. III. qui *in cap. Sicut dignum, de homicid.* ait, *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit*: ergo, &c. Ita tenent aliqui, quos ſuppreſſis nominibus, refert Hurtadus *loc.cit.* Et indicant Caiet. Ricard. & Maior, quos citat Lugo *de Iuſtit.diſp.*19.*ſect.*4. *n.*99. affirmantes teneri ad reſtitutionem, qui non impediunt furtum, etiamſi ex ſola charitate ad id teneantur.

Alij verò non ita abſolutè id affirmant, ſed limitatè, dicendo manere irregularem illum, qui cùm poteſt, non impedit homicidium ex dolo, hoc eſt, ex odio, & affectu, vt homicidium ſequatur. Ita Angel. *verb. Homicidium* 1 *n.*17. & Couarr. *in Clement. Si furioſus, de homicid. part.*1. §.2. *n.*7. *in fine.* Qui ſecus dicunt caſu, quo non ex dolo, ſed ex negligentia, vel ex puſillanimitate, vel quia noluit ſe immiſcere rumoribus, non impedit homicidium; quia tunc, inquiunt, minimè eſt cenſendus irregularis, etiamſi tutò, & commodè occiſum defendere potuiſſet. Ita præter citatos DD. ſentiunt apud Sayrum *vbi infra*, Summa Aſtenſ. *p.2.lib.6.tit.14.art.*8. *q.*9. Summ. Piſanel. *homicidium* 4.§.*penult.* S. Anton. 3.*p.tit.*29.*cap.*2. *in princip.* Maiol. *lib.5. cap.* 48. §.5. *num.*2. & Henriquez *lib.14. cap.*22. §. 7. His addi adhuc poteſt Abbas *in c. Quanta, de ſent.excommun.* vbi id apertiſſimè dicit: & Ratio (ait Maiolus) quare in hoc euentu non incurratur irregularitas, eſt quia delictum eſt in omittendo, vnde non poteſt dici ipſum concurrere verbo, vel facto ad homicidium, ſicut eſt neceſſe ad incurrendam irregularitatem; nam tam de iure canonico, quàm de iure ciuili ex communi ſententia, nemo tenetur alterum defendere, vt latè probat Decius *in l. culpa caret, ff. de regul.iur.* Hæc Maiolus.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè manere irregularem illum, qui non impedit homicidium iniuſtum, quando impedire illud ex ſola charitate, non ex iuſtitia, tenetur; quamtumvis ex dolo non impediat. Ratio eſt. Quia ille qui non impedit homicidium iniuſtum, quando ex charitate tenetur, & ſine damno conſiderabili poteſt, non dicitur propriè homicida: ergo nec irregularis. Conſequentia eſt nota. Antecedens probatur, quia homicidium propriè eſt peccatum oppoſitum iuſtitiæ: at qui non impedit homicidium, quando ex ſola charitate tenetur, ſolùm peccat contra charitatem: ergo. Sic tenet communis ſententia. Nauarr. *c.27.n.*231.*& antea cap.24.n.*2. Molina *tract.3.diſp.*33. *membr.*5. Suarez *diſp.45.ſect.4.n.*5. Henriquez *lib.14. c.12.* §.7. *lit. F.& G.* Sayrus *lib.7. c.4. num.*3. Auila *part.7. diſp.6. ſect.2. dub.7. concluſ.*1. & penes ipſum Silueſt. & Rodriguez. Filliuc. *tract.20.c.4.quaſt.9. n.*127. Reginald. *lib.30.num.*145. Ægidius *diſp.18.n.*71. Layman. *lib.3. tract.5. p.3. c.12.num.*7. Toletus *lib.1.cap.83.num.*4. Bonac. *diſp.7. q.4. punct.8. n.*37. Hurtad. *diſp.2. de Irregul.diff.*9. Gordon. *lib.7.quaſt.*18.*num.*57. Barboſ. *in cap. Sicut dignum, de homicid. num.*19. Gibalinus *cap.4.q.1.cenſect.*13 *num.*34. Palaus *diſp.6. punct.*15. §.7. *num.*1. Dicaſtillo *tom.1. de Iuſtit. lib.2. tract.*1. *diſp.10.dub.14.aſſert.5.num.*194. Diana *p.4. tract.2. reſol.*7. vbi citat Megal. Mercet. Bannez, Vega, Villalobos, & alios. Machado *lib.1.p.3. tract.16. docum.*9. *num.*11. & loquendo de obligatione reſtituendi, Lugo *de Inſt. diſp.19.ſect.4.num* 99. Leſſius *cap.13.dub.*10. *num* 63. & alij. Qui ad argumenta contrariorum dicunt, vel quod ibi accipiatur occiſio latè, ſolùm prout eſt contra charitatem, non prout eſt contra iuſtitiam, ſicut accipitur à D. Ambroſio *in c. Paſce, diſtinct.*87. vel quod ibi agatur de præſumpta voluntate, & fauore præſtito, vt benè probat Lugo.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An ſaltem qui tenetur ex iuſtitia impedire homicidium, & non impedit, cum commodè poſſet, fiat irregularis.

AFfirmant communiter Doctores. Quia iſte talis non impediens verè peccat contra iuſtitiam, & in opinione omnium tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti: ergo nil deficit, vt fiat irregularis. Ita tenent expreſsè Nauarrus, Molina, Suarez, Henriquez & (exceptis nonnullis, infra allegandis) omnes nuper citati. Et expreſsè Gibalinus *loc cit.*

Sed probabiliter ſanè Reſpondeo: Huiuſmodi non impe

Digitized by Google

impedientem homicidium iniuſtum, non fieri irregularem, etiamſi teneatur ex iuſtitia impedire, & quamuis dolo non impediat, dummodo id faciat per puram, & ſimplicem omiſſionem defenſionis, aut non impeditionis homicidij: nam ſecus eſſet ſi huic adiungeret aliquam actionem poſitiuam, per quam poſitiuè iam diceretur concurrere ad homicidium, vt infra explicabimus.

Probatur *Primo.* Quia nullo modo incurritur irregularitas, niſi in caſibus iure expreſſis, vt cum communi ſupra diximus: at ſic eſt, quod nullus vſquam eſt textus, qui propter homicidium imponat irregularitatem, niſi illi, qui fuerit cauſa illius poſitiuè per actionem aliquam, conſilium, mandatum, auxilium, per aliamve ſimilem poſitiuam actionem: ergo non impediens homicidium, etiamſi ex iuſtitia teneatur, non incurret irregularitatem ex illo, ſi per puram, & ſimplicem omiſſionem defenſionis illius id faciat. Patet conſequentia: quia licèt hæc pura omiſſio defenſionis, aut non impeditio homicidij, ſit ſufficiens, vt non impediens ſit, & cenſeatur cauſa moralis, ſeu voluntaria homicidij, non tamen vt per illam fiat irregularis; cum in iure non ſit expreſſum, ex ſola, & pura permiſſione irregularitatem contrahi.

Secundò Probatur. Quia lex promotionis requirit factum, *cap. fin. quæſt.* 1. Sed in eo qui ſolum purè, & ſimpliciter permittit homicidium, aut non impedit, ſeu non defendit, etiamſi ex iuſtitia teneatur, & conſequenter contra iuſtitiam peccet, nullum reperitur factum: ergo. Sic in primis ſentiunt Innocent. *in cap. Petrus, de homicid.* vbi negat, eum fuiſſe irregularem, qui non impediuit homicidium, quod tractari nouerat (de quo infra) cuius Pontificis dictum eſſe communiter receptum, teſtatur Nauar. *in cap. Non inferenda*, 23. *quæſt.* 3. *num.* 17. & illud *ibidem num.* 34. recipit. Ruſus idem ſentiunt D. Anton. 3. *p. tit.* 28. *cap.* 1. & Alberic. *in verb. Homicidium* 1. Tabiena *irregularitas* 1. §. 1. vbi citat Hoſtienſ. Archidiacon. & alios. Armilla *verb. Irregularitas*, *n.* 2. *in fine*, vbi ſic ait: Similiter cùm quis permittit aliquem occidi, cum poſſit adiuuare, non incurrit ſecundum veram opinionem: quia hæc non ſunt in iure expreſſa, & non incurritur niſi ſecundum quod expreſſum eſt *in dict. cap. Is qui.* Sic ille. Tiraquell. *tract. de pœnis remittend cauſa* 44. vbi hanc irregularitatem negat ex ſola omiſſione defenſionis, & allegat Cardinal. Luyſius Turrianus *lib* 9 *de Cenſur. diſputatione* 63. *dub.* 5. (non 3. vt offendes apud Dianam, Gibalinum, & Machadum) *verſ. Sed difficultas eſt.* Gaſp. Hurtad *diſp.* 2. *de Irregularitate, diff.* 9 *numero* 34. & Gabriel. Vaſquez apud ipſos, *in manuſcripto*. Ioan. Præpoſitum *in* 3. *part. quæſt.* 5. *de Irregularitate, dub.* 10. *num*, 79. Et hanc opinionem eſſe probabilem expreſſè dicunt Diana, Palaus *loc. cit.* & Machado *numero* 12. vbi præpoſita, vt probabiliori, & communiori oppoſita ſententia, ſic concludit: *Pero no obſtante eſto, Vaſquez, y Hurtado, y otros deſienden, que el que no impide el homicidio, aunque eſte obligado à ello por juſticia, y aunque lo dexe de hazer, malicioſamente, y porque el otro muera, no incurre en irregularidad; porque aunque es aſſi, que el que no impide el homicidio, teniendo obligacion, influye moral, y voluntariamente en el, y es cauſa moral, voluntaria del homicidio, que no impidiò. Con todo eſſo, no es cauſa poſitiua, que influye poſitiuamente con obra alguna, ayuda, o conſejo: y en el Derecho Canonico, no ſe pone irregularidad, ſino ſolamente contra los verdaderos, y poſitiuamente homicidas, por lo menos con ayuda, y conſejo* Hæc Machadus.

Ex quibus iam conſtat, quid dicendum ſit argumento contrariorum. Concedendum enim eſt illis, quod qui omittit defenſionem, aut non impedit homicidium, quando poteſt commodè, & ex Iuſtitia tenetur, peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem; non tamen inde ſequatur, quod fiat irregularis: nam ad hoc, vltra prædicta requiritur, vt poſitiuè influat per actionem aliquam, mandatum, aut conſilium in homicidium ab altero commiſſum. Hæc dicta ſint in genere: ad particulares caſus deſcendamus. Sit ergo pro illis decidendis.

QVÆSTIO LXXXIX.

An gubernatores, iudices, & alij Prælati, qui ex iuſtitia tenentur impedire homicidium iniuſtum, incurrant irregularitatem, ſi non impediant quando commodè poſſunt?

AFfirmant communiter Doctores *ſupr.* pro prima ſententia adducti. Quia omnes iſti peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ſi quando ſine graui damno poſſunt, non impediunt homicidium: ergo ſunt rei homicidij: ergo & irregulares. Ita in ſpecie noſtri caſus Maiol. *lib.* 5. *cap.* 48. §. 5. *n.* 2. *verſ. Quandoque verò*, & penes ipſum Speculat. Angel Marian. Socin. & Nauar. *c.* 27. *n.* 231. *verſ. Decimoſeptimò*, & *in c. Non inferenda, num.* 18. vbi quatuor requirenda dicit, vt hic non impediens, aut nó defendens, incurrat pœnas iuris. *Prim.* poſſe defendere. *Secundò*, obligatum eſſe ad defendendum. *Tertiò*, poſſe ſine damno corporis, rerum, aut honoris. *Quarto*, ſi ſit illi manifeſtum homicidium patrari. Sic Nauar. Molina *tractat.* 3. *diſputat.* 33. *membro.* 5. Henriquez, *libro* 14. *capit.* 12. *numer.* 7. in gloſſa *litter. D.* Dicaſtillo *loc. cit. dub.* 14. *n.* 100. Sayr. *lib.* 7. *c.* 4. *n.* 4. Diana *p.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 7. & alij. Qui idem docent de aliis Miniſtris iuſtitiæ.

Sed iuxta doctrinam traditam à nobis, probabiliter Reſpondeo: Minimè irregularitatem incurrere præfatos Gubernatores, Iudices & Prælatos, non impediendo homicidium iniuſtum, ſi id faciant purè & ſimpliciter illud permittendo, non per aliquam poſitiuam actionem coadiuuando homicidæ. Ratio eſt, quia prædictis publicis perſonis, ſic modo dicto ad homicidiũ concurrentibus, non eſt ſpecialiter in iure irregularitas poſita: ergo non poteſt ab illis incurri. Sic ex P. Vaſquio tenet expreſsè Luyſ. *lib.* 9 *diſp* 63. *dub.* 4. *verſ. Addendum eſt.* Cui conſentire debent omnes DD. ſupra pro noſtra opinione adducti. Ad argumentum contrariorum concedendum eſt, prædictos Iudices, &c. peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſed non amplius.

QVÆSTIO XC.

An Procurator, & Aduocatus, qui dolosè aſſumptum reis patrocinium deſerunt, ſint irregulares, ſi reus ob deſertionem damnaretur ad mortem.

AFfirmant conſequenter prædicti primæ ſententiæ Auctores, ſed ſpecialiter Sayrus, & Diana *loc. cit.* Gibalinus *etiam c.* 4 *de Irregul. q.* 1. *conſect.* 14. *verſ. Nonò* Et antea Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 5. *verſ. Poſſunt etiam, pag* 469. Nam, inquit, ſi per meram negligentiam, & ignauiam, & imperitiam ipſorum damnaretur reus in ſuum patrocinium ſuſceptus, fierent irregulares, vt ſcribit Hoſtienſ. *in c.* 1. *de Poſtulat.* & diximus *ſupr. lib.* 1. *c.* 9. multò ergo magis, ſi dolosè. Ita Maiolus.

Sed probabiliter Reſpondeo : Non eſſe irregulares, ſi per meram omiſſionem, & deſertionem reum deſinant patrocinari. Quia etſi tunc faciant contra iuſtitiam,& teneantur ad reſtitutionem damnorum, quæ obueniunt ex rei morte, non tamen incurrunt irregularitatem, eo quod, vt ſupponimus, ad illam nulla actione poſitiuè concurrant.Sic debent tenere Vaſquez,Luyſius, Hurtado, Præpoſitus, & alij *ſup.* pro noſtra doctrina adducti.

Qvæstio XCI.

An fiat irregularis,qui ſciens mulierem, quæ ex ipſo concepit, abortum fætus animati procurare, tacet,& non impedit.

AFfirmant plures,quorum ratio eſt, quia tanquã pater tenetur titulo iuſtitiæ vitam ſeruare filio:ergo ſi id non faciat,reus erit homicidij, ſeu parricidij,ac proinde Irregularis.Ita Auila *part.7.diſp.6. ſect. 2. dub.7.concl. 2.verſ.Sequitur quartò*, qui & citat Emmanuel.*cap.* 178.*poſt decimam concl.* Layman *ſect.5.tract.5.part.3.c.4. n.7.* Portel *in dub. reg. verb. Abortus,n.* 14.Barjola *in Aphoriſm.litt.I,verſ.Irregularis eſt Sacerdos.*Silueſt.Nauar.Suar.Sanch.Sà,Reginald.& Bonac.apud ipſum,& apud Dian.*p.4. tract.2. reſol.*8. Quos ipſe ſequitur : licèt probabile dicat, & probet oppoſitum.Et nouiſſimè id ipſum ſentire videtur Gibalin.c.4.*q.5.conſect.14.verſ.Secundò*, quamuis verbis contrarium dicat ex parte.

Sed iuxta dicta,probabiliter ſanè Reſpondeo : Minimè fieri irregularem,ſi pater tacens,nec verbis, nec aliis ſignis, vt riſu,aut alia actione poſitiua approbet mulieris intentum,& facinus,& ob id illa magis confirmetur in ſuſcepta mente, & animoſior reddatur ad abortum procurandum.Ratio eſt *Primò.* Quia nullus ex pura omiſſione, aut non impeditione homicidij, etiam quando illud quis impedire ex iuſtitia tenetur, incurrit irregularitatem,vt ex Vaſquio, Luyſio, Hurtado,& aliis *ſupra* docuimus:ergo.

*Secundò.*Quia ſatis probabile eſt,quod pater non teneatur defendere vitam filij,ex iuſtitia, quod eſt vnicum ſententiæ affirmantis fundamentum, ſed tantum ex pietate,& officio paterno,vt docet Leſſ. *lib.2.c.9. dub.13.n.94.* ergo & ſatis probabile erit, quod non fiat irregularis,qui non impedit abortum, quem ſcit procurare mulierem à ſe corruptam. Et ita in caſu contingenti,ſed probabiliter,reſpondiſſe fatetur Diana *loc.cit.*

Dixi autem,*ſi alias nec verbis,nec alia actione poſitiua*,pater animati fœtus approbet mulieris intentum,quia tunc iam non erit tacens, nec ſolum impediens homicidium, ſed poſitiuè ad illud concurrens, & ita fiet tunc,abſque dubio,irregularis,vt bene vidit Giballinus;ſed hic non eſt caſus quæſtionis præſentis, vt conſtat,quod non vidit ipſe.

Qvæstio XCII.

An Medicus qui omittit curare ægrotum, & ob id moritur, incurrat irregularitatem.

AFfirmant quammulti Auctores,præcipuè in caſu,quo publico,vel priuato ſtipendio conductus ſit medicus ; eo quòd tunc teneatur ex iuſtitia curare infirmum.Ita Maiol.Syluest.Henriq.& alij cit. *ſupra, diſp.9.q.27.*

Sed iterum Reſpondeo probabiliter. Non incurrere irregularitatem, etiamſi ex iuſtitia teneatur mederi ægrotum. Quia per puram omiſſionem, aut permiſſionem nulla incurritur irregularitas, vt ſæpè eſt repetitum. Sic Vaſquez, Luyſius, Hurtadus, & alij *loc.cit.* adducti.

Qvæstio XCIII.

An ſi quis volenti defendere alium, ex charitate perſuadeat, ne defendat eum, fiat irregularis, ſi ex illa non defenſione ſequatur homicidium.

AFfirmant Suar.*diſp.45.ſect.4.n.3.*Vega *en eſſejo de Curas,tom.2.c.24.§.26.n.275.*Megala *in 3 p. lib.7.c.1.q.5.n.90.*& Sayr.*lib.7.c.4.n.8.* quos pro hac parte affert Dian.*p.4.tract.2 reſol.7.in fin.*Quibus addi poſſunt Auil.*infra*,Angelus, Silueſt. Tabiena, Armilla;& Nauar. Quorum ſententiam eſſe veriſſimam ait Gibalin.*loc cit.conſectar.14 verſ. Atque hæc poſterior ſententia.*Quia(inquit) iſta diſſuaſio, reuera poſitiuè influit in homicidium, quod ex ea ſequitur, tanquam ex vera cauſa morali mediata ; nec eſt omiſſio dumtaxat,etiamſi illam cauſet, & ipſa mediante homicidium,quod intendit, vt fatetur Auila, qui malè conſiderat obligationem charitatis in omittente defenſionem,nam quamuis ille immunis ſit ab irregularitate,ſi nudam & ſimplicem defenſionem non adhibeat;qui tamen illam defenſionem neceſſariam alteri ſubtrahit per actionem poſitiuam, reuera tam in homicidium influit, quàm ſi ipſi arma ſubtraxiſſet, aut fugienti valuas occluſiſſet. Huc vſque Gibalinus contra Auilam oppoſitum tenentem.

Sed nihilominus probabiliter certè Reſpondeo: Minimè fieri irregularem illum,qui volenti defendere ex charitate aliquem, diſſuadet defenſionem, ex qua non defenſione ſequitur homicidium. Sic Auila *p.7. diſp.6.dub.7.concl.2.verſ.ex dictis ſequitur primò*,qui id probat *Primò :* nam qui recipit conſilium, & acquieſcit diſſuaſioni,non fit irregularis, ſi non defendat : ergo nec fiet conſulens, aut diſſuadens defenſionem.Patet conſequentia,nam eſt cauſa magis remota.

Secundò Nam talis conſulens, aut diſſuadens non peccat contra iuſtitiam, quia non conſulit aliquid illicitum contra iuſtitiam,ſed contra charitatem : ergo. Sic in ſubſtantia Auila,citans pro ſe Henriq. & Emmanuelem, & alios iuniores. Quibus addi poſſunt Layman *ſect.5.tract 3.c.4 n.7.*& Diana *loc.cit* Bonac. *q.4.punct.8,n.39.*Vgolinus,Sayrus,Maiolus,& Henriquez, penes ipſum.Sed Sayrus oppoſitum docet *loco cit.* Nec argumentum contra Auilam confectum à Gibalino,vrget quid : negandum eſt enim, per illam diſſuaſionem ab opere charitatis, influere diſſuadentem in homicidium iniuſtè alteri illatum ; cum ſolùm poſitiuè impediat, & diſſuadeat defenſionem occiſionis, quam quis alteri machinatur,aut intentat, quod non eſt concurrere ad ipſam occiſionem, vt conſtat, & magis infra conſtabit.

Qvæstio XCIV.

An ſaltem fiat irregularis,ſi volenti defendere ex iuſtitia alium ab occiſione, id et diſſuadeat per vim, aut fraudem.

AFfirmant,à fortiori, Auctores nuper citati cum cõmuni.Quibus adiungi debent Auil. & Laym. *loc.cit.*vnde non bene illos citat Diana pro oppoſita parte. Nam de hoc caſu loquendo, ſic ſcribit Auila: Dixi,*ſi perſuaſerit ;* nam ſecus erit ſi per violentiam, iniuriam,

Digitized by Google

iuiuriam, vel fraudem, retraheret illum à defenſione, t nc enim ageret contra iuſtitiam, & fieret irregularis. Sicut ſi aliquix volenti dare eleemoſynam perſuadeat ne eam det, ſolùm peccat contra charitatem, nec tenetur reſtituere: cæterùm,ſi per vim, vel fraudem retrahat,peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere, quoniam licèt ille pauper non habeat ius iuſtitiæ ad illam eleemoſynam, habet tamen ius ad boc, vt nemo illam impediat per iniuriam, vt dicitur in materia de eleemoſyna. Huc vſque Auila. Et etiam Layman id habet, loquendo de illo, qui volentem defendere necem alterius, quam ex iuſtitia tenetur, retrahit, & perſuadet, ne illam defendat. Ita etiam Vgolinus,Henriquez,Sayrus, & Bonac.nuper citati.

Sed probabiliter Reſpondeo: Nec talem in hoc caſu fieri irregularem. Quia ſi non ſit irregularis, qui retrahit aliquem à defenſione necis alicuius,quem ex charitate tenebatur defendere: ergo neque fiet talis, qui retrahit illum qui tenebatur ex iuſtitia. Patet conſequentia ex dictis ſæpè,quia ad incurrendam irregularitatem non eſt attendenda hic obligatio iuſtitiæ, & charitatis,ſed poſitiuus,& proprius influxus in homicidium, vt benè vidit etiam Gibalinus *loco citato*:at ſic eſt, quod ille, qui diſſuadet alteri,ne defendat à nece aliquem, non influit poſitiuè,& propriè ad necem inferendam, ſed ad impediendum, ne adiuuetur: ergo. Sic tenet expreſsè Diana *loco citat. reſol.7.in fine*, vbi ita ait: Notandum eſt hic à fortiori,contra Suarez,Vegam, Megalam, & Saytum,& alios penes ipſos, non eſſe irregularem, qui per vim, vel diſſuaſionem, impedit ne aliquis impediat hominis occiſionem & ita tenet Auila *part. 7. diſp.6. ſect.2.dub.7.concl.2.§. ex dictis*, quem ſequitur Layman *ſect.5.tract.3.part.7.c.4.n.7.* Sic Diana,& omnino benè, ſi malè non citaſſet hos Auctores, vt vidimus. Et debent tenere Vaſquez, Luyſius, Hurtad. & alij ſuprà citati.

Nec argumentum Auilæ vrget. Non enim ex obligatione,ſeu violatione iuſtitiæ, & reſtitutionis inferenda eſt irregularitas, ſed in poſitiuo influxu in homicidium.

Qvæstio XCV.

An qui doloſè diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum,ne paſcat, & Medico ne curet, & volenti reuelare homicidij tractatum, ne reuelet,fiat irregularis,ſequuto homicidio.

AFfirmat abſolutè Gibal. *c. 4. de Irregular. q. 1. conſectar. 14.pag.151.verſ.Vnde bene*, ex Maiolo *lib.5.c.48.§.5.n.3.*

Alij verò ſub diſtinctione loquuntur, dicentes fieri irregularem, ſi illequi ſubtraxit à largitione eleemoſynæ,vel à curatione ægroti,&c. tenebatur ex iuſtitia eleemoſinam elargiri,curare,&c.ſecus ſi ex charitate.Ita Auila(vt vidimus *quæſt.præcedenti*) & Layman cum communi.

Sed probabiliter Reſpondeo: Non incurrere irregularitatem: licet aliàs ſic diſſuadens peccet,vel contra charitatem ſolùm, vel etiam contra iuſtitiam, & teneatur ad damni ſequuti reſtitutionem. Ratio eſt: Nam qui acquieſcit diſſuaſioni, & non paſcit egenum, aut curat ægrotum, aut reuelat tractationem homicidij, non fit irregularis, etiamſi ad hæc exercenda opera teneretur, cum poſitiuè non influat in homicidium ſequutum, vt ex dictis conſtat: ergo minus fiet, qui conſulit, ac diſſuadet, cum minus ad illa opera teneatur, & in homicidium ſequutum minimè poſitiuè influat; ſed ſolùm in negationem illam non ſubleuationis miſeriæ pauperis; aut non elargitionis eleemoſynæ, non curationis ægroti, &c. quod quid diuerſum eſt. Sic ſentiunt Vaſquez, Luyſius,Hurtad.& alij noſtræ doctrinæ Auctores. Quibus fauet (neſcio an ita conſequenter) Gibalinus *loc.cit. verſ.quartò*,vbi approbat Nauarrum *in cap.Non inferenda,num.35.* reſpondentem, Clericum inſulanum minimè incurriſſe irregularitatem, etiamſi per negligentiam omiſiſſet monere alium,de cuius nece tractatei audierat,vt ſibi caueret, quia ex doctrina Innocentij,& Antonini iſta irregularitas non contrahitur, ſine fauore,aut auxilio, aliquo modo præſtito occidenti,aut mutilanti: iſte autem Clericus proſus negatiuè ſe habuit: quare, an non ex reuelato homicidio ſequatur irregularitas, non eſt recurrendum cum Auila *loco citato*, atque aliis vulgò, ad obligationem reuelandi à charitate, aut iuſtitia profectam, ſed ad influxum,quem illa non reuelatio, aut ſilentium præſtitit,ratione fauoris, aut approbationis æquiualentis ſuaſioni,& conſilio,aut alia quapiam ratione præſtiti. Hæc Gibalinus.

Qvæstio XCVI.

An qui aquis immerſo funem,ramum, aut ſcapham,quibus ſaluari poſſet,ſubtrahit, fiat irregularis.

REſpondeo,vt certum: Irregularem fieri. Quia iſte tunc non ſe habet merè negatiuè,illum non eripiendo,& adiuuando,ſed poſitiuè influit in eius mortem, cum poſitiuè ſubtrahat adiumenta, quæ apud ſe habet, & quibus aliàs ſaluaretur. Sic Maiolus *libro 5.cap.48.§.5. num.3.* his verbis: Et in caſu contingenti, cum quidam ab impetu fluminix mergeretur, manúque apprehendiſſet arboris ramum, vnde ſaluari potuiſſet; alius quidam eius æmulus ramum abſcidit,ne illo auxilio ſaluaretur. & ita ille extinctus ab aquis fuit,certè qui ramum abſcidit, homicida fuit, & irregularis,& ita ego rogatus reſpondi. Sic Maiolus quem citant,& ſequuntur Sayrus *lib.7. Theſauri, c.4.n.8.*& Gibalinus *c.4.q.1. conſectar.14. verſ.Septimò, pag.153.*

Qvæstio XCVII.

An etiam fiat irregularis,qui videns alium immerſum flumine,non adiuuat ſuo fune, ſcapha, &c.

AFfirmat Maiolus *loco.cit.* non in omni caſu, ſed ſolum in caſu,quo quis obligatus eſſet ex iuſtitia ad ſubueniendum. Ita enim ait *loco citato, verſ. Ex prædictis*. Iuxta prædicta etiam deducitur alius caſus: aliquis immergitur in flumine,& facilè poteſt ſaluari apprehendēdo remum tuum, vel funem tuum, vel ſcapham; ſi tu remum auferas,aut funem,aut ſcapham,vt ille non poſſit ſaluari,irregularis es,quia poſt omiſſionem auxilij eſt ſubtractio illarum rerum, per quas ſaluari poterat: ſecus eſſet ſi cum poſſes ſcapha, remo,fune illum adiuuare,non feceris; nam licèt pecces mortaliter omittendo debitum auxilium, tamen non es irregularis, niſi pro Patre, Domino, & Superiore tuo, vel niſi obligatus eſſes, iuxta prædicta. Huc vſque Maiolus, quem citat, & abſolutè eius ſententiam, ſine vlla limitatione, docet Gibalinus *loco citato*. Quia tunc (inquit) non porrigere funem, aut remum,& non præſtare alia adiumenta, quæ poteſt,eſt illa eadem ſubtrahere, propter ius, quod alter in illas res habet in tali caſu; vnde tunc ibi reperitur

Digitized by Google

commiſſio aliqua,& non ſola,ac nuda omiſſio,& ideo poſitiuè concurret ad mortem ſui proximi,& conſequenter irregularis fiet, etiamſi ſolum ex charitate ad ſubueniendum teneretur.

Sed probabilius Reſpondeo : Tunc non fieri irregularem , etiamſi ex iuſtitia teneretur ad ſubueniendum. Quia (vt habitum eſt ſæpè) ut incurrat quis irregularitatem,non ſufficit vt teneatur ex iuſtitia ad adiuuandum periclitantem,ſed requiritur vltrà,vt poſitiuè per aliquam actionem in mortem influat, quam in præſenti non exercet, qui videns alium immerſum flumine non adiuuat. Solùm ergo peccabit contra charitatem,vel iuſtitiam, ſi ex hac tenebatur ad ſubueniendum,& tenebitur tunc ad reſtitutionem , non verò incurret irregularitatem. Vnde ad argumentum Gibalini, negandum eſt, quod non porrigere funem, aut remum , ſit propriè,& proxime ſubtrahere adiumenta , quæ immerſus aquis habet in ſe , & quibus poſſet liberari ab imminenti morte,ſed ſolum eſt non adiuuare,merè negatiuè ſe habendo,quod quid diuerſum eſt. Sic colligitur ex doctrina, quam tradunt Auctores *ſupr.cit.*

Qvæstio XCVIII.

An irregularis fiat ille,qui præſens fuit tractatui habito ſuper occidendo eius inimicum ab eius conſanguineis , vel ſeruis, & tamen tacuit.

Affirmant plures Doctores,eo quòd ſuo ſilentio probaſſe,conſenſiſſe , atque fauiſſe homicidio videatur.Ita colligunt ex *cap. Petrus, de homicid.* vbi Diaconos quidam immunis iudicatur ab irregularitate , etiamſi eius conſanguinei ad vlciſcendam iniuriam ipſi ab Abbate quodam irrogatam , eundem Abbatem occidiſſent,quia (inquit textus) vbi id reſciuerat Diaconus ille prohibuit : tunc illi : Ergo à contrario ſenſu , ſi ſciens conſanguineorum voluntatem de homicidio faciendo , non prohibuiſſet, irregularis foret. Ita Felinus *in cap. Petrus, citato* , & nouiſſimè Barboſa *ibidem , numero* 5. ex Couar. *in Clement.Si furioſus, part.2.§.2.n.8.verſ. Quartò* , & Graffio *in aur. deciſ part.1.lib.* 2.c.64.n.18. Vgolinus *cap.*23.§.3.*n.*17.& 18.Sayrus *lib.*7.c.4.*n.* 8. *verſ.* Et idem dicendum de illo , & penes ipſum Hoſtienſ. Sum.Aſtenſis,& Angelica.

Sed probabilius Reſpondeo:Non fieri irregularem, ſaltem in foro interno. Quia per taciturnitatem illam nihil poſitiuè influit in homicidium,cum ſolum fuerit merus conſenſus, & mera non prohibitio, quæ vt vidimus, non parit irregularitatem. Sic Innocent. *in cap.Petrus, cit.* quem cum communi recipit Nauar.vt diximus *ſup quæſt.* 88. & 95. Gibalinus *etiam capite* 4.*quæſtione* 1.*conſectar.*14 *verſ.Decimoſeptimò, in fine*, addens ſecus iudicandum in foro externo: quia hoc ex eo ſilentio, & conſenſu præſumit vel fauorem præſtitum,vel auxilium.

Qvæstio XCIX.

An etiam ſit ab irregularitate liber,qui alium non defendit,ſed gaudet de illius nece, atque riſu,aliòve ſigno id teſtatur.

Reſpondeo : Ex dictis,etiam eſſe ab irregularitate liberum,ſi ſit puta non defenſio , & illo ſuo externo riſu , aliove ſigno non faueat occidenti , vel audaciorem faciat , aut illi annuat , aut aliquo modo hortetur , aut ſua præſentia ſecuriorem reddat ; quia tunc, cum poſitiuè influeret in homicidium,non maneret ab irregularitate immunis. Sic Vgolinus *loc.cit. n.*4.& ex illo Gibalinus *cit.verſ.Decimoquartò.*

Qvæstio C.

An maneat irregularis , qui cæco pontem tranſeunti tabulam aliquam ſubtrahit,vnde ille ſubmergitur?

Reſpondeo:Manere irregularem.Quia in hoc caſu ille actione poſitiua, ſubtrahendo aliquid neceſſarium ad vitandam mortem , concurrit ad mortem & necem cæci.Sic Maiol *lib* 5.c.48.§.5. *verſ. Et per hoc dico*,vbi ita ait:Si cæcus pontem tranſeat , tu clam auferas tabulam, vt cadat ille incautus , ſi ceciderit,tu eris irregularis ex ipſius morte , vel mutilatione,propter illam ſubtractionem,quæ eſt in faciendo Et ideo quiſquis faceret quod fecit Samſon, ſcilicet ſubtrahendo columnas & fundamenta domus, *Iudic.*c.16.fieret irregularis , non ſolum ex ſua,ſed & morte aliorum. Hæc Maiolus.Quem citat,& ſequitur Gibalinus c. 3. *de Irregul quæſt.* 1 *conſectar.*14.*verſ. Quintò.* Qui tamen non aduertit , inaduertenter dixiſſe Maiolum,*ex morte ſua* , fieri illum irregularem; nam quanam ratione poteſt quis manere irregularis poſt mortem ſuam,cum iam non ſit ? Dicat ergo Maiolus,ex morte aliorum duntaxat.

Qvæstio CI.

An fiat irregularis, qui fores domus ſuæ occludit fugienti inſequentes aduerſarios,vt facilius,aut citius occidatur?

Reſpondeo , vt certum : Fieri irregularem , quia dolosè,& malo animo poſitiuè ponit obicem alterius vitæ,ac ſaluti,minuendo eius animum,& vires, ac reddendo eius aduerſarios fortiores , ac animoſiores,vt facilius illum occidant,& confodiant,vnde cooperator eſt cenſendus homicidio , ac per conſequens irregularis. Secus eſſet ſi occluderet ille fores domus, vt vitaret ipſiuſmet periculum , ſi fera turba in domum ſuam irruat,quia tunc non eſſet irregularis , vt optimè docuit Maiolus *loc.cit.verſ.Ex prædictis*, per hæc verba : Si ante fores domus tuæ fiat rixa ſanguinolenta,tu verò occludas oſtium tuum, vnde occiſus eſt qui abſque dubio fuiſſet ſaluus ingrediendo domum tuam,an fias irregularis,diſtinguendum eſt , an occluſeris , vt euitares rixam , & ne in domum tuam irrueret totus impetus ? eo caſu non videris irregularis,cauendo tibi. Argum.Abbat. *in d.cap.Quanta.* Aut occluſiſti dolosè,ne ille in domum tuam ingreſſus ſaluaretur,ſed facilius per aduerſarios in via occideretur; tunc es Irregularis ex illo dolo, quia obicem poſuiſti ſaluti illius.Sic ille.Quem citat, & ſequitur Gibalinus *loc.cit.verſ.Sextò.*Quibus addo Sayrum *lib.*7.*c.*4.*n.*8:

Qvæstio CII.

An ſi quis noctu per loca periculoſa cum lumine incedat , ſi illius lumen aliquis dolosè extinguat , illeque præceps ruat , fiat irregularis.

Reſpondeo,vt certum : Fieri irregularem. Quia in his, & aliis ſimilibus caſibus non eſt tantùm negatio,ſed actio poſitiua , per quam remouetur aliquid ad vitandam mortem neceſſarium. Sic Maiolus,

Sayrus,

Saytus, & Gibalin.*loc.cit.* Qui idē dicunt de illo, qui arma alterius ligat, aut celat, vt vrgente hoſtium periculo, occidendus ſe defender non epoſſit, à quibus propter ſubtracta, aut celata arma occiditur, fit enim cooperatione irregularis.

QVÆSTIO CIII.

An Epiſcopus paßit diſpenſare in irregularitate arta ex huiuſmodi homicidio directè valuntario.

RESpondeo, vt quid certum: Non poſſe Quia id eis eſt prohibitum multis iuribus, præcipuè nouo Trid.*ſeſſ.*14.*c*.6. & conſtabit amplius ex dicendis infra *diſp.*27.*de diſpenſ. Irregularitatis.*

DISPVTATIO XI.

De Irregularitate ex Abortu.

QVÆSTIO PRIMA.

An ſit licitum procurare abortum fœtus nondum animati, ad tuendam famam, vel honorem alicuius puellæ prægnantis.

AFFIRMANT aliqui apud Zanardum *in directer. Confeſſ.p.*1.*de Sacram. matrim. c.*41. *q.*17.& Azorium *tom.*3.*lib.*.*c*.4. *q*.1. Quia cum fœtus non ſit animatus, nulli fit iniuria ſi procuretur remedium, ne concipiatur, aut poſt fœtum conceptum fiat aborſus. Sententiam hanc defendit nouiſſimè Torreblanca *de Magia lib*.2. *c*.43. *n.* 10. vbi ſic ait: Quando ex partu concepto euidens periculum apparet, vel quod puerpera ſoleat ad extremum deduci, aut nimis arcta ſit, aut fama eius lædatur, aut aliter vitæ diſcrimen, vel exiſtimationis poſſit ſubire, benè poterit poculum abortionis præbere, dum fœtus tamen non erit animatus Ita ille, Quorum ſententiam poſtea ſunt ſequuti Leo Zambellus *in Repertor. Morali, v. Medicus, n.*1.& Bordonua *in conſiliis Regul.Reſol.*45.*q*.4. *n*. 4 & vt probabilem Lezana *tom.*3.*quæſt.Regul. verb. Abortus, n.*5.

Sed vt certum Reſpondeo: Nullo modo eſſe licitum, ſed peccatum mortale, procurare abortum fœtus adhuc non animati, ad tuendam famam, vel honorem fœminæ cuiuſcumque conditionis, etiamſi nobilis ſit, aut Monialis, aut Deo Sacra, aut etiamſi ſcandalum timeatur. *Primò*: Quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. *Secundò*: Quia hoc eſt contra naturam generationis, & ideò illi fit iniuria: fœmina verò ſibi imputare debet periculum infamiæ. Sic Zanard.& Azor.*loc.cit.*Sanch. *lib*.9.*de Matrim.diſp.*20. *n*.20.Tanner.*in* 2.2.*diſp*.4.*q*.8.*dub*.4 *num*.58. Syluius ibidem *q*.4.*art*.7.*q*.4.*concl*.3. Finell.*de caſib. reſeruat. part*.1.*caſu* 5. *verb. Abortus*, §.1.*num*.3. Belloch. *in praxi Theolog.moral.part*.2.*quæſt*.8.*num*.78. & Filliucius *tract*.29.*cap*. 6.*num*.130.quos omnes refert, & ſequitur Diana *part*.3 *tract*.5. *Reſol*. 11. & poſtea *p*.6. *tract*.8. *Reſol*. 37. vbi citat P. Theſaurum *in praxi p*.2.*verb. Abortus*,*c*.1.*limit*.3.& Candid. *tome* 2. *diſquiſ*.1 *art*.1. dicentem contrarium eſſe improbabile. Et addit ſe audiuiſſe, fuiſſe damnatum in congregat. Sancti Officij. His authoribus addo ego Syluestrum *verb. Medicus*,*q*.4.Chapeauill.*de caſib reſeruat*. *c*.9. *diff*.1. Ioannem de Dicaſtillo *tom*.1.*de Iuſtit. libro* 2. *tractat*.1.*diſput*.10.*dub*.13.*num*.174 Cardin.de Lugo *tom*.1.*de Iuſtit.diſput*.10.*ſect*.5. *à num*.130. Pontium *de Matrim.lib*.20.*cap*.13.*num*.2.Baſſeum *verb Aborſus*, *num*. 1. *in fine*, docentem oppoſitum eſſe improbabile.

QVÆSTIO II.

An ſaltem ſit licitum procurare directè abortum (quando aliud non ſuppetit remedium pro ſalute matris, ſi fœtus nondum ſit animatus.

AFfirmant plures DD. docentes, poſſe permitti tunc pro ſalute matris, fœtum nondum animatum expellere; imò ſi fœtus matri mortem allaturus putetur, etiam poſſe permitti eius expulſionem, intentione directa. Fundamentum horum eſt, quia in tali caſu fœtus eſt quodammodo aggreſſor, ſeu cauſa efficiens maternæ mortis: igitur eum expellere, ſi nondum animatus eſt, naturali iure licet, Ita tenent S. Anton.3. *p.tit*.7. *cap*.2. §.2. Syluest. & Sanch. *loc. cit*. Couarr. *in Clement.ſi furioſus*,*ſ.art*.2. §.3.*n*.1 Nauarr.*in Summ cap*.15.*n*.6: Lop *prima parte Inſtruct.cap* 3.Leſſ *lib*.2.*cap* 9.*dub*.10. quos omnes refert Dicaſtill.*loc.cit.n*.164. Quibus addi poſſunt Aragon, Saytus, Henriquez, & Reginald Layman, & Homobonus, quos citat, & ſequitur Dian 3. *p reſol*.11. *cit.& p*.5.*tract*.14. *reſol*.90.§. *Sed quia*. Sa, & Giaffius apud Baſſæum, *verb. Aborſus*,*n*.1.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè poſſe licitè procurare, intentione directa, abortum fœtus, etiam non animati, pro ſalute infirmæ matris, aut pro liberando illam à periculo mortis, imminenti ex infirmitate.

Primò: Quia (vt benè arguit Pontius, contra Sanchez,) ſi liceret euacuatio fœtus nondum animati, ad vitandam mortem matris, & reſtituendam ſanitatem, liceret etiam procurare abortum nondum animatum ad tuendam vitam, vel famam, & honorem nobilis puellæ, Monialis, aut Deo Sacræ conſeruandum: caſus enim ſeſe offerre poteſt adeò premens, vt nullo alio medio poſſit dicta puella eripi, niſi abortu fœtus nondum animati: at hoc ſecundum negat Sanchez: ergo & primum negare debet.

Secundò, quia nunquam eſt licitum procurare directè ſeminis effuſionem ad recuperandam ſalutem, imò nec ad ſaluandam vitam eo quòd ſit contra naturalem finem generationis: ergo ſimili ratione, non erit licitum vnquam, etiam ad ſaluandam vitam matris ex infirmitate periclitantem, procurare abortum non animatum. Nec ratio aliqua ſufficiens differentiæ reddi in dictis caſibus poteſt, vt oſtendunt Pont. *loc.cit*.& Lugo etiam *num*.130 *&* 131. Et ideò hanc ſententiam tenent dicti SapientiſſDD Vaſquez etiam *opuſc.de Reſtit.c*.5.§.2.*dub*.6.*n*.52.Baſſæus *loco citato*, & alij.

QVÆSTIO III.

An ad minus ſit licitum in præfatis caſibus, procurare indirectè abortum fœtus nondum animati, ſumendo aliquod remedium, quo directè tendat ad ſanitatem, & vitam matris tuendam.

AFfirmant, & à fortiori, omnes DD. pro prima ſententia adducti.

Sed melius cum Cardinali Lugo, diſtinctione iſta Reſpondeo: dicendum, quod ſi illud, quod ſumitur remedium, non aliter conducat ad vitam matris, niſi quatenus excutit aborſum, tunc non liceat tale remedium ſumere, nec ordinare: quia tunc iam directè intenderetur aborſus, licèt non intenderetur propter ſe, ſed propter alium finem, quod nil obſtat, vt actio ſit illicita. Si verò remedium, aut pharmacum, quod ſumitur, vtile ſit ad vitam matris, conſequenter tamen cauſat abſorſum, & præter intentionem, tunc ſi fœtus non ſit animatus, licitum erit illud remedium, ſicut & illud, quod ſumitur ad ſanitatem, licèt conſequenter præter intentionem præuideatur afferre expulſionem ſeminis, quæ non intenditur, nec conducit ad ſanitatem, ſed cauſatur ab illo remedio, per quod aliunde obtinetur ſanitas, quatenus purgat alios humores noxios. Eadem enim eſt ratio, quoad hoc, de expulſione ſeminis, & fœtus nondum animati, vt neutra procurari poſſit, vt vtraque indirectè permitti poſſit propter ſanitatem, & in hoc ferè omnes conueniunt. Hæc Lug. *tom.* 1. *de Iuſt. diſp.* 10. *ſect.* 5. *num.* 132.

QVÆSTIO IV.

An etiam poſt fœtus animationem liceat, attento ordine ſolius naturæ, ſumere, & applicare remedium, quod per ſe, & directè tendat ad ſanitatem matris, quamuis per accidens timeatur fœtus occiſio?

NEgatiuam ſententiam tenet Baſil. Pont. *lib.* 10. *de Matrim.* c. 15. *n.* 6. & Vaſq. *opuſc. de Reſtit. cap.* 1. §1. *dub.* 7. *n.* 28. *& cap.* 5. §. 2. *dub.* 6. *n.* 23. ait Dian. 3. *p. tract.* 5. *Reſol.* 7. Sed hi Doctores abſolutè id non negant, ſed potius id concedunt, loquendo de remediis quæ non tendant ad occiſionem fœtus, niſi negatiuè per ſubtractionem humoris neceſſarij ad eius ſuſtentationem, vti ſunt ſanguinis miſſio, balneum & huiuſmodi: negat verò loquendo de remediis, quæ poſitiuè concurrerent ad mortem fœtus, qualis eſſet potio, quæ per alterationem poſitiuam occideret fœtum, hoc enim eſſet dare venenum poſitiuè Innocenti, vt te à morte liberes, quod nunquam licet. Legantur Baſil. *loc. cit.* & Vaſq. *c.* 3. *de reſt.* §. 2. *dub.* 6. *n.* 2. vnde ex illis, & aliis

Clarius Reſpondeo: Dicendum, quod licèt nunquam liceat adhibere remedia, ſeu medicinas, quæ directè tendant ad animati fœtus occiſionem, vt veneni potionem, dilacerationem, &c. quia nunquam (vt diximus) licet per ſe, & directè occidere hominem innocentem: licitum tamen ſit, attento ordine naturæ, adhibere medicinas, quæ per ſe, & directè ordinatæ ſint ad ſanitatem matris, quamuis per accidens inde timeatur fœtus occiſio, vt venæ ſectio, pharmacum ventris purgatiuum, &c. Ratio eſt. Quia non repugnat rectæ rationi, innocentem per accidens, & præter intentionem, in caſu neceſſitatis occidere: at ſic eſt, quod in aſſignato caſu, occiſio illa fœtus reſultat per accidens: ergo licita erit. Minor conſtat; nam cum fœtus pendeat à vita, & ſalute matris, rariſſimeque contingat fœtum viuum edi poſt matris mortem, medicamentum, quod ad ſalutem matris adhibetur, ſecundariò tendit ad ſalutem fœtus: per accidens ergo erit quod illi noceat. Sic tenent Nauar. Sanch. Leſſ. ſup. citati. Petrus Navarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *n.* 143. Sayrus *lib.* 7. *Clauis Regia, cap.* 12. *n.* 21. Filliucc. *caſu* 4. *n.* 17. quos citat, & ſequitur Ioan. Dicaſtill. *tom.* 1. *de Iuſt. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 13. *à num.* 165. Quibus addi poſſunt Vaſq. *loc. cit.* quem ſequitur Lugo *diſp.* 16. *cit. ſect.* 5. *n.* 133. & Diana *loco cit. verſ. Notandum eſt*, & ex illo Baſſæus *n.* 1. & Baſil. *loc. cit. n.* 6.

QVÆSTIO V.

An etiam, attento ordine gratiæ, ſit licitum matri vti prædicto remedio, cum adeſt probabile periculum enecandi fœtus, quamuis per accidens.

NEgant aliqui id matri eſſe licitum caſu, quo non adhibito, aut ſumpto prædicto remedio, credatur, quod mortua matre, fœtus viuus in lucem edendus, & baptizandus ſit. Quia ordo charitatis petit, vt vita ſpiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipſius matris. Ita D. Anton. Syluest. Nauar. & Sayr. quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *dub.* 13. *cit. n.* 168.

Affirmant verò è contra alij, dicentes id eſſe licitum. Quia mater ſolùm per ſe intendit ſuam corporalem vitam, quod ſi ex hac intentione per ſe ſequatur fœtus occiſio per accidens, non debet ei ad peccatum imputari. Ita Cordub. *lib.* 1. *q.* 38. *dub.* 3. quem videntur ſequi Azor. 3. *tom. lib.* 2. *c.* 4. *q.* 7. & Sà *verb. Homicidium; n.* 1. vbi ita ſcribit: Abortum procurare ad ſalutem matris, ſi dubitatur an anima rationali præditus ſit fœtus, mortale eſt: non autem ſi credatur animatus eſſe, & detur medicina, non ad abortum, ſed ad matris ſanitatem, etiamſi præter intentionem abortus ſequatur. Hæc Sa.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo: dicendum, quod verè ſit licitum matri vti dicto remedio, & medicina, niſi caſu, quo ſpes probabiliſſima à Medicis conciperetur, fore, matre cum vitæ ſuæ periculo ab huiuſmodi medicamento abſtinente, fœtus in lucem prodire poſſe, vt baptizaretur, quia peccaret mater contra charitatem prædicto remedio vtendo, eo quòd fœtus ſine baptiſmo periret. Sic Sanchez vbi ſupr. *n.* 17. addens, hunc caſum rariſſimum eſſe, & moralitèr impoſſibilem, quia matre lethaliter ægrotante, humores corrumpuntur, & inficiunt alimentum, quo fœtus nutriendus erat, itavt pené miraculum ſit, matre pereunte, fœtum incolumen remanere. Ita ille, cui conſentiunt Diana 3. *p. tra.* 5. *Reſol.* 11. & Lug. *loc. cit. n.* 135 quamuis Dicaſtill. *loc. cit.* dicat, hunc caſum non eſſe ita rariſſimum, vt hi DD. autumant, cum ipſo præſente bis contigerit, vt mortua iam matre fœtus ederetur viuus, & baptizaretur.

QVÆSTIO VI.

An maſculus animam rationalem accipiat die quadrageſimo à conceptione.

NEgant in primis apud Chriſtoph. de Veg. vbi infrà. Petr. Garc. *ſuper fen.* 1. *lib.* 1. Tolet. 2. *anima, c.* 4. *q.* 7. Auicen. *diſp.* 38. *de ordin. product.* docentes ſeptima die animari fœtum rationali anima.

Affirmant è contrà communiter Doctores, id probantes ex *capite decimoſecundo Leuitici*, vbi mulier pariens maſculum, quadraginta diebus in ſanguine purificationis ſuæ detineri iubetur, quaſi ibi præceptum fuerit, vt quot diebus mater immundum, & anima rationali non informatum fœtum maſculum in vtero portaſſet, totidem diebus poſt partum immunda cenſeretur, & in purificatione ſanguinis ſui detineretur. Ita Ariſtot. *lib.* 3. *animal. cap.* 3. *&* 9. Plinius *libro* 7. *natural. hiſtor. capit.* 6. Gloſſa *in Clement. vnica, de Summa Trinit. verſ. Simul vnitus, & in cap. Sicut, de homicid.* Panorm.

cap.

cap. Si aliquis, eod. tit. Nauat. *cap.* 15. *num.* 14. Saytus *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 3. Barboſ. *in votis deciſiu. lib.* 1. *voto* 12. *num.* 19. Menochius, Mattin. Saucina, Anton. Gomez, Barthol. Sibilla, Plaza, Viuald. Molina, & alij, quos citat, & ſequitur Natbona *in ſuis annalib. anno* 1. *quaſt.* 2. *num.* 37. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 6. Sà *verb. homicidium, num.* 2. Naldus, Quaranta, Gambarupta, Chapeauilla, & Filliucius apud Dicaſtillum *loc. cit. num.* 161. Auil. *parte* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 4. *dub.* 1. Chriſtoph. à Veg. *in Theolog. Mariana tom.* 1. *paleſtra* 6. *n.* 606.

Sed non minus probabiliter Reſpondeo: Dicendum, quod hac in re nihil certi affirmari poſſit, vt docuit Ariſtot. *lib.* 7. *animal. cap.* 3. Et ideò ſentio fœtum animari quando eſt perfectè formatus. Formatio autem, iuxta Hippocratem *lib. de natura fœtus*, in maribus abſoluitur aliquando die trigeſimo, aliquando trigeſimo quinto, aliquando quadrageſimo, & aliquando quadrageſimo quintu. Ratio autem, quare fœtus non formetur eodem tempore in omnibus, ſolet eſſe caliditas, vel frigiditas matris. Ita ſentiunt Leſſ. *dub.* 9. *num.* 63. Lug. *de Iuſt. tom.* 1. *diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 133. Dicaſtill. *tom.* 1. *de Iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 14. *num.* 161. & alij. Leganrur Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. Syluest. & Armill. penea ipſum, & apud Natbonam Bonauentura, Gloſſa, Iodocus, Signorolus, & alij Doct. qui indiſtinctè efformationem, & animationem matis & fœminæ ad diem quadrageſimum prottahunt.

QVÆSTIO VII.

An etiam fœmellæ animentur eodem tempore, quo animantur maſculi.

AFfirmarunt Leſſius, Lugo, Dicaſtillo vbi ſuprà, docentes, formationem fœmiox abſolui aliquando trigeſimo quintò, aliquando quadrageſimo, aliquando quadraſimò quinto, & aliquando quinquageſimo, iuxta maiorem, vel minòrem caliditatem, vel frigiditatem matris, & tunc fœminas animari. His DD. fauent Bonau. Gloſſ. Iodoc. & alij citati, quatenus indiſtinctè animationem fœminæ & matis in die quadrageſimo à conceptione fieri exiſtimant.

Negant verò communiter alij, dicentes fœminas die octogeſimo à conceptione animari, animamque rationalem recipere. Ita omnes DD. citati ſuprà pro prima ſententia adducti, qui id ex *Leuit.* 12. *cit.* colligunt, in quo octoginta dies purificationis à fœminino partu ſtatuuntur.

Sed ego Reſpondeo: Dicendum, quod fœmellæ minimè animentur eodem tempore, quo animantur maſculi; nec vniuerſim die octogeſimo à conceptione, ſed quædam ſexageſimo quinto die, quædam ſeptuageſimo, quædam ſeptuageſimo quinto, & quædam octogeſimo.

Probatur prima pars contra authores primæ ſententiæ, & ad hominem. Quia ideò dicunt, fœtum maſculinum non formari, nec animari eodem tempore in omnibus, quia attenditur ad maiorem, vel minorem caliditatem, vel frigiditatem matris; ita vt qui ex remiſſo calore formatur, tardius formatio abſoluatur, & tardius fœtus animetur: at ſic eſt, quod fœminæ ex ſemine frigido concipiuntur; maſculi verò ex calido: ergo formatio fœtus, ſeu corpotis maſculini, quæ ex calido ſemine perficitur, celerior multò, quàm effomatio corporis fœminioi debet eſſe: ergo non eodem, ſed diuerſo tempore animari debent: quod optimè probat D. Didac. Natbon. *in ſuis annal. anno* 1. *quaſt.* 1. *n.* 39.

Secunda pars contra DD. ſecundæ ſententiæ etiam probatur. Quia non eſt credibile, tam longè diuerſam maſculinæ materiæ diſpoſitionem à fœminea eſſe, vt iſtius efformatio duplicatum tempus neceſſariò requirat. *Rurſus*, Quia non omnes fœmellæ efformantur ex eodem gradu remiſſi caloris, ſicuti nec maſculi ex eodem gradu intenſo: ergo in earum formatione non debet abſumi idem tempus, ſed plus, vel minus, ſecundum quod maior, vel minor eſt calor ſeminis, & matricis ex qua fœminæ formantur: non ergo eſt verum, vniuerſaliter loquendo, quod ſemper fœminæ recipiant animam rationalem die octogeſimo à conceptione; ſed quædam illam recipient die ſexageſimo quinto, quædam ſeptuageſimo; quædam ſeptuageſimo quinto, & quædam octogeſimo à conceptionis die, ſecundum maiorem, vel minorem calorem ſeminis, & matricis, ex quo, & in qua formantur.

QVÆSTIO VIII.

An qui cauſat abortum fœtus inanimati, ſit irregularis.

AFfirmandum videtur. *Primò*, quia *in cap. Si aliquis, de homicid.* dicitur homicida ille, qui medicamentis impedit generationem: ergo eſt irregularis. *Secundò*, quia Sixtus V. in Conſtit. *Effrenatam*, edita anno 1588. derogauit iuri antiquo, & huius ſceleris reos homicidarum pœnis omnibus ſubiecit, & irregulares eſſe voluit: ergo.

Sed nunc iam vt certum Reſpondeo: Non eſſe irregularem illum, qui abortum inanimati fœtus cauſauit. *Primò*, quia non eſt propriè, & verè homicida, cum non interficiat hominem, qui anima rationali, & corpore eſſentialiter conſtat. *Secundò* quia ſic habet textus *in cap. Sicut ex literarum, de homicid.* iuncto *can. Quod verò*, 32. *q.* 2. *l. Diuus, ff. de extraord. crimin. & l. Cicero, ff. de pœnis*. Et tenent omnes DD. Legantur Nauar. *in c. Si quis necandi, de pœnit. diſt.* 1. *n.* 3. *& in Man. c.* 16 *n.* 33. Abbas, Innocent. Ioan. Andr. H. ſtienſ. *in c. Si aliquis, & c. Sicut ex literarum, de homicid.* vbi nouiſſimè Barboſa *n.* 1. Couarr. *in Clem. ſi furi ſui, p.* 2. §. 3. *n.* 1. Gomez, *variar. c.* 3. *n.* 32. & alij.

Nec obſtant contraria argumenta. Nam ad *primum* dicendum eſt, ibi textum loqui de homicida impropriè, & quaſi anticipatè. Nam qui cauſat abortum inanimatum, licèt non ſit propriè, & formaliter homicida, vt diximus, dicitur tamen impropriè ex anticipata, quam cauſat, cæde. Ad *ſecundum* dicendū eſt, quod pœnas præfatas poſtea moderauit Gregor. XIII. *Conſtit. Sedis Apoſtolicæ, edita anno* 1591. vbi, & procurantes abortum fœtus inanimati, aut ſterilitatem, pœnis iuris antiqui, atque Tridentini obnoxios tantum eſſe voluit. Legantur Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 2. *n.* 13. & Gibal. *c.* 4. *de Irreg. q.* 1. *conſect.* 2. *pag.* 122.

QVÆSTIO IX.

An ſaltem ſit irregularis, qui abortum animatum cauſat

NEgarunt quidam apud Tiraquellum *in l. ſi vnquam, C. de reuocand. donat.* eo quòd fœtus nondum editus, non vocetur homo à Chriſto Domino: nec puniantur pœna ordinaria homicidij, qui talem abortum cauſant.

Sed vt certiſſimum quid Reſpondeo: Eſſe irregularem. Quia qui abortum fœtus animati cauſat verè eſt homicida: ergo verè irregularis. Antecedens probatur;

Digitized by Google

probatur, quia qui abortum animatum cauſat, verè & propriè committit homicidium, cum verè enecet hominem conſtantem iam ex corpore, & anima rationali: homicidium etenim à cæde hominis dicitur, *c. Homicidium, de pœnit. diſt.* 1. *&* *c. Homicidium*, 23. *q.* 5. ergo verè eſt homicida: ergo irregularis. Sic docent PP. communiter, qui etiam quando ab altero parente aborſus animatus fit, parricidium dicunt, vt D. Cyprian. *epiſt.* 49. & D. Hieronym. *epiſt.* 22. Et in ea abortione dolo malo à matre procurata veram reperiri rationem parricidij, demonſtrat Gomezius *tom.* 3. *var. c.* 3. *n.* 3. & ideo iure ciuili punitur, hæc cædes pœna ordinaria homicidij, nimirum capite, ſi dolo facta fuerit; ſi autem abſque dolo, pœna extraordinaria pro ratione culpæ. Et ideo hanc ſententiam, vt indubitatam, tenent omnes Theologi, & Canoniſtæ. Legantur Nauar. Couar. Barboſ. Gomez. Suar. & Gibal. *loc. citat.* Dicaſtill *de Iuſtitia lib.* 2. *tractat.* 2. *diſput.* 10. *dub.* 13. *n.* 159. Molina *tract.* 3. *diſp.* 27. & Bauny *de Irregular. q.* 32. *dub.* 2. *pag.* 505.

Ex quibus colligitur, quod vt quis ex abortu cauſato cenſeri debeat irregularis, & iudicari pro tali, neceſſum ſit exploratum habere, an fœtus tempore abortus animatus fuerit, necne; ſi enim animatus fuit (quod iuxta nuper dicta, ex tempore elapſo à congreſſu, coniecturari debet) irregularis habebitur; ſecus ſi nondum fuit animatus.

Qvæstio X.

An qui aborſum cauſauit, ſit irregularis caſu, quo ſit dubium, an fœtus ſit animatus.

NEgant apud Dianam *vbi infra*, Emmanuel de Moura *opuſc. de Enſal. & incant. ſect.* 3. *c.* 1 *n.* 27. Gomez *de delict. c.* 5. *in Rubr. de homicid. n.* 3. *in fine.* Baiardus *in addit. ad Iulium Clar. q.* 68. *n.* 9. & nouiter Ioan Præpoſitus *in* 3 *p.* D. Thom. *q.* 5. *de Irregularit. dub.* 8. *n.* 58. Quorum ſententiam ait Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 16. eſſe probabilem. His Auctoribus adhæret nouiſſimè Gibalin. *c.* 4. *de irregular. q.* 1. *conſectar.* 7. *pag.* 132. Et probat eorum ſententiam, *Primò.* Quia in dubio fœtus præſumitur non animatus, vt Gomez (*loc. cit.*) & alij probant.

Secundò, quia dubium iſtud eſt de ipſomet homicidio, fueritne commiſſum, an non, neque dubitatur de homicida tantum, & auctore certi homicidij: atqui ius ſtatuens irregularitatem in dubio homicidij, loquitur tantum eo caſu, in quo certum eſt fuiſſe commiſſum homicidium, & dubitatur, an Titius, qui percuſſit, etiam occiderit: hic autem cum dubitetur, an fœtus excuſſus viueret, dubitatur an fuerit commiſſum homicidium, & non de eius auctore, qui certus eſt, ſi illa abortio occiſio hominis foret: cum igitur de eo caſu ius non agat, in eo non contrahetur irregularitas. Hæc Gibalin. Et nouiſſimè Pellizzar. *tom.* 2. *tractat.* 7. *c.* 5. *ſect.* 1. *q.* 17. *n.* 15. & clariùs *ſect.* 4. *quæſt.* 76. *n.* 276. *verſ. Dubium maius eſt.*

Sed nihilominus probabilius Reſpondeo: Eſſe irregularem. Sic Sanchez *tom.* 1. *Summ. c.* 10. *n.* 33. ita dicens. Hinc deducitur eſſe irregularem præbentem aborſui cauſam, cum dubium eſt, an fœtus ſit animatus, ac ſubinde eſt dubium, an ſit verè homicida. Quod hoc dubium ſit de facto. Sic Sanchez citans pro hac parte Nauarrum *in Summ. c.* 17. *n.* 223. Ioan. Andr. Abbatem, Cardinal. Ancharan. Ananiam, Socinum, Silueſt. Ledeſm. Philiarchum, & Rodrig. Quibus addi poſſunt Sotus *in* 4 *diſt.* 25. *q.* 1. Sayrus *lib.* 6. *c.* 15. *num.* 9. Auila *p.* 7. *diſp.* 2. *dub.* 5. (non 1. vt leges apud Dianam, & Gibalinum) *concluſ.* 1. vbi ita ait: Ex dictis ſequitur, quod qui fuit cauſa aborſus, & dubitat vtrū fœtus erat animatus, nempe poſt quadrageſimum diem à conceptione, debet ſe reputare irregularem, vel ſi dubitat vtrum ipſe dederit vulnus lethale. Sic Pater Henriq. *c.* 3. *n.* 4. *in gloſſ. litt. G.* Hæc Auila. Barboſa *in Collectan. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 12. *c.* 12. *n.* 15. Meroll. *tom.* 1. *diſp.* 3. *c.* 3. *num.* 237. Farinac. *in fragm. Crimin. p.* 2. *n.* 444. quos refert & ſequitur Diana *loc. cit.* Scortia *theoremate* 388. Baunius *loco cit.* dicens noſtram ſententiam eſſe veram, nec ſecus ſentire poſſe illos, qui id à Pontifice decretum norunt *in cap. Significaſti, de homicid.*

Qvæstio XI.

An in dubio, an fœtus ſit maſculus, vel fœmina, præſumi debeat maſculus, & iuxta dicta, reputari irregularis, qui cauſauit abortum, ſi hoc fecit poſt quadrageſimum diem à conceptione.

NEgabunt fortè Doctores pro prima ſententia nuper adducti; cùm hic etiam ſit dubium de fœtus natura, & conſequenter, de vita rationali illius.

Sed oppoſitum omnino Reſpondeo dicendum, quod in tali dubio præſumi debeat maſculus, iuxta ſtylum Sacræ Pœnitentiariæ. Argum. *in c. Significaſti, de homicid.* Sic Felicius *tom.* 7 *tract.* 29. *c.* 6. *num.* 100. quem citat, & ſequitur Dicaſtill. *tom.* 1. *de Iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 13. *n.* 162. & conſentit Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 4. *dub.* 1. *concl.* 3. quatenus abſolutè docet, quod qui poſt quadrageſimum diem cauſat abortum, ſit irregularis. Sic ante hos Nauar. *c.* 27. *num.* 223. per hæc verba: Si verò neſcitur, an fœtus abortiuus, quem abortiuit poſt diem quadrageſimum, ſit mas, aut fœmina, debet ſe cenſere irregularem, qui eius cauſa fuit, arg. *c. Ad audientiam, de homicidio.*

Qvæstio XII.

An qui cauſam dedit aborſui fœtus inanimati, maneat irregularis, ſi mater inde pereat.

REſpondeo, vt certum: Manere irregularem, niſi aliàs probabili ignorantia excuſetur. Quia qui dat cauſam abortioni, etiam inanimati fœtus, verè interimit in eo caſu matrem, ergo eſt ex hac parte verè homicida, & conſequenter irregularis. Antecedens probant Mercurial. *lib.* 1. *de morb. mulier. c.* 3. & Codroneh. *lib.* 1. *de Chriſtiana medendi ratione, c.* 22. quia ſemper abortio eſt periculoſa matri, cum fiat præter leges naturæ, violenter, & coactè, & corruptiua fœtus ſint venenata, deleteria, & humanæ naturæ inimica, & ideo cum corruptione fœtus, etiam matris interitus neceſſariò ſubſequitur. Sic ex prædictis Auctoribus docet Gibalin. *c.* 4. *q.* 2. *conſectar.* 6 *pag.* 181.

Qvæstio XIII.

An ſaltans obſcœnè cum muliere prægnante, ſit irregularis, ſi ex hoc ſequatur abortus fœtus animati.

AFfirmant Silueſt. *verb. Saltus*, vbi abſolutè dicit, quod ſi ſaltatio erat illicita, vt ſi erat amator obſcœnus, aut Clericus, ſit irregularis. Idem ſentit Navar. *in Manual. Regul. cap.* 27. *num.* 236. *&* *conſil.*

conſil.48. de homicid.aliàs 10. Quia ſaltatio illa illicita (ait) cum muliere prægnante,eſt actus ſuaptè natura ordinatus , & directus aliquo modo ad abortum , & mortem,vt palam eſt.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo : Eſſe irregularem,ſi ſaltatio ita fuit immoderata , vt meritò ex illa timeretur abortus,quia tunc teneretur ſub mortali vitare illud excuſſionis fœtus periculum,ſecus ſi ſaltatio fuit,leuis conſueta , & moderata , quia tunc non fieret irregularis , etiamſi fuerit illicita, & obſcœna, quia non influit tunc moraliter in abortum.Sic Henriq. *lib.14.cap.15. num.4.* Auil.*part.7. diſp.6 ſect.1.* (non 2. vt leges apud aliquos) *dub.6.* Vgolin.*c.21. num.4.* Reginald. *part.12.n.156.* Suar. *diſp.45 ſect.6. num.11.* (non *ſect.82. num.5.* vt legi apud Bonac.) Molin. *tom.4. diſp. 77. num.6.* quos omnes refert, a& ſequitur Bonac. *quæſt.4. punct.7. num.22.* Quibus addi poſſunt Maiol. *lib. 5. cap. 48. §.3.* Barboſ. *in cap. Sicut ex litterarum , num 4.* Couarr.*in Clement. ſi furioſus,de homicid.1.part.§.4.num.2.verſu Quintò.* Palaus *diſp.6. punct.15. §.5. num.2.* Gibalin. *cap.4. quæſt.2. conſectar.12. in fine* , vbi ita ait : Qui ludit, aut ſaltat cum muliere prægnante , ſiue honeſtè, ſiue laſciuè , ſi inde contingat abortus , niſi fuerit culpa mortalis in vitando illo periculo excuſſionis fœtus, non contrahitur irregularitas. Sic ille. Pellizarius *etiam tom. 2.tract.7. cap.4 ſect.4.quæſt.60. num.247.* & alij,

Qvæstio XIV.

An ſit irregularis Monachus, aut Clericus, ludens , etiam modeſtè , cum muliere grauida, ſi inde abortus animatus contingat.

AFfirmat Graffius *part.1. deciſ. aur lib.2. cap.63. num. 25.& cap.66. num.13.* qui id putat verum, etiam caſu quo Monachus, aut Clericus eſſet affinis, aut conſanguineus : eo quòd dabat operam rei ſibi prohibitæ, *c.Sicut ex litterarum, de homicid.* quod prius docuit Nauarr.*in Man.c.27.n.236.*

Negat è contrà Barboſ. *in cap Sicut ex litterarum, de homicid.num.2.* caſu quo ludus eſſet licitus,nec aliàs eſſet in ſe noxius,ſed gracilis,& agilis, &c.

Sed iuxta nuper dicta probabilius Reſpondeo: Non eſſe irregularem , etiamſi ludus eſſet illicitus, & illi prohibitus , dummodo non eſſet ita noxius, & periculoſus , vt ex illo præuiſo cauſaretur abortus. Conſtat ex nuper dictis , & colligitur ex *cap. Sicut ex litterarum , de homicid.* Legantur Suarez , Conartuuias , & Palaus *loc. cit.* & Henriquez *lib. 14. cap.15 .num.4.*

Qvæstio XV.

An maneant irregulares iuuenes,qui laſciuientes, crepitu alicuius veſicæ fœminæ prægnanti illudunt, & abortire faciunt.

AFfirmant Maiol. *lib.5.cap. 48. §. 3. numer.8.* Syluest. *verb. homicidium , 2. verſ.* Abbas *in cap. De cætero , de homicid.* & Tabien. *irregularitas 3. num.14.* apud illum. Quos citat , & ſequitur Henriquez *lib.14.* (non 18.vt legi apud Gibalinum) *cap.15. num.5.* vbi ſic ait : Septimò ſi terrefeci ioco virum meticuloſum , qui percuſſus eo graui metu obiit, fio irregularis. Aut ſi iuuenes ex ludo rumpant veſicas, & illarum fragore faciant fœminam abortire. Hæc ille.

Sed clarius Reſpondeo : Manere quidam irregulares , ſi præfati iuuenes hoc dolo malo fecerint cauſa perterrefaciendi prægnantem , & periculum præuiderint , aut præuidere debuiſſent abortionis, & ideò in illa mortaliter peccauerint : ſecus ſi id ſine dolo , aut culpa mortali fecerint , quia tunc immunes ab irregularitate manerent. Sic Gibalinus *cap.4.quæſt.2.conſectar.15.verſ.Secundò*, qui ob hanc cauſam pueros ab incurſu huius irregularitatis excuſat cum Angelo, Sylueſtro,& Tabiena : idem facit Maiolus.

Qvæstio XVI.

An fiat irregularis , qui vtitur copula mulieris grauidæ, ſi inde mors fœtus animati ſequatur.

AFfirmant abſolutè Maiolus *lib.5.c.45 §.2. n.14.* loquendo de adultero , vel fornicatore , qui coeundo , per compreſſionem abortus cauſam dedit prægnanti , eadem ratione , quòd daret operam rei illicitæ : ſecus (addit) fortè in marito , nihil immoderatè agente circa copulam.Hæc ille.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo : Fieri quidem irregularem , ſi ex indebita coitione , aut compreſſione nimia , aliavè occaſione mortaliter culpabili , quam præuidit , & cauere non curauit , abortus ſequutus fuit : ſecus aliàs, ſi ex moderata , licèt illicita compreſſione , aliave cauſa leui id acciderit. Conſtat ex dictis. Et docet Bonacina *diſp.7.quæſt 4. punct.7. num.22. in fine*, vbi citat Suarium *diſp.35. ſect.6. num.11.* Filliuc. *num.74.* Vgol. *§. 2. num 2.* & Maiol. *loco à nobis citato.* Sed ex his nec Suarez, nec Filliuc. id dicunt , quia nil de hac quæſtione *loc.cit.* agunt. Tenent tamen Barboſa *in cap. Sicut ex litterarum , de homicid. n.4* Pellizaar. *quæſt.60. cit. n.147.*& alij.

Qvæstio XVII.

An adulter , qui fecit intrare prægnantem per loca periculoſa , vt per tectum,aut feneſtram domus , & illa mortua eſt,vel abortiuit,maneat irregularis.

AFfirmant eo quòd dederit operam rei illicitæ. & debuerit hoc periculum præuidere , Maiol. *lib.5. cap.48. §.3. num.15. verſ. Huc quoque ſpectat.* Guid. de Laud. Sylueſt. & Tabiena penes ipſum. Nauarr. *cap.27. num.235. verſ. vigeſimotertiò.* Henriq. *lib.14. cap.15. num.4. in princip.* Auil. *part.7. diſp.6. ſect. 2.dub.3.* (non 4. vt inuenies apud Gibalinum) *concluſ.1.verſ. Sed obiter.* Sayr. *lib.7. cap.6. n.16.* Barboſa *in cap. Ex litterarum, de homicid.n.4.* & alij.

Sed probabiliter Reſpondeo : Non manere irregularem , ſi hoc non vi , aut violentia , ſeu conſilio, aut hortatu obtinuit. Quia in hoc caſu (inquit Gibalinus) non conſuluit adulter mulieri , vt ſe ipſam enecet , aut occidat , aut abortiat, neque cauſam neceſſariò connexam cum abortu, aut ſuo interitu ſuſcipit , quamuis aliquod periculum ſit, quod tamen vitare poterit, ſi ipſa cautè & prudenter ſe gerat : quare ſibi imputet ſi ſua culpa aut pereat, aut abortiat ; non tamen adulter , ſeu amaſius,à quo inuitata fuerat , dicetur propriè , & verè illius , aut fœtus ipſius homicida ad effectum irregularitatis , cùm reuera illud homicidium non conſuluerit , aut proximè cauſauerit. Si tamen ipſe traheret fœminam, aut funem tenderet , aut explanandum iter ſuſcepiſſet , aut remouenda

uenda offendicula, quæ occurrere poſſent, aut facilem tranſitum dixiſſet, vnde illa credula incautius egeſſiſſet; aut non adfuiſſet amaſius ad horam condictam, vt opem ferret, illaque vel ſe deluſam ſuſpicata, vel metu exterrita concidiſſet, exiſtimarem hunc eſſe irregularem, non ratione conſilij veniendi per eiuſmodi iter periculoſum, ſed quia eius caſui, cædi, aut abortioni ce ipſa fuiſſet cooperatus variis illis modis, & ſubtrahendo auxilium debitum: atque in hunc ſenſum interpretor DD. quos contrarium ſentire referebamus. Huc vſque ille *cap. 4. q. 2 conſectar. 8. verſ. Tertiò, pag.* 183. Et in ſubſtantia bene.

QVÆSTIO XVIII.

An qui dat fæminæ venenum ſterilitatis, ne concipiat, aut viro, ne poſſit generare, incurrat irregularitatem.

REſpondeo, vt certum iam, non incurrere. Quia iſte non cauſat homicidium. Et licèt (vt vidimus *ſup. q.* 8.) Sixtus V. impoſuerit irregularitatem contra dantes fœminæ medicinam, ne conciperet, tamen eam abſtulit Gregor. XIII. & reduxit ad terminos iuris communis. Sic omnes. Legantur Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 4. dub.* 2. Nauarr. *c.* 27. *n.* 223. *verſ. Sexto infertur.* Henriq. *lib.* 14. *c.* 15. *n.* 6.

QVÆSTIO XIX.

An Prælati Regulares poſſint hodie diſpenſare cum ſubditis in irregularitate contracta ex occiſione occulta fætus animati.

NEgant aliqui Doctores: Quia tale homicidium eſt nimia qualificatum, eo quod & perditur corpus, & damnatur anima; quod non fit in homicidio ordinario adulti, cuius anima per contritionem poteſt ſaluari: & licèt Prælati Religionum per priuilegia poſſint diſpenſare in irregularitate homicidij voluntarij hominis adulti, non tamen poſſunt dicti Prælati in hac irregularitate diſpenſare, ſed ſolus Papa. Ita Rodrig. *tom* 2. *Regul. q.* 13. *art.* 4 Cronſers *c.* 7. *Regul. Minor. lect.* 15. *fol.* 625. Diana *part.* 4. *tract.* 2. (non 1. vt offendi apud Baſſeum) *reſol.* 87.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe diſpenſare. Quia quando lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ſed ſic eſt, quod Martinus V. abſolutè, & ſine diſtinctione conceſſit Prælatis Regularium diſpenſationem ab irregularitate orta ex homicidio voluntario in communi: ergo ab illa quæ oritur ex homicidio aborſus animati. Minor conſtat ex dictis à nobis *ſupra diſp.* 6. *q.* 39 cætera ex ſe patent. Et ideo hanc ſententiam, apud Dianam, tenent Aloyſius (lege tu, *Alphonſus*, vel Ildefonſus) de Vega *in Summ. tom.* 2. *c.* 15. *caſu* 6. Miranda *tom.* x. *q.* 8 *art.* 10. *concl.* 2. Portel. *in dub. Regul. verb. Abortus, n.* 10. Hieronym. Rodrig. *in Compend. qq. Regul. reſol.* 4. *n.* 6. & Villalob. *tom.* 2. *tract.* 12. *diffic.* 14. *n.* 6. Quibus addo ego Marchinum *tract.* 1. *de Ordine, part.* 9. *c.* 1. *diffic.* 1. *n* 9. Machadum *tom.* 2. *lib.* 5. *p.* 3. *tract.* 2. *docum.* 6. *per totum.* Baſſæum, licèt timidè, *verb. Aborſus, n.* 2. *in fine.* Baunium *tract.* 11 *de Cenſuris, q.* 58 *pag.* 534 *verſ. Quartò diſpenſant.* Pellizzarium *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 3. *ſect.* 4. *q.* 27. *n.* 144. qui id probat ex Bulla Pij V. *conſtit.* 129.

Ad argumentum contrarium dicendum eſt, quod Eccleſia non ponit irregularitatem ob grauius, aut qualificatum homicidium; ſed ob homicidium qualecumque ſit.

QVÆSTIO XX.

An etiamſi talis irregularitas ſit contracta ex publica occiſione fætus animati, ſit diſpenſabilis à Præfatis Religionum Prælatis.

NEgant eſſe ab ipſis diſpenſabilem, ſaltem quando homicidij crimen ita eſt notorium, vt poſſit in iudicio probari, Miranda, Rodriguez, Vega, & Portel, quos citat & ſequitur Baſſeus *loc. cit.* Ex his tamen Vega (imò & Hieronym. Rodriguez *loc. cit. num.* 15.) addit, quod ſi homicidium eſt occultum apud ſæculares, & manifeſtum apud Fratres, poſſint adhuc Prælati in irregularitate ab illo orta diſpenſare. Negat etiam cum illis Baunius *loc. cit.* Imò, meo videri, Pellizzarius citatus.

Sed adhuc probabilius Reſpondeo: Eſſe ab ipſis diſpenſabilem. Quia argumentum factum nuper pro defenſione noſtræ opinionis, agentis de homicidio occulto, æquè militat, & probat de homicidio publico, vt conſtat: ergo aut in nullo poteſt diſpenſari à dictis Prælatis, aut in vtroque. Legantur dicta *ſupra diſp.* 6. *q.* 39. & dicenda *infra diſp.* 27. *à q.* 31.

QVÆSTIO XXI.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occiſione fætus animati.

REſpondeo dicendum ex dictis: Minimè poſſe, ſi occiſio, ſeu homicidium fuit directè voluntarium, ac conſultò intentum: ſecus verò ſi indirectè, & caſuale, & occultè patratum: Quia ſuper his ſolum poteſtatem habent ex Trident. Epiſcopi, vt ſæpè eſt habitum. Sic Auctores communiter. Legatur Bauny *tract.* 11. *q.* 29.

DISPVTATIO XII.

De Irregularitate orta ex homicidio facto in defenſionem propriæ, & alienæ vitæ.

QVÆSTIO PRIMA.

An laicus, qui occidit inuaſorem iniuſtum pro tuenda propria vita, peccatum committat, & irregularitatem contrahat.

AFFIRMARVNT olim quidam, exiſtimantes, id eſſe illicitum in foro Dei, quamuis in foro externo id impunè leges ciuiles permittant. Ita ſenſit (apud Molinam *infra*) Accurſius, *in l. vt vim, ff. de Iuſtit. & iure* (& apud Lugum) Auguſtinus de Ancona *tract. de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 5x *art.* 3. Gerſon *tract. de Euchar.* Richard. de S. Victore *opuſc. de Charit.* & Baſſolis relatus ab Abulenſ. *in cap.* 5. *Matth. quæſt.* 109. Ratio eorum potuit eſſe, quia iura homicidium factum ob defenſionem, vt ſufficientem cauſam irregularitatis adſtruunt, *cap. Si quis viduam, diſt.* 50. ibi: *Aut conſilio, aut præcepto, aut defenſione*, & *cap. de Cleric. pugn. in duello.* Et fauet Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicens: *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo,*

vt

vt quis ſe à morte defendat, fuiſſe commiſſum narretur, quare quodammodo diſpenſatione deleatur, &c. In quibus verbis ſupponitur, vt videtur, irregularitas contracta: ergo.

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo: Dicendum, quod laicus, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit iniuſtum inuaſorem pro tuenda propria vita, nec peccet, nec conſequenter fiat irregularis.

Ratio eſt. Quia quando quis non poteſt aliter defendere propriam vitam, niſi occidendo iniuſtum aggreſſorem, nullam in occiſione culpam committit: ergo nec per illam contrahere irregularitatem poteſt. Conſequentia ex ſæpè dictis conſtat; quia non poteſt contrahere irregularitatem in pœnam, cum non ſit culpa; nec ob defectum lenitatis, quia non interuenit, vbi eſt neceſſitas defenſionis: ergo. Antecedens verò apertè probatur. Quia licitum eſt vnicuique, diuino iure, naturali, & poſitiuo, ad propriæ vitæ defenſionem aggreſſorem, & offenſorem occidere, vt iura Canonicum ſæpè teſtatur, præcipuè *cap. Significaſti*, *el 2 §. vltimo. & cap. 18. de homicid. & cap. Si verò 1 de ſentent. excommun.* vbi dicitur: vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt. Rurſus idem teſtificatur perſæpiùs Ius ciuile, *l. vt vim. ff de Iuſt. & iur.* ſub his verbis: *Vt vim atque iniuriam propulſemus, iure ciuium, vt quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur*, *l. 1. §. vim vi, & l. 3. §. Cum igitur, ff. de vi, & vi armat. & l. Scientiam, §. Qui cum aliter, ff ad leg. Aquil.* vbi dicit textus: *Vim enim vi defendere, omnes leges, omniàque iura permittunt.* Et ita docent iam omnes Doctores, iam Theologi, quàm Iuriſtæ. Legantur D. Thomas 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Nauarr *in Summ. cap.* 15. *num.* 2. *& cap.* 27. *num.* 233. Couarruu. *in Clem furioſus, de homicid.* 2. *p. num.* 1. Maiol. *lib.* 1. *de Irregular. cap.* 2. *num.* 9. *in fine, & lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 6. 10. & 11. Henriq. *lib.* 14. *cap* 10. §. 2. *& c.* 19. §. 3. Suar. *diſputat* 46. *ſect.* 1. Molina *tom* 4. *tract.* 3. *diſp.* 11. *& diſputat.* 72. Auil *part.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. Vaſquez *tract. de reſtit. cap.* 2. §. 1. *dubit.* 6. Anton Gom. 3. *variar. cap.* 3. *num.* 20. Bañes 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Ægidius *diſp.* 8 *num.* 83. Barboſa *in cap. Significaſti, el 2. de homicid. num.* 12. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *à num.* 1. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 17. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 5. *à num.* 131. Cardin. de Lug. *de Iuſtit. tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 6 *à num.* 136. Ioan. de Dicaſtill. *ibi lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 3. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. Gibalinus *de Irregularit. cap.* 4. *quæſt* 3. *conſectar.* 2. *pag.* 218. *& conſectar.* 3. *diff.* 1. Fagundez *in quint. precept. Decalogi, lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. Pellizzar. *tomo ſecundo, tract* 7, *cap.* 5. *ſect* 4. *quæſt.* 45. *num.* 229. Mour. 2. *p. examin. cap.* 10. §. 14. *num* 9. & alij. Quia iura in contrarium adducta intelliguntur de homicidio facto cum defenſione immoderata, & tutela culpabili.

QVÆSTIO II.

An etiam clericus, vel Monachus excuſetur ab irregularitate, ſi committat homicidium defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ?

NEgant excuſari ab irregularitate, ex parte ſaltem, aliqui Doctores, dum exiſtimant, prædictum Clericum, vel Monachum manere irregularem, ſaltem quoad aſcenſum ad Superiores Ordines; quamuis in iam ſuſceptis poſſit abſque diſpenſatione miniſtrare. Sic ſenſere olim S. Thom. 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7 *ad* 3. Scot. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 1. Richard. *ibi art.* 5. *quæſt.* 3. Palud. *quæſt.* 4. *articul.* 2. *concluſ.* 3. Henric. *quodlib.* 6. *quæſt.* 10. & alij veteres Theologi, & Canoniſtæ cum Gloſſa *in cap. De his Clericis*, 1. *diſt.* 50. teſte Maiolo *lib.* 1. *cap.* 2. *num* 9. *in fine*, (non 102. *num.* 10. vt inuenies citatum à Gibalino.) Quia, inquiunt, de Clerico ſaltem loquendo, decernunt iura eſſe irregularem, *c.* 1. *&* 2. *diſt.* 50.

Sed iam vt certum Reſpondeo: etiam Clericum vel Monachum committentes voluntariè homicidium, defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, excuſari ab irregularitate omni ex parte. Quia omninò excuſantur à culpa, ſine qua ex delicto nulla incurritur irregularitas. Sic colligitur clarè ex ratione, & textibus pro probanda noſtra, & communi ſententia *quæſt. antecedent* allatis. Et tenent Doctores citati ibidem. Præcipuè Lugo *num.* 138. Gibalin. *conſect.* 2. *pag.* 219. cum aliis. Qui iura ab aliis citata in fauorem ſui, loqui de homicidio culpabili facilè probant. Legantur, & præcipuè Gomezius *loc. cit.* vbi *ex c. Si verò, el 1 verſ. Si verò Clericum, de ſentent. excommun. & ex Clem. vnic de homicid.* optimè probat, poſſe offenſum occidere Clericum offenſorem, ſine pœna excommunicationis, vel irregularitatis. Barboſ. *in c. Significaſti, el 2. de homicid. n.* 12. & penes illum Nauar. Suarez, Molin. & alij apud Fagund. *loc. cit. n.* 1. dicentem id eſſe verum, etiamſi Clericus, aut Religioſus iniuſtè inuadens occidatur, in quocumque loco, etiam Sacro, & tempore, quo diuina officia celebrantur.

QVÆSTIO III.

In quo conſiſtat defenſio inculpata, ſeu, quod idem eſt, moderamen inculpatæ tutelæ, conditio neceſſaria, vt occiſio iniuſti aggreſſoris ſit licita, & libera ab irregularitate.

REſpondeo: Conſiſtere in hoc, quod aggreſſus conſtitutus ſit in ea neceſſitate, quam neque fuga (dummodo vertendo terga non ſit periculum, aut ei dedecus, vt infra) neque clamore, nec alio modo ſe ipſum defendere, niſi interficiendo aggreſſorem, aut mutilando, poteſt. Sic Nauarr. *in Man. c.* 15. *n.* 3. Sayr. *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 7. Bonacin. *punct* 6. *num.* 3. Barboſ. *loc. cit. n.* 14. Lug. *diſp.* 10. *ſect.* 6. *n.* 137. Molin. *tom.* 4. *tr.* 3. *diſp.* 11. *n.* 2. Dicaſtill. *loc. cit. dub.* 3. *n.* 23. Auil. *p.* 7. *diſp.* 5 *ſect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. vbi ait, quod quantum ad effectum vitandi irregularitatem, ille dicitur non poſſe aliter ſe defendere, qui nec fuga, nec clamore, nec alia via poteſt ſe defendere, niſi occidat, vel mutilet inuaſorem.

QVÆSTIO IV.

An maneat irregularis, ſi aliquis inuaſus à miniſtris iuſtitiæ illos occidat.

AFfirmat Auil. *loc. cit.* dicens, quod præcedens doctrina intelligatur, ſuppoſito quod aggreſſio ſit iniuſta; nam de hac intelligenda eſt, *Clem ſi furioſus*, vt benè ait Sylu. *d. q.* 4. *part.* 3. & Tabien. *verb. irregularitas*, §. 26. vnde ſi aliquis inuaſus à Miniſtris iuſtitiæ illos occidat, vt ſe defendat, fit irregularis. Ita ille citans P. Henriq. *lib.* 14. *c.* 10 *n.* 4.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem occidendo miniſtros iuſtitiæ, cum moderatione inculpatæ tutelæ; caſu quo vel iniuſtè conentur interficere illum innocentem, vel

illum capere, vt iniuſtè occidatur, ſaltem ſi Miniſtri ſciant, talem eſſe innocentem. Quod ſi ignorent, & munus ſuum bona fide obeant, plerique Authores docent, non poſſe aggreſſum illos occidere, quia bonum commune poſtulat, vt non inferatur malum Miniſtris bona fide publicum officium exercentibus. Sic Dicaſtill. *tom. 1. de Iuſtit. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 3. n. 31.* & penes ipſum Molin. *tom. 4. tract. 3. diſp. 11. num. 3.* Couarr. Sotus, Syluest. Arag. Rodrig. & Petr. Nauarr. *lib. 2. c. 3. n. 347.*

QVÆSTIO V.

An etiam ſint immunes ab Irregularitate Filij, ſubditi, ſerui, & Vaſſali, occidentes Parentes, Superiores, Dominos, & Principes, cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniuſtè inuaduntur ab his.

RESpondeo: Eſſe etiam ab irregularitate immunes. Quia in eo caſu licitum eſt illis eos iniuſtè inuadentes occidere. Quia (vt ſupra eſt habitum) quando quis non poteſt ſe defendere, niſi occidendo iniuſtum aggreſſorem, nulla in occiſione eſt culpa, quia in aggreſſore in illo caſu (ait S. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 7.*) ceſſat ius conſeruandi propriam vitam, ſine cuius deſtructione (propter eius nequitiam) non poteſt conſeruari ius alterius innocentis, cum periculum imminet ab aggreſſore: ergo ſi licitum eſt illis in prædicto caſu occidere, pœna irregularitatis carebunt. Sic Sylueſt. *verb. Bellum 2. §. 2.* Iul. Clar. *lib. 5. Sent. §. Homicidium*, quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *loco citato, n. 30.* Farinac. Decius, Angel. Hoſtienſ. Anton. de Butrio, & alij, quos amplectitur Fagundez *in 5. precept. Decalog. lib. 5. c. 3. n. 6. & 7.* Qui & id limitat, dicendo hanc doctrinam non procedere in vaſſallis reſpectu Dominorum ſuorum, quando ij ſunt tam vtiles bono communi Reipublicæ, vt ſecundum prudentiæ, & charitatis regulas videatur teneri vnumquemque potius iniuſtam ſui occiſionem, & necem pati, quàm inuadentem ſe iniuſtè, iuſtè perimere: ſed tu ſine limitatione iſta, dicta à nobis ſuſtinere potes.

QVÆSTIO VI.

An fiat irregularis, qui cum moderata defenſione occidit iniuſtum inuaſorem, ſciens illum eſſe in mortali, & in eo moriturum.

AFfirmant tunc fieri irregularem aliqui Doctores. Eo quòd exiſtiment, non eſſe licitum aggreſſo, & inuaſo tunc occidere aggreſſorem, & inuadentem, pro propria vita tuenda; quia vnuſquiſque tenetur vitam ſpiritualem proximi propriæ temporali anteferre: ergo ſi illicitè occidit, irregularitatem contrahet. Ita Gerſon *tract. de Euchar.* Hugo de S. Victore *opuſc. de Charit.* Abulenſis *ſuper Matth. c. 5. quæſt. 109.* & Villadieg. *tract. de Irregul. cap. de percuſſore.*

Sed vt ferè certum Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia non peccat in occidendo illum, cum iure naturæ teneatur vitam propriam defendere: ergo non fiet irregularis, cum talis non fiat ſine culpa.

Nec argumentum contrariorum obſtat, quia tunc ſolùm tenetur quis vitam ſpiritualem proximi propriæ temporali anteferre, quando proximus eſt in extrema neceſſitate abſolutè, & inuoluntaria, non voluntaria, & ex malitia ſua, vt eſt aggreſſor ille; cùm in eius poteſtate ſit deſiſtere à tali aggreſſione iniuſta, ex quo ceſſabit diſcrimen in quo eſt: vnde ſimpliciter loquendo, talis non eſt in articulo neceſſitatis, ſed iniquæ voluntatis, & ideò agreſſus non tenetur propriam vitam præponere, nec illi imputari poteſt, quod aggreſſor in æternum pereat. Sic Couarr. *in Clem. ſi furioſus, p. 3. § vnic. n. 1. in fine*, vbi opinionem contrariam falſam appellat. Citatque pro noſtra Maiorem *in 4 diſt. 15. quæſt. 20.* & Sotum *lib. 5. de Iuſt. quæſt. 1. art. 8.* Sic etiam Caiet. 2. 2. *q. 64. art. 7.* & ibi omnes D. Thomæ expoſitores. Petr. Nauarr. *tom. 1. de reſtit. lib. 2. c. 3. n. 335.* Michael Sal. *in d. q. 64. art. 7. controu. 1. concl. 5. ad 2.* Sayr. *lib. 7. Theſaur. c. 17. n. 2.* Petrus Conejo (omninò ex Sayro, quem non citat) *de Irregul. diſp. 4 dub. 1 quæſt. 2.* Dicaſtill. *de Iuſtit. tom. 1. lib. 1. tract. 1. diſp. 10. dub. 3. num. 38.* Lug. ibi *diſp. 10. ſect. 6. n. 142.*

QVÆSTIO VII.

An inuaſus, qui poteſt ſe iuſtè defendere, occidendo iniuſtum inuaſorem, peccet mortaliter, ſi id non faciat.

AFfirmant aliqui DD. docentes, peccare contra charitatem propriam, ſi ſinat ſe ab inuaſore occidi, ſeque non defendat, cum poſſit, nulla iuſta ſubſiſtente cauſa. Ratio eſt. Quia qui ſine graui detrimento ſuo mortem proximi non euitat, cum poteſt, peccat mortaliter contra charitatem, imò & contra iuſtitiam, ſi ad id teneatur ex officio: ergo à fortiori peccabit contra charitatem propriam, ſi mortem ſuam non deuitat, & ſe ſinat ab iniuſto inuaſore perimi, nulla ſubſiſtente cauſa. Ita Farinac. *tom. 4. q. 125. de homicid. tit. 14. n. 13. fol. 201.* Paul. de Caſtr. *in l. vim ff de iuſt. & iure, n. 9.* Salon. *ibi, n. 15.* Iacob. Ayrer. *tract. de homicidij neceſſitate, part. 1. n. 595.* quos citat, & ſequitur Fagund. *lib. 5. in Decalog. c. 3. n. 9.* licet poſtea ibi *c. 6. n. 10.* contrarium, explicando illa quæ hic docet, teneat. Tenuit etiam Abulenſ. *in cap. 11. Ieſue, q. 12.*

Sed probabilius Reſpondeo, regulariter loquendo, non teneri ſub mortali inuaſum occidere inuaſorem iniuſtum, ad tuendam vitam ſuam. Ratio eſt: Quia quiſquis poteſt exponere vitam ſuam pro vita temporali proximi: ergo à fortiori, non tenebitur occidere inuaſorem. Cuius rei & Chriſtus Dominus, & multi Sancti exemplum præbuerunt, qui cùm poſſent ſe defendere, mori potius elegere, quàm occidendo reſiſtere. Sic Anton. *3. p. tit. 4. c. 3. § 1.* Sylueſt. *bellum 2. § 7.* Leſſ. *lib. 2. dub. 9. c. 8. n. 55.* Caietan. 2. 2. *q. 64. art. 7.* Petr. Nauar. *lib. 2. de reſtit. c. 3. n. 62.* Quos ſequitur Fagund. *c. 6. cit. n. 10.* Quibus addi poſſunt Molin. *tract. 3. diſput. 14. n. 1.* Toletus *lib. 5 c. 6. n. 10.* Sà *verb. homicid. num. 21.* Rodriguez *1 p. c. 137. num. 17.* quos affert, & ſectatur Dicaſtill. *tom. 1. de Iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 1. num. 34.* Lugo *de Iuſt. tom. 1. diſput. 10. ſect. 6. à n. 153.* & alij.

QVÆSTIO VIII.

An ſaltem in aliquibus caſibus teneatur inuaſus occidere inuaſorem iniuſtum.

REſpondeo, vt certum: Teneri, & ſub mortali, in ſequentibus. *Primò*, quando inuaſus putat, ſe eſſe in peccato mortali, & æternam damnationem

timet,

timet, ſi tunc temporis occidatur : quia prius tenetur quis diligere,& curare ſalutem animæ ſuæ , quàm proximi , iuxta illud Chriſti Domini : *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur , anima verò ſua detrimentum patiatur ?* Sic omnes vtriuſque ſententiæ DD.quæſt.antecedentis.

Secundò. Quando inuaſus eſt perſona maximè vtilis Reipublicæ , vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus. Quia tunc ob commune bonum teneretur ſub mortali vitam ſuam conſeruare , & occidere inuaſorem. Sic Molina *diſput.*14. *cit. num.*1.*col.*570. Sot. *lib.*5.*de Iuſtit. quæſt.*1. *art.* 8. Leſſius *loc. cit. num.*56. Dicaſtillu *num.*37. Fagundez *cap.*3. *cit. num.*6. Lugo *loc.cit.* & alij.

Tertiò. Quando ex propria morte inuaſi ſequeretur maximum detrimentum familiæ , vt vxori,& filijs quos alere tenetur : nam tunc tenebitur defendere vitam ſuam occidendo inuaſorem. Quia tunc non poteſt cedere iuri ſuorum,quibus vita ſua eſt neceſſaria,& quibus alimenta,educationem,& protectionem debet , quæ à vita ipſius pendent. Sic Sotus , Molina, Dicaſtillo , & Lugo citati. Quorum vltimus id limitat,niſi aliàs ex morte tolerata maximum bonum inuaſo accederet ,vt ſi ob fidem Catholicam occidendus eſſet : quia tunc non videtur obligari ob temporale commodum vxoris , vel filiorum ad amittendum lucrum glorioſi Martyrij.

QVÆSTIO IX.

An euadet irregularitatem , qui debito moderamine ſe defendens , directè vult , & intendit mortem iniuſti aggreſſoris , eamque exequitur.

NEgant aliqui Doctores docentes , ſolùm poſſe aggreſſum , aut inuaſum intendere actum neceſſarium ad ſui defenſionem , ex quo præuidet futuram mortem aggreſſoris , aut inuadentis , non curando , quod mors inde ſequatur ; non tamen poſſe directè interficere illum , tanquam medium ad ſui defenſionem neceſſarium. Ita tenent S.Thomas 2.2. *quæſt* 64. *art.*7. Salon , Caietan. Bannez & alij quidam Thomiſtæ : Abulenſ. *etiam in cap.* 5. *Matth. quæſt.*46. Corduba *lib.* 1. *quæſt.*56. *aliàs* 38. *Comitolus lib.*4. *reſponſ. quæſt.*10.*n.*11. Carbon. *lib.de pacificat. inimic. c.*21. *conſectar.*3. Fundamentum potiſſimum eſt auctoritas Doctoris Sancti , ita in dicto *art.* dicentis : Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate,propter bonum commune , illicitum eſt , quod homo intendat occidere hominem, vt ſeipſum defendat, niſi ei,qui habet publicam auctoritatem. Hæc S.Doctor.

Sed vt probabilius longè Reſpondeo : Euadere irregularitatem. Quia probabilius longè eſt, quod ſicut licitum , & honeſtum eſt , in executione repellere aggreſſorem iniuſtum , illum occidendo , pari ratione licitum & honeſtum eſt , directè illum velle , & intendere occidere ad repellendum illum , & conſeruandam propriam vitam ; ex qua licita occiſione priuata nequit irregularitas conſurgere.

Ratio potiſſima eſt. Quia id , quod honeſtè fit ratione alicuius finis honeſti , honeſtè etiam intenditur , propter eundem finem ; nam intentio , & voluntas ſuam habet honeſtatem ex re volita , & ex ratione volendi , quæ eſt finis : at ſic eſt , quod actus executionis occidendi , ad repellendum iniuſtum aggreſſorem , eſt honeſtus : ergo voluntas circa talem actum ſimiliter erit honeſta , quando quidem obiectum , & circunſtantiæ omnes nullam malitiam includunt , nec moraliter diſtingui poſſunt actus transfigendi aggreſſorem , & illius mors, aut occiſio. Ergo ſi voluntas eſſe poteſt circa actum transfigendi , aut percutiendi , pari ratione honeſtum eſſe videtur , velle aggreſſorem occidere , quia ſine occiſione repelli non poteſt. Sic omnino Dicaſtillo *tom.*1. *de Iuſtit. lib.*2. *tractatu* 5. *diſput.*10. *dubit.*4. *num.*41, docens , hanc ſententiam eſſe veriſſimam , citatque pro ea ex Dominicana familia D. Anton. 1.*part. tit.* 3. *cap.* 10. & 3. *part. titul.*4. *cap.* 3. Sotum *lib.* 5. *de Iuſtitia* , *quæſt.* 1. *articulo octauo* , & Silueſtrum *verb. Homicidium* , *quæſtione quinta* , & præter hos Nauarrum *in Summ. cap.*15. *numero tertio* , Leſſium *libro* 2. *capite* 9. *dubit.*8. *numero* 53. Molinam *tractat.* 3. *diſput.* 11. *num.* 4. & Rodrig. 1.*part. cap.*136. Sic etiam docent Valentia, Victoria,Turrianus, Vaſquez , & alij, quos refert,ac ſequitur Lugo *tom.*1.*de Iuſtit. diſp.*10. *ſect.*6. *n.*149. Gibalinus etiam optimè *cap.*4. *quæſt.*3. *conſectar.*3. *diff.* 10 *pag.*227.

Ad locum autem D.Thomæ reſpondet Sotus,non eſſe credendum,contrarium ſenſiſſe Sanctum Doctorem , quia ſolùm ſignificat , non eſſe licitum velle occidere vtcumque propter defenſionem , ſed propter defenſionem ab illo vt aggreſſore. Nam ſi aliquis non eſt aggreſſor , non poteſt quis velle illum occidere ratione defenſionis ab alio aggreſſore. Nihilominus licitum eſſe velle occiſionem alterius tanquam repulſionem eiuſdem aggredientis , quando neceſſaria eſt occiſio ad huiuſmodi repulſam. Sic Sotus, cuius explicationem approbant Vaſquez, Lugo,& Dicaſtillo. Legantur.

QVÆSTIO X.

An fiat irregularis , qui ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ , occidit alium ad vitandam in ſe mutilationem membri ?

AFfirmat Maiolus *lib.*5.*cap.*48. *num.*7, *pag.*445. vbi ait , quod ille , qui ſe defendendo poteſt euitare mortem , patiendo ſe in aliquo membro debilitari , vel mutilari , & nolit id pati , ſed malit occidere iniuſtum inuaſorem , non effugiat irregularitatem. Ratio eius eſt. Quia eſt inæqualis, & iniuſta defenſio , malle aduerſarium occidere , quàm debilitari. Hanc ſententiam tenent etiam Lapus *in Clement.*1. *de homicid.* Villadiego *tract. de Irregularitate* , *cap. De percuſſore* , & Monte 3.*part.examin. c.*10. §.14.*n.*9. *Dicto* 1. Qui citat Toletum *lib.*1. *cap.*74.

Sed , vt certum ferè , Reſpondeo : Non fieri irregularem. Quia occiſio iniuſtè mutilare alium conantis , ſi aliter repelli nequit , eſt licita , & iuſta, vt omnes fatentur ; alioquin cogeretur quis pati iniuſtam mutilationem (quæ ſæpè cum periculo vitæ eſt coniuncta , imo eſt quædam partialis mors) quod nemo dicet : at ſic eſt , quod ex occiſione licita non ſurgit irregularitas : ergo qui iniuſtum inuaſorem occidit , ne membrum ſibi amputet , non fiet irregularis. Sic communis. Cardin. quem refert, & ſequitur Couarr. *in Clement. Si furioſus* , *de homicid.part.*3.§.*vnico*,*num.*2. Nauar. *cap.*27. *num.*211. Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſtitut. cap.*3. *num.*345. & 468. Viuald. *de Irregularit. num.*224. Henriquez *lib.*14.*cap.*10. §.2. & 3. Silueſt. Roſella , & Salon, quos omnes refert , & ſequitur Sayrus *lib.*6. *cap.*17. *num.*3. Quibus addi poſſunt Vgolinus *cap.*29. Molina *tom.*4. *tract.* 5. *diſput.*72. *num.*6. Auila *part.*7. *diſput.*5. *ſect.*3. *dubit.*1. *verſ. Tertiò habet verum*

Gibalin.*cap*.4. *de Irregul.q* 3. *conſect*.3.*diff*.2.Bonac. *diſp*.7.*q*.4.*punct*.6.*n*.4.& alij.

Qvæstio XI.

An ſaltem fiat irregularis, qui occidit iniuſtum inuaſorem, vt ſe tueatur à graui vulnere ab illo infligendo.

Affirmant aliqui iuniores, apud Auilam, quibus fauet Vgol.*cap*.29 §.2. dicens, quod fiat irregularis, niſi aliàs vulnus lethale timeat; quia tunc non fiet.

Sed vt certum ferè Reſpondeo: Nec iſtum fieri irregularem, occidendo iniuſtum inuaſorem, ne grauiter ab illo vulneretur. Ratio eſt, quia occiſio iſta inuaſoris verè eſt licita, cùm innocentia, & neceſſitas huius occiſionis illum immunem faciant ab omni culpa: ergo ab irregularitate. Sic Salon. 2. 2. *quæſt*.64. *art*.8.*controu*.2.*concl*.1. & Viuald. *loc.cit*. quos ſequitur Sayr. *cap*.17. *cit*. *n*.4. Suar. *diſp*.46. *ſect*.2. *num*.6. Auil. *loc. cit*. ſequitur Henriq. *n*.2.*cit*. Hurtad. *de Irregul.diſp*.2.*diff*.11.*n*.37. Bonac. *punct*.6 *cit*.*n*.8. Villalob.*tract*.21.*diff*.24.*n*.7. Dian.*part*.4.*tract*.2.*Reſol*.6. Gibal. *loc.cit.diff*.3.*pag*.221.Cornejo *in* 3.*p.diſp*.4.*de Irregul.dub*.1.*q*.7.& alij.

Qvæstio XII.

An ad minus fiat irregularis, qui occidit iniuſtum inuaſorem, ne turpiter ab illo deformetur.

Affirmant aliqui DD. eo quòd vultus deturpatio nec infert mortis, nec grauis infamiæ periculum: ergo ob illam vitandam non licebit inuaſo iniuſtum deturpatorem occidere. Ita Auila, & Cornejo *loc.cit*. qui allegant Nauarrum *c*.27. *n*.224. ſed hic Author, ſaltem *in edit*.2. nil ibi ad propoſitum dicit.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec in hoc caſu fieri inuaſum irregularem occidendo inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus. *Primò*: quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam: ſed poteſt quis ad defendendas ſuas diuitias occidere inuaſorem: ergo. *Secundò*, quia graue vulnus in facie magnum dedecus, & infamiam affert: at ſic eſt, quod ad hanc euitandam licita eſt occiſio illam iniuſtè intentantis: ergo. Sic expreſsè Henriq. *lib*.14. *cap*.10. *n*.3. Sayrus, Bonac. Diana, Gibalin. Salon. *loc.cit*. & Pellizzar. etiam *tom*.2. *tract*.7.*c*.5.*ſect*.4.*q*.50.*n*.229.

Qvæstio XIII.

An ſit irregularis, qui cum moderamine inculpata tutela, ad ſui defenſionem occidit inuaſorem, ſi id etiam exequatur ex odio.

Affirmant Nauarr. c.27.*n*.226. apud Sayrum, & Gibalinum. Sed ibi Nauarr. non loquitur expreſsè de hoc, quem inquirimus caſu; ſed de ſimili. Nihilominus.

Probabilius longè Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia *Clem. ſi furioſus*, generaliter loquitur, & odium internum cordis non facit, vt contrahatur irregularitas, ſi re vera quis inuaſorem occidat ad tuendam vitam: peccabit tamen peccato interno homicidij. Sic Sayr. *lib*.6. *Theſaur*. *c*.17.*n*.12. Couart. *in Clem. cit.part*.2.§.5.*n*.2.& *p*.3.§.*vnic*.*n*.2. Henriq. *lib*.14 *c*.3.§.4.*lit*.O, & *c*.10.§.2. Pett. Nauarr.*lib*.2.*de reſtit*.*c*.3.*n*.337. Gibalin. *c*.4.*de Irregul*. *q*.3.*conſect*.3. *diff*.10.*verſ*.*Iam vero*, & alij.

Qvæstio XIV.

An ſit irregularis, qui occidit inuaſorem innocentem, v.g. puerum, vel amentem, vel phreneticum, qui ſtricto enſe ipſum impetit, & niſi illum praueniat, omninò eum confodiet.

Reſpondeo, vt certum: Non eſſe irregularem, talem innocentem occidendo, ne ab eo occidatur, aut mutiletur. Quia vim illam vi repellere licet, etiamſi non ſit iniuſtè illata ex defectu libertatis: in pari enim cauſa innocentiæ mihi magis teneor. Sic Cordub. *lib*.1.*q*.38. *ſub* 4. *ratione* 2. *opinionis*, *verſ. Sed vt ſemel*, vbi dictum inuaſorum innocentem appellat iniuſtum ex parte cauſæ, licèt non ex parte ſubiecti: quia inuadens in hoc caſu non peccat, nec eſt iniuſtus: at cauſa eſt iniuſta, eo quòd ſine cauſa inuaſus ſit occidendus. Sic etiam ex illo Sayr. *loc. cit*. *n*.6. Sotus, & Pett. Nauarr. apud ipſum. Quibus addi poſſunt Gibal. *c*.4.*q*.3.*conſect*.3. *diff*.14. Dicaſtil.*diſp*.10. *cit*. *dub*.3.*n*.26. & innuit Lug. *tom*.1. *de Iuſt*.*diſp*.10. *ſect*.6.*num*.143. & expreſsè tenet Gom. *variar*.*tom*.3. *c*.3.*n*.20. docens, quemlibet poſſe ſine metu irregularitatis occidere furioſum, vel mente captum, vel dormientem, qui in ſomnis ſurgit & aggreditur alium cauſa offendendi, vel occidendi: vbi & narrat, fuiſſe quemdam Piſanum, qui in ſomnis ſe armabat de nocte, & ibat per ciuitatem cantando.

Qvæstio XV.

An maneat irregularis, qui fugiens hoſtem, & non valens euadere, niſi per anguſtum iter, proterit infantem, aut claudum illi occurrentem.

Affirmant Pett. Nauarr. *lib*.2.*c*.3.*n*.147. niſi aliàs ſit fugienti aliqua probabilis ſpes non interficiendi infantem occurrentem.

Sed iuxta dicta, probabilius longè Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia illa occiſio eſt per accidens, & neceſſaria ad tuendam vitam fugientis hoſtem: ergo ab omni culpa immunis: ergo & ab irregularitate. Sic Leſſ. *lib*.2.*de Iuſtit*. *cap*.9. *num*.59. (non 52. vt leges apud Gibalinum) qui id probat: Nam fugiens hoſtem, ius habet ad fugam via publica, quo iure non poteſt priuari in tanto diſcrimine, ratione infantis ibi fortè conſtituti: ſicut ſi fugienti amens quiſpiam, vel ebrius ſe objiceret, non teneretur, cum certo vitæ periculo aliò deflectere. Sufficit igitur in tali caſu, vt eam circumſpectionem adhibeat, quam pro tempore, & loco poteſt, ne noceat: quod ſi læſio, vel mors ſequuta fuerit, non cenſebitur ab ipſo intenta, ſed ſolùm permiſſa: nam vtitur iure ſuo extremè ſibi neceſſario, ea circumſpectione, qua poteſt. Sic Leſſius, citans Cordub. *lib*.1. *q*.37.*dub*.2. & Caietan. *q*.67.*art*.2. Quos omnes ſequitur Gibalin. *diff*.14.*cit*. *pag*.229. & communis. Sed an idem dicendum ſit, in caſibus, in quibus amens, vel ebrius inuadens eſſet in mortali, & infans eſſet ſine baptiſmo moriturus, iam dicam.

QVÆSTIO XVI.

*An etiam irregularitatem fugeret, qui interfi-
ceret amentem, vel phreneticum ſe inua-
dentem, ſi aliunde illi conſtaret, eum eſſe in
mortali, à quo poſt amentiam, vel phreneſim
poterit reſurgere.*

NEgat abſolutè Leſſius *loco* nuper *citato*, loquendo de occiſione infantis in caſu præcedentis quæſtionis aſſignato: limitat namque doctrinam, quam tradiderat per hæc verba: Si tamen infans ſine baptiſmo eſſet moriturus, eo euentu lege charitatis tenetur potius ſe permittere occidi: quia ſalutem proximi ſpiritualem ſuæ temporali tenetur anteponere. Ita ille. Cuius ſententiæ à fortiori ſunt Gerſon, Hugo. Abulenſ. & Villadieg. *q 6 cit.*

Affirmare verò contrà poſſet aliquis ex à nobis dictis *ſuprà quæſt.6.* vbi diximus, minimè fieri irregularem, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit ſuum iniuſtum inuaſorem, etiamſi ſciat eſſe in mortali, & in eo moriturum: ergo pari ratione idem aſſerendum eſt in præſenti caſu, nempe, quod nec fiat irregularis, qui interficit amentem, vel phreneticum ſe inuadentem, etiamſi ei conſter eſſe in mortali, & in eo moriturum, & condemnandum.

Sed clarius Reſpondeo: Dicendum, quod in noſtro caſu, occidens minimè effugeret irregularitatem, ſed ſanè contraheret illam, niſi alias inuaſus etiam eſſet tunc in ſtatu peccati mortalis, ſicuti eſt inuadens: quia tunc ſicuti ille æquè eſt innocens, atque iſte, potius tenetur ſuam vitam, quàm alterius tueri, vt conſtat ex loco citato dictis. Igitur primam partem noſtræ aſſertionis apertè conuincit Leſſius, & diſertè declarat, & probat Lugo *diſputatione* 10. *cit. ſect. 6. num.* 143. per hæc verba: Si inuaſor iniuſtè quidem materialiter inuadat, ſed tamen abſque libertate, vt ſi ebrius, vel phreneticus te inuadat, & aliunde conſtet eum eſſe in ſtatu peccati à quo poſt phreneſim, vel ebrietatem poterit reſurgere, e contrà verò moraliter credas, te eſſe in ſtatu gratiæ, nõ videtur poſſe licitè à te occidi: quia tunc verè non poteſt proximus ſibi conſulere, & ſubuenire in illa extrema neceſſitate, & periculo certo æternæ damnationis, niſi tu vitam propriam exponas pro eius remedio. Hic tamen caſus rariſſimus erit, quod conſtet illum eſſe in ſtatu peccati, ob quod in æternum damnandus ſit. Hæc Lugo. Ex quo conſtat diſcrimen, propter quod concedendum ſit in hoc caſu fieri irregularem illum, qui occideret infantem ſine baptiſmo, aut ebrium, vel phreneticum exiſtentem in mortali; minimè verò in caſu *quæſt.6.*

QVÆSTIO XVII.

*An maneat irregularis inuaſus, qui poten-
tioribus armis occidit ſuum iniuſtum
inuaſorem.*

AFfirmant plures Doctores, eo quòd exiſtiment, in eo caſu non ſeruari ab inuaſo moderamen inculpatæ tutelæ quod licitam facit occiſionem: quia illa (inquit) conſiſtit in æqualitate armorum ad arma, ita vt quis eiſdem armis ſe defendat, quibus offenditur, vt gladio pro gladio, ſclopeto pro ſclopeto, &c. Ita ſentiunt Butrius *in cap. Significaſti*, *el* 2. *de homicid. num.* 20. An-
R. P. Leand. de Irregularit.

charan. *ibi num.*9. Abbas *num.*1. Hoſtienſ. *num.*21. Ioan. Andr. *num.*9. & 10. Ioan. de Lignano, Boerius, Sebaſt. de Medic. Moron, Ayterius, Angel. Claudius, Bologner. Odofred. & Baiardus, quos omnes refert pro hac parte Fagundez *lib.5. in Decalog. c.5. n.5.*

Negat verò è contra, manere tunc inuaſum occidentem inuaſorem, irregularem, ſi in rixis ſubitò, & repentè actis, potentioribus armis id faciat, Fagundez *loc. cit. num.6.* Quia verius eſt (inquit) quod inæqualitas armorum non tollat moderamen inculpatæ tutelæ, quando defenſio fit incontinenti. Vnde puto, licitum eſſe cuique ſe cum gladio defendere ab illo, qui illum cum cultello aggreditur; & cum lancea tueri ab eo, qui illum gladio inuadit. Ita ille, citans pro ſe Salonium, *in repetit. l. vt vim, ff. de Iuſtit. & iure, à num.6. vſque ad* 11. Salicetum *in l.1. Cod. vnde vi, num.5.* Farinacium *tom.4 quæſt.125. de homicid. tit.14 n.360. fol.239.* & alios.

Sed abſolutè, & ſine reſtrictione vlla, probabilius longè Reſpondeo: Minimè manere irregularem inuaſum, qui inæqualibus, ſeu potentioribus armis occidit ſuum iniuſtum inuaſorem, ſi aliter non poteſt defendere ſuam vitam, aut honorem, &c. Quia in hoc caſu non eſt attendendum ad æqualitatem armorum. Ratio eſt, quia poteſt eſſe inuadens, ſeu inuaſor tam valens, ac potens gladio, quam valens eſt inuaſus lancea, vel ſclopeto: ergo tunc inuaſus potentioribus armis ad ſe defendendum, vtendo benè obſeruabit moderamen inculpatæ tutelæ: ac proinde immunis erit à culpa talis occiſio, ac deinde ab irregularitate. Sic Blancus *in practica, §. Tertia pars, n.3.* Carrer. *in practica, tract. de homicid. & aſſaſſin. n.9 § Circa quartum.* Maſcard. *lib 3. probat. concluſ.*1126. *n.*36 Molina *tom 4. tract.3. diſp.11. n.5.* vbi ita ait: Fas quippè eſt quacũque via, & ratione, & quibuſcumque armis id totum efficere, quod ad tutam defenſionem fuerit neceſſarium, vt copioſè diſputat, & cum communi Doctorum ſententia affirmat, ac probat Anton. Gom. *tom.3. variar. reſolut. capit.3. num.22. & 23.* conſentiunt *l.2. tit.8. part.7. l. 2. & 3. Cod. ad leg. Cornel. de ſicar.* & alia iura, quæ quamuis in foro exteriori loquantur, idem tamen eſt in foro conſcientiæ. Hæc Molina. Quem citat, & ſequitur Cardin. Lug. *tom.1. de Iuſt. diſp.*10. *ſect.6. num.*151.

QVÆSTIO XVIII.

*An ſaltem ſit irregularis, qui ob defenſionem
vitæ ſuæ, aut honoris occidit aggreſſorem
venientem contra ipſum, ſine aliquo genere
armorum, ſed tantùm manu vacua, minans
eum ſuffocare, aut alapam præbere?*

AFfirmabunt à fortiori Authores pro prima ſententia nuper adducti. Quia exiſtimant, id eſſe illicitum, eo quòd excedat inuaſus in ſua defenſione moderamen inculpatæ tutelæ. Et ſpecialiter Ioannes Harprechtus *in inſtit. tom.4. tit. de publicis iudiciis, §. Item lex Cornelia, num.*171. vbi docet, talem occiſionem eſſe illicitam: ergo conſequenter irregularitate affectam.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Nec in hoc caſu manere irregularem inuaſum, ſi aliter quàm occidendo inuaſorem, nequeat defendere ſuam vitam, & honorem. Ratio eſt, quia non eſt neceſſarium, vt verè dicatur quis, ſe defendere cum mode-

Digitized by Google

ramine inculpatæ tutelæ, vt non vtatur armis aduerſus aggreſſorem, qui arma non affert, aut non vtatur potentioribus, aut nocentioribus armis: eo quòd regula obſeruanda in vtroque foro non eſt ſumenda ex his ſed ex neceſſitate, qua coarctatur ad ſuam tuitionem aggreſſus, ſeu inuaſus: accidere enim poteſt, vt quis armis indigeat, vt ſe defendat ab aliquo potentiori inermi. Et ſanè, quis dicet, puerum, vel fœminam non poſſe gladio, aut alio vti ferreo inſtrumento, ad defendendum ſe à viro, qui eos manibus velit ſuffocare, aut alapis cædere? Igitur inuaſus ſic occidendo, neque peccatum, neque irregularitatem admittet. Sic tenent Bald. *in l.* 1. *C. vnde vi, column.*4. *num.* 13. & ibi Bartol. *column.*2. *num.*7. quos citat, & ſequitur Gomez *tom.*3.*variar.c.*3.*n.*22.Molina,& Lugo *loc.cit.* Et à fortiori id tenendum eſt,caſu quo inuaſor armatus incedat. Legantur Trullench *libro* 1. *in Decalog. c.*4. *dub.*5. *n.*2. Dicaſtillo *libro ſecundo de Inſt.tract.*1. *diſp.*10.*dub.*6. *n.*73.& Diana *part.*8.*tract.*7.*Reſol.*48. *fine.*

Qvæstio XIX.

An quando inuaſor actu non inuadit alium, eſt tamen in actu proximo ad illum inuadendum, poſſit hic licitè, & abſque periculo irregularitatis, inuaſorem morte præuenire.

NEgatiuam ſententiam ſignificare Nauarrum *in Man.c.*15.*n.*3. (non 2. vt leges apud Lugum) & Mich.Sal.2.2.*q.*64.*art.*7.*controu.*1. *concl.*3.ait Sayrus vbi infrà. Et meritò, cum dicti Authores affirment, non licere occidere eum, qui ſolùm decreuit te occidere, & quærit opportunitatem, niſi iam aggredi incipiat. Fundamentum eorum eſt. Quia ad ſolam vim repellendam, licet alterum occidere: ſed ante actum aggreſſionis non eſt vis, quæ repellatur: ergo non eſt cur occidatur.

Sed probabiliùs longè Reſpondeo: Poſſe in præaſſignato caſu inuaſum licitè, & abſque periculo irregularitatis, morte præuenire inuaſorem, ſi aliter inuaſus periculum præſens euitare non poſſit.

Probatur: quia, etſi inuaſor nondum actualiter inuadat phyſicè; eſt tamen in procinctu ad inuadendum, & nemo tenetur expectare actum phyſicum inuaſionis. Vnde qui præparat ſclopetum, vt alterum occidat, & ille iam ſuum præparatum habet, poterit in illum ſuum prius exonerare: imprudens enim erit, ſi expectet, vt alter prius in eum ſuum exoneret. *Confirmatur*, quia certum eſt, non requiri, quod inuaſor iam inceperit lædere inuaſum: nam defenſio non eſt in ordine ad offenſam factam, ſed ad impediendam futuram, ne fiat: quare ſi iam præparauit arma, vel quid aliud fecit ad exequendum decretum occidendi inuaſum, iam incepit moraliter ſaltem illum inuadere, & ſic optimè poterit ſe defendere, ſi aliter non poſſit occidere illum abſque vlla culpa; ac proinde abſque irregularitate, & excommunicatione Canonis *ſi quis*, ſi fortè inuaſor ſit Clericus.

Sic tenet communis ſententia. Sotus *lib.*5.*de Iuſt. quæſt.*1. *art.*8. Petr. Nauarr. *lib.* 1. *de reſtitut. cap.*3. *numer.* 250. Couar. *in Clement. ſi furioſus, part.* 3. *§.vnico,num.*3.*verſ. Secundò.* Henriquez *lib.*14. *c.*10. *§.*4. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 38. *art.*1. *dub.*2. Simanc. Villadiegò,& Baldus, quos omnes citat, & ſequitur Sayros *lib.*6. *Theſauri,cap.*17. *num.* 13. quibus addi poſſunt Leſſius *lib.*2. *de Iuſtit.cap.*6.*dub.*8. *num.*44. Tolet. *in Summ. lib.*5. *cap.*6. *num.* 24. Clar. Felin. Iaſ. Dec. Cartar. Riminald. Alexand. & Boſſius, quos affert, & amplectitur Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. cap.*6. *num.*2. Sic etiam optimè Molin. *tom.*4. *tract.*3. *diſput.*12. *num.*2. Bañez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.*3. *dub.*4. Layman *lib.*3. *tract.*3. *part.*3. *cap.*3. Lugo *de Iuſtit. diſput.*10. *ſect.*7.*num.*157. Et licèt non ita clarè, Dicaſtillo *lib.*2. *de Iuſtit. tract.*1. *diſput.*10. *dubitat.*9.*à num.* 110. ſic etiam benè Anton. Gom. vbi infrà, Gibalin. *cap.*4. *de Irregular. quæſt.*3.*conſect.*3. *diff.*9. & communis.

Nec omninò diſſentit à noſtra ſententia Doctiſſ. Nauarr. ſiquidem loco nuper *cit. n.*2. cum communi docet, licitum eſſe vxori occidere maritum qui pugionem ſub ceruicali poſuit ad eam poſtea occidendam: ergo idem docebit de quocumque alio inuaſo, & aggreſſo, nempe quod licitè præuenire poterit morte illum qui ſe proximo actu parat occidere, quod amplius exemplis illuſtratur, ſit ergo

Qvæstio XX.

An ex eo ſolùm, quod aggreſſor veniat, & accedat cum armis contra aliquem, veriſimiliter cauſa offendendi, poſſit aggreſſus licitè, & ſine irregularitatis nota, eum occidere.

NEgabunt Authores primæ ſententiæ *quæſt. anteced.* eo quod non liceat occidere, niſi aggreſſorem: at hic actu non aggreditur, cum actu non inferat vim: ergo.

Sed iuxta dicta, probabilius longè Reſpondeo: Poſſe licitè, & ſine periculo irregularitatis eum occidere: dummodò probabiliter, prudentérque iudicet ad ipſum offendendi cauſa, vel occidendi, venire. Quia per hoc, verè dicitur inuaſus in diſcrimine vitæ conſtitutus. Nec enim (vt diximus nuper) expectare debet, vt prius recipiat aliquam offenſam, vel percuſſionem, niſi imprudens ſatis iudicari vellet. Sic expreſsè Anton. Gom. *tom.*3. *variar. cap.*3. *num.*22. qui id probat ex textu *in l.is qui aggeſſorem, Cod. ad leg. Cornel.de ſicar.text. in l. ſi quis percuſſorem, eod. tit.* vbi ita dicitur. Si quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repellit, non vt homicida tenetur: quia defenſor ſuæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur, *l.*2.*tit.*8.*part.*7.

Nec fundamentum contrarium eſt efficax. Neganda enim eſt minor argumenti: quia in caſu præſenti, qui ſic aduerſum aliquem venit, verè dicitur aggreſſor; cùm iam moraliter inceperit actum: & conſequenter inferre etiam vim, quam repellere, occidendo illum, aggreſſus poteſt.

Qvæstio XXI.

An qui porrigit venenum ei, qui ſibi illud parauit, maneat irregularis, morte iſtius ſequuta.

REſpondeo ex dictis: Non manere irregularem, propinando illi venenum, quod ſibi parauit, ſi aliter periculum, in quo eſt conſtitutus, vitare non poteſt. Quia nihil aliud aggreſſus facit, quàm repellere vim quam agreſſor moraliter actu infert: ergo eius per venenum occiſio licita erit, ac deinde immunis ab irregularitate. Sic Corduba *lib.*1. *quæſt.* 38. *dub.*1. Fagundez *lib.*5. *in Decalog. cap* 6. *num.*3. & 4. Dicaſtillo *tom.*1. *de Iuſtit. lib.*1. *tract.*1. *diſp.*10.

Digitized by Google

diſp. 10. *dub* 9. *num.* 111. Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 7. *num.* 155. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtit. cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 45. *in fine*, & alij.

QVÆSTIO XXII.

An ſine incurſione irregularitatis, poſſim ego occidere illum, qui actu mandat, & ſuadet famulo, vel ſicario, vt me occidat.

RESpondeo ex dictis: Poſſe. Quia ſine incurſione irregularitas poſſum ego morte præuenire illum, qui per ſe ipſum actu moraliter inuadit, vt *ſupra* eſt habitum: ergo & illum, qui per alium actu mandat inuadere. Parum enim refert, an me inuadat per ſe ipſum, an per alium. Sic Bannez 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. Petr. Nauar. *lib.* 2. *de reſtit.* quos citat, & ſequitur Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 5. Dicaſtillo *lib.* 2. *de Iuſtit. tract.* 1. *diſput.* 10. *dubit.* 9. *num.* 116. citans Molinam *tract.* 3. *cit. diſp.* 12. *num.* 2. & Nauarrum *c.* 15. *n.* 9. Sed certè Nauarrus nihil ad rem in dicto numero dicit; bene tamen inſinuat *n.* 2. Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 7. *n.* 161. & Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtit.* c 9. *dub.* 8. *num* 46.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam ſine incurſu irregularitatis poſſim morte præuenire illum, qui licèt actu non ſuaſit alicui, vt me ſtatim occideret, coniurauit tamen in meam necem, & cum ſicariis egit, vt opportunitatem quærant me occidendi.

NEgatiuam ſententiam innuere videtur Nauar. *num.* 2. *cit.* & expreſsè illam docet Leſſius *n.* 46. *cit.* vbi quæſtionem iſtam proponit, & diſſoluit per hæc verba: Quod ſi periculum adhuc eſſet longinquum, vt ſi coniurraueris in meam necem, tamque cum ſicariis egeris, vt opportunitatem quærant exequendi, maior eſt difficultas. Sed videtur eadem ratio, ſi nulla alia ſupetſit via euadendi, quia ita vitæ meæ inſidiatur, vt alia ratione non poſſim elabi. Non enim teneor perpetuò me intra domum concludere, vel in exteras regiones contendere. Eſſet tamen inſidiator ille aliquoties antè monendus, vt deſiſtat. Ita docet Bannez *q.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. & quidam alij Recentiores. Mihi tamen hic modus in praxi non probatur: tum ob alias cauſas: tum ob periculum abuſus: tum quia pertarum eſt, vt non ſuppetat alia ratio mortis euitandæ. Hæc vſque Leſſius.

Alij è contrà docent, etiam in præfato caſu, me poſſe licitè, & ſine metu irregularitatis illum, qui in meam necem coniurauit, & egit cum ſicariis, vt me occidant, morte præuenire, & occidere, ſi aliquoties monitus, vt à ſuo malo propoſito deſiſtat, minimè velit. Sic Bannez loco nuper citato. Et Molina *tract.* 3. *cit. diſp.* 12. *num.* 2. vbi vniuerſaliter docet, fas eſſe interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via graue periculum mortis euadendi, quod nobis ex illo decreto imminet. Horum ſententiam videntur amplecti Dicaſtillo *loc. cit.* & expreſſiùs Lugo *num.* 161. vbi poſtquam retulit ſententiam Leſſij, eiuſque fundamentum, ſic ſuum ſentire explicat. Fateor quidem caſum rarum eſſe, non tamen metaphyſicum, ſed quem nobis ſæpius quàm oporteret, experientia comprobauit; aliquos nempe eſſe adeò obſtinatos ad vindictam animo, vt tentatis mediis omnibus, & oblata qualibet ſatisfactione, flecti non poſſint, niſi ſanguinem ebibant offenſoris, qui cogitur miſerè exulare, & vagari toto orbe, nec vllibi ſecurus eſt à perſequentibus: quare non credo, naturale ius eos abſque remedio reliquiſſe aduerſus nequiſſimos aggreſſores. Nec omnes Sancti ſunt ſicut Dauid, qui Saule ipſum iniuſtè ad necem perſequente, maluit ab eius cæde abſtinere, cum impunè poſſet eum occidere. Huc vſque Eminentiſſ. Cardinalis.

Alij tandem nec audent hanc vltimam ſententiam approbare omnino, nec primam omnino ſequi; ſed dicunt, reſolutionem huius caſus magis ex iudicio prudentis, quàm ex iuris definitione pendere. Et ideo non ita facilè, quod ſecunda ſententia docet, eſt concedendum, vt inde anſa accipiatur ad occiſionem aliorum: nec ita difficile faciendum, vt periclitetur vita illius cuius occiſio alteri mandatur. Quare totum hoc negotium iudicio prudentis committendum eſt, qui conſideratis circumſtantiis, & qualitate perſonarum, indole, ingenio natiuo, conſuetudine in rebus ſimilibus, & propoſiti tenacitate, iudicium feret in re tam periculoſa. Sic Fagundez *loc. cit. num.* 5. Et bene. Sed credo parum differre ab eo, quod Auctores ſecundæ ſententiæ volunt quibus ego omnino aſſentior: quorum placitum magis ex mox dicendis roborabitur. Sit ergo

QVÆSTIO XXIV.

An ſi aliquis decreuit aliquem occidere, & hoc alicui manifeſtauit, poſſit hic licitè, & ſine incurſione irregularitatis illum morte præuenire, ſi aliter non poſſet effugere.

NEgant communiter Doctores. Quia non licet ſic præuenire occidendo aggreſſorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter aggreſſionis actum: at qui ſolùm decreuit occidere aliquem, nullo modo incepit aggreſſionis actum: ergo nulli eſt licitum morte eum tunc præuenire. Cætera patent. Maior verò probatur: quia antequam quis incipiat aggredi, aut aggreſſionis actum, nec propriè aut proximè eſt, aut poteſt dici aggreſſor, aut vim inferens: ergo non dat locum, vt vis vi repellatur. *Confirmatur.* Quia actus merè internus non dat homini ius aduerſus hominem, vnde Iudex humanus nequit pro illo pœnas imponere, eo quòd in ordine ad homines ille nondum deliquit, cum nihil malum exterius fecerit: ergo nec dat ius defendendi te. & illum, qui te decreuit occidere, lædendi, vt te defendas, eo quòd humana inuaſio debet eſſe aliquis actus externus contra te factus. Ita communis. Nauar. *c.* 15. *n.* 3. *verſ. Credimus autem.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 8. Dicaſtillo *tom.* 1. *de Iuſt. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 9. *n.* 109. & ferè omnes alij citati pro noſtra ſententia *ſupra q.* 16. Quibus adde Syluium *in* 2. 2. D. Th. *q.* 64. *art.* 7. *q.* 6.

Sed æquè probabiliter, & magis conſequenter Reſpondeo dicendum fas vniuerſim eſſe, ac licitum, interficere eum, qui nos firmiter, & efficaciter interficere decreuit, idque aliquibus amicis confidenter manifeſtauit, quando aliter non patet via euadendi mortem, aut graue eius periculum, quod nequitiâ illius ex tali decreto nobis imminet. Sic Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 12 *num.* 2. Qui hanc ſuam, & noſtram ſententiam ſic optimè probat. Vnicuique iure naturali id licet efficere, quod alterius nequitia medium eſt effectum neceſſarium ad ſuæ propriæ vitæ conſeruationem; nihil impediente, quod id ſit auferre ab alio vitam, eo quòd charitatis ordine

Digitized by Google

præferre vnuſquiſque poſſit conſeruationem ſuæ vitæ propriæ, vitæ alterius, præſertim quando nequitiâ illius alterius factum eſt id medium neceſſarium ad propriam vitam conſeruandam: quo fit, vt quando iniuſto alterius decreto, quo iniuſtè auferre decreuit ab illo vitam, factum eſt huic medium neceſſarium ad ſuam vitam conſeruandum, eámve à veriſimili mortis periculo eruendam, illam anteuertere, interficiendo illum prius, licitum id huic ſit: ſiue ille alius ob id decretum dicendus ſit aggreſſor, ſiue non. Neque enim in circo fas eſt interficere iniuſtum aggreſſorem, quia aggreditur, ſed quia aggreſſione conſtituit iniuſtè in diſcrimine vitam aggreſſi, ita vt nulla alia pateat via ad eam eruendam ab eo periculo, niſi illum interficiendo: quo fit vt ſi ſolo decreto, aut quacumque alia ratione ſimiliter ponat quis iniuſtè vitam alterius in diſcrimine, nec alia pateat huic via ad eam à tali diſcrimine eruendam, quàm illum interficiendo, poſſit licitè eum interficere. Huc vſque perdoctus Pater. Qui pro ſua ſententia citat Couarr. *in Clement. Si furioſus*, *p.5.* §. *vnico*, *num.*3. Et bene; nam loquendo de Inſidiatore vitæ alicuius, hæc verba dicit: Secundò, hinc deducitur, quid dicendum ſit de illo, qui ſibi inſidiantem interfecerit? Nam Gloſſa *in cap.* 3. *de homic. verb. ſaecularibus*, reſpondet, hoc homicidium non eſſe imputandum occidenti. Quam opinionem probare videntur Doctores ibi. Bald. *in l. Multis*, *C. de liber. caus.* Idem *in l. in lege. ff. locati*. Gloſſa *in l.* 1. *C. vnde vi*, quod latè examinat quoad pœnas temporales Iaſon *in d. l. vt vim*, *n.*9. Angel. *in d. Gloſſa*, §. *dictus*, Tirius Hippol. *in ſing.*640. Ludouic. Carrer. *in d.* §. 6. *num* 92. Ex quorum dictis reſolutionem ipſe colligo, eſſe hac in quæſtione conſiderandum, mortis periculum ex alterius inſidiis imminens ipſi occidenti, vt tandem ex hoc deprehendamus, quota pœnæ pars ſit ei remittenda: vel an omnino ſit ab ipſa pœna liber; denique à culpa: quo poſſimus etiam iudicare, an ſit cenſendus irregularis. Atque ita intelligenda ſunt quæ Bartol. notat *in d. l.* 1. *C. vnde vi*, & Carrer. *in d.* §. 6. *num.* 91. Bart. *in l. ſi ex plagis*, §. *Tabernarius. ff. ad leg. Aquil.* illud item Cicero, pro Milone: *Obliuiſci non poteſtis Iudices, inſidiatorem iure interfici poſſe.* Hæc Couarruuias. Et hanc opinionem nouiſſimè ſequitur Doctiſſ. Cardin. de Lugo *tomo primo de Iuſtitia. diſputatione decima, ſectione ſeptima, à num. centeſimo & octauo*, & Diana *part.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 5. vtramque proponit, ſed nulli adhæret.

Ad argumentum autem contrariorum iam conſtat ex doctrina, quam ex Molina tradidimus. Niſi velis cum Lugo addere, quod ille qui efficaciter decreuit te occidere, iam cœpit ſe mouere ad lædendum; primus enim, & præcipuus motus eſt, quo voluntas ſeipſam mouet, & profert ſententiam contra te, decernendo firmiter tuam mortem: iam ergo incepit agere contra te, quia iam poſuit primum principium practicum, & imperium totius exequutionis ſubſequentis, quod eſt principium totius belli iniuſti, quod tibi inferendum eſt.

Ad confirmationem dicendum, ex eodemmet Auctore, quod licèt delictum internum non ſufficiat ad pœnam à Iudice humano infligendam, eo quòd hic attendat ad gubernationem humanam, & viſibilem; bene tamen ſufficiat ad defenſionem procurandam voluntas efficax aduerſarij de eo occidendo; quia ius, quod iure naturæ habes ad te defendendum, non eſt ad puniendum, ſed ordinatus omnino ad defenſionem tuam: defendere autem non eſt propriè loquendo, aduerſus eum qui te lædit, (hæc enim prout ſic erit vindicta) ſed aduerſus eum, qui te lædere vult: ſolum ergo reſpicit voluntatem lædendi, vt poſſis te defendere, & impedire effectum Sic ille. Lege eum.

QVÆSTIO XXV.

An eum, qui alicui minatur mortem, liceat ſine timore irregularitatis, occidere?

NEgatiuam ſententiam tenet Maldero *in* 2. 2. *tract.* 3. *c.* 1. *dub.* 7. Diana *p. quinta*, *tract.* 4. *reſol.* 10. vbi ſic ait: Si quis tibi minatur mortem verbis ſolis, non licet eum occidere. Ita ille.

Sed probabilius, ex doctrina nuper tradita, Reſpondeo licere, ſi talis minans ſolitus ſit minas executioni mandare. Quia prudenter timere poteſt, & credere quis, tales minas non ſolum à ſimplici deſiderio, ſed à decreto interficiendi efficaci, manare: at in hoc euentu, licitè poteſt quis præuenire ſuum aduerſarium morte, vt nuper diximus, nec diſſentit Diana *reſol.* 5. *cit.* ergo. Sic Ioan. Franciſc. Suarez *in Enchirid. caſuum conſc. lib* 7. *verb. Homicidium.* Et antea Iul. Clarus *in pract. crimin. lib.* 5. §. *Homicidium*, *n.* 33. qui ex Afflicto, & aliis obſeruauit, abſolutum fuiſſe quemdam Nobilem, qui alium ſibi minantem interfecerit.

QVÆSTIO XXVI.

An qui recluſus in aliqua domo videt inimicum inſidias parantem, vt eum occidat poſſit licitè præuenire, & interimere illum, ſi aliud remedium euadendi non habeat?

NEgant plures, eo quòd exiſtiment, nunquam eſſe licitum præuenire inimicum, quantumuis paratum, donec actu inuadat, & aggrediatur. Ita apud Dianam *loc. cit. reſolut.* 8. tenent Salon. *in* 2. 2. *tom* 1. *q.* 64. *art.* 7. *controu.* 1. *concl.* 3. & Sylvius *ead. q. & art. verſ. quaritur* 4. Quibus addi poſſunt Nauar. *c.* 15. *n.* 2. *citatus q.* 16. & alij.

Sed conſequenter ad dicta probabilius Reſpondeo: Poſſe licitè, ac proinde ſine metu irregularitatis præuenire, & interficere inimicum ſuum, ſi aliud remedium euadendi non habet. Quia tunc nil aliud facit, quàm defendere vitam propriam cum moderamine inculpatæ tutelæ, vi contrarij vim repellendo, & iamiam aggreſſorem actu inculpatè interficiendo. Sic debent ſentire Molina, Couarr. Lugo, & alij *ſuprà q* 24. citati. Quibus addi poſſunt Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 12. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 21. *c.* 5. *n.* 57. Pitigianus *in* 4. *ſentent. tom.* 2. *diſtinct.* 15. *quaſt.* 3. *art.* 2. & innuit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *num* 45. quos omnes pro hac parte refert, neſcio an ſequitur, Diana *reſol.* 8. *cit.*

QVÆSTIO XXVII.

An liceat cuique illum prius occidere, qui falſis calumniis, & teſtibus contendit ipſum per iudicem interficere, imponendo illi aliquod flagitium, ob quod ad mortem ab ipſo iudice ſit damnandus.

NEgant apud Lugum, Sotus *lib.* 5. *de Iuſt. q.* 1. *art.* 8. *dub vlt. in fine.* Corduba *lib.* 1. *quaſt.* 38. *dub.* 1. Vaſquez *tract. de reſtit. cap.* 2 §. 2. *dub* 7. *n.* 34. Turrian. *diſp.* 27. *dub.* 2. *num.* 10. & Leſſius *lib.* 2 *de Iuſtit. cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 47. His addi poſſunt Ayretius *tractat. de homicid. neceſſitate*, *part.* 1. *num.* 93. & *ſequent.* Farinac. Claudius, Alexand. Aretinus,

Foller,

Foller. Cattiet. Titaquell. & alij, quos pro hac parte refeti Fagundez *lib.5.in Decaleg. cap.6. num.6.iuncto num.9.*

Negant ſimiliter aliqui alij, qui licèt putent, ſententiam affirmantem ſpeculatiuè eſſe veram, aut valde probabilem, in praxi tamen tutius eſſe putant, tueri hanc negatiuam ſententiam. *Primò*, quia hominea facilè ctedetent, ſe pet calumniam accuſari, neque eſſe aliud refugium, prætet mortem accuſatotis, indeque patetet aditus infinitis homicidiis.

Secundò. Quia qui falſum teſtimonium dicit in iudicio, non cenſetur aggreſſot vitæ, aut vim infetre; ſed committere iniuſtitiam, quæ ex ſua natura puniri poreſt à Iudice. Ita Ægidius *de actib. ſupernat. diſp.32.dubit.2. num.12.* Quem ſequitur Diana *parte 3.tract.5. reſolut. 97. & part.5. tract.4.reſolut.7.* Bonacina *diſp.2.de reſtit.quaſt.vltima,ſect.1. punct.4. n.7.*& alij.

Sed probabilius Reſpondeo: Licitum eſſe cuique præuenire occidendo illum, qui falſis calumniis, & teſtibus iam ſubornatis, ita illum oppugnat in iudicio, vt neceſſe ſit ipſum occidi, aut infamari, aut etiam bona magna amittere, dummodo nulla alia via hoc damnum poſſit vitare.

Probatur. Quia parum refert, vt quis alterum propria manu, vel aliena occidat, vt proptiè dicatur occiſor, iuxta dictum Prophetæ Nathan ad Dauid, *Interfeciſti Vriam gladio filiorum Ammon.* Atqui quilibet poteſt præuenire occidendo illum, qui proptia manu, aut gladio vult ipſum occidere: ergo & illum qui alieno gladio, nempe Iudicis. Sic tenent Bannez *2.2.q.64.art.7. dub.4. & 5.* Caietan. *ibid. q.65.art 8. ad 3.* Pettus Nauatra *lib.2. de reſtitut.c.3.n.361.* Molina *tom.4.tract 3.diſp.12.* Sanchez *tom.1.Summ.lib.2. c.39.n.7.* Cardin.de Lugo *diſp.10.de Inſt.ſect.7.punct. 165.* Eſcobar *part.2. de purit. & nobilitate probanda, q.1.gloſſa 4.n.14.*& Ioan. de Dicaſtillo *de Inſt. lib. 2. tract.1.diſp.10.dub.9.n.117.* Qui optimè ad rationea conttariorum reſpondet ſic.

Ad primam, quod dicta ratio non nititur in ipſa rei natura, ſed in paſſione, aut cæcitate mentis hominum; qui ſi imprudenter agant, vel temere, iudicando aduerſarium iniuſtè deponere apud Iudicem, vel non eſſe aliud medium euadendi, non id officit veritati noſtræ opinionis, quæ tantum loquitur in caſu, in quo vtrumque certò moraliter conſtet, & quod iniuſtè oppugnetur in iudicio, & quod non ſit alius modus euadendi.

Ad ſecundam negandum eſt, non cenſeri aggreſſorem, aut vim inferre eum, qui falſum teſtimonium dicit in Iudicio: tunc enim apertè vim infert, & dolum contra alterius vitam, adhibendo cauſam ſufficientem ad occiſionem innocentis, cùm poſito illo teſtimonio falſo, & falſa probatione, neceſſariò ſit vel vita, vel fama, & honore, vel bonis ſpoliandus. Sic Doctiſſ. Dicaſtillo.

QVÆSTIO XXVIII.

An item licitè, & ſine incurſione irregularitatis poſſit quis occidere falſum teſtem euntem ad teſtificandum in iudicio aliquod crimen, propter quod ille occidendus ſit, vel infamandus, vel omnibus ſuis bonis priuandus?

NEgant expreſsè Sotus, Cotduba, Tuttianua *ſup. citati*, Salonius *in 2.2.quaſt.64.art.7. controu.1. concluſ.3.* Syluius *ibidem artic.7. quaſit.5.* Malderus *in 2.2. tract.3.cap.1.dub.7.* Bonacina *loc. cit.*& Diana *part.5. tract.4.reſolut.7.* Leſſius, & Rodriguez, Ægidius, & alij penes ipſum, necnon & alij citati *ſupra* pro prima ſententia. Ratio eorum eſt, quia talis teſtis non poteſt dici inuaſor, aut aggreſſor; quia licèt faciat contra ius, falſum deponendo; ſed non contra ordinem iuris, quod erat neceſſum, vt aggreſſor eſſet.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe licitè, & conſequenter ſine incurſione irregularitatis, talem teſtem falſum occidere, ſi aliter aggreſſus defendi ab illo non poſſit: ob rationem eandem, quam ad probandam noſtram ſententiam, quæſt. antecedenti adduximus. Sic Bannez *dub.4. cit. concl.2.* per hæc verba: Similiter dico, quod ſi is, qui vadit ad Iudicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, poterit is, qui iniuriam patitur, occidere illum defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt. Sic ille. Et ſic Caiet. Sanchez, Petrus Nauarra, Molina, Lugo, Eſcobar, & Dicaſtillo *ſuprà* relati. Tannerus *in tom.2. diſp.4. q.8. dub.4.n.83* Reginaldus *lib.21.cap.5.n.5.* & alij penes Dianam. Legatur Lugo *loc.cit.n.114.* vbi ad rationem in contrarium reſpondet multipliciter, & bene.

QVÆSTIO XXIX.

An etiam poſſit quis licitè occidere accuſatorem, vel teſtem, qui bona fide de crimine morte digno illum accuſat, aut falsò teſtificatur.

REſpondeo, vt certum: In hoc euentu, non poſſe licitè, & ſine contractione irregularitatis, talem accuſatorem, vel teſtem occidere, etiamſi non ſit illi alius modus euadendi. Quia accuſator, vel teſtis, in iſto caſu, non amiſit ius ſeruandi propriam vitam, cum non ſit iniuſtus aggreſſor, qui ſolus quatenus talis amittit ius ſeruandi propriam vitam, ita vt priuata auctoritate poſſit vita ſpoliari, quando non vult ceſſare à damno, quod infert. Sic omnes communiter, Bannez, Bonacina, Dicaſtillo *locis citatis*, & alij.

QVÆSTIO XXX.

An licitum ſit cuipiam occidere illum, qui verbalibus iniuriis famam notabiliter lædit, ſi monitus nolit deſiſtere.

NEgant Farinac. *tom.4. q.125. de homicid. tit.14. n.42.* Ayretius *tract.de homicidij neceſſit. part.1. n.93.* Leſſius, Claud. Alexand. Anton. Gomez, Titaquell. Boſſius, & alij, quos citat, & ſequitur Fagundez *lib.5.in Decalog.c.1.n.7. & 9.* vbi id docet, etiam caſu, quo quis detrahat apud Principes, & viros nobilis famæ, & honori alterius, ea intentione, vt è ſeruitio Principis amoueat. Probat Fagundez: Quia vel dictis iniuriis, aut detractionibus iam eſt infamia de facto illata, vel non eſt, ſed inferenda: ſi iam eſt illata, non deletur per mortem infamantis, nec dici poreſt euitatio damni inferendi, ſed vindicta damni illati: ſi non eſt illata, non deſunt vitæ per quas euitari poterit. Vnde iniuſta planè, & illicita erit talis occiſio. Tenet etiam hanc partem Vega *tom.1. Summ.c. 127. caſu 11. col. mihi 1195.* citans Sotum *lib.5.de Iuſt.q.1.art.8.*

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe cuipiam licitum, prædictum iniuriantem, & detrahentem notabiliter famæ alterius, clam occidere, ſi nulla alia viâ talem famæ læſionem euitare queat. Probatur. Quia ſi quis alapa, aut baculo velit honorem, &

famam

famam alicuius viri probi lædere, poterit illum vir iſte probus occidere, ſi aliter ſuam famam defendere non poſſit, vt infra: ergo & ſimiliter poterit occidere illum, qui apud Principes, & viros graues infamat: patet conſequentia, quia parum intereſt, vt ille annis ab occidente honorem, & famam iniuſtè auferat, aut verbis tantum. Et id clarius apparet, ſi loquamur ſimul de defenſione bonorum fortunæ, nempe valoris, gratiæ, atque officij, quod quis apud Principem habet, & iuſtè, & abſque iniuria alterius poſſidet: quia tunc planius conſtat, hunc poſſe ſe, ſuaque liberare morte iniuſti inuaſoris, ſi non ſit alia via. Sic Bannez 2.2.*q.*64.*art.*7.*dub.*4. Petrus Nauarra *lib.*2.*de reſtit.cap.*3.*n.*375.Lugo *diſp.*10. *ſect.*7. *n.*165.*verſ.Tertiò.* Legatur Fagundez *loc.cit.n.*9. vbi hanc ſententiam in praxi etiam eſſe probabilem, tandem cum multis affirmat.

QVÆSTIO XXXI.

An adulter fiat irregularis caſu, quo maritus occidat vxorem propter adulterum?

AFfirmāt Nauarr.*c.*27.*n.*338.Gutierrez *in qq.Can. lib.*1.*c.*6.*n.*42.Sayrus *lib.*6. *Theſauri, c.*17.*n.*19. (non 14.vt leges apud Dianam)*in fine*, vbi ex Nauarro ſic declaratum fuiſſe à Pio V.expreſsè notat. Ioan. de Cruce *p.*2.*Sum.dub.*11.*de Irregul.concl.*4.& alij.

Fundamentum eorum eſt, quod adulter temerè ſe ingerendo, expoſuit adulteram mortis periculo: ergo ſequuta illa, ille irregularis manebit.

Alij abſolutè negant, talem adulterum fieri nunc irregularem; eo quod adulterium, vt ſe tenet ex parte adulteri, non ordinatur per ſe ad occiſionem adulteræ. Sic Auila cum aliis infrà referendis.

Alij tandem media via reſpondent quæſtioni, dicendo, manere quidem irregularem adulterum, ſi temerè, & incautè, & ſine ſufficienti diligentia adhibita, commiſit adulterium: ſecus verò ſi cautè, & conuenienti diligentia. Ita Suarez *de Cenſur diſp.*45. *ſect.*6. *num.*5. Filliucius *tract.*29. *cap.*3. *num.*80. vbi teſtatur de praxi pœnitentiariæ. Cornejo *in* 3. *part. diſp.*3. *de Irregularit.dub.*1.*concl.*1.*n.*4.vbi ex Suario ita ait: Infero ſeptimò idem eſſe dicendum de adultero, cuius occaſione maritus vxorem interfecit, ſi adulter ad eam cum ſufficienti cautela morali acceſſit: quia tunc effectus nullo modo eſt ei voluntarius in caſu (*& ideo non manebit irregularis.*) Secus verò, ſi temerè ad eam acceſſit, exponens illam periculo mortis, quia tunc moraliter eſt cauſa talis homicidij. Ita Cornejo. Has omnes ſententias eſſe probabiles, expreſsè fatetur Diana *p.*4.*de Irregularitate reſol.*1.Sed quam ſequatur, omittit.

Sed ego, licet idem fateat, ſecundam tamen ſententiam abſolutè ſequor. Illam enim docet Auila *part.*7.*diſp.*5. *ſect.*3. *dub.*3. *concl.*2. vbi citat Couar. *part.*2. §.4.*num.*10. Caſtrum *lib.*2.*de lege pœnali, cap.*15. & Aragonium 2.2. *quaſt.*64. *artic.*8. *col.*11. Sic rurſus Petrus Nauárra *de reſtitut. lib.*2. *cap.*3. *num.*363. Megala *de Cenſur.lib.*7.*cap.*2. *quæſt.*5.*num.* 81.vbi ita ait: Tu verò dicas, adulterum non eſſe irregularem, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio caſuali prouenienté ex opere illicito, non ſufficit quælibet cauſa, ſed neceſſariò requiritur, vt alterum ex his interueniat, vel vt opus illud per ſe ſit aptum ad inferendum homicidium, vel vt ſit cauſa immediata illius: ſed adulterium, nec per ſe eſt aptum ad inferendum homicidium, nec eſt cauſa immediata illius: ergo adulter non erit irregularis. Sic Megala: ex cuius verbis ſolutum manet argumentum primæ ſententiæ. Luyſius Turrianus *lib.*9.*de Cenſur.diſp.*63.*dub.*4. Præpoſitus *in.*3.*p.q.*5.*de Irregul.dub.*11.*n.*88.Bonacina *diſp.* 7.*q.*4.*de Irregul.punct.*6.*n.*7.*verſ.Quintò*, vbi pro hac parte Filliucium *loc.*à nobis pro ſententia media *citatis* Sed non ita bene.

QVÆSTIO XXXII.

An ſaltem fiat irregularis adulter, qui inuentus à marito in fragranti delicto, vt ſe tueatur contra ipſum maritum ſe inuadentem, illum occidet, ne ipſe occidatur?

AFfirmant plures Doctores. Eo quòd adulterium eſt de ſe illicitum, & via quædam ad homicidium perpetrandum: ergo præuideri poterant, & debuerant ab occidente huiuſmodi effectus: ergo imputandum eſt illi homicidium ſequutum: ergo propter illud fiet adulter irregularis. Ita tenent Nauar. *cap.* 27. *num.* 218. *&* *cap.* 15. *num.* 7. Qui citat D. Antoninum 3.*part. tit.*5.*cap.*8.§.1. & Caietanum 2.2.*queſt.*64.*art.*8.*in medio.* Sed non ita bene: nam vt notauit Petrus Nauarra *num.*361. Diuus Anton. ibi nil dicit. Et *in tit. de Ira, cap.*8.§.1. loquitur de homicidio caſuali, & non ob iuſtam defenſionem facto. Caietanus etiam ibi aliud longè intendit. Tenent tamen cum Nauarro Molina *tom.*4. *de Iuſt. tract.*3.*diſp.*72. *num.*5. Vgolinus *de Irregularitate, cap.*29.§.3.*num.*3. Maiolus *lib.*5. *cap.*48. Philiarchus *de offic. Sacerdot.part.*1. *lib.*4.*cap.*11.§.3. Gutierrez *Can.qq.lib.*2.*c.*6.*n.*43.Villalobos *tract.* 21. *diff.*24.*n.*4. & alij.

Alij verò è contrà abſolutè negant, in tali euentu adulterum fieri irregularem. Quia etiam in tali euentu poteſt adulter ſe licitè tueri interficiendo maritum illius, cum qua adulterium commiſit, ſi aliter non poſſit ſe liberare. Nam ratio naturalis permittit, vt vnuſquiſque ſe, ſuáque defendat, etiam cum occiſione aggreſſoris, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, vt *ſuprà* eſt habitum: ergo ſi licita eſt talis occiſio, libera profectò erit ab irregularitate, cùm hæc in noſtra doctrina neceſſariò culpam præmittat.

Confirmatur hæc ratio. Nam quamuis adulter cauſam aliquam dederit antecedenter, committendo adulterium, & maritum adulteræ facto ipſo prouocando, tamen iuſtè ſe defendit, & licitè; cùm maritus illum illicitè priuata auctoritate velit occidere: ergo prædictus adulter etſi abſolutè in ordine ad adulterium ſit nocens, tamen in ordine ad hanc defenſionem innocens eſt: ergo & ipſe tanquam innocens ſe iuſtè poteſt defendere cum morte iniuſti inuaſoris. Ita Fagundez *lib* 5. *in Decalog. cap.*4. *num.*7. & penes ipſum Leſſius *lib.*2.*de Iuſtit.cap.*9. *dub.*13.*num.*87. Sayrus *in Claui Regia lib.*7. *cap.*10. *num.*34.Salon 2.2. *quaſt.*64. *art.*7. *controu.*1. *concl.*2. Beia 2. *part. caſu.*21. Petr. Nauarra *lib.*2. *de reſtitut. cap.*3.*num.*361.*&* 362.Mercado *tract.*6.*cap.*4.§. *Que diremos.* Silueſt. *homicidium* 1. *dicto* 3. Cardoſus *in praxi iudic.verb.Irregularitas*, *num.*10. & Ouandus *in* 4. *diſt.*25. *propoſit.*15. *ad finem.* His addi poſſunt Diana *p.*4. *tract.*2. *de Irregul.reſol.*2.citans etiam pro hac parte Sotum *lib.*5.*de Iuſt.q.*1.*art.*9.Sayrum *etiam lib.*6.*Theſauri, cap.*17.*n.*18 *&* 19. Luyſium Turrian. *lib.*9.*de Cenſur.diſp.*65. *dub.*2. Auilam *part.*5. *diſp.*5. *ſect.*3.*dub.*3.*concl.*1.Hurtadum *diſp.*1.*de Irregularit. diſp.*10.*n.*36.Petrum Cornejo *diſp.*4.*de Irregul.dub.*1. *quaſt.*3.Gordonum *tom.*2. *Theolog. moral. lib.*7.*q.*18. Quibus addo Pelliazarium *tom.*2. *tract.*7.*c.*5.*ſect.*4. *q.*35.*n.*222.*verſ.Grauior difficultas eſt.*

Alij

Digitized by Google

Alij tandem, media via incedentes, Reſpondent prædictum adulterum eſſe irregularem, caſu quo anteà potuerit præuidere ex tali occiſione ſe futurum in mortali periculo, aut occumbendi, aut occidendi. Secus verò ſi omnino ſibi perſuaſit, nullum tale periculum hic, & nunc ſubeſſe. Quia in priori caſu homicidium fuit voluntarium in cauſa: ſecus autem in ſecundo. Sic Suarez *diſp.46 ſect.1. num.12.* Ægidius *diſp.18. dub.9.n.64.* Layman *ſect.5. tract.3.c.10.n.1.* Gibalinus *c.4.de Irregul.q.3.conſectar.3.diff.1.*

Sed ego ex his ſententiis ſecundam eligo. Et ideo abſolutè Reſpondeo: Dictum adulterum non manere irregularem, occidendo maritum adulteræ venientem ad ſe occidendum, etiamſi adulter præuiderit periculum. Ratio eſt, quam tradunt Auctores ſecundæ ſententiæ: & confirmant Auila, Hurtad. & alij, ex *Clement. Si furioſus, de homicid.* vbi generaliter, & ſine diſtinctione vlla dicitur, minimè eſſe irregularem illum, qui ſe inuadentem occidit pro defenſione propriæ vitæ, ſi aliter non valeat vitare mortem: ergo, &c. Legantur Leſſius *lib.2. cit.cap.9.dub.1. n.137.* & Diana *part.5. tract.4. reſol.47.* vbi addunt, Adulterum non teneri in dicto caſu ad reſtitutionem, eo quòd ille habuit ius ſe defendendi, & occiſus non habuit ius inuadendi.

QVÆSTIO XXXIII.

An ſi quis occidat iniuſtum inuaſorem, vt vitam ſuam defendat, in caſu, quo ſatis eſſet illum mutilare, aut vulnerare, vt ſe defenderet, fiat irregularis.

AFfirmant Vgolinus *part.2. cap.11. n.4. & 5.* & Couar. *in Clem. Si furioſus, part.3.§.1.n.2. fine,* vbi ex *l.2. C. vnde vi*, & ex *cap. Vt fama, §. vltim. de ſentent. excommun.* & ex *cap. Significaſti, el 2 de homicid.* probat irregularem eſſe, qui moderamen inculpatæ tutelæ in occidendo excedit: at occidens in caſu propoſito, excedit modum in defenſione, vt conſtat: ergo fit irregularis. Et in terminis ad quæſtionem propoſitam reſpondendo, ita ſentiunt Maiolus *lib.5.cap 38. in princip. n.6 verſ ſecunda declaratio.* Et apud ipſum Silueſt. *homic. d.3. q.4.* Barth. de Medina *lib. inſtruct. Confeſſ. c.11.§ 10.* Philiarc. & Viualdus, quos citat, & ſequitur Saytus *lib.6. Theſau. c.17. n.19.*

Negant verò contrà alij, exiſtimantes, minimè fieri irregularem, qui in ſua defenſione excedit modum inculpatæ tutelæ. Ita tenet expreſsè Armilla *verb. Irregularitas, num.41.* vbi in terminis terminantibus, per hæc verba reſpondet noſtræ quæſtioni: Sed ſi potuit euadere ſolum mutilando, & occidit, non fit irregularis, iuxta Cardin. *in d. Clement.* quia quantum ad irregularitatem, homicidium, & mutilatio currunt de pari. Ita Armilla, Tabiena *etiam verb. Irregularitas 2.§.27. ſub fine,* apud Saytum, & Gibalinum.

Sed probabilius, clariuſque Reſpondeo: Eſſe quidem irregularem illum, qui inuadentem in ſe occidit, quem ſatis fuerat vulnerare, aut mutilare, ſi id ex dolo, & propoſito faciat, aduertens ſe excedere moderamen ad ſuam defenſionem ſeruandam: ſecus ſi occidat per accidens, & præter intentionem; quia v.g. errante manu, inculpabiliter occidit, quem vulnerare tantum ad ſui defenſionem voluerat; quia tunc immunis erit ab omni irregularitate, eo quòd immunis ſit ab omni graui culpa. Non verò ſic in primo caſu; quia cum ea occiſio ſit in eo caſu culpabilis, inducit omnino irregularitatem ex homicidij culpa. Sic Henriquez *lib.14. cap.10. num.3. in princip.* vbi *litt.S.* citat Tabienam (quem nunc non potui videre) pro prima ſententia *eod. loco*, ac alij citant pro ſecunda. Gibalinus *cap.4. de Irregularit. quæſt.3. conſectar.3. diff 13.* Farinac. *in praxi crimin. parte 5. quæſt.125. num.48.* Graffis *cap.65. num.13.* Barboſa *in cap. Significaſti, el 2. de homicid. num.18.* Et id ſolum velle Auctores primæ ſententiæ, mihi facilè perſuadet.

Nota id quod Graffius, & ex illo Gibalinus aduertunt, nempe hanc irregularitatem non eſſe ex homicidio voluntario indiſpenſabilem, quia non eſt imponenda ordinaria pœna ei, qui ſe defendendo, iuſtum modum exceſſit, aut qui iuſto dolore concitatus occidit, vt late probat Couaruu. *loco cit.* Legatur Suarez *diſp.46 ſect.1.n.13.* & Diana *p.3. tract.2. reſol.3. in fine.*

QVÆSTIO XXXIV.

An vir nobilis laicus, qui potuit euitare conatum iniuſte inuadentis fugiendo, ſit irregularis, ſi ſiſtendo illum occidat.

AFfirmant plures DD. eo quòd exiſtiment, aut nunquam licitam eſſe eo caſu ad eſſe ſui occiſionem, aut ſaltem coniunctam eſſe illi irregularitatem. Ita docet Saytus *lib 6 Theſ capite 17. num 16.* per hæc verba: Cæterùm communis opinio Doctorum eſt, quod ſi vir nobilis fuga (quamuis minus honorifica) aut clamore poteſt euadere periculum mortis, occidendo inuaſorem euitat peccatum; ſi tamen occidat, aut mutilet, eſt irregularis, quia excuſatur quis tantum ab irregularitate *in Clement. Si furioſus, de homicid.* occidendo, vel mutilando, quando aliter vitam ſuam tueri non poteſt: at verò hic poteſt vitare fugiendo, & non tam agit pro vitæ, quam honoris defenſione: iniqua verò commutatio eſt ob tutelam honoris proprij vitam alterius adimere. Sic Gloſſa *in d. Clement. Si furioſus, in verb. non valens, de homicid* & Gloſſ. *in Summ. 23. q 8 verb. battenus.* Panormit *in cap. Olim, 1. num. 17. de reſtitut. ſpoliat.* & Cardin. *in d. Clement Si furioſus, quæſt. 26.* Alexand. *volum. 5. conſ 111.* quod incipit, *Viſis, & vt oportet conſideratis, & volum. 7. conſil. 119.* Angelus *verb homicid. 3. num. 2.* Silueſt. *homicid. 1 quæſt. 2. §. Sextum, verſ. Quartò*, & citat Petr. Anchatan. *quæſt.9.§. Tertium.* S. Anton. *3. par tit. 29 de Irregularitate, cap. 2. §. homicidium facto* Tabiena *verb. Irregularitas 2.§. vltim.* Nauar. *cap. 27. numer. 218.* Couar. *in Clement. Si furioſus, part. 3. §. vnico, num. 4.* Petr. Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 370.* Graffis *lib.2. cap.55. num 10. & 11.* Aragon *2. 2. quæſt. 64. art. 8. dub. 1 concl. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt 8. punct 4.* Tolet. *lib. 1. cap. 27. verſ. Tutus*, Maiol. *lib 5. cap. 48. in princip. num. 6. verſ. Quartum,* Barthol. de Medina *lib. 1. inſtruct. cap. 11. §. 10.* Henriquez *lib. 14. cap. 10. n. 3.* & Salon *in 2. 2. quæſt 64. artic. 6. controuerſ. 1. concluſ. 3. §. Quarta concluſio.* Huc vſque Saytus. Quibus Auctoribus ſequentes addi poſſunt, Auila *de Cenſur. part. 7. diſp 5. ſect. 3. dub. 2. concluſ. 3.* Reginald. *tom 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 105.* Fernandez *in Examin. Theolog. moral part. 2. cap. 10 § 14. num. 9.* Farinac. *part. 2. fragm. crimin. numero 490.* Vega *en Eſpejo de curas, tom. 2 c. 19. § 26. num. 254.* Villadiego *de Irregularitate, c. 6. num. 75.* Layman. *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 3.* Vgolin. *de Irregularitate, c. 29. n. 3.* Syluius *in 2. 2. q. 64. art. 7 quæritur 9. concl. 1.* quos omnes pro hac parte refert Diana *2. p. tract. 15. & 1. Miſcellan reſol. 16. & part. 4. tract. 2. reſol. 3.*

Sed probabilius Reſpondeo: Neque talem occiſionem

Digitized by Google

ſionem eſſe illicitam, nec propter illam incurrere talem virum nobilem irregularitatem. Probatur *Primò*. Quia quando quis non poteſt fugere ſine graui nota, & amiſſione honoris, non tenetur ad fugiendum: at ſic eſt quod fuga nobilibus viris grauem inurit notam infamiæ, & dedecoris: ergo tales viri non tenentur fugere: ergo licite ſiſtere poſſunt, & occidere ſuum iniuſtum inuaſorem: ergo abſque incurſione irregularitatis, cum hæc in homicidio priuato culpam ſupponat.

Confirmatur hæc ratio. Nam quilibet, non ſolum poteſt, ſed tenetur, & debet ſuum honorem tueri, & conſeruare, & omni lucro præferre, *l. Iulianus, verſ.* 1. *ff. ſi quis omiſſa cauſ. teſt.* ſed tunc vir nobilis verè per fugam amittit: ergo tenetur non fugere, ſed potius ſiſtere: ergo ſi hæc ſiſtentia eſt licita, non eſt vnde illicita reddatur occiſio ſe inuadentis; ergo nec vnde ob illam fiat dictus vir nobilis irregularis. Sic tenet Fagundez *lib. 5. in Decal. c. 7. n. 2.* vbi pro hac parte refert Auctores ſequentes. Suar. *tom. 5. de Cenſ. diſp. 46. ſect. 2. n. 5. & 6.* Sotum *lib. 5. de Iuſtit. q. 1. art* 8. Leſſ. *lib. 2. de Iuſtit. dub. 12. n. 77.* Toletum *lib. 5. Summ. c. 6. Sed duo hic aduertenda ſunt, num. in hi* 25 (vnde malè citatur à Sayro pro oppoſito) Aragonium 2. 2. *q.* 64. *art. 7.* Nauarr. *in Manual. c. 15. n. 3. in fine* (Sed hunc auctorem melius citat Sayrus pro oppoſita parte, *c. 17. n.* 211. Nam loco citato à Fagundez, ſolùm dicit, quod vir nobilis non teneatur fugere: in loco verò à Sayro *cit.* quod licèt non teneatur fugere ad vitandum peccatum, bene tamen ad vitandam irregularitatem, quia hæc in ſua opinione ſine culpa incurri poteſt.) Bartol. *in l. vt vim, ff. de Iuſt. & iure, n.* 10. Anton. Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 23.* Graffium *lib. 2. c. 65. n. 12.* Ceuallos *q.* 551. Filliuc. *tract. 20. c. 5. n. 134.* Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 6. n. 4.* Ægidium *diſp. 13. dub. 9. n.* 90. Anton. Dianam *2. p. tract. 1. Miſcell. reſol.* 16 Iul. Clar. Syluest. Socin. Butr. & alios plures Iuriſperitos, ex quibus multi citantur à Sayro pro ſua ſententia. His ego addo Dianam iterum *p. 4. tract. 2. de Irregul. reſol.* 3. Luyſium *de cenſur. lib. 9. diſp. 65. dub.* 1. Hurtad. *de Irregular. diſp. 2. diff. 10. n.* 36. Præpoſitum *in 3. p. q. 5. de Irregul. dub. 51. num.* 87. Tannerum *in 3. p. diſp. 6. q. 10. dub. 11. n.* 210. Petrom Cornejo *in 3. p. diſp. 4. de Irregul. dub. 1. q. 4.* Barboſam, *ad cap. Interfeciſti, el 2. de homicid. n.* 5. Gibalinum *cap. 4. q. 3. conſect. 3. diffic. 15. pag.* 231. Palaum *diſp. 6. puncto* 15 § 8. *n.* 5. vbi citat Couarruuiam pro hac parte, eodem loco, quo citauit, & melius, Sayrus pro oppoſita, nam illam vt veriorem expreſsè docet his verbis: Nam quoad irregularitatem mihi verius videtur, quod & laicus, cui ignominioſum eſſet fugere, homicidij culpam aliquam habeat, quæ etſi grauis non ſit ratione honoris, nihilominus culpa eſt, quæ quoad irregularitatem ſufficit. Hæc ille. Cardinalis de Lugo *de Iuſtitia tom. 1. diſp. 10. ſect. 8. n.* 166. & alij.

Nec obeſt fundamentum contrariorum. Nam licèt in d. Clem. non excipiatur occidens inuaſorem, qui non poteſt abſque ignominia mortem vitare, excipitur tamen in communi regula, quæ ſolum homicidio illicito, & iniuſto hanc irregularitatem imponit. Deinde quia ob ſimilitudinem rationis hæc exceptio honoris admittenda eſt, ſicuti admittitur exceptio de ebrio, etiamſi Clement. ſolum furioſum excipiat. Sic Palaus.

QVÆSTIO XXXV.

An etiam milites ſint ab irregularitate immunes, occidendo iniuſtum inuaſorem, quando fugiendo poſſent ab inuaſore liberari.

NEgant ob idem fundamentum, auctores primæ ſententiæ, & fortiori ratione, caſu quo milites ignobilis conditionis ſint. Ita ſentiunt cum illis Nauar. *2. p. examin. c. 10. §. 14. n. 9. Dicto* 2.

Sed probabilius Reſpondeo: Immunes etiam eſſe ab irregularitate, quia etiam immunes à culpa, ſaltem graui, ſine qua in noſtra doctrina irregularitas homicidij priuati non incurritur. Ratio eſt, quia omnibus militibus, etiam infimæ conditionis, infamia eſt fuga, cum ratione officij militiam profiteantur, & arma tractent, at nemo tenetur ſe infamare, vt iniuſtum ſui inuaſorem euadat: ergo. Sic docent auctores pro noſtra ſententia nuper adducti, inter quos lege Fagundez *c. 7. n. 3.* Farinac. *tom. 4. q. 125. tit. 14. n.* 127. Bartol. *in l. vt vim, cit. n.* 10. Barboſam, & alios.

QVÆSTIO XXXVI.

An deinde Nobiles, & Milites ſint liberi ab irregularitate, ſi occidant ſuum iniuſtum inuaſorem in loco deſerto, & ſolitario, quando fugiendo poſſent mortem euadere, ſine nota hominum, eo quòd ibi nullus inueniatur.

NEgant, maiori fundamento, Authores primæ ſententiæ *q.* 34. Quia in hoc euentu non eſt illis fuga ignominioſa, aut infamis, cum à nemine videantur: ergo. Ita inter alios videtur ſentire Anton. Gomez *tom 3. variar. c. 3. n. 23.* quatenus docet, quod quando aggreſſus poteſt ſecurè, & ſine aliquo periculo ſalutis, & honoris fugere, vt de longè viderit inimicum, & aggreſſorem ſuum, vel propè, & diſſimulando, poteſt domum, vel locum tutum intrare, & rixam ſine dedecore vitare, vel ſi fortè erat vilis perſona, in qua non eſſet conſiderabile periculū honoris, tunc teneatur fugere, quia ſibi non noceret, & alteri tertio aggreſſori, & etiam Reipublicæ prodeſſet Ita Gomez.

Sed adhuc probabiliter Reſpondeo: Etiam in hoc caſu manere dictos Nobiles, & Milites ab irregularitate liberos, quia etiam manēt à culpa. Ratio eſt, quia neque in eo loco deſerto tenentur fugere, nam per accidens eſt, quod locus ſit deſertus, & quod à nemine videri poſſint; ſufficit enim quod de ſe, & natura ſua fuga Nobilibus, ac Militibus ignominiæ vertatur. Et deinde, quod talis fuga poſſet diffundi inter alios per aggreſſorem, ſi incolumis euaderet. Sic tenet Farinac. nuper citatus, quem ſequitur Fagundez loco allegato *n.* 4. addens, & benè, ſic etiam ſentire debere omnes, qui dicunt, nullum inuaſum, etiam plebeium, & vilem, teneri fugere, ob aliam rationem inferius aſſignandam. Sit ergo pro his perſonis

QVÆSTIO XXXVII.

An item plebeÿ, ignobiles, & mechanici ſint ab irregularitate alieni, ſi ſuum iniuſtum aggreſſorem occidant, caſu quo fugiendo poſſent mortem euadere.

NEgant omnes Doctores nuper pro primis ſententiis adducti, & vltra illos, alij pro ſecundis.

Ratio

Ratio omnium eſt vna. Quia fuga huiuſmodi hominibus nec in infamiam, aut ignominiam cedit: ergo fugere tenentur, cùm ſibi nil noceant, & aggreſſori proſint, & Reipublicæ: ergo ſi id non faciant, ſed ſiſtendo occidant, & culpam admittent, & irregularitatem. Sic Nauar. *cap.* 15. *num.* 1. Gomez *loc. cit.* Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 1. *num.* 5. Sotus *lib.* 5. *de Iuſt.* *q.* 1. *art.* 8. Toletus *lib.* 5. *Sum cap.* 6. *n.* 25. *§. Secundus caſus, & §. Sed duo hic aduertenda ſunt.* Aragon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *§. Hoc tamen non obſtante.* Leſſius *lib* 2. *de Iuſt. dub.* 12. *n* 77. Saytus *n.* 16. & 17. Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 8. *n.* 266. Ægid. *diſp.* 18. *dub.* 9. *in fine*, Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. *§.* 8. *n.* 5. Diana *loc. cit.* Gibalin. *c.* 4. *quæſt.* 3. *conſectar.* 3. *diff.* 15. quamuis in fine in oppoſitum declinet. Legatur etiam rurſus Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 49.

Alij verò contrà docent, etiam dictas perſonas eſſe ab irregularitate alienas, quia nec ipſæ tenentur fugere in dicto caſu. Sic docent plures Doctores infra à nobis citandi. Sed vt certa ab incertis ſeparemus,

Reſpondeo dicendum *Primò*: Certum eſſe, dictos homines liberos eſſe à culpa, & irregularitate, ſi fugam non capiant, ſed aggreſſores ſiſtendo occidant, ne ab eis occidantur, quando aliquod periculum ex fuga eis ſequi poſſit, v.g. eſt aliquis etiam vilis homo propè inſultantem, & conantem eum occidere, tunc certè non tenebitur iſte fugam capere, quia terga vertendo, facilè poteſt ab inuaſore occidi, vel gladio, vel ſclopeta, ſi his armis veſtitus ſit. Rurſus nec tenetur vilis perſona fugere, quando poteſt citò comprehendi, eo quòd aggreſſor eſt velocior curſu, & perſona inuaſa homo pinguis, claudus, debilis, vel aliter ad fugiendum ineptus; quia tunc facilè ab aggreſſore percuti, vel occidi poſſet. In hac reſponſione conueniunt, niſi fallor, omnes Doctores, vt ait Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. c.* 7. *n.* 7. 8. & præcipuè Abbas, Anan. Bellam. Gloſſa, Ancharan. Zabarell. Imola, Gomez, Maſcard. Graffis, & Felin. Quibus ego addo Gibalinum *loco citato*, & Saytum *lib.* 6. *Theſauri, capit.* 15. *numer.* 16. *in fine*, vbi ita ait: Hoc autem intelligendum eſt quando nullum ſequeretur periculum ex fuga: quia ſi fugere poſſit, ſed fugienti periculum imminere poſſet, puta caſuræ, vel velocioris curſus inimici inſequentis, qui audacior factus ob fugam, poteſt fugientem à tergo vulnerare, & ad terram deiicere, & occidere, tunc non fugiens propter prædicta, nec aliter euadere potens, ſi occidat, irregularis non erit. Imò verò ſi dum conſiderat, poſſitne fugere, vel clamare, videat ſe exponi graui periculo, inuaſore illum opprimente, non eſt quod in his conſiderandis ſe occupet, ſed inuaſorem licitè occidere poteſt, quia ſemper eſt melior ratio patientis iniuriam. Sic ille, Lugo, & alij *ſuprà citati.*

Reſpondeo *Secundò*, etiam abſolutè, & ſine vlla diſtinctione loquendo, probabilius eſſe, dictos homines plebeios, ac viles, minimè teneri ad fugam; ſed poſſe ſiſtere; & ſi aliter non poſſint mortem vitare, aggreſſorem licitè, & ſine irregularitatis incurſione occidere.

Probatur *Primò*: quia omni generi perſonarum, ſiue nobilium, ſiue ignobilium, eſt infamis fuga: ergo omnes tenentur illam vitare: ſic optimè docuit Bart *in l.* 1. *C. vnde vi, col.* 2. his verbis: Mihi videtur in diſtinctè dicendum, quem non debere fugere Nam aliquem fugatum eſſe, eſt iniuria, *vt l. Item apud, ff. de Iure*: ergo pro pulſanda iſta iniuria licet reſiſtere. Sic ille.

Secundò. Quia non eſt dubium, quin propter fugam inſultati inſultans efficitur animoſior: ergo inſultatus minimè tenebitur fugere, etiamſi ei non ſit dedecori fuga: patet conſequentia, quia aliàs teneretur dare arma ſuo inuaſori contra ſeipſum; ſiquidem per fugam adderet illi audaciam, & animum contra ſeipſum, quod eſt idem ac dare illi arma: ergo planè ſequitur, quod nullus, etiam ignobilis, tenetur fugere.

Tertiò. Quia fugiendo quis, moraliter loquendo, ſemper ſe exponit alicui periculo ex recenſitis in prima reſponſione, quo occurrente, nullus vult teneri quem, etiam vilem, ad fugam: ergo. Sic docent poſt Bart. Bald. *in l. vim, ff. de Iuſtit. & iur. n.* 29. Iaſon *n.* 38. Claud. *n.* 66. *in lectura Mantuan. n.* 31. Bologn. *n.* 38. Abbas *in cap Suſcepimus, de homicid. n.* 4. Ananias *n.* 7. Felin. *n.* 2. Carrer. *in pract. tract. de homicid. & aſſaſſin. § Circa quartum. n.* 10. Maſcard. *de probat. lib.* 4. *concluſ.* 1126. *n.* 13 vbi aſſerit, hanc opinionem eſſe communi omnium ſenſu approbatam, & *n.* 18. 19. & 20. Iacob. Ayret. *tract. de homicidij neceſſit.* 1. *p. n.* 21. & 31. vbi dicit, hanc opinionem eſſe magis communem ſententiam, in foro fori frequentiorem, & rationi naturali magis conſentaneam. Sic etiam Fabric. Cepol. Iul. Clarus, Imola, & alij, quos refert Fagundez *loco cit. num* 6. dicens, hanc opinionem eſſe æquè probabilem abſolutè; & probabiliorem, cum quibuſdam limitationibus à nobis in prima reſponſione huius quæſt. adductis.

QVÆSTIO XXXVIII.

An denique Clericus, vel Religioſus liber maneat ab irregularitate, ſi pro ſe tuendo occidat ſuum iniuſtum inuaſorem, quando ſuam vitam fugiendo tueri poſſet.

NEgant communiter Doctores, docentes teneri dictas perſonas Eccleſiaſticas fugam capere, ſi ſic poſſunt ſuum euadere inuaſorem: aliàs manere occidendo illum irregulares. Ratio eſt. Quia ſi illicita eſſet eis fuga, maximè foret, quia eis eſſet indecora, infamis, & ignominioſa: at non ſic eis accidit: ergo. Minor probatur, quia perſonæ Eccleſiaſticæ verè, ratione ſui officij, profiteri debent humilitatem, modeſtiam, manſuetudinem, & contemptum mundi: ergo eis fuga non dedecori, ſed honori; non ignominiæ, ſed gloriæ vertenda eſt, tantum abeſt vt ob eam rem paruipendantur, vt potius magni æſtimentur. Ita Panormitan. *in cap. Suſcepimus, de homicid num.* 4 vbi ait, Clericum in dicto caſu irregularem eſſe, & homicidam, quia exceſſit Eccleſiaſticam manſuetudinem, volendo potius proximum occidere, quàm fugam capere. Suarez *diſp.* 46. *de Cenſur. ſect.* 1. *n.* 5. & 6. Sotus *lib.* 5. *de Iuſtit quæſt.* 5. *art.* 8. *circa finem corp.* Aragon 2. 2. *quæſt.* 64. *art* 6 *col.* 13. Auila *p.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 2. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 9. *in fine*, & Gaſp. Hurtad. *de irregularit. diſp.* 2. *diff* 10. *num.* 37. quos omnes citat, & ſequitur Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. *§.* 8. *num* 5. dicens, id eſſe aſque dubio verum. His addi poſſunt Moure *loco citato, num.* 9 & apud Saytum (qui illos cum quibuſdam limitationibus ſequitur) Cardin. *in Clem. Si furioſus, q.* 25. & 26. & ibi Couarr. *part* 3. *§. vnico, num.* 4. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *num* 189. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *punct.* 4. & alij Leſſius etiam *lib.* 2. *de Iuſt. dub.* 12. *num.* 77. & 93. Toletus *lib* 5. *cap.* 6. *§ Duo hic*, Villalobos *tom.* 1. *tract.* 21. *diff.* 24. *numer.* 3. vbi ita abſolutè loquitur: *Lo ſecundo ſe collige, que el Clerigo que puede euitar la muerte con huir, ſi matà al otro, queda irregular: porque en el Clerigo no es afrenta el huir, y lo dize vna gloſſa*, in d. Clem. *comunmente recebida, y lo miſmo ſe ha de dezir por mas fuerte razõ del Religioſo:*

lo miſmo es quando fueſſe un hombre baſto, que no pierde honrra en huir. Ita Villalobos. Legantur Lugo *tom.* 1. *de Iuſtit. diſputatione* 10. *ſect.* 8. *numer.* 170. *& diſp.* 11. *ſect.* 2. *num.* 55. Dicaſtillo, & Trullench apud Dianam *parte* 8. *tract.* 7. *reſol.* 49. Pellizzarius *quæſt.* 51. *n.* 230.

Sed clarius, & diſtinctius Reſpondeo, vt quid certum, *Primò*: manere liberum ab irregularitate Eccleſiaſticum, qui occideret ſuum inuaſorem, etiamſi fugiendo illum poſſet euadere; dummodo talis fuga eſſet illi periculoſa, vt communiter eſſe ſolet. Hæc reſponſio eſt contra illos qui indiſtinctè, & abſolutè pronunciant, eſſe irregulares. Sed illam conuincet ratio à nobis facta pro prima reſponſione *quæſtione* 37. probanda. Quæ ſanè eandem vim habet, loquendo de perſonis Eccleſiaſticis, vt fatetur Saytus *numero* 47. *citat.* per hæc verba: Hoc tamen quod de Clericis diximus, intelligendum eſt, ſi fuga aliàs non ſit periculoſa. Si enim fuga illa induceret periculum mortis propriæ, vel ex eo, quod inimici aſtarent à tergo; vel quia ipſe aggreſſor faciliùs fugientem ſecutus, & ex fuga maiorem audaciam, & animum caperet, & eum occideret, hoc caſu irregularis non eſſet, ſi omiſſa fuga, inuadentem occideret, ex Felino *in cap. Suſcepimus, de homicid.* Cardin. *in dict. quæſt.* 26. Sylueſt. *verb. homicidium* 1 *quæſtione* 9. *verſ. Tertium, & homicidium* 3. *quæſtione* 4 *verſ. Secundum.* Hyppolit. *conſil.* 25. *numero* 44. & Couarr. *in dict. Clement. Si furioſus, part.* 3. *§. vnico, num.* 4. & alij citati. Imò Panormitan. *in dict. cap.* 2. *num.* 3. *de vita, & honeſt. Clericor.* & Ioan. de Lignan. *in tractatu de Iuſto bello*, & Henriquez *libro* 14. *capite* 10. *§.* 4 *in annot. litter. M.* docent quod ſi Clericus celebrans inuadatur, iuſtè dimittit celebrationem, & ſi defendendo ſe occidit inuaſorem, poteſt incontinenti redire ad Altare, & Miſſam perficere. Et idem docet Silueſt. *verb. Bellum* 2. *numero* 5. *quæſtione* 3. & Iacob. de Graffis *lib.* 2. *capite* 65. *numero* 9. Hucvſque Saytus. Qui tamen licèt bene citet Henriquez pro hac parte, non tamen locum vbi id doceat, nam non *litt. M.* neque *N.* vt citat Gibalinus: ſed *litt. H.* id aſſerit ex Villadiego, & Abbate. Tenent etiam hanc partem Lugo *ſect.* 8. *cit. numer.* 166. Fagundez *cap.* 7. *n.* 10. & 11. Gibalinus *cap.* 4. *quæſt.* 3. *conſectar.* 3. *diff.* 15. & ni fallor, omnes communiter.

Reſpondeo *Secundò*, etiam vt mihi certum, quod etiam maneret liber ab Irregularitate Eccleſiaſticus, ſiue Clericus, ſiue Religioſus, qui occideret iniuſtum inuaſorem, eum tamen fugere poſſet, ſi fuga illa eſſet ignominioſa Eccleſiaſtico ſtatui, aut toti Religioni. Quia certum videtur, quod cum gravi iactura, & infamia totius Religionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, non teneantur Religioſus, aut Clericus fugere: nec occidendo inuaſorem, tunc ſiſtendo, irregulares fient: quia præponderandum eſt in hoc caſu commune bonum Religionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, occiſioni cuiuſcumque hominis priuati. Hanc reſponſionem docet contra Couarr. Viualdus *de Irregularitate, num. mihi* 221. *pag.* 232. qui eam latè probat. Eandem ex illo docet Saytus *lib.* 6. *Theſaur. cap.* 17. *num.* 17. *verſ. Addit autem Alphonſ.* Viualdus & Gibalinus *loc. cit.* Lugo *n.* 167. & alij mox citandi.

Reſpondeo *Tertiò*, vt probabilius quid, quod etiam maneat immunis ab irregularitate Clericus, vel Religioſus, qui occideret iniuſtum inuaſorem, cum tamen fugere poſſet, etiam caſu, quo per fugam illam tantum inferret dedecus, & ignominiam ſuæ propriæ, atque particulari perſonæ, & famæ.

Hæc reſponſio eſt contra Viualdum, & Saytum, imò & contra Couarruuiam, & communem, vt conſtat ex Doctoribus citatis pro prima ſententia. Sed facilè probatur ex ratione prima facta ad probandam ſecundam reſponſionem, *q.* 37. Quia regula ibi tradita formaliter eſt vera, Neminem videlicet, quicumque ille ſit, teneri fugere, quando abſque graui infamia, aut damno fugere non poteſt, vndecumque illud proueniat: ergo ſi ex fuga, quam capit Clericus, vel Religioſus, aliqua infamia, aut ignominia illi, etiam vt particulari perſonæ accidat aut proueniat, non tenebitur illam arripere, ſed vitare. Sic Felinus *in cap. Suſcepimus, de homicid.* quem citat, & ſequitur Fillinc. *tract.* 20. *cap.* 5. *num.* 133. vbi ita ait: Dixi, *regulariter*: quia ſi in aliquo caſu, etiam Clerico fuga eſſet ignominioſa, cenſerem cum communi Iuriſtarum, quam refert Felin. (*cap. cit.*) non incurri irregularitatem, quamuis Iuriſtæ abſolutè teneant, etiamſi quis abſque infamia poſſit fugere, non teneri, ideoque non incurrere ſi occidat. Sic Filliucius, quem ſequuntur Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 3. *verſ. Nota tamen*, & Lugo *de Iuſtit. tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 8. *num.* 167. Sic etiam Gibalinus *loc. cit.* ita dicens: Si tamen aliquando contingeret, eiuſmodi fugam eſſe periculoſam, aut etiam infamem vel ipſi, vel toti ſtatui Eccleſiaſtico, vel Religioni; quia verbi gratia, deprehenſus in aliquo facinore occulto, ſi tunc fugiat, crimen ſuum prodet cum maxima bonorum omnium offenſione, & dedecore totius Ordinis Eccleſiaſtici, aut Religionis, tenebitur non fugere, & niſi aliter conſulere poſſit ſuæ vitæ, aut famæ, occidere iniuſtum aggreſſorem. Ita ille, citans Viualdum, & Saytum: ſed non omni ex parte bene.

Reſpondeo tandem *quartò*, æquè probabiliter dicendo, quod regulariter, imò abſolutè loquendo, nullo modo teneantur Clerici, vel religioſi fugere, ad euitandum conatum iniuſtè inuadentis, ſed poſſint ſiſtere, & ſi aliter non poſſunt tueri ſuam vitam, occidere ſuum inuaſorem, abſque vlla culpa, & incurſione irregularitatis. Ratio eſt, quia, regulariter loquendo, nulla poteſt dari in eis fuga, quæ vel non ſit eis indecora, & infamis: aut ſaltem periculoſa, & damnoſa, vt conſtat ex dictis *reſponſ.* 2. *quæſt.* 37. Sic tenet communis Iuriſt. apud Filliucium, vt vidimus: Et debent illam patrocinari Auctores à nobis ibi citati. Nec per hoc volumus, hanc ſententiam conſulendam eſſe ante factum, ſed primam, vtpote conformiorem conſiliis Euangelicis, & Patribus: ſed quod poſt factum, vt mitior amplectatur.

QVÆSTIO XXXIX.

An ſi aggreſſor ante, vel poſt vulnus illatum, cadat in terram, poſsit aggreſſus, abſque nota irregularitatis, ibi eum offendere, & occidere?

AFfirmat Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 24. Quia fortè, ſi poſtea ſurgeret, offenderet, & occideret ipſum aggreſſum, qui ei miſericorditer pepercit, vt perſæpè contigit.

Sed clariùs Reſpondeo dicendum: Non poſſe illum tunc occidere abſque nota irregularitatis, ſi aliàs commodè poſſit aggreſſus ipſe aggreſſorem debilitare viribus, vel auferendo arma, aut ita vulnerando, quod etiamſi poſtea ſurgeret, non valeret eum offendere, aut occidere: quia ad id tenetur ſi facilè poteſt, vt conſtat ex dictis *ſupra quæſt.* 33. ſecus verò ſi id difficile illi ſit ob rationem Antonij, quæ ſolum id conuincit.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO XL.

An etiam poſſit quilibet, non ſolùm defendere vitam ſuam, ſed etiam vitam patris, vel filij, vel vxoris, aut alterius conſanguinei, vſque ad occiſionem iniuſti aggreſſoris, abſque incurſu irregularitatis.

NEgant quamplures DD. exiſtimantes, eſſe irregularem. Quia *in Clem. Si furioſus, de homicid.* ab irregularitate ſolum excipitur, qui occidit alium ad vitæ propriæ defenſionem, quando aliter mortem propriam vitare non valet, niſi occidendo inuaſorem: ergo occidendo alium, ad defenſionem etiam Patris, aut alterius conſanguinei, fiet irregularis. Ita tenent apud Couar. Gloſſ. *in d. Clem. verb. Suum,* & ibi Cardin. *q* 28. dicens eam ſingularem. Abbas, Aufret Paul. Caſtr. Iaſon, Socin. & Gonzal. à Villadieg. Ita etiam apud Sayr. Nauar. *in Man. c. 27. n. 213. verſ. Quartò,* Maiol. *lib. 5. de Irregular. c. 48. in princip. num. 9. verſ. Quinta declaratio.* Medina *lib. 1. inſtruct. Confeſſ. cap. 11. §. 10.* Toletus *lib. 1 Summ. cap. 27. verb. Tutus, & lib. 5. cap. 6. num.* 13 Henriquez *lib. 14. cap. 11. §. 2. verſ. Secundò.* Sum. Angelica, Roſſella, Tabiena, Martin. de Ledeſma, D. Anton. Syluester, & alij. Quorum ſententiam dicit ipſemet Sayrus, eſſe communem, tutiorem, & in praxi conſulendam, & ſequendam; licèt contrariam etiam valde probabilem appellet. His adhuc Auctoribus addo ego Auilam *part. 7. diſp. 5. ſect. 3. dubio 4. verſ. Denique,* & Gibalinus addit Laymannum *lib. 3. tract. 3. c. 9. n. 3.* Sed malè; nam hic Auctor ibi nil ad rem dicit, & oppoſitum *vbi infra* quæſt. ſequenti, docet.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe profectò licitè, & abſque irregularitatis periculo. *Primò*, quia pater, & filius reputantur pro vna & eadem perſona, *l. fin. C. de impuberib.* & vir, & vxor dicuntur vna caro. *Secundò*, quia vt ſtatim videbimus, licitum eſt cuipiam ob defenſionem vitæ cuiuſque proximi extranei aggreſſorem iniuſtum occidere: ergo multò magis licebit ob defenſionem vitæ patris, matris, filij, fratris, vxoris, & alterius conſanguinei, vel affinis, imò & amici. Sic Couar. *in d. Clem. Si furioſus, p. 3. §. vnic. n. 5.* & penes illum aliqui Canoniſtæ. Et fauet ſatis Henriq. *loc. cit.* pro parte contraria, *verſ. Tertiò,* quatenus docet, quod ille, qui vrgente præcepto Rempublicam, aut Principem defendens, occidit priuata auctoritate inuaſorem, dum aliter defendere non valebat, non fit irregularis, & fortaſsè, qui ſimili obligatione defendit parentem, vxorem, aut filium, quia hi reputantur vnà perſona cum defendente. Hæc Henriq. Cuius ſententiam, ſine dubio docebunt auctores iam citandi. Præcipuè Fagund. & Gibal.

QVÆSTIO XLI.

An ſimiliter poſſit quis defendere vitam proximi extranei vſque ad occiſionem iniuſti inuaſoris, ſine vlla culpa, & irregularitate, quando aliter illam defendere non poteſt.

NEgant, & à fortiori, ob rationem ab illis datam, Auctores omnes primæ ſententiæ quæſt. præcedentis, & alij apud Dian. *vbi infrà.*

Sed probabilius adhuc Reſpondeo: Poſſe etiam. Quia licitum eſt aliis facere, quod quiſque pro ſe ipſo poteſt, at ſic eſt, quod quiſquis Innocens poteſt ſe defendendo occidere ſuum iniuſtum aggreſſorem: ergo & poterit proximus cum ipſo ad talem licitam rem cooperari, adiuuaréque ipſum. *Confirmatur*, quia

vnuſquiſque poteſt ſuſcipere pa[...] innocentis proximi: at quilibet iniuſtè inuaſus, eſt innocens, & ſemper talis cenſetur: ergo licitè poterit quis illum defendere: ergo ſi eius defenſio eſt licita, immunis erit talis actio ab omni irregularitate; nam hæc, ob priuatum homicidium, culpam, & grauem requirit. Sic optimè Couar. *loc. cit.* Maior, Iul. Clarus, Bartol. Decius, Alciat. Farinac. Bald. Fulgoſ. & alij Canoniſtæ, quos citat, & ſequitur Fagund. *lib. 5. in Decal. c. 4. n. 1.* S. Anton. 6 *p. tit. 4. c. 3. §. 2.* Faber *tit. Inſtit. de Iure natur. Gent. & Ciuili, §. Ius autem.* Molin. *tom. 4. tr. 3. diſp. 18.* Suar. *diſp. 46. ſect. 3* Petr. Nauar. *lib. 2. c. 3. n* 419. Gom. *tom. 3. var. c. 3. n. 21.* Leſſ. *lib. 2. c 9 dub. 13.* Ægid. *diſp. 18. n. 88.* Filliuc. *tr. 20. n. 106.* Reginald. *tom. 2 lib. 2. c. 5. n. 60.* Bonac. *q 4. de Irregul. punct. 6. n. 11.* Sà *verb. Irregularitas ex homicid n. 2.* Luyſius *lib. 9. de cenſur diſp. 65. dub. 4.* Tanner. 3 *p. diſp 6. q. 10. dub. 11. n. 210.* Villalob. *tract. 21.* (non 21. vt offendi apud Gibal.) *diff. 24. num vlt.* Malder. *in 2. 2. tract. 3. c. 1, dub. 5.* Axor. *tom. 3. lib. 2 c. 1. q. 21.* Diana *p. 4 tract. 3. reſol. 5. & p. 5. tract. 4. reſol.* 19 Gibalin. *c. 4. de Irregul q. 3. conſectar. 3. diff. 8.* Layman *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 3. num. 5. Aſſert. 4. pag. mihi* 121. Cardin. de Lug. *tom. 1 de Iuſt. diſp. 10. ſect. 11. n. 201. & 215.* Dicaſtill. *tom. 1. de Iuſtit. lib. 2. tractat. 1. diſp. 10. dub. 8. n. 81* Gaſp. Hurtad. *de Irregularit. diſp. 2. diff. 10.* Palaus *de Cenſur. diſp 6. punct. 15 §. 8. num. 9.* Barboſa *in c. Interfeciſti 2. de homicid. n. 6.* & alij addentes, non ſolum poſſe, verum etiam teneri ſub peccato mortali defendere vitam proximi volentis hanc defenſionem, & ea indigentis, ſi commodè, & abſque notabili damno potuerit.

Ad Fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ benè reſpondet Bonacina, Clementinam illam intelligendam eſſe de occidente alterum voluntariè, & cum peccato mortali, quod, vt vidimus, minimè accidit in noſtro caſu, cum potius peccatum committeret, ſi non occideret: Legatur ipſe, & Suar. *loc. cit. n. 5.*

QVÆSTIO XLII.

An vt quis teneatur defenedre proximum iniuſtè aggreſſum, neceſſum ſit, vt hic clamet.

AFfirmant aliqui Doctores, quos refert Barboſa *vbi infra,*

Sed probabilius longè Reſpondeo: Non eſſe neceſſum expectare, vt iniuſtè aggreſſus clamet, vt proximus teneatur illum ab aggreſſore defendere; tenetur enim ad id, etiamſi non clamet: quia ad hoc ſatis eſt, vt hæc defenſio, aut cura proximi nobis à Deo mandata ſit, iuxta illud *Eccleſiaſt. 17. vnicuique mandauit Dominus de proximo ſuo.* Sic Gomez *tom. 3. variar. c. 3. n. 22.* vbi omnia, quæ nuper à nobis dicta ſunt, hiſce verbis comprehendit: Quilibet conſanguineus, vel extraneus poteſt ſine irregularitatis metu occidere illum, qui aggreditur cauſa occidendi conſanguineum ſibi, vel penitus extraneum: modo hic qui erat offendendus, clamet, vel petat auxilium, modo non. Sic text. *in l. Cornelia, ff. de Iniuriis, in l. 2. & 3. ff. de lib. cau. text. in l. ſi quis in ſeruitute, ff. de furtis,* vbi diſponitur, quod pro defenſione rerum, & bonorum poteſt quis alium defendere, & iuuare: ergo à fortiori pro defenſione perſonæ. Sic ille. Et Barboſa *ad cap. Sicut dignum, de homicid. n.* 26 Farinac. *in praxi crimin. q. 124. n. 270.*

Qvæstio XLIII.

An etiã poſſit quis, abſque irregularitate, iniuſtè aggreſſorem proximi interficere, in abſentia eiuſdem, quando id eſt neceſſarium ad eius defenſionem.

NEgabunt à fortiori, qui defendunt neceſſarium eſſe, vt proximus iniuſtè aggreſſus clamet.

Sed probabilius Reſpondeo, Poſſe etiam. Quia id ipſum velle præſumitur. Sic Molin. *tom. 4. tract. 3. diſp.* 18. *n.* 1. quem citat bene, & ſequitur Cardinal. Lugo *diſp. 6. ſect.* 11. *n.* 207. vbi ita ait: Ampliatur primò hæc doctrina, vt id liceat in præſentia Innocentis, atque etiam in eius abſentia. Ita Molina *vbi ſupra*, v.g. ſi eo abſente facultates eius iniuſtè diripiantur, vel ſi venenum ei præparetur, quod aliter impediri non poteſt, niſi occidendo inuaſorem. Hæc ille.

Qvæstio XLIV.

An item interficere quis iniuſtum aggreſſorem proximi poſſit, etiamſi hic defendi nolit.

NEgabunt, longè maiori ratione, Auctores ſupra-dicti.

Sed probabilius Reſpondeo adhuc Poſſe. *Primò.* Quia cum inuaſus non ſit dominus vitæ ſuæ, non poteſt eam alteri donare, nec poteſt tollere obligationem, quam quis habet ad illum defendendum. *Secundò*, quia tale proximi damnum aliquo modo ad me pertinet, cum ſit damnum eius, qui charitatis nexu, & coniunctione naturæ mihi coniungitur. Sic Leſſ. quem citat, & ſequitur Lugo *loc. cit.* & largiùs, & cum aliquibus exceptionibus Bonac. *diſp. 3. de reſtit. quæſt. vlt. ſect. 1. punct.* 11. *num.* 8. Legatur.

Qvæstio XLV.

An denique poſſit quis defendere proximum, etiam non Chriſtianum, iniuſtè aggreſſum, vſque ad interfectionem aggreſſoris.

REſpondeo iuxta dicta, quod non ſolùm poſſit, ſed & quod teneatur; nec ob hoc incurret irregularitatem. Ratio ſit ſecunda, quam nuper dedit Lugo quæſt. antecedenti. Et tenent ſic Barboſa *ad cap. Sicut dignum, de homicid. n.* 28. Bonac. *in praxi crimin. p.* 5. *q.* 125. Fulgoſ. *in l. vim, ſub n.* 4. Iaſon *n.* 29. Carter. *in pract. crim. tract. de homicid. n.* 45. & alij.

DISPVTATIO XIII.

De Irregularitate ex homicidio facto pro defenſione, tam rerum ſuarum, quàm proximorum.

Qvæstio Prima

An licitum ſit cuilibet perſonæ ſæculari, ob defenſionem bonorum ſuorum temporalium interficere iniuſtum eorum inuaſorem,

NEgant nonnulli DD. exiſtimantes, talem interfectorem & peccare mortaliter, contra iuſtitiam, & incurrere irregularitatem, & excommunicationem Canonis *ſi quis*, ſi fortè inuaſor ſit Clericus, aut Religioſus. Ratio eorum eſt, quia contra ordinem charitatis videtur præponere bona temporalia externa vitæ proximi, cùm illa ſint recuperabilia, hæc verò recuperari non poſſit: ergo & illicitum faciet, & incurret irregularitatem, qui ob recuperanda illa temporalia bona, raptorem eorum occidat. Ita apud Lugum tenent Gerſon *in tractatu de Euchariſtia*, Auguſtin. de Ancona *in opuſc. de auctorit. Eccleſ.* Abulenſ. *in cap. 5. Matth.* & Panormitan *in cap. 1. de homicid.*

Sed probabilius longè Reſpondeo: Licitum eſſe laicis perſonis, ob defenſionem bonorum ſuorum temporalium, interficere inuadentem, ne auferat, aut rapiat dicta bona, dummodo hæc ſint magni momenti, & aliter ea ſeruari, vel recuperari non poſſint. Hæc reſponſio eſt contra aliquos Auctores primæ ſententiæ. Sed probatur *Primò* ex Iure *cap. Olim, de reſtit. ſpoliat. & cap. 2. de homicid.* In quibus id licitum eſſe ſupponitur.

Secundò. Quia illud principium vniuerſale, *vim vi repellere licet*, etiam eſt verum loquendo de hac materia, ſiquidem ad illam applicat Pontifex *in c. Dilecto, de ſentent. excomm. in 6.*

Tertiò. Quia bona temporalia ſunt ad vitam ſeruandam neceſſaria: ergo ſicut eſt licitum vitam tueri, ita etiam hæc, quæ vitæ ſunt neceſſaria, non ſolùm præciſè vt viuamus, ſed vt honeſtè, & conuenienter viuamus. Sic tenent in primis Nauarr. *c.* 15. *num.* 2. 4. & 5. Caietan. 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Syluest. *homicidium* 1. *num.* 5. Ioan. de Medina *de reſtitut. q.* 4. Sotus *lib. 5. de Iuſtit. q. 1. art.* 8. quos ſequitur Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. c. 9. dub.* 11. *n.* 66. Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 16. num.* 1. & 4. citans Iulium Clarum *lib 5. ſentent. §. Homicidium, n.* 25. & Couar. *in Clem. Si furioſus, p. 3. §. vnic. num.* 6. Et bene, nam hic Auctor id expreſsè docet ibi *à verſ. Secundò proponitur.* Lopez *etiam* 1. *part. cap.* 62. *verſ. non peccat.* Bannez 2. 2. *quæſt. 64. art.* 7. Salon *ibid.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 8. punct.* 4. Gomez 3. *variarum, cap. 3. num.* 8. Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 3. numer.* 395 & 397. Toletus *lib. 5. cap. 6. num.* 27. Dicaſtillo *tom. 1. de Iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 5. num.* 47. qui & citat Laymanum *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 3. num.* 4. & bene; nam expreſsè id docet Cardinalis de Lugo *tom. 1. de Iuſtit. diſput.* 10. *ſect. 9. à num.* 173. Suarez *diſp. 46 ſect. 2. n.* 1. vbi dicit hanc ſententiam eſſe communem Theologorum: Fagundez *libro* 5. *in Decalog. capite 3. numero* 15. Auila *etiam diſp.* 5. *ſect. 5. dub. 4. verſ. Couarruu. videtur, in fine*, citans Henriquez *lib. 14. capit. 11. numero* 3. Diana *parte* 5. *tractatu 4. reſolut.* 17. & penes illum Turrian. Marchant. Baldell. Binsfeld. Azor, Filliuc. & alij. Tenent etiam Bonacina hîc, *diſputatione 4. punct. 6. num.* 10. & latius *diſp. 2. de reſtit. quæſt. vltim punct. 10. num.* 1. Gibalinus *capit. 4 quæſt. 3. conſectar. 3. differ.* 4. & alij ſtatim citandi. An verò licèt licitè quis occidat aliquem, ob defenſionem ſuorum bonorum, incurrat nihilominus irregularitatem, dicemus quæſt. ſequenti.

Ad argumentum verò contrariæ ſententiæ, dicendum eſt ex ſuprà dictis, ſolùm conuincere, proximo ſubueniendum eſſe cum diſpendio rerum temporalium, & fortunarum, quando ipſe eſt in extrema neceſſitate; in qua non eſt fur, cum poſſit ipſe ſaluare propriam vitam, ceſſando à furto. Sic Lugo *loc. cit.*

Qvæstio II.

An liceè licitè occidat ſacularis quis furem aliquem, aut actualem inuaſorem ſuorum bonorum temporalium, maneat nihilominus irregularis?

AFfirmant plures Doctores ex citatis adhuc pro noſtra ſententia. *Primò*. Quia Clementina *Si furioſus*, ſolùm excipit ab irregularitate illum, qui pro defenſione vitæ (quando eam non poteſt aliter defendere) alium occidit. *Secundò*, quia homicidium iſtud, quamuis incolpabile, & licitum ſit, eſt tamen voluntarium, vt conſtat: ſed hoc ſufficit ad contrahendam irregularitatem, vt patet in iudicibus, & aliis Miniſtris Iuſtitiæ, qui latrones licitè ſuſpendunt, & tamen fiunt irregulares: ergo. Ita apud Sayrum *lib.6. cap.17. numero 22.* tenent Abbas *in cap. Sicut dignum, numero 14. de homicid.* Siluest. Salon, Valentia *ſupra citati.* Nauar. *cap.27. num.213.* Martin. de Ledeſma 2.4. *quæſtione 26. artic.2. tract. de Irregularitate.* Aragon 2.2.*quæſtione 64.articul.8. dubit.1.* Armilla, Tabiena, Maiolus, Philiarcus, & Sebaſt Medices. His addi poſſunt Bartol. *in l.1. numero 2. Cod.vnde vi.* Butrius *in cap.Olim, de reſtitut. ſpoliat.* Gloſſa *in cap. Significaſti, de homicid. verb. Moderamine.* Socin. Angel. Pariſius, Alexand.Villadiego, & Plouius, quos pro hac parte citat Fagundez *lib.5.in Decalog.cap.3.numero 14.* Auila *parte 7. diſputatione 5.ſectione 3 dubit.4.* (non 2. vt offendes apud Bonacinam, qui citat Henriquez *lib.14.cap.11. numero 3. litt. R. & numero 4.* & cum eo limitat hanc ſententiam, niſi in extrema mea neceſſitate fur raperet id, quod actu eſt mihi neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem: quia tunc defendendo panem defendo vitam. Reginald. *lib.30. tract.2. cap.9. num.107.* Bannez 2.2. *quæſtione 64. artic.8. dubit.2. & 3.* Vega *en eſpejo de Curas, tom.2. cap.22. quæſtione 26. numero 255.* Layman *lib.3. ſect.5.tract.5. part.3.c.9. num.3.* Molina *tom.4.tract.3.diſp 72.n.3* & More *2.p. examin.cap.10.§.14.num.9.*

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè manere irregularem. Quia probabilius eſt, quod propter priuatum homicidium non eſt impoſita irregularitas, niſi adſit peccatum, & mortale, vt ſupra ſæpè diximus: ergo ſi in homicidio, quod quis ſæcularis committit, ob defenſionem facultatum ſuarum, nulla inuenitur culpa, vt ex quæſt. antecedenti habemus, nulla erit irregularitas. Ex quo iam conſtat ad fundamentum contrariorum. Neganda eſt enim conſequentia, eo quòd illud homicidium non eſt priuatum, ſed publicum, ex quo etiam licitè facto, conſurgit irregularitas ex defectu lenitatis. Sic Henricus Boicius *in cap.1. de homicid. num.13. & 14.* Anania *ibi num.9.* Felin. *in cap.2. de homicid. num.5.* Couar. *in Clement. Si furioſus, part.3.§ vnico, num.6.* Caſtro *de lege pœn. lib.2.cap.14.* Sotus *lib.5. quæſt.1. art.8.* Suarez *ſect.2. cit. num.4.* Petrus Nauarr. *lib.2. de reſtitut. cap.3. num.364. & 414.* Toletus *lib.5. Summ.cap.6.§. Tertius caſus.* Barboſa *ad cap. Interfeciſti, de homicid. num.4.* vbi multos pro hac parte citat, ſed non bene omnes. Anton. Gomez *tom.3. variar. cap.3. num.20.* Ægidius *diſput. 18. dub.9. num.88. concluſ.4* Luyſius *de Cenſur. lib.9. diſp 65. dub.3.* Hurtad. *diſp.2.de Irregularit. diff.10. num.36.* Mercer. *in 3.p.* D. Thomæ, *quæſt.24.dub.7.Propoſit.2.* Tannerus *in 3.p. diſp.4. quæſt.10. dub.11. num. 210.* Præpoſitus *ibid quæſt.5. de Irregularit.dub.21. n.90.* Filliucius *tract.20.c.5. n.150.* Villalob. *tr.21. diff.24. n.8.* Gordonus *tom.2. Theol. Moral. lib.7. q.18.c.10. §.3.n.73.* Portel. *verb.homicidium, n.34.* Cornejo *diſp. 4.de Irregul.dub.1.q.vlt.* quos ſequitur Diana *part.4. tract.2.de Irregul.reſol. 4.* concludens illam per hæc verba: Nota tamen, in tali caſu eſſe licitam defenſionem ſine metu peccati, & irregularitatis, ſi adſint aliquæ conditiones. *Prima*, vt nocumentum temporale ſit graue, & actu iniuſtè inferatur. *Secunda*, vt non ſit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam cenſeatur graue nimis detrimentum. *Tertia*, vt verè ſit defenſio, & moderata. *Quarta*, vt non poſſit alio modo fieri defenſio, niſi per mortem aggreſſoris. Hæc Diana. Sed an omnes dictæ conditiones ſint neceſſariæ, ex infra dicendis cognoſces. Gibalin. *loc. cit.* & Fagund. *n.15.* vbi dicit hanc ſententiam ſibi eſſe veram. Palaus *diſp.6.punct.15.§.8.n.7.* Sayr. *lib.6.c.17. n.22.* vbi ait, hanc partem expreſsè tenere Henriq. *lib. 14. c.3.§.7.& c.11.§.3.* Sed malè, nam oppoſitum ibidem clariſſimè tedet. Legatur hic Auctor. Pellizzar. *tom.2. tract.7.c.5.ſect.4.q.46.n.224.*

R.P.Leand.de Irregolatit.

Qvæstio III.

An etiam Clerici poſſint, abſque culpa, & irregularitatis pœna, occidere actualem rerum ſuarum inuaſorem.

NEgabunt à fortiori Gerſon, Ancona, Abulenſ. & Abbas *ſup.q.1.citati*, & negant etiam Caiet. 2.2.*quæſt 64.art.7.* D Anton. *part.3.tit.4 cap.3.* Roſſela *verb Homicidium*, § 3. Toletus *lib.5. Summ.cap.6. num.27* vbi ita ait: Cum enim aliter res ſeruari, & recuperari non poteſt, licet latronem occidere, non ſolùm nocte, ſed etiam die: ſi tamen ſpes eſſet recuperandi rem illam, non licet occidere. Hoc tamen non licet Eccleſiaſticis perſonis, quæ potius debent bonorum ſuorum iacturam pati, quam quempiam occidere, vt habet Panorm. *c. Suſcepimus, de homicid.* Ita Toletus.

Et probari poteſt hæc ſententia ex *cap. 2. extra de homicid.* in quo perpetua imponitur irregularitatis pœna Presbytero occidenti furem pro liberatione rei ſibi furatæ, cum morte, & occiſione furis: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam Clericos poſſe occidere actualem rerum ſuarum inuaſorem, ſine peccato, & irregularitatis periculo; ſi res ſint magni momenti, & aliter ſeruari non poſſint. Probatur. Quia etiam eſt licitum iure naturali, Clericis res proprias defendere vſque ad occiſionem, ſi aliter ſeruari non poſſint, vt ex *cap.Olim, de reſtit. ſpoliator.* probat Molina *tom.4. tract.3. diſp.16. num. 1.* at ſic eſt, quod irregularitas ex homicidio, etiam voluntario priuato non incurritur, niſi ob culpam mortalem: ergo. Sic tenent ferè omnes Auctores pro noſtris ſententiis *quæſtionib.1. & 2.* adducti, præcipuè Suarez *diſp.46 ſect.2. à num.4.* Petrus Nauar. Sotus, Caſtro, Anan. Felin & alij, quos citat & ſequitur Fagundez *libr.3. in Decalog. cap.3.* inter quos etiam citat Toletum eodem loco à nobis pro oppoſita parte citatum; ſed vt vidiſti, omnino malè. Sic etiam Barboſa *in cap. Suſcepimus, de homicid. numero 3.* Diana *part 4.tract.2.reſol.4. iuncta reſol. 17. part. 5. tract.4.* & Gibalinus *cap.4.quæſt.3.conſectar. 3.diff.4. pag.223.*

Ad *cap.* autem ex iure nobis obiectum, dicendum eſt, ex illo textu nec ſumi probabile argumentum contra nos: tum quia dictus Clericus non occidit furem ob defendendas res proprias, ſed Eccleſiæ: tum etiam, & præcipuè, quia ideo dicit Pontifex, illum eſſe irregularem, quia percuſſio illa non fuit neceſſaria ad defendenda Eccleſiæ bona;

nam ſatis fuiſſet vociferatio, vt ex diſcurſu eiuſdem textus conſtat; nam Parochiani ſtatim adfuerunt, imò & occiderunt.

QVÆSTIO IV.

An non ſolum Clerici, verùm etiam Religioſi, poßint ſine irregularitatis pœna occidere furem volentem bona ſua ſubripere, quando aliter defendere ea non valent.

NEgant plures DD. qui probant ex *c. ſuſcepimus, de homic.* vbi Monachus qui duos fratres occidit irregularis declaratur. *Quoniam* (ait Pontifex) *expediebat poſt tunicam relinquere pallium; & rerum ſuſtinere iacturam, quàm pro conſeruandis vilibus rebus, & tranſitoriis, tam acriter in alios exardeſcere.* Ita omnes Auctores primæ opinionis quæſt. præcedentis. Quibus addu Petrum Binsfeldium *in comment. de Iniuriis & damno dato, c.1.q.5.concl.4.* Zarabell. Anton. de Buttio, Hoſtienſ. & alios à fortiori *q.2.* pro proxima opinione adductos.

Sed probabilius Reſpondeo, Non ſolum Clericos, ſed etiam Religioſos poſſe. Quia vtriſque eſt licitum res ſuas, aut communitatis, pro viribus defendere, & volentem eas rapere interficere, ſi aliter eas defendere nequeunt: ergo immunes ſicuti à culpa manent, ita & ab irregularitatis pœna. Sic authores citati ſupr. quæſt. antecedenti. Qui ad textum, quem nobis obiiciunt, facile reſpondent dicendo, dictum Monachum manſiſſe irregularem eo quod occiderit fures illos ſine neceſſitate; erant enim ligati, & ob vanum timorem mortis interfecit eos, & ob vindictam furti iam recuperati. Legantur Diana *loc. cit.* Leſſ. *lib.2.c.9.dub.72.* Syluius *in 2.2.q 64 art.7.quæſit.*8. Tanner. Maldeſus, & Becanos apud ipſum.

QVÆSTIO V.

Quanam res dicatur magni momenti, pro cuius defenſione liceat cuipiam interficere eius raptorem.

ALiqui putant, eſſe rem valoris duorum aureorum. Alij id negant, putantes debere excedere valorem quatuor, vel quinque nummorum aureorum; & ideo pro defendenda re valoris duorum, vel trium aureorum, non eſſe licitum hominem occidere. Ita apud Dianam *parte 5.tract.4.reſol.* 18. tenent Sotus *de Iuſtit.lib.3.quæſt.1.art.*8. Aragon 2.2. *q.* 64. *art.*7. & alij.

Sed ego Reſpondeo dicendum cum Doctiſſimo Ioanne Dicaſtillo *de Iuſtit. tom.1.lib.2.tract.1.diſp.*10. *dub.5. num.* 50. id arbitrio prudentis relinquendum eſſe, ſpectatis circunſtantiis perſonarum, à quibus res furatur, temporum, locorum, & rerum, iuxta ea quæ Doctores aduertunt vt iudicium faciant de graui quantitate furti, loquendo de eius reſtitutione. Quamuis hoc ſit pluſquam certum, nempe longiſſimè maiorem quantitatem requiri, vt ea ſit ſufficiens ad licitè occidendum inuaſorem, quàm vt ſit ſufficiens ad peccatum in materia furti. Nec enim recta ratio dictare videtur, vt pro ſeruanda minima materia ex ſufficientibus ad peccatum mortale furti, putà pro quatuor, ſex, aut octo argenteis, vel pro aureo, occidatur homo, extra casũ extremæ neceſſitatis, aut nimis grauis; extra caſum ſcilicet, quo dominus eius rei illâ extremè indigeret, aut grauiter proſus, & iniuſtè inuaderetur ab alio. Sic ille. Legantur etiam de hac materia Molina *tom.4.tract.3.diſp.16.n.7.* Reginald. *tom.2.lib.21.n.66.* & Cardin. de Lugo *tom.1.de Iuſt.diſp.10.ſect.9.n.178.* Qui ex aliis aduertit, quod quando res valoris vnius ducati auferretur cum reſiſtentia domini, aut cuſtodis rei illius, nec fur monitus deſiſtere vellet à violentia, poſſet occidi, quia cum re illa honorem eius auferre vult, quare meritò te defendere poteris aduerſus impingentem illam iniuriam, & contumeliam. Sic ille. Legatur Fagund. *loc. cit. n.* 19.

QVÆSTIO VI.

An deinde immunis ſit ab Irregularitate, non ſolum ille (laicus, vel Eccleſiaſticus) qui occidit inuadentem, ne auferat rem magni momenti; ſed etiam ille, qui occidit, vt recuperet rem, quam iam abſtulit.

REſpondeo: Immunem etiam eſſe ab irregularitate, ſi vt recuperet rem iam ab eo ſublatam, occidat raptorem incontinenti, ſeu in fragranti delicto inuaſionis, non poſt magnum interuallum, quia tunc non eſſet vim in actu repellere, ſed vindictã ſumere, quod nunquam licet, cũ id Deus ſibi reſeruauerit, Ezech. 9. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Deuteron. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam vindictam.* In hoc conueniunt DD. quamuis diſſentiant in explicando, quid pro ly *incontinenti*, intelligatur, vt infra videbimus. Legantur Sayrus *lib.7.Clauis Reg.c.10.n.*18 Fagund. *lib.5.in Decal c.5.n.2.* Lug. *diſp.10.cit.ſect.9.a n.*179. & Molin. *tom.1.diſp.16.§.Illud præterea.*

QVÆSTIO VII.

An liber maneat ab irregularitate, qui occidit furem, dum fugit cum re, quam ſurripuit.

NEgat Couar. *in Clem. ſi furioſus, de homid. p. 3.§. vnic ſub n.6.* his verbis: Nonò, ſi rectè, & penitiſſimè tractentur, quæ modo ex Iuriſconſultis adduximus, dubium erit, quod Syluest. notat *verb. excommunicatio 6 q.9.* cuius verba ſubiiciam. Si tamen non me inuadit, & tamen rem meam tenere nequeo, niſi occidam, putà quia fugit in equo meo, quem aliter habere nequeo, niſi illum ſagitta occidam, fortè non licèt mihi in conſcientia occidere, niſi vt dicam, limitando dicta Panormit. Quamuis etiam dici poſſit, hoc caſu non eſſe contra legem Dei, aut naturæ occidare, quia quotidie de licentia Principis mouentur arma pro temporalibus. Hactenus Syluester. Cuius poſteriorem opinionem ipſe opinor falſam eſſe. Siquidem hic fur telo non ſe defendit, nec nocturnus eſt, nec alium aggreditur, imò fugit: igitur occidi licitè non poteſt. Hæc omnia Couarruuias.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Manere liberum ab irregularitate, ſi occidat furem fugientem cum re magni valoris, & præmonitus de morte non velit rem acceptam dimittere. Ratio eſt, quia talis occiſio eſt licita: ergo & libera ab irregularitate. Antecedens probatur, quia adhuc fure fugiente, non cenſetur inuaſus priuatus poſſeſſione rei ſublatæ; imò inuaſio cenſetur adhuc durare, ſaltem reſpectu rei, quam ſecum portat fur fugiens: ſed ſic eſt, quod quando quis eſt in poſſeſſione, poteſt cum moderamine res proprias defendere: ergo. Sic tenent communiter Doctores. Molina *tom.4.tract.3.diſp.16 n.6.* Syluest *loco cit.* Sotus *lib.5. de Iuſtit. quæſt.2.art* 8. Petrus Nauarr. *lib 2.de reſtitut. cap.3.num.*409. Leſſius *lib.2. cap.9. dub.15. num* 74. non 75. vt offendes apud Dicaſtill. Fagundez *lib.5.*

in

in Decalog.c.6.num.12.& 59. Dian *p.5.tract.4.de homicid. Reſol.17. verſ Notandum eſt.* Rodrig. *c.139. n.15.* Reginald. *lib 21. c.5. n.67.* Dicaſtill. *tom. 1. de Iuſt lib. 2. tract.1.diſp.10.dub.5.n.58.* & Lug. *diſp.10. de Iuſtit. sect 9. num.179.* vbi ita ait: Si fugiat fur cum tuo equo, potes eum fugientem telo, vel ſagitta occidere, ſi admonitus non deſiſtat: quia adhuc non eſt in tuto poſitus, nec pacificè poſſidet. Ita Molin. *n 6.* contra Couarruuiam. Leſſius etiam *n.74.* & alij paſſim: quia inuaſio rei durat donec ſe in tuto receperit: & quia niſi id eſſet licitum, defenſio rerum magna ex parte eſſet inutilis, cum ſtatim re accepta fures eſſent ſecuti, domino non potente vi impedire, ne cum ipſa abirent. Sic Lugo.

Qvæstio VIII.

An etiam licitè, & liber ab irregularitate poſſit quis occidere furem, qui rem furatam iam habet poſitam in certo loco?

NEgabit à fortiori Couarruu. Cui fauere videntur S. Anton. *3.p.tit.4.c.3* §.2 Petr. Nauar *lib.2.c.3. n.411.* & alij. Eo quod iam fur non infert vim, quamuis illam intulerit; ſed tantum committit iniuſtitiam, ob quam non licet, abſque publica auctoritate, aliquē occidere. Ita etiam videtur ſentire Dicaſtill. *loc. cit. n.60.* & Sylu. *v. Bellum 2.n.3.* apud Fagundez.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam poſſe licitè, & abſque irregularitatis metu talem furem occidere caſu (ad minus) quo inuaſus furem inſequens incontinenti illum occidat, ſi rem furatam non velit tradere, & nullo alio medio recuperari poſſit: quia tunc adhuc actus inuaſionis moraliter durat, & moraliter actualis vis, quam vi licet vnicuique repellere. Sic Fagund. *lib 2. de Iuſt.c.11.n.75.* Syluest. *loc.cit.* à Fagundio pro parte contraria, *num.13.* Ioan. à Lignano, & alij.

Qvæstio IX.

An etiam poſſit quis abſque incurſione irregularitatis ingredi domum, vbi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur retinet, & illum occidere, ſi reſiſtat eam tradere eidem domino?

NEgant aliqui Doctores, eo quòd exiſtiment, talem occiſionem eſſe illicitam: & conſequenter illi annexam eſſe irregularitatem. Fundamentum eſt iam iactum *queſt. antecedent.* ab Authoribus primæ ſententiæ. Et tenent Bonac. *diſp.2.de reſtit quæſt. vlt. sect.1.punct.10.* (non 11. vt leges apud Lugum) *n.4.* vbi pro ſe citat D. Antonin. & Petr. Nauarr. *vbi ſup.* & Ioan. de Dicaſtill. *vbi ſup.n.60.*

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Etiam poſſe, dummodo & remedium illi non ſuppetat recuperandi rem propriam, per vires iuridicas; & eadem res furata in indiuiduo extet apud furem, vt idem torques, idem pallium, &c. Ratio eſt. Quia in hoc caſu dominus rei non eſt aggreſſor, ſed defenſor rei propriæ, ob quam recuperandam licitum eſt illi inferre vim inuadenti. Sicut enim fugientem latronem, dum aliud non eſt remedium, licitum eſt tibi cogere, & vim inferre, ne iacturam rei notabilis facias, cur non poteris, cum domi quietus es poſſidens rem tuam illi inferre vim? Hæc enim non eſt vindicta, ſed tueri tuum ius, & te defendere à violentia, quam actu pateris. Si enim licet propellere iniuriam, qua quis actu tuam rem aufert, & eam in domum ſuam aſportat; cur id non licebit, quando rem tuam recuperare contendis, & ille impedit? Nam licèt tunc non ſit inuaſor perſonæ, eſt adhuc inuaſor rei, quam continuato adhuc peccato furti, violenter detinet; inuaſor enim eſt quandiù iniuriam infert. Sic Card. de Lugo *diſp. 10 cit. sect.9.n.181.* ſequutus P. Vaſq. *de reſtit.c.5.§.1.dub.8.n.43.* Leſſ. *lib.2.de Iuſt.dub.11. n.75.* Reginald. *c.5. n.65.* Tanner. *tom.3. diſp.4. q.8.* vbi ſic ait: Si Iudex deſit, poteſt ſpoliatus locum, in quo res depoſita eſt, ingredi, eamque ſibi vendicare, & ſi prohibeatur, vi repellere. Malder. *in 2.2.tract.3.c.1. dub. 13. §. Dico ſextò.* Dian *p.5.tract.4. reſol.37* & Turrianus *diſp.33. dub.3. n.27.* Et hanc ſententiam vt probabilem defendunt etiam Bonacina, & Dicaſtillo *loco citato.*

Qvæstio X.

An etiam liceat alicui occidere clàm iniuſtum litigatorem, qui calumniis, & falſis teſtibus conatur in iudicio illum ſuis rebus ſpoliare, ſi aliter ſpoliationem illam effugere non poſſit.

NEgant Ægidius *de actib. ſupernatural. diſp 32. dub.2.num.12.* & Sylvius 2. 2. *D. Thom. q. 64. art. 7. quær. 6.* quos citat, & ſequitur Diana *part. 3. tract.5.Reſol.97.* Quia (inquit) ex oppoſita ſententia maximi ſequerentur abuſus. Cum enim litigantes communiter ſibi perſuadeant, ſe habere certum ius quoties viderent eſſe periculum, ne cauſa caderent, facilè ſibi perſuaderent, ſe aduerſæ partis machinationibus iniuſtè opprimi, eamque conarentur clàm occidere, & ſic infinitis cædibus daretur occaſio, quare meritò ius poſitiuum eiuſmodi cædes, etiam in caſu, quo fortè iure naturæ aliàs eſſent licitæ, prohibet, ac morte punit. Hæc Dian. ibi, & *p.5. tract. 4. reſol.7. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Licere, & abſque metu irregularitatis, occidere occultè litigatorem, ſi conſtet apertè, & omninò certò, dictum litigatorem omninò iniuſtè & per calumniam procedere, & etiam ſit omninò certum, quod innocens ſua bona irrecuperabiliter amiſſurus eſt, nec aliud ſibi remedium ad ea recuperanda ſuppetat.

Probatur ex dictis ſuprà *diſp.12. q.27.* Nam probabilius eſt, quod pro vita tuenda poſſit quis iure defenſionis naturalis occidere occultè accuſatorem iniuſtum, qui calumniis, & falſis teſtibus ad mortem ſubeundam in iudicio compellit: ergo & pro rebus, & facultatibus ſuis defendendis poterit in caſu iam ſimili quis idem facere, cum non minus poſſit quis licitè occidere aggreſſorem iniuſtum ſuarum facultatum, quàm ſuæ vitæ, vt ex dictis conſtat. Si ergo licitè poteſt quis in dicto caſu litigatorem clam occidere, nullam per talem occiſionem irregularitatem incurret. Sic Bannez *2.2.q.64.art.7.dub.4.corpore, & in ſolut. ad 2.* Per. Nauar. *lib.2.de reſt.c.3.in 1.p dub.23. n.279. & 290.* quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.2. Summ. c.39 numero 7.* & Lug. *de Iuſt. & iur. diſp. 10. sect.9. numero 184.* Quamuis hi Authores ſolùm dicant, talem occiſionem eſſe licitam, nihil de irregularitate adſtruentes.

Ad fundamentum contrariorum negandum eſt, ſequi illa inconuenientia, ex ſententia noſtra, modò à nobis explicato. Vnde in praxi, vt ait Lugo, rariſſimus eſſe poteſt caſus; & ideò exceptio huiuſmodi nunquam admittitur in foro externo pro excuſanda

ſimili occiſione ; eo quod ſemper præſumet Iudex, irrationabilem fuiſſe prædictum prætextum, cum per viam iuridicam potuiſſet conſtare de calumniis litigatoris : quod ſi conſtare non poſſet de his, iam eo ipſo non conſtit de titulo, quem reus habuit ad eum licitè occidendum, & ideo tanquam homicida condemnabitur.

Qvæstio XI.

An poſſit quis, abſque metu irregularitatis, occidere inuaſorem iniuſtum pro defenſione bonorum proximi, quando hæc alicuius ſunt momenti.

NEgant, & à fortiori, qui negant eſſe licitum occidere inuaſorem iniuſtum pro defenſione vitæ proximi. Hi autem ſunt, vt vidimus ſuprà *diſp.* 12. *q.* 12. 40. *&* 41. Gloſſ. Cardinal. Abb. Auſtet. Paul. Caſtrenſ. Iaſ. Socin. Gonzal. à Villadieg. Nauarr. Maiol Medin. Toletus, Henriquez, Angel. Roſella, Tabien. Ledeſm. D. Anton. Sylueſt. Sayr. & Auila.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe licitè, & abſque metu irregularitatis, ſicuti poſſe diximus ſupra, de inuadente iniuſtè proximi vitam. Sic docent omnes Doctores citati pro noſtra ſententia *diſp.* 12. *q.* 41. inter quos legantur Fagund. *lib.* 5. *in Decal. c.* 4 *n.* 3. & penes illum, Suar. Leſſ. Iul. Clar. Petr. Nauarr. D. Anton. Berous, Butrius, Francus, Ancharan. & Claudius. Legantur etiam Bonacin. *q.* 4. *de Irregul. punct.* 6. *num.* 11. & apud ipſum Couar. Molin. Reginald. Sà, & Filliucius, Diana etiam *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 5. *&* 19 *& p.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 20. Cardinal. de Lugo *tom.* 1. *de Iuſtit. diſp.* 10. *ſect.* 11. & D. caſtill. *tom.* 1. *de Iuſt. lib* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 8. Hurtad. Gibalin. Palaus, Barboſ. & alij ſuprà adducti. Et elegantur dicta à nobis *diſp.* 12. *q.* 42. *& ſequentibus.*

DISPVTATIO XIV.

De Irregularitate ex homicidio facto pro defenſione honoris, & pudicitiæ, tam propriæ, quàm alienæ.

Qvæstio Prima.

An incurrat irregularitatem, qui ob defenſionem proprij honoris, inuaſorem illius cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit.

AFFIRMANT omnes Authores, quos adduximus ſupr *diſput.* 12. *quæſt.* 40. docentes, ſolùm ob defenſionem propriæ vitæ aut membri, licere inuaſorem iniuſtum occidere. Ita ex ibi citatis tenent Auila *parte* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 4. *& dub.* 2. *verſ. Ex dictis ſequitur.* vbi pro ſe citat Panormitan. Sylueſtrum. Imol. Couarruu. & Villadiego. Citat enim Bonacina pro hac ſententia, Nauarrum *cap.* 17. *num.* 218. Vgolin. *cap.* 30. Molin. *diſp.* 72. *n.* 3. Salonium 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *controuerſ.* 2. & Reginald. *num.* 107. Tandem adducit Diana vbi infrà pro hac ſententia Syluium 2. 2. *quæſtione* 64. *art.* 7. *quær.* 9. *concl.* 2. Binsfeld. *in comment. de iniuriis & damno dato, c.* 1. *q.* 5. *concl.* 8. Baldum *lib.* 4. *conſil.* 102. & Andr. Gail. *obſeruat.* 100. *num.* 8. dicentem, contrariam ſententiam ſectantes magis politicè, quàm Chriſtianè ſcribere, & diſputare. Ita etiam Tannerus *in* 2. 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *numero* 74. apud Lugum vbi infrà, docentes, minimè licere alicui occidere aliquem ob defenſionem honoris proprij.

Fundamentum huius ſententiæ eſt vbi ſuprà *quæſtione* 40.

Sed probabilius, & Chriſtianè certè Reſpondeo: Minimè incurrere irregularitatem illum, qui ob defendendum proprium honorem, iniuſtum aggreſſorem illius interficit, aut mutilat, ſi aliter non poteſt illum ſeruare. Ratio eſt, quia licitum eſt cuipiam, & ſine irregularitatis metu, occidere iniuſtum inuaſorem propriæ vitæ, imò & fortunarum, vt ſupra eſt habitum: ergo & inuaſorem proprij honoris, quia periculum huius periculo vitæ comparatur: *Confirmatur ex cap.* 2. *de homicid.* vbi conceditur, vt ſupra vidimus, iuſta defenſio cum morte iniuſti inuaſoris, ob defenſionem bonorum propriorum magni momenti: at ſic eſt, quod honor apud viros prudentes pluris valet, quàm bona fortunæ, iuxta illud Prouerbiorum 22. *melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*: ergo. Sic in primis tenent. Sotus *lib.* 5. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *artic.* 8. Couarruuias *in Clement. Si furioſus, part.* 3. *§. vnico, num.* 6. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 3. *num.* 418. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Henriquez *lib.* 14 *cap.* 3. *§.* 7. *& cap.* 11. *§.* 3. quos omnes citat, & ſequitur Saytus *lib.* 6. *Theſauri cap.* 17. *num.* 21. *&* 23. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 46. *ſect.* 2. *à num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 77. (non 66. vt offendes apud Fagundez) Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 9. *num.* 80. *&* 88. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 5. *quæſ.* 6. *num.* 146 *& numer.* 149 Bonacin. *quæſt* 4. *de Irregularit punct.* 6. *n.* 10. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 11. *n.* 37. Petr. Cornejo *tract.* 5. *de Irregularitat. diſp.* 4. *dub.* 1. *quæſt. vltima*, Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. capite* 3. *num.* 20. qui citat pro hac parte Nauarrum *capite* 15. *numero* 3. Sed non totaliter bene, quia ibi ſolum dicit hic Author, eſſe quidem licitum occidere iniuſtum inuaſorem honoris ; non tamen alienum eſſe ab irregularitate talem occiſorem ; cum expreſsè illam contrahere doceat *capite* 27. *numer. mihi* 213. his verbis: Quartò, quod eſt irregularis qui deformat alium, ob defenſionem iuſtam vitæ alterius; etiam Patris, aut Matris, etiam in bello iuſto, etiam in caſu, in quo, niſi ipſe id faceret, ciuitas obſeſſa caperetur, aut exercitus iuſtum bellum gerens fugaretur, & à fortiori qui ob iuſtam defenſionem ſui honoris, & bonorum, aut proximi deformat, licèt id iuſtè faceret, quod fieri poſſe dictum eſt *capit.* 15. *numer.* 22. Sic meus Nauarrus. Citat etiam Toletum *lib.* 5. *ſumm cap.* 6. *§. Secundus caſus.* Sed certè Toletus ibi ſolum affirmat eſſe licitum. (Sicuti etiam affirmant Molina *tomo* 4. *tract.* 3. *diſput.* 17. *numero* 1. docens, nihilominus irregularem eſſe, qui occidit aggreſſorem honoris.) Tenet etiam noſtram ſententiam Diana *part.* 5. *tract.* 4. *reſolut.* 9. vbi cum Nauarro, Valentia, Aragonio, & aliis docet, liberum eſſe à culpa occidentem alium pro defenſione proprij honoris : imò & ab irregularitate liberum eſſe, ipſemet Author antea docuit, *parte* 4. *tractat.* 1. *de Irregularitate. reſolut.* 4. citans pro ſe, vltra aliquos à nobis citatos, Portellium *in dubiis Regularium, verbo Homicidium, numer.* 34. Gordonum *tom.* 1. *lib.* 7 *quæſt.* 18. *cap.* 10. *§.* 3. *num.* 73.

Villalob.

Digitized by Google

Villalobos *tractata.* 21. *diff.* 24.*a.* 8. Præpoſitum *in* 3. *part.quæſt.*5.*de Irregularitate*, *dub.* 11.*num.* 90. Tannerum *in* 3. *part.diſp.* 4. *quæſt.*20.*dub.* 11. *n.* 210. (pro contraria parte citatur à Lugo, vt vidimus) Mercerum *in* 3. *partem*, *q.*24 *dub.*7. *propoſit.* 2. & Luyſium *lib.*9. *diſp.*65.*dub.*3. & alios. Legantur de hac materia Lugo *tom.*1.*de Iuſtit.diſp.*10.*ſect.*10. & Dicaſtillo *ibidem lib.*2.*tract.* 1.*diſp.* 10 *dubit.*5. vbi optimè probant, licitam eſſe occiſionem pro defenſione honoris. Pellizzarius *etiam tom.*2. *tractatu* 7. *cap.*5. *ſect.*4. *quæſt.*47.*num.*226.

Qvæstio II.

An manſerit irregularis, qui occidit hominem quendam, à quo arrepta barba trahebatur, & à ſe aliter expedire non poterat?

Affirmare debent qui exiſtimant, ſolùm ob defenſionem vitæ poſſe quem abſque incurſione irregularitatis occidere inuaſorem, quos ſupra citauimus. Et expreſsè loquendo de caſu noſtræ quæſtionis, ſic tenuit Vgolinus *cap.* 29. §. 2. *num.* 2.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè manſiſſe irregularem. Ratio conſtat ex dictis. Quia probabilius eſt, poſſe quem licitè, & ſine metu irregularitatis, ad repellendam iniuriam, & defendendum ſuum honorem, occidere alium: at ſic eſt, quod ille, qui occidit (in aſſignato caſu) auulſione illa barbæ patiebatur iniuriam, & infamiam, à qua etiam rogatus inferenda noluit deſinere occiſus: ergo paſſus talem iniuriam licitè, & abſque metu irregularitatis, cæde potuit illam repellere. Sic Gibalinus *c.*4. *de Irregularitate*, *q.*3 *conſectar.*3 *diff.*5.*a.*25.

Qvæstio III.

An qui vulnus, alapam, conuicium, aut aliam iniuriam accepit, qua honor grauiter læditur, poſſit licitè læſorem fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere?

Affirmat, poſſe licitè iniuriatum perſequi fugientem inuaſorem ſui honoris, illumque repercutere, aut occidere, quando alias magnam honoris iacturam faceret, Nauarrus *in Manual. cap.*15. *num.*3. *in fine* (non 4. vt leges apud Dicaſtillum, Gibalinum, & Dianam) vbi ita ait: Qui iam eſt vulneratus, vel quem aggreſſor iam reliquit, & fugit. non poteſt abſque peccato illum occidere; quoniam iam illud eſt vindictam ſumere, & limites defenſionis tranſgredi ſecundùm Ricard. *in* 3. *lib. ſent. diſtinct.* 37. Quod limitandum exiſtimo, quando affectus iniuria vulneris, aut alapæ, vel alia, magnam honoris iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur. Nam talis poſſet eum perſequi & percutere tantum, quantum ad ſui honoris defenſionem opus eſſet. Nam licèt illud non eſſet defendere perſonam, neque fortunas, eſſet tamen defendere honorem, quem licet, vt prædictum eſt, defendere, etiam occidendo, ſi eo ad id opus eſſet. Huc vſque Nauarrus. Quem ſequuti ſunt poſtea Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſtit. cap.*3. *num.*383. Henriquez *lib.*14. *cap.*10. *num.*3. *in gloſſa litt.T.* vbi ita ait: Addunt Nauar. *d. num.*3. & *in cap. Ita quorundam*, *notab.*4. *corol.*20. cum Iaſone, & Gloſſa, & Victoria *relect. de Iure belli*, *num.*4. Corduba, Martius, Peña, quod vir nobilis dehoneſtatus, aut percuſſus, poteſt incontinenti læſorem inſequi, aut impreſſo vulnere honorem recuperare. Idem Anton. 3.*part.tit.*4.*cap.*3.§4. Armilla *v.defenſio*, §.8. Anton. Gomez *d. cap.* 3. *num.*32. Plaza *lib.*1. *delict. cap.*21. Anton. Gabr. ex Claro *verb. Homicidium*, Couar. 3.*part.*§.1. *num.*2.*verſ. Septimò.* Facit Dueñas *reg.*192 *ampliat.*5. Abulenſ. *in Deuteron. cap.*21. *in fine*, &c. Sic ille. Et poſt illum Fernandez *in examine Theolog.* 1. *part.cap.*10 *num* 16. Marchantius *in Sum. reſol. paſtor. in De alog.cap.*5.*quæſt.* 3.*caſu* 3. Philip. Faber *de reſtit.in* 4 *diſtinct.* 15.*quæſt.*3.*diſp.*52. *cap.*1. *num.*29. quos ſequitur Diana *part.*2. *tract.*1. *Miſcell. reſol.*15. & *part.*8. *tract.*4.*reſol.*11. & *part.*8.*tract.*7. *reſol.*48. & 51.*in fine.* Quibus addi poſſunt Layman *lib.*3. *tract.*3. *part.* 3.*cap.*3. *num* 3.*verſ. Denique.* Et ex illo non citato, Dicaſtillo *tom.*1. *de Iuſtit. lib.*2. *tract.*1. *diſp* 10. *dub.*7. *num.*74. Gibalinus *cap.*4. *de Irregularit. quæſt* 3. *conſectar.*3. *diff.*14 *pag* 30. Hurt. *de Iuſt.diſp.*11 *diff.*11.

Accedunt alij dicentes, hanc ſententiam, ſpeculatiuè loquendo, eſſe veram, aut probabiliorem; non tamen in praxi, propter magna inconuenientia, quæ in Republica ſequerentur. Ita ſentiunt Bonacina *diſp.* 2. *de reſtitut.* (*non de contractibus*, vt citant Diana, Gibalinus, & Barboſa) *quæſt. vltim. ſect.* 1. *punct.* 10. *num.*8. Leſſius (malè citatus pro oppoſito, loquendo ſpeculatiuè, à Bonacina) *lib.*2. *cap.*9. *dubit.*12. *num.*80. Reginald. *lib.*21. *cap.*5. *numero* 63. Filliuc. *tract.*29. *cap.*3. *num.*52. & alij. Verùm (vt aliàs diximus) ſententia illa, quæ ſpeculatiuè eſt probabilis, etiam practicè talis erit: ſicuti è contrà, quæ practicè eſt improbabilis, & ſpeculatiuè erit: vt bene, refutando hos Auctores, arguit Lugo *diſp.*10. *cit. ſect.*10. *num.*189. Nam ad probabilitatem etiam ſpeculatiuam rei moralis, oportet quod materia ſit talis, vt in circunſtantiis humanis non afferat inconuenientia, quæ eam reddant illicitam: ſi autem ex ſe talia incommoda affert, eo ipſo eſt intrinſecè illicita, etiam ſpeculatiuè loquendo.

Alij verò contrà dicunt, minimè eſſe licitum alicui læſorem ſui honoris fugientem inſequi, & repercutere, aut occidere, eo quòd exiſtiment, talem occidendum nihil ad conſeruandum, aut recuperandum ſuum honorem conducere; quia iam deſtructus eſt per iniuriam illatam; ſed ſolùm deſeruire ad acquirendum alium honorem, quem apud homines acquirit, ſe vindicando, quod nulli licet. Sic communiter Doctores. Sotus *libro* 5. *de Iuſtitia*, *quæſt.* 1. *artic.* 8. Carrerius *in practic.* §.*homicidium* 6. *num.* 10. Molina *tom.*4.*tractat.* 3.*diſput.*17.*num.*8. Vaſquez *dubitat.* 9. *num.*37. Rodriguez *capite* 135.*num.* 11. (male citatus à Bonacina, & Dicaſtillo pro oppoſita parte) Lupus Turrianus 2. 2. *diſput.* 27. *dubio* 3. & Bannez apud ipſum, Salon *quæſt.*64 *artic.*7.*controuerſ.*2. *concluſ.*1. Malderus *ibi*, *tract.*5 *cap.*1. *dub.* 14. quos omnes citat, & ſequitur Lugo *de Iuſtit.tom.*1.*diſp.*10.*ſect.* 10. *numero* 190. dicens cum Vaſquio contrariam ſententiam gentilitatem ſapere, & à Chriſtiana lege alienam eſſe. His addi poſſunt Toletus *libro* 5. (non 1. vt offendes apud Dianam, & Barboſam) *cap.*6. *num.*16. Ioan. de la Cruz *parte* 1. *Summ. præcept.*5.*dubitat.*6. *concluſ.* 1. Barboſa *in Collectan. ad cap. Suſcepimus*, *de homicid. num.* 3. Villalobos *tomo* 2.*Summ.tract.*12. *diff* 12 .*n.*3.

Sed ego in hac difficultate, quid ſentiam dicam. Reſpondeo igitur dicendum, quod loquendo iuxta perfectionem Euangelicam, & doctrinam à Chriſto nobis traditam, & ab ipſomet executioni mandatam, hæc ſecunda ſententia ſit amplectenda, ac tuenda. Ait namque Chriſtus Dominus per ſuum Euangeliſtam: *Si quis te percuſſerit in maxillam, præbe ei alteram.*

Loquendo verò abſolutè, & in rigore veræ doctrinæ moralis, prima ſententia ſit ſatis probabilis,

&

& in praxi tuta, præcipuè poſt factum. Probatur. Nam (vt habitum eſt *ſupra diſp.* 13. *quaſt.* 7.) probabile, & ſatis eſt, quod poſſit quis occidere furem fugientem, vt rapta ab ipſo recuperet: ergo à fortiori poterit inuaſorem ſui honoris, vt ab eo raptum honorem recuperet. Patet conſequentia, quia vtrumque eſt verè recuperabile, nempe tam res furata, quàm honor ablatus: ergo, &c. Sic optimè Hurtadus *diſſ.* 11. *citata*, per hæc verba: Quia ſtatim (inquit) repercutere, fit in actuali ipſa congreſſione, antequam inuaſor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus exiſtat; quia adhuc, ſaltem moraliter, durat, & nondum eſt, ſaltem moraliter, finita, & honor nondum eſt, ſaltem moraliter, in facto eſſe amiſſus, ſed tantum eſt amiſſio illius in fieri, & inchoatio amiſſionis, & repercuſſione amiſſio honoris non perficitur, quia ea repercuſſione impeditur, ne ſit in facto eſſe: ergo id eſt licitum. Patet conſequentia, quia ea repercuſſio non tam vim habet vindictæ, quàm defendendi honorem, impediendo ne amiſſio honoris maneat perfecta, & conſummata, & in facto eſſe. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum. Cauendum tamen eſt, ne in dicta repercuſſione adſit periculum odij, vindictæ, & exceſſus. Hæc Pater Hurtadus. Cuius verba fideliter ſunt tranſcripta, quæ non ita inuenies apud Dianam *p.* 8. *cit.* ex incuria Typographi. Ex quibus quid ad argumentum ſecundæ ſententiæ ſit reſpondendum, facilè conſtat.

Qvæstio IV.

An ſicut liber eſt à culpa, qui honoris læſorem fugientem ſequitur, & occidit, ſic etiam ſit liber ab irregularitatis pœna.

NEgant ex citatis pro prima, & noſtra ſententia Auctoribus, nonnulli exiſtimantes, quod quamuis licitum ſit cuipiam fugientem inſequi ad recuperandum honorem, propter acceptam alapam, vel fuſtem, aut iniuriam aliam, & illum repercutere, mutilare, vel occidere, quando aliàs magnam ſui honoris iacturam faceret; non tamen ab irregularitate liber, quia hæc (inquiunt) poteſt incurri abſque culpa. Ita ſentit Nauarr. *c.* 27. *n.* 213. (cuius verba retuli *ſupra q.* 1.) Henriquez *lib.* 14. *c.* 10. *n.* 3. *litt. V.* vbi in gloſſa citat (vltra Nauarrum) Silueſtrum, Tabienam, Archidiac. Armill. D. Antonin. & Maiolum. His addi poſſunt alij Doctores citati à nobis pro prima opinione *ſupr. diſput.* 12. *q.* 34.

Sed probabilius Reſpondeo: Eſſe liberum ab irregularitate, ſicuti eſt à culpa. Quia (vt ſæpè diximus) ſine culpa præuia, non admittitur irregularitas ex delicto. Sic conſtat ex habitis *ſuprà diſp.* 13. *q.* 2. & tenet in ſpecie noſtri caſus Gibalin. *diſſ.* 14. *cit. pag.* 230. ita dicens: Si igitur incontinenti iniuſte inuaſus perſequatur fugientem inuaſorem, ipſumque repercutiat, atque etiam occidat, idque neceſſarium fuerit ad tuendum honorem, qui ex generoſa illa perſequutione cenſetur, aut non amiſſus, aut recuperatus, & alioquin paſſus iniuriam, quam ex communi hominum ſenſu potuiſſet facilè repellere, repercutiendo aduerſarium, illúmque fugientem ſine mora perſequendo; laborabit infamia, non peccabit, neque proinde contrahet irregularitatem, quæ conſequentia ſæpius toto hoc conſectario ex regula generali fuit probata, quia tunc percuſſio, & occiſio omninò neceſſaria non pugnat cum manſuetudine. In foro quidem externo punietur qui ira occiderit, ſed pœna extraordinaria: præſumeturque potius ex iracundiæ æſtu, quàm ex inculpatæ tutelæ ſtudio occidiſſe, vt Gomez, alios allegans, probat *tom.* 3. *var. reſol. cap.* 3. *num.* 14. Quoad forum internum fuerit prudentis Confeſſarij expendere omnes circumſtantias, & maximè conditionem, ac ſtatum perſonæ iniuria affectæ, publicam iniuriam aliáque eiuſmodi, vt iudicet an fuerit in ea repercuſſione, & perſequutione fugientis defenſio potius iniuriæ continuæ, quàm antea illatæ vindicatio. Neque licentioſa eſt iſta ſententia, vt dicebat Lopez; cum ex contraria maior licentia naſcatur viros nobiles impunè laceſſendi, & iniuriis afficiendi. Hæc Gibalinus.

Qvæstio V.

An item licitum ſit iniuſtè inuaſo inſequi, repercutere, aut occidere fugientem ſui honoris inuaſorem, quando hic offert ſatisfactionem, & veniam ab eo pœnitentia ductus precatur.

REſpondeo, vt certum, in hoc euentu non eſſe licitum inuaſo repercutere, etiam incontinenti, aut occidere ſui honoris inuaſorem, vnde ſi id delictum committat, admittet certè irregularitatem, iuxta nuper dicta. Ratio eſt. Quia ideo occiſio inuaſoris fit licitè, quia per illam inuaſus ſuum recuperat honorem perditum, vel impedit, ne amittatur: at ſic eſt, quod in caſu noſtræ quæſtionis, abſque occiſione inuadentis poteſt illum recuperare, imò de facto recuperat, cum inuadens honorem ab illo ablatum, petendo veniam reſtituat: ergo nequit illum occidere, &c. Sic Petr. Nauar. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 381. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. quos citat, & ſequitur Dicaſtill. *lib.* 1. *de Iuſt. tract.* 2. *diſp.* 10. *dub.* 7. *n.* 75. Gibalin. *c.* 4. *quaſt.* 3. *conſectar.* 5. *diff.* 4.

Qvæstio VI.

An etiam caſu, quo honoris inuaſor, iam quietus, poſt tranſactam congreſſionem alibi exſiſtat; poſſit nihilominus inuaſus, & honore læſus, illum repercutere, vel occidere.

AFfirmandum videtur. Quia iuxta dicta à nobis *ſuprà diſp.* 13 *q.* 8. & 9.) licitè, & ſine metu irregularitatis poteſt quis occidere furem, qui rem furatam iam habet poſitam in tuto, & illam pacificè poſſidet, ſi reſiſtat eam tradere: ergo ſimiliter poterit quis licitè, & ſine metu irregularitatis occidere inuaſorem ſui honoris, etiamſi hic poſt ignominiam illatam, finitaque congreſſione, alibi quietus exiſtat, ſi nolit ſatisfactionem offerre, aut veniam petere humiliter. Sic contra nos argumentatur Petr. Hurtad. *tom.* 5. *de fide, diſp.* 170 *ſect.* 15. §. 132.

Sed vt certum Reſpondeo: Non poſſe honore læſum, in caſu noſtræ quæſtionis læſorem repercutere, aut occidere, niſi admittendo grauem culpam, & pœnam irregularitatis. Ratio eſt, quia tunc læſus non defenderet ſuum honorem, cum iam verè ſit, adhuc moraliter, in facto eſſe amiſſus: ergo repercuſſio illa, aut occiſio nequit eſſe aliud quàm vindicta, quam per ſe ipſum ſumere priuatum, iure naturali eſt prohibitum: ergo, &c.

Nec obſtat argumentum à paritate furtum. Eſt enim diſpar ratio. Quia in primo furis caſu & durat moraliter actus inuaſionis, & actualis vis, quam vi repellere licet necnon & res furata, quam recuperare

læſus

læſus poteſt, at in hoc noſtro caſu, nec durat, necdum moraliter, actio inhonorandi, nec honor ille numero amiſſus, eſt res, quam ſecum deferat is, qui iniuria læſum affecit, & ab eo recuperari poſſit, ſicut poteſt fieri in primo caſu Sic tenent omnes. Legantur vterque Hurtad. *loc. cit.* Molin. *tract. 3. diſp. 17. n. 8.*

QVÆSTIO VII.

An maneat irregularis vir honoratus, qui aliquem dicentem ſibi, Mentiris, *occidit.*

NEgabit Henriq. Strouetſdorf *in 2. 2. q. 64. art. 7. concluſ. 5.* vbi exiſtimat, quod in Regionibus, vbi verbum, *Mentiris*, eſt probroſum, liceat viro honorato illud ſibi obiicientem occidere: at ſic eſt, quod irregularitas ex homicidio priuato non inſurgit, niſi in illo committendo inueniatur culpa, vt ſæpè diximus: ergo.

Affirmabit verò è contrà cum aliis Diana *p. 5. tr. 4. reſol. 12. & 13.* vbi contra dictam Henrici ſententiam hæc verba dicit: Sed meritò hæc ſententia impugnatur ex dictis in Superiori reſolutione, & in ſpecie illam improbat Azorius *tom. 3. lib. 2. c. 1. q. 17.* vbi ſic aſſerit. Quæritur, an ſi inuaſor ſolum lædat verbis contumelioſis, v. g. dicens, *Tu mentiris*, licitum ſit occidere, vbi hoc verbum, *Mentiris*, eſt valdè ignominioſum: Dico non eſſe licitum, quoniam huiuſmodi contumeliæ aliter repelli poſſunt, & ſolent apud homines. Hæc Diana ex Azorio. Quibus Authoribus addi poſſunt alij, quos *quæſt. ſeq.* dabimus.

Sed ego clarius, iuxta ſtatim dicenda Reſpondeo: Manere quidem irregularem, ſi occidat dicentem ſibi *Mentiris*, dummodo hoc verbum contumelioſum, alio verbo ſimili, ſeu actione, veluti alapa, ſeu fuſte, repelli poſſit, ſecus aliàs, ſi aliter quàm occiſione ab illa iniuria inferenda contumelioſus arceri à læſo non poſſit Quia ob ignominiam tollendam, & omnium honorem acquirendum, licitum erit ei mortem inuadenti inferre. Sic conciliantur ambæ ſententiæ. Et quidem primæ noſtræ ſententiæ partem apertè tenent Authores ſententiæ vltimæ. Secundæ verò Authores primæ, necnon mox referendi *ſequenti quæſt.*

QVÆSTIO VIII.

An abſque culpa, & pæna irregularitatis poſsit quis occidere, aut mutilare, atrociter contumelioſum, ad depellendam iniuriam contumeliæ, quam perfectè in illum protulit? vt Tu es infamis; malè caſtus, &c.

NEgant plures DD. Quia verbales iniuriæ verbis repelli poſſunt, veluti ſi quis tibi, *tu es infamis*, dicat, ſufficienter ſatisfacies, ſi reſpondeas; *Mentiris*; ergo ſi factis, & non verbis, verbales repellerentur iniuriæ, iam fieret exceſſus in defenſione: ergo, &c. Ita ſentiunt Petr. Hurtad. de Mendoz *in 2. 2. diſp. 170. ſect. 15. §. 114.* citans pro ſe Suar. Abulenſ. Sylueſt. Caietan. Bannez, Valentiam, Leſſium, & Azorium. Ita enim Binsfeld *de iniuriis & damno dato, c. 1. q. 9. concl. 4.* Molfeſ. *in Summ. tom. 1. tract. 11. c. 19. n. 74.* Filliucius *tom. 2. tract. 29. c. 3. n. 49.* quos citat, & ſequitur Diana *reſol. 12. nuper citata.* His Authoribus accedit tandem Trullench. *lib. 5. in Decal. dub. 5. n. 3.* vbi licèt in principio doceat, licere cuipiam propulſare ſatis afficientem contumeliis, etiam verbalibus, ſi ſint nimis atroces, & aliter vitari nequeant, in fine tamen addit, hanc ſententiam non eſſe in praxi admittendam. Nam ſatis eſt, inquit, in Republica, vt verbales iniuriæ verbis repellantur, & à Iudice reprimantur, & caſtigentur Ita ille.

Sed clarius, iuxta dicta Reſpondeo: Dicendum, poſſe quem abſque culpæ labe, & irregularitatis pœna occidere, aut mutilare afficientem iniuriis verbalibus atrocibus, caſu quo iniuriatus aliter non poſſit cogere illum, vt taceat, & deſiſtat, & reſipiſcat ab iniuriis prolatis, poſtquam verbu, *Mentiris*, reſponderit: ſecus verò caſu, quo iniurians tali reſponſo audito, taceat, aut fugiat.

Ratio primæ partis huius reſponſionis ſit: Quia tunc talibus iniuriis affectus licitè poteſt occidere, ſeu mutilare iniuriantem, eo quòd ſolùm vim vi repellat, & honorem ſuum tueatur contra iniuſtum, violentum, & perpetuum dehonorantem, & nullo modo volentem ſatisfactionem de iniuria prolata dare.

Ratio verò ſecundæ partis reſponſionis eſt. Quia tunc iniuria affectus ſufficienter repellit iniuriam ſibi illatam per verbum *Mentiris*, adiuncta taciturnitate, aut fuga dehonorantis, per quam hic manet oneratus infamia; ille autem quem fugit, victor, & integro honore. Sic ſentiunt apud Dianam Petr. Nauar. *de reſtit. lib. 2. c. 3. n. 376.* Henriquez Strouetsdorf. *de Iuſtit. in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 7. concl. 5.* Ioan. de Eſcobar *de purit. & nobilit. proband. q. 1. gloſſ. 4. n. 14.* & Baldel. *in Theolog. moral. lib. 3. diſp. 24. n. 24.* Quibus ego addo Bonac. *de reſtit.* (non *de contractibus*, vt citat Petrus Hurtad.) *diſp. 2. quæſt. vlt. ſect. 1. punct. 10. n. 7.* vbi ita ait: Secundò *colligitur*, eum poſſe occidi, qui afficit contumeliis atrocibus, ſiue per verba, ſiue per ſigna, quando honor alia ratione defendi non poteſt. Ita Gom. *tom. 3. variar. c. 3. n. 51.* Rodrig. *c. 236. n. 12.* Lopez *1. p. c. 62. verſ. Quando* Petr. Nauar. *loc. cit.* Iul. Clar. *lib. 5. Sentent. §. Homicidium, verſ. Idem & multo magis*, &c. Sic ille.

QVÆSTIO IX.

An etiam poſsit quis occidere, aut mutilare contumelioſum non perfectè proferentem ſibi grauiſsimam contumeliam, ſed incipientem illam proferre, vt v. g. tu es infam. tu es malæ gen. &c.

NEgant, & à fortiori, Authores primæ ſententiæ antecedentis quæſtionis: & præcipuè Petr. Hurtad. *loc. cit.* §. 130. Qui id ex à ſe dictis probat. *Primò*: quia iniuria, etiam prolata, non poteſt inferre damnum egens cæde, aut vulnere, vt repellatur, vt eſt habitum: ergo non poteſt contumelia impediri cæde, aut vulnere: patet conſequentia, quia ideò poſſet cæde, aut vulnere impediri contumelia, quia ſi proferretur, inferret damnum egens cæde, aut vulnere, cauſa enim ideò poteſt impediri ferro, quia eſt illatura effectum petentem ferrũ *Secundò* quia iniuria accepta per contumeliam conſummatam, repellitur abundè per *Mentiris*: ergo à fortiori incepta, & nondum conſummata.

Sed iuxta à nobis dicta, clarius Reſpondeo dicendum: Non poſſe, ſi per verbum *Mentiris*, integrè prolatum, repellat perfectè iniuriam ſibi imperfectè illatam, quod tunc evenire cognoſcer, quando hoc verbo audito, tacet, aut fugit iniurians; ſecus eſſet ſi perſiſteret, & iteraret iniuriam etiam inceptam.

QVÆSTIO X.

An ob defenſionem honoris proximi liceat cuipiam occidere iniuſtum illius inuaſorem?

NEgant, & à fortiori, Authores, quos dedimus ſupr. *diſp.* 12. *quæſt.* 40. eo quòd exiſtiment, ob ſolam propriæ vitæ defenſionem licere iniuſtum inuaſorem occidere. Negabunt itidem Syluius, Binsfeldius, Baldus, & Gailius, quos citauimus *quæſt.* 1. aſſerentes, nec ob defenſionem honoris proprij licere alicui occidere quempiam.

Sed probabilius Reſpondeo: Licere cuipiam ob defenſionem honoris proximi occidere aliquem, ſeruatis ſeruandis. Ratio eſt. Quia fama, & honor æquiparantur vitæ, vt diximus *quæſt.* 1. at ſic eſt, quod eſt licitum cuipiam, ſeruatis ſeruandis, defendere vitam proximi, cum occiſione inuaſoris, vt diximus *diſp.* 12. *quæſt.* 41. ergo licitum quoque erit, defendere illius honorem, & famam. *Confirmatur*, quia licitum eſt alicui, ob defenſionem bonorum proximi, occidere iniuſtum raptorem, vt diximus ſup. *diſp.* 13. *quæſt. vltim.* ergo & à fortiori ob defenſionem honoris eiuſdem, cum melius ſit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Sic tenent Fagund. *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 6. citans pro ſe Sayrum in Claui regia, *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 35. Salon 2. 2. *quæſt.* 64 *art.* 7. *concl.* 2. *Corollar.* 1. Lopez *prima parte, Instruct. cap.* 62. Emmanuelem Sà *verb. homicidium*, Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſtit. cap.* 9. *dubit.* 13. *num* 88. Nauarrum *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *poſt numerum* 392. Iulium Clarum *lib.* 5. *Sentent.* §. *Homicidium*, *num.* 26. 27. & 28. & Suar. *tom.* 5. *de cenſur. diſput.* 46. *ſect.* 3. His addi poſſunt Nauarr. *in cap. Non inferenda*, 23. *quæſt.* 3. *à num.* 19. & *in Man. cap.* 14. *num.* 17. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 18. Vaſq. *cap.* 2. *de reſtit.* §. 1. *dub.* 11. Lug. *de Iuſtit. diſp.* 10. *ſect.* 11. *n.* 101. Qui & probat: nam ſicut ipſe proximus innocens poteſt ſe defendere occidendo aggreſſorem, ita fas eſt cooperari cum ipſo ad rem licitam, quam ipſe facere poteſt, ipſumque adiuuare. Bonac. *diſp.* 2. *de reſtit. quæſt. vltim. ſect.* 1. *punct.* 11. *num.* 1. Trullench *lib.* 5. *in Decalog. cap* 4. *numer.* 1. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 2. *diff.* 15. Diana *part* 5. *tract* 4. *Reſolut.* 20. Faber *in* 4. *diſtinct* 15. *quæſt.* 3. *diſputat* 52. *cap.* 1. & alij.

QVÆSTIO XI.

An non ſolum à culpa, ſed etiam maneat ab Irregularitate immunis, qui occidit aliquem pro defenſione honoris proximi?

NEgant omnes Authores nuper pro prima ſententia adducti, & ex adductis pro noſtra, Nauarr. Molina, Salon, & Sayrus. Negant etiam Auila citatus ſup. *quæſt.* 1. & penes illum Panormitan. Syluest. Imol. Couarr. & Villadieg. Vgolin. & Reginald. ibidem citati. Maiolus *lib.* 5. *de Irregularit. cap.* 48. *num.* 9. Layman *libro* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *parte* 3. *cap.* 9. *num.* 3. & alij, qui exiſtimant manere irregularem ex defectu lenitatis, ad cuius irregularitatem contrahendam nulla requiritur neceſſariò culpa.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam manere ab irregularitate immunem, ſicut à culpa: quia iſta non præuia, non contrahitur illa, ob homicidium priuatum, vt ſæpè diximus. Sic tenent omnes DD. citati pro noſtra ſententia ſupr. *quæſt.* 4. necnon de ſpecie noſtri caſus ſequentes, Sayrus, Salon, Lopez, Leſſius, & alij, quos citat, & ſequitur Fagundez vbi ſupra, Suarez *loc. cit.* quatenus abſolutè docet, ob licitam proximi, & rerum proximi defenſionem, nullam incurri irregularitatem, neque excommunicationem capitis *ſi quis*, ſi fortè is qui occiditur eſt Clericus. Sà *loc. cit. num.* 6. Bonac. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *de Irregularitat. punct.* 6. *num.* 11. & Lugo *de Iuſtit. diſputat.* 10. *ſect.* 10. *in fine*, cum aliis apud ipſum, vt infra.

QVÆSTIO XII.

An pro ſua pudicitia tuenda licitum ſit cuipiam occidere iniuſtum inuaſorem?

NEgatiuam ſententiam tenuiſſe D. Auguſtinum, apertè ſentit Sà *verb. homicidium*, *n.* 6. vbi ita ait: Licere occidere defendendo ſe, vel alterum, dicunt: & quidem licere pro rerum defenſione, Caietan. 2. 2. *q.* 64 *art.* 7. Aragon. ibi, & alij, quod D. Auguſtinus non concedit, qui nec pro caſtitate tuenda licere ait *lib.* 1. *de morib. Eccleſiæ.* Ego tamen non auſim condemnare; cum præſertim, vt quidam volunt, Ius Ciuile poteſtatem dediſſe videatur, vt pro tuis, vel proximi rebus defendendis, poſſis occidere. Ita Sà. Et Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſputat.* 17. *num.* 11. *column.* 583. ait, id innuiſſe ipſum Auguſtinum 1. *de lib. arbitr. cap.* 5. Licèt hic Author, ſimul & alij, Sanctum Doctorem explicent. Quare

Vt certum Reſpondeo: Licitum eſſe cuipiam, ſiue fœminæ, ſiue adoleſcenti, pro tuenda ſua pudicitia, & caſtitate inuaſorem occidere, quando aliter euadere nequit iniuſtam illam oppreſſionem, etiamſi inuaſor ſit Clericus, vel Religioſus. Quia pro honore, & rebus externis tuendis, licitum eſt interficere iniuſtum aggreſſorem, quando aliter tutò hæc non poſſunt defendi, vt ſuprà eſt habitum: ergo longè cum maiori ratione id licebit cuiuis pro defenſione ſuæ caſtitatis, & pudicitiæ, eo quòd æſtimabilius donum eſt pudicitiæ, & caſtitatis, quàm honoris, & aliarum rerum; & quia ſimul cum dedecore periculum adeſt conſenſus in delectationem, & peccatum. Sic colligitur ex textu *in l.* 1. §. *Item Diuus*, *ff. ad legem Corneliam de Sicariis*, ibi: *Diuus Adrianus reſcripſit, eum qui ſtuprum ſibi, vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum.* Sic textus. Et ibi Gloſſa *in verbo*: *dimittendum.* Baldus *in l. vt vim*, *num.* 9. *verſ. Sed pone*, *ff. de Iuſtitia, & iure.* Farinacius *tom.* 4. *quæſtion.* 125. *de homicid tit.* 14 *num.* 44 Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de Reſtit. capit.* 3. *num.* 393. Leſſius *libro* 1. *de Iuſtitia, dub.* 12. *numer.* 76. Toletus *lib.* 5 *Summ. cap.* 6. *verſ. Quartus caſus*, *in fine.* Syluest. Decius, Albericus, Iodocus, Boſſius, Vgolinus, & Ayretius, quos omnes citat, & ſequitur Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 24. Quibus ego addo Tannerum *tom.* 3. *diſp.* 4. *quæſt.* 8 *dub.* 4. *num.* 68. Syluium *in* 2. 2. *q.* 64. *artic.* 7. *quæritur* 9. *concluſ.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 220. *num.* 14 Cordubam, & Mercadum, quos ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 36. Molinam, & Sà *locis* nuper citatis, Cardinalem de Lugo *de Iuſtitia diſp.* 10 *ſect.* 10. *n.* 195. Bonacinam *diſput.* 2. *de reſtit. quæſt. vltim. ſect.* 1. *punct.* 10. *num.* 12. Nauarrum *in Man. cap.* 15 *num.* 5. & Petrum Nauarrum *libro* 2. *capito* 3. *numer.* 301. Valentiam *tomo* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 8. *punct.* 4. Ioannem de Dicaſtillo *tomo* 1. *de Iuſtitia, libro* 2. *tract.* 1. *diſput.* 10 *dubit.* 5. *numer.* 64. Gabrielem Vaſquez *de Reſtitut. capit.* 5. §. *primo*, *dubitatione* 9. *in fine*, Ægidium Trullench. *libro* 5. *in Decalog. cap.* 4.

Digitized by Google

cap.4. dub.3. num.9. & Villalob. *tom.1. tract. 12. diff. 12. num.1.*

QVÆSTIO XIII.

An etiam ſit licitum cuipiam, ſicut ſuam, tueri pudicitiam alterius, occidendo inuaſorem, quando aliter non poteſt illam tueri.

NEgant Authores citati ſuprà *diſp.* 12. *q.*40. & à fortiori D. Auguſtinus, ſi tenuit ſententiam negatiuam, *quaſt. anteced.* relatam.

Sed cum communi omnium ferè ſententia, Reſpondeo: Etiam eſſe licitum. Quia ſi cuipiam (vt vidimus,) licitum eſt bona alterius, & honorem, occidendo tueri, cur non poterit etiam eius pudicitiam, cum hæc pluris æſtimetur, quàm bona temporalia? Deinde quia, vt ait Fagundez, illud homicidium inuaſoris pudicitiæ proximi, non eſt reſpectu defendentis illam voluntarium, ſed neceſſarium, non enim ex voluntate fit, ſed inuitè, & coactè ob proximi neceſſitatem. Et quamuis charitas obliget ad defenſionem proximi, ſine offenſione alterius proximi, tamen cùm proximus vim patiens in pudicitia, & caſtitate, ſit innocens, & alter proximus illam inuadens ſit nocens, & iniurioſus in eo facto, iuſtè poſſumus, ac licitè innocentem defendere cum morte inuaſoris, quando aliter illum defendere non poſſumus, & ille ſibi prædictum damnum vitæ attribuat, quia ipſemet pudicitiæ inuaſor ad hoc homicidium quodammodo defenſorem proximi vim patientis coëgit, vt patet. Sic Fagundez *lib.4. in Decalog. cap.4. num.4.* Secutus Farinacium *tom.4. quaſt.125. num.44.* & 49. Iodocum *in pract. crimin. cap.*80. *num.*21. Leſſium *lib.2. cap.9. dub.13. num.* 88 Petrum Nauarr. *lib.2. cap.3 poſt numerum* 393. D. Anton. 3 *part. tom.4. cap.3. §.2.* & Suarium *tom.5. de cenſuris, diſp.46. ſect.* 3. *n.5.* Quibus ego addo Cardin. de Lug. *loc. cit. ſect.* 11 *à n.*201. Dicaſtillo *loco citato, dub.7. num.* 83. & alios ſuprà citatos.

QVÆSTIO XIV.

An qui occidit inuaſorem iniuſtum, ob defendendam pudicitiam propriam, vel alienam, maneat irregularis.

AFfirmant abſolutè, & vniuerſaliter Doctores, qui exiſtimant, ob quamcunque licitam occiſionem proximi incurri irregularitatem. Et ideò dicunt manere irregularem illum, qui occidit iniuſtum inuaſorem, in defenſionem bonorum temporalium, honoris, ac pudicitiæ ſuæ, proximive. *Primò.* Quia *in Clem. ſi furioſus*, ſolùm eximitur ab irregularitate, qui aliter quàm occidendo, non poteſt defendere propriam vitam: ergo.

Secundò. Quia æquè eſt diligenda vita proximi: ergo ob cuiuſvis occiſionem irregularitate aſtringi occiſor debet. Ita tenent apud Dianam *part.4. tract.2. de Irregularit.* Nauar. Auila, Reginald. Layman, Molina, Henriquez, Salonius, Vega, Bannez, Syluester, Armilla, Gutierrez, & alij.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia probabilius eſt, (vt ſæpè diximus,) quod in omnibus caſibus, quibus licitum eſt cuilibet particulari perſonæ occidere, vel mutilare iniuſtum inuaſorem, nullo modo incurratur irregularitas: ergo nullo modo incurritur ab illo, qui ob defendendam propriam, vel alienam pudicitiam, occidit, vel mutilat eius oppreſſorem, cùm id ſit illi licitum, vt ſu-

prà eſt habitum. Sic nouiſſimè Card n. de Lug. *tom.1. de Iuſtit. diſp.10. ſect.* 10. *num.*200. his verbis tenet: Aduerto vltimò, in iis caſibus, quibus ob vitam, & rem familiarem, & honorem, ac pudicitiam defendendam licitum eſſe diximus mutilare, vel occidere inuaſorem, non incurri irregularitatem, ob eam cauſam, vt tenent, & probant Suarez, Turrianus, Gaſpar Hurtado, Filliuc. Tannerus, Ioan. Præpoſitus, Gordonus, Porrel, Petrus Cornejo, Sotus, Coninch. Villalob. & Mercatus cum aliis, quos refert & ſequitur Dian. *tom.3. tract.1. de Irregul. reſol.4.* Hæc ille *loc. cit.* & largiùs *ſect.11. num.* 15. Quibus Authoribus addo Fagundez, Trullench, Bonacinam, Sà, & alios ſuprà *quaſt.*11. & *ſequenti* allegatos.

Ad primum argumentum conſtat, quid dicendum ex dictis ſuprà *diſputat.*12. *quaſt.*40. & ad ſecundum ex doctrina tradita ex Fagundio, nuper *quaſt. antecedenti.*

DISPVTATIO XV.

De Irregularitate contracta ex homicidio patrato in duello, ſeu ſingulari in pugna.

QVÆSTIO PRIMA.

An ſiat irregularis, qui occidit aliquem in duello, ad quod ſuſcipiendum nulla legitima cauſa interceſſit.

RESPONDEO, vt quid certiſſimum: Fieri irregularem, cum omninò voluntariè patrauerit homicidium, ex quo oritur irregularitas, vt ex dictis conſtat. *Confirmatur*, quia duellum, quod propriè accipitur pro pugna deliberata inter duos, vel plures in pari numero, ex condicto (id eſt, ex pacto inuicem inito,) ſtatuto tempore, & loco, cum periculo vulneris, mutilationis, aut mortis, ſemper eſt illicitum, ſi nulla interueniat legitima cauſa: at ſic eſt, quod ex homicidio culpa cum mortali patrato, ſemper naſcitur irregularitas, vt ſuprà ſæpius eſt habitum: ergo qui ſuſcepit, nulla interueniente cauſa legitima, duellum, & in eo contrarium interfecit, irregularitatem, vltra excommunicationem, & alias pœnas, contraxit. Sic vt certum tenent omnes Doctores de hac materia tractantes (quos præcipuos infra citabimus.) Qui ſecus dicunt multi, non omnes, de illo qui duellum ſuſcepit, legitima cauſa intercedente, quod ex mox dicendis conſtabit.

QVÆSTIO II.

An maneat irregularis, qui ob vanam oſtentationem virium, & acquiſitionem nominis viri robuſti, vel ob voluptatem ſpectantibus procreandam duellum ſuſcipit, & in eo homicidium admittit.

REſpondeo, vt quid certum: Irregularem manere. Quia nulla honeſta interueniente cauſa lethaliter admittit duellum, & in eo voluntarium homicidium, ex quo oritur irregularitas, committit. Nam cum in admiſſione duelli euidens periculum vitæ, tam propriæ, quàm alienæ inſit, nequit ſine mortali, ob tam vanum finem, ac inutilem ſuſcipi. Caietan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. circa *ſolution. ad* 3. (non *ad* 13. vt citatum inuenies apud Palaum) *in* 2. *caſu*: *& in Summ. verb. duellum, verſ. Suſcipere.* Nauar. *in Man. c.* 15. *n.* 28. *in fine*, Armilla *verb. duellum, num.* 1. Delrius *lib.* 4. *diſquiſ. magic. cap.* 4. *q.* 4. *ſect.* 2. *ad finem*. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 17. *punct.* 1. *in cauſa* 5. & 6. Rodrig. *tom.* 1. *Summ. in* 2. *edit. c* 73. *n.* 2. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *de Reſtit. c.* 3. *in* 2. *part. dub.* 13. *n.* 296. quos omnes citat, & ſequitur Thom. Sanch. *lib.* 2. *Summ. c.* 39. *n.* 12. quibus addi poſſunt Suarez *diſp* 15. *de bello, ſect. vlt. num.* 1. Ægidius *diſp.* 32. *dub.* 2. *num.* 5. Palaus *tom.* 1 *tract.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 7. *num.* 5. vterque Hurtad. Complutenſ. *diſp.* 9. *de charit.* Salmanticenſis *diſp.* 170. *ſect.* 3 §. 18. *& ſect.* 5. §. 31. Tannerus *q.* 6. *dub.* 6. *num.* 90. Ouiedo *tract. de Charit. controu.* 13. *punct.* 3. *n.* 29. Bonac. *tract. de cenſur. diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 3. & omnes.

QVÆSTIO III.

An fiant irregulares, qui ſuſcipiunt duellum ad veritatis indaginem, ſi in tali duello committant homicidium.

REſpondeo, vt certum: Fieri irregulares, quia omne homicidium ex actione illicita, & voluntaria procedens inducit irregularitatem: at ſic eſt, quod actio admittendi duellum ad veritatem per victoriam indagandam, eſt omninò illicita, & voluntaria: ergo homicidium ex ea procedens, verè inducet irregularitatem. Minor probatur, quia illa actio inducit malitiam iniuſtitiæ, cum certamen illud ſit iniuſtum, & duellum formaliſſimum ex vtraque parte. Inducit etiam malitiam ſuperſtitionis contra Religionem, & vt tale damnatur *in c.* 1. *&* 2. *de purg. vulg. & cap. Monomachiam,* 2. *q.* 5. & denique malitiam temeritatis, quam in ſe fortitudini oppoſitam quilibet duellator committit: ergo. Sic tenent omnes Doctores, præcipuè nuper citati, inter quos Ouied. *n.* 23. per hæc verba: Tertia cauſa eſt, ob quam propriè dicitur duellum: Cum enim quis ſuam innocentiam, vel quodvis aliud notum fieri volebat, illud armis probandum deſumebat, vt ſi victor euaderet, innocentem, & veracem omnibus eſſe conſtaret; ſin minus, tanquam nocens, & mendax reputaretur. Certamen iſtud eſt iniuſtum, & duellum formaliſſimum ex vtraque parte: medium enim iſtud eſt improportionatum ad finem intentum, ac proinde ex illo cohoneſtari non poteſt. Sic Doctus Ouiedo. Dicaſtillo *de Iuſtitia, lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 15. *n.* 204. & omnes.

QVÆSTIO IV.

An qui indicit, vel admittit duellum, ad vindicandam, ſeu reparandam iniuriam ſibi factam & in eo committit homicidium, maneat irregularis.

NEgaret forſan Lyranus *c.* 17. *Regum* 1. cum exiſtimauerit, licitam eſſe, ob dictam cauſam, admiſſionem duelli, aut indictionem.

Sed vt certum Reſpondeo: Manere irregularem. Quia certum eſt, illicitam eſſe omninò indictionem, aut admiſſionem duelli ob vindicandam, ſeu reparandam iniuriam: at ſic eſt, quod homicidium voluntarium ex illicita actione procedens, ſemper inducit irregularitatem: ergo qui illud in dicto duello committit, irregularis manebit. Minor cum conſequentia apud omnes certa, & maiorem contra Lyran. docent communiter Doctores, præcipuè Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. *in cauſa* 1. Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 39. (non 1. vt leges apud Ouiedum) *num.* 9. (non 15. vt citat ipſmet Ouiedo.) Ægidius *diſp.* 32. *de Charit. num.* 15. Becanus *c.* 25. *q.* 2. Gaſp. Hurtad. *diſp.* 9. *diff.* 25. & Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſput.* 5. *punct.* 7. *num.* 7. quos citat & ſequitur Ouiedo *tract. de Charit. controuerſ.* 13. *punct.* 3. *num.* 35. Dicaſtillo *de Iuſtitia lib.* 2. *tractat.* 1. *diſputat.* 1. *dubit.* 15. *numer.* 223. & alij communiter, quorum ratio eſt: quia vendicare iniuriam, non eſt priuatæ perſonæ, ſed publicæ authoritatis, cuius munus etiam eſt reparare iniurias perſonis priuatis illatas.

QVÆSTIO V.

An irregularitatem contrahat, qui acceptans duellum, aut ſingulare certamen, cauſa excutiendi notam timiditatis, aut puſillanimitatis, aut ne ignauus exiſtimetur, indicentem duellum occidit.

NEgatiuam ſententiam quis ſic defendere poteſt. Nam iuxta noſtram doctrinam ſæpiùs repetitam, vt homicidium commiſſum à priuata perſona pariat irregularitatem, neceſſum eſt, vt procedat ab actione illicita, & mortaliter peccaminoſa: at ſic eſt, quod actio acceptandi duellum, ſeu ſingulare certamen, cauſa excutiendi notam puſillanimitatis, videtur licita, & honeſta: ergo homicidium ab illa procedens non pariet irregularitatem. Minorem, in qua poteſt eſſe difficultas, ſic *Primò* probo, quia ſi vir nobilis, aut miles prouocatus ad duellum, id reſpuat, non modicam honoris iacturam facit: atqui nemo tenetur ſe infamare: ergo nec reſpuere duellum ſibi oblatum.

Secundò. Quia ideò quis prouocat alterum ad duellum, vt illi auferat honorem, & ei vertatur ignominiæ, ſi illud non acceptet: at quando honor aliter defendi nequit, niſi inuaſorem illius occidendo, licet vtique occidere, vt ſuprà *diſp.* 12. *q.* 34. eſt habitum: ergo & licebit acceptare duellum ob defenſionem proprij honoris, ſi aliter illum defendere non poſſumus, niſi illud acceptando.

Tertiò. Quia fas eſt inuaſo inuaſorem perimere, vt honorem tueatur, quando fuga ſibi ignominioſa eſt, etiamſi ipſa fugâ vitam poſſit tueri, vt ſuprà *diſputatione citata* eſt habitum: at maior ignominia eſt duellum oblatum non acceptare, quàm

fugere:

Digitized by Google

fugere : ergo. Propter hæc argumenta, id eſſe licitum affirmant aliqui Authores, quos ſuppreſſis nominibus, refert Bañez 2. 2. *quæſtione* 64. *articulo ſeptimo, dubio tertio.* Quorum ſententiam eſſe probabilem, apertè innuit Baſſæus verbo *duellum, num.* 6. dum contrariam veriorem ſolum appellat.

Sed vt mihi certum, Reſpondeo : Præfatum acceptantem duellum, & in eo occidentem hoſtem ſuum ad illud prouocantem, irregularitatem contrahere. Quia certum eſt mihi, tale homicidium procedere ex actione voluntaria, illicita omninò, & lethaliter peccaminoſa : ergo certum eſt, quod qui illud committit, contrahit irregularitatem. Antecedens probatur. Quia irrationale, & barbarum eſt, me exponere periculo vitæ, ex eo præcisè, quod alius me velit ad pugnam prouocare, nulla alia interueniente cauſa iuſta : ergo non poterit licitè certamen hoc admittere, etiamſi ob id ab aliquibus timidus, ignauus, aut infamis exiſtimer, vt amplius ex ſolutione ad fundamentum in contrarium adductum conſtabit Vnde

Ad illud neganda eſt minor, ad cuius primam probationem neganda eſt minor, quia falſum omninò eſt, quod ille qui non acceptat duellum, gratiâ diuinæ legis obſeruandæ, amittat honorem, aut famam, aut ei aliqua ignominia apud cordatos viros, prudentes, & probus oriatur, etiamſi apud vulgares, & improbos id ignominiæ tribuatur; nam fama, & honor ex illorum potius exiſtimatione, quàm ex horum pendet.

Ad *ſecundam* probationem neganda eſt maior : quia ipſe prouocans per actum prouocationis non intendit ignominiam inferre prouocato, nec illum honore ſuo ſpoliare; nec ex natura rei ignominia ſequitur prouocato, ſi non acceptet; ſed per accidens ex malitia hominum leuiſſimorum, qui quod virtuti, & laudi tribuere debebant, tribuunt ignominiæ : cum ergo prouocans non intendat per prouocationem ad duellum iniuriam inferre, aut ignominiam prouocato, nec ei ex natura rei ex non acceptatione ſequatur, clarum manet, nunquam poſſe eſſe licitam talem acceptationem.

Ad *tertiam* probationem, conceſſa maiori, neganda eſt minor, eſt namque diuerſa ratio de fuga, quia hæc, etiam apud probos, & prudentes viros ignominioſa æſtimatur, & non eſt aliud medium ſe tuendi : at verò prouocatus ad duellum, poteſt aliud medium eligere, nempe neque fugiendo, neque acceptando, ſi dicat, Paratus ſum me defendere quandocumque me aggreſſus fueris : ex condicto autem duellum acceptare non poſſum, id enim Diuinæ legi repugnat, & iuſto etiam Magiſtratus præcepto, per quæ omnia ſi liceret, ego acceptarem. Ex quibus iam conſtat, minimè eſſe licitum duellum acceptare ad depellendum dedecus, quod cuidam ex non acceptatione reſultare videtur, vt docent communiter Doctores, præſertim Sanchez *libro primo Summ. cap.* 39. *num.* 9. Armilla, Caietanus, Sotus, Azeuedo, Nauarra, Bannez, Valentia, Petrus Ledeſma, Rodriguez, Abulenſ. Salon, & Nauarrus apud ipſum, Azor *tomo tertio, libro ſecundo, capite quinto, quæſtione ſexta.* Filliucius *tract.* 19. *capite* 8. *numero* 147. *&* 151. Fagundez *libro quinto in Decalog. capite* 8 *numero* 39. vbi non benè refert Bannez 2. 2. *quæſtione* 64. *articulo ſeptimo, dubitatione tertia*, dicentem primam opinionem videri aliquibus probabilem; nam hic doctus Author minimè id affirmat, cùm ſolùm ſcribat, non deeſſe qui fingant, eſſe licitum duellum in tali caſu acceptare; ſic etiam docent Molina *tom* 4. *tract.* 3. *diſp.* 17. Becanos 2. 2. *capite* 26. *quæſtione* 5. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *capite* 3. *numero tertio*, Bonacina *de cenſur. diſputatione* 2. *quæſtione* 6. *punct.* 4. *numero* 12. Dicaſtillo *de Iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 6. *num.* 70. Ouiedo *tract. de Charit. controuerſ.* 13. *punct.* 3. *numero* 46. Trullench. *libro quinto in Decalog. cap. ſecundo, dubitatione* 13. *num.* 4. Caſtro Palao *tract. de Charit. diſputat.* 5. *punct.* 7. *num.* 8. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *Reſolut.* 16. & alij communiter. Qui omnes conſequenter dicunt, prædictum in duello interfectorem & incurrere irregularitatem, excommunicationemque, & alias pœnas duelli.

QVÆSTIO VI.

An ſaltem maneat liber ab irregularitate, qui acceptans duellum, aut certamen ſingulare, ne aliàs amittat honores, aut publica munera, quæ poſſidet, occidit prouocantem ad illud?

NEgare debet Trullench. *loco citato, numero* 4. *in fine.* Quia elatè negat, eſſe licitam, adhuc in tali caſu, admiſſionem duelli, his verbis : Hinc fit, non eſſe admittendam ſententiam Laymani *in Theolog. Morali libro* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *numero* 3. aſſerentis, in duobus caſibus duellum damnari non poſſe, videlicet ſi Miles in exercitu, vir Equeſtris in Aula Regia, officio, & dignitate excidere debeat ob ignauiam, & timiditatis notam, niſi idemndem prouocanti ſe ſiſtat : vel ſi quis ab iniuſtis conuitiis, ac ſubeundo dedecore aliter ſe liberare nequeat, niſi cùm prouocante congrediatur, quod non placet Dianæ *part.* 2. (lege 3.) *tract.* 6. *Miſcellan. Reſolut.* 1. & meritò quidem, propter rationes hoc numero dictas. Hæc ille. Non ego : ergo ſi illicitè mortaliter occidit prouocatus ad duellum prouocantem, nequit liber exire ab irregularitatis nota.

Negabunt etiam illi Doctores, qui abſolutè docent, etiam ex homicidio licitè patrato irregularitatem oriri, quos adduximus ſuprà *diſputat.* 13. *quæſtione* 2.

Sed probabilius Reſpondeo : Manere liberum ab irregularitate. Probo : quia probabilius eſt, quod ex homicidio licitè facto non fiat quis irregularis, vt ſæpè diximus : at ſic eſt, quod eſt licitum cuipiam acceptare duellum, & in illo ſuum prouocantem occidere, ne aliàs priuetur honoribus, & publicis muneribus, quæ poſſidet : ergo ob tale homicidium non fiet homicida irregularis. Minorem (in qua, iuxta noſtram doctrinam ſolùm poteſt eſſe difficultas) ſic probat ex Petro Hurtado Diana *parte* 5. *tractatu* 13. *Reſolut.* 27. *verſ. Nota etiam.* Quia ad conſeruandam nobilitatem, & munera publica, eſt medium vnicè neceſſarium acceptatio pugnæ : ergo eſt licita. Probo conſequentiam : quia tunc eſt inculpata defenſio bonorum proportionatorum damno inferendo criminatori. Antecedens probo; quia criminator mihi crimen obiecit dignum amiſſione nobilitatis, & munerum, cuius ego innocens ſum, & alter obiecit illud mala fide : quod crimen cenſebitur eſſe probatum, recuſato à me certamine; hæc enim eſt huius duelli natura, de quo agimus. Antecedens probo; quia coniectus ſum ego in anguſtias, vt vel mihi pugnandum ſit cum criminatore iniuſto, vel amiſſurus ſim nobilitatem, & munera : ergo tunc ſubire certamen eſt vnicè neceſſarium ad tuendam nobilitatem. Hæc ex Hurtado Diana *parte quinta*,

loc. cit. licèt *part.* 3. contrarium ſenſerit, vt nuper vidimus.

QVÆSTIO VII.

An ſi aliquis videat, ſe iniuſtiſſimè in iudicio accuſari, & certè cognoſcat, ſe iniquiſſima ſententia ad mortem, vel mutilationem à Iudice damnandum eſſe, poſſit licitè accuſatorem ad duellum prouocare, vel illud ab eo indictum acceptare, & illum etiam ſine nota irregularitatis interficere?

NEgant aliqui doctores; quorum fundamentum eſt, quia ille ſolus iuſtus ſui defenſor dicitur qui inuitus ad pugnam ab aggreſſore cogitur: at ſic eſt, quod qui in hoc caſu prouocat, vel acceptat duellum, non cogitur inuitus ad pugnam: ergo. Minor probatur: quia ſi prouocat ad duellum, ſpontè ad illud prouocat; ſi verò duellum oblatum acceptet, ſpontè etiam acceptat: ergo in neutro caſu inuitus: ergo in neutro vt iuſtus ſui defenſor excuſari poteſt: ergo in vtroque, tanquam iniuſtus prouocator, aut acceptator damnandus: ergo in vtroque interficiens ſuum accuſatorē irregularis eſt cenſendus. Ita apud Sanchez tenent Abulenſ. 1. *Reg. cap.* 17. *quæſtione, vltima*, & Salon. 2. 2. *quæſtione ſexageſimaquarta articulo tertio, controuerſ.* 3. Quibus addo Aragon. 2. 2. *quæſtione* 64. *articulo* 3. *ad* 3. (cuius verba refert Diana *p.* 5. *tract.* 13. *reſol* 27.) & Suarium *diſputatione* 13. *de Charit. ſect. vltima, num.* 5. & apud illum, Siluestrum, Abulenſ. Anton. & Sotum.

Alij autem Auctores è contra ex parte docent, poſſe ſanè licitè innocentem in prædictis caſibus ſuum accuſatorem ad duellum prouocare, vel ab eo illud acceptare, & interficere abſque mortali culpa; non verò abſque irregularitatis pœna; quia exiſtimant hanc ſine illa compati poſſe.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe licitè in aſſignato caſu, accuſatorem ad duellum prouocare, & à fortiori ab eo acceptare illud: & ſi in eo illum interficiat, minimè irregularem fieri.

Prima pars noſtræ reſponſionis eſt communis apud Doctores, & probatur. Quia in anguſtiis, & perplexitatibus, licitum eſt eligere minus malum, ad vitandum maius, quando maius electione minoris effugi poteſt, & aliter non: at minus malum eſt ſubire mortis dubiæ periculum in duello, quàm pati ipſam mortem iniuſtam certò ob iniuriam Iudicis, & calumniatoris ſubeundam: ergo. Adde, quod verè, & propriè non eſt duellum, ſed licita, & iuſta defenſio contra inuadentem iniuſtè: nihil enim re ipſa differt, velle me occidere proprio gladio, an alieno, nempe Iudicis, falſis criminibus. Et ideo hanc partem tenent Bannez 2. 2. *quæſtione* 64. *articulo* 7. *dubit* 4. *in corp.* & *ad* 2. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. in* 2. *edit. cap.* 73. *numero* 1. Nauarrus *in Summ. cap.* 11. *num.* 39 & *cap.* 15 *num* 9. Valentia 2. 2. *diſputatione* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. *col.* 2. Nauarra *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 3. *in* 2. *parte*, *dubit.* 13. *num.* 289. & 290. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 8. *circa ſolut. ad* 3. & *in Summ. verb. Duellum*, qui tamen de ſola duelli ab actore oblati acceptatione loquitur, non de prouocatione; & caſu quo duellum de conſenſu Principis ineatur. Ait enim ſic: Licitum tamen eſt ſuſcipere duellum auctoritate Principis, quando accuſator, materiali gladio Iudicis iniuſtè me petit, mutilando, vel occidendo: quoniam inuaſus gladio, poſſum me gladio tueri. Hæc Caietanus. Cuius limitationem optimè reijciunt Bannez & Nauarra. Vnde hanc eandem partem ſuſtinent. Sanchez *libro* 2. *Summ. capite* 39. *numero ſeptimo.* Azor *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *quæſtione decima.* Ægidius *diſput.* 32. *dubit.* 2. *numero* 4. & 17. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtitia, cap.* 9. *dubit.* 8. *num.* 49. Dicaſtillo *de Iuſtit. lib.* 2. *tractatu* 1. *diſputatione* 10. *dubit.* 25. *num.* 217. Fagundez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 41. Qui bene ad fundamentum contrarium reſpondet negando minorem; nam innocens in dicto caſu, nec voluntariè, & ſpontaneè prouocat, aut acceptat; ſed prouocatus eſt inuoluntariè, eo quòd nullum aliud remedium habet.

Secunda verò pars noſtræ reſponſionis ex prima, iuxta noſtram doctrinam, clarè colligitur. Quia irregularitas hæc non oritur ex homicidio particulari, licitè, & abſque mortali admiſſo, vt docent omnes Auctores *ſupra diſput.* 13. *quæſt.* 2. adducti pro noſtra parte.

QVÆSTIO VIII.

An etiam licitum ſit innocenti acceptare, ſeu offerre duellum, ad tuenda bona temporalia, quando certum habet, quod actor in iudicio per fraudem ipſum opprimat, & ſi in eo illum interficiat, immunis etiam ſit ab irregularitate?

NEgant, non ſolum Auctores primæ opinionis quæſtionis præcedentis, verum etiam alij ex noſtris. Quia licèt exiſtiment, quod in defenſionem vitæ poſſit quis alium ad duellum prouocare, & illum occidere; non verò in defenſionem externorum bonorum. Ratio eorum eſt, quia defenſio armata ſolum licet, quando alius armis me inuadit; at in cauſa criminali, etſi alius ſuis armis non inuadat, inuadit tamen, vt diximus, gladio iudicis, quod non fit in cauſa ciuili, cum ſolùm inuadat iniuſta ſententia Iudicis. Ita apud Suarium tenet Caietanus, & apud Dianam Leſſius *libro* 2. *capite* 9. *dubitatio* 8. *numero* 47. Fillincius *tomo* 2. *tractatu* 29. *numero* 144. Suarez *loco citato*, & Aragonius 2. 2. *quæſtione* 64. *articulo* 3. *ad* 3. Sed ex his Auctoribus Leſſius oppoſitum omnino ſentit *loco citato, verſ. Tertiò.* Citari tamen poteſt Palaus *tom.* 1. *tractatu* 6. *de Charit. diſputat.* 5. *punct.* 7. *num.* 12.

Reſpondeo ergo probabilius (& magis conſequenter, vt fatetur Suarez) dicendum, etiam eſſe licitum innocenti acceptare, ſeu offerre duellum ad bona temporalia in notabili quantitate tuenda; quando conſtat omnino iniuſtè, & per calumniam actorem procedere, & certum omnino eſt fore, vt innocens hæc amittat, nec aliud ſibi remedium ſuperſit. Ratio eſt, quia ſic talis acceptatio, ſeu prouocatio duelli, non induit rationem proprij duelli, ſed defenſionis iuſtæ: at hæc non ſolùm eſt licita cum morte inuadentis pro vita, & honore tuendis, ſed etiam pro rebus temporalibus, vt *ſuprà* eſt habitum: ergo & erit licitum acceptare duellum, ſeu offerre illud, in eoque occidere actorem, ſi aliter res ſuas innocens defendere nequeat. Sic tenent Auctores citati pro noſtra ſententia, præcipuè Sanchez Bannez & Nauarra. Qui addunt, non ſolùm licere in dictis caſibus acceptare, & offerre duellum; verùm etiam non prouocando ad illud, interficere occultè actorem illum calumnioſum, cùm hæc occiſio ſit vera defenſio. Immò, quod amplius, teneri innocentem non acceptare duellum,

nec

nec indicere, ſi poteſt occultè illum occidendo, id vitæ, honoris,& rerum familiarium periculum euadere, quippe ſic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit,& peccatum actoris offerentis, aut acceptantis duellum. Tenent etiam noſtram ſententiam Diana *part.5.tract.13. Reſolut.*27. Petr Hurtad. *in* 2.2. *diſp.*70.*ſection.*8.§.70 *&* 77. & tandem Dicaſtillo *loco citato, num.*221. Lugo *de Iuſt.diſp.*10.*ſect.*7.*n.*165. *verſ. Secundò probatur.* Ouido *de charit.controuerſ.*13. *punct.*3. *num.* 41. Qui tamen malè citat Palaum pro hac parte.

Ex qua doctrina clarè, iuxta noſtra principia, colligitur, minimè manere irregularem occidentem, in præfatis caſibus iniuſtum actorem, cum tunc talis occiſio ſit licita,& à graui immunis culpa.

Qvæstio IX.

An ſi inuaſor iniuſtus velit te occidere, inhonorare, vel bona tua rapere, niſi duellum acceptes; poſsis illud acceptare, & ſine culpa, & irregularitatis pœna dictum inuaſorem occidere.

NEgant abſolutè aliqui. Alij diſtinguunt, dicentes, poſſe quem acceptare duellum, caſu ſolum, quo quis velit occidere, niſi illud acceptet; ſecus in alijs caſibus. Authores opinionum harum habes ſupra. Vide illos.

Sed iuxta nuper dicta, probabilius Reſpondeo, dicendum: Poſſe ſine exceptione in omnibus dictis caſibus acceptare duellum, & in illo licitè occidere inuaſorem, nec ob id pœnam irregularitatis incurrere. *Primum* conſtat ex dictis. Quia in omnibus dictis caſibus acceptatio duelli,& in eo occiſio inuaſoris vitæ, honoris, vel fortunarum, eſt defenſio neceſſaria: ergo & licita: ergo in noſtris principiis, immunis ab irregularitate. Sic Authores pro noſtra parte quæſtionibus antecedentibus adducti. Legantur inter alios Lugo *loco cit.ſect.*8.*in fine.* Palaus *punct.*7.*cit.n.*13. Puente Hurtado 2.2.*diſp.*170.*ſect.*8.§.77.& Diana *loc.cit. verſ. Notandum eſt*, vbi addunt, quod inuaſus in eo caſu nequeat acceptare certamen, ſi ibi poteſt inuaſorem occidere, quia interficere aggreſſorem iniuſtum, quando actu phyſicè mihi mortem intentat, magis conſentaneum eſt iuri naturali,& Eccleſiaſtico, quàm in campum exire ad pugnandum. Quæ doctrina conſonat doctrinæ à nobis ex Sanchez,& Bannez nupertimè traditæ.

Qvæstio X.

An licitum ſit cuipiam in defenſionem diuini honoris, acceptare duellum, in eoque abſque incurſione irregularitatis iniuriantem occidere.

REſpondeo: Eſſe licitum cuipiam duellum admittere, & in illo occidere in defenſionem diuini honoris, eum qui à periculo contra illum non vult deſiſtere, niſi cum illo duellum ineat. Sic tenet Palaus *loco citato, num.* 14. vbi ita ait: Ob peccata, quæ ſolùm nocent peccanti, clarum eſt, te non poſſe duellum admittere. Ob peccata verò, quæ cedunt in iniuriam & grauem proximi, boni communis,& Religionis, poteris, præcipuè authoritate Principis duellum admittere, ſi alia via tibi non ſuppetit defenſionis, quia ob hanc rationem licet tibi iniuriãtem occidere. Quis enim negare poteſt, te non poſſe hæreticum occidere, ſi à conculcatione Sacramenti,& profanatione rerum Sacrarum deſiſtere non vult? Defendis enim tunc diuinum honorem. Hæc Palaus. Nunc ego: Si igitur tunc licita eſt occiſio, à fortiori erit admiſſio duelli, & nex in eo commiſſa libera ab irregularitate.

DISPVTATIO XVI.

De Irregularitate contracta ex homicidio caſuali.

Qvæstio Prima.

Quid ſit homicidium caſuale?

REſpondeo: Dicendum, quod eſt illud, quod præter intentionem occidentis fit. Sic omnes Theologi cum D.Thom, 2.2. *q.*64. *art.*8.*in corpore.* Legantur inter alios Caietan. Bannez, Salon. Aragon. ibi. Suar. *de cenſ. diſp.*45. *in princ.* Sayr. *lib.*7.*Theſaur.c.*1.*n.*9.*&* *c.*5.*per tot.* Filliuc. *tract.*20.*cap.*3. Bonacin. *q.*4.*de Irregular. punct.*7. Dicaſtil. *de Iuſtit.lib.*2.*tract.*1.*diſp.*10.*dub.*12. Fagundez *lib.*5.*in Decal.c.*13.*num.*9 Gaſp. Hurtad. *diſp.*2.*de Irregular.diff* 8. Petr. Cornejo *tract.*5. *de Irregularit. diſp.*3.*à principio* Bannius *tract.*13. *de Irregularitat. q.*19.*pag.*471. Auila *p.*7.*diſp.*6.*ſect.*1. Gibalinus *de Irregularit.c.*4.*q.*1.*à n.*1.*pag.*111.*&* *q.*2.*à n.*1.*pag.*159. Nauarr.*c.*27.*n.*220. Pellizzar. *tom.*2.*Man.Regul. tract.*7 *c.*5 *ſect.*2.*q.*54.*n.*235.& alij citandi.

Qvæstio II.

Quotuplex ſit homicidium caſuale.

REſpondeo: Dicendum quod ſit duplex. Alterum quod dicitur omninò, & ſimpliciter caſuale, & eſt illud, quod nullo modo eſt volitũ, nec directè, nec indirectè, nec in ſe, nec in cauſa, nec præuiſum ab occidente. Alterum, quod non eſt omninò,& ſimpliciter caſuale, ſed partim caſuale,& partim non, eo quod licèt non ſit directè volitum,& intentum, eſt tamen indirectè, & quodammodo volitum, vt explicant Caiet. 2.2.*q.*64.*art.*8.& alij DD. nuper adducti.

Qvæstio III.

An homicidium omninò, & ſimpliciter caſuale, quod nec in ſe, nec in cauſa, vllo modo eſt volitum, inducat irregularitatem.

REſpondeo, vt certum: Non inducere. Sic colligitur ex *cap. Lator,& ex cap. Dilectus, & cap. Significaſti* 1, *de homicid.* Ratio eſt. Quia homicidium quod nullo modo eſt peccaminoſum, non inducit irregularitatem: at homicidium omninò, & ſimpliciter caſuale, non eſt peccaminoſum: ergo non inducit irregularitatem. Cætera ex ſæpè dictis conſtant, minor autem probatur. Quia homicidium omninò caſuale, eſt prorſus inuoluntarium; ergo non eſt peccaminoſum. Conſequentia patet, quia omne

peccatum eſt voluntarium. Antecedens verò etiam conſtat, tum ex D. Auguſt.*lib.de vera Relig. cap.*14. *& ex cap.Meritò*,15. *quaſt*.1. & D.Thom.2.2.*q*.64. *art*.8. Tum etiam ex Ariſtotele docente, quod voluntarium debet eſſe à principio intrinſeco cognoſcente ſingula : at homicidium omninò caſuale, & merè fortuitum, nullo modo eſt cognitum, nec præuiſum, à patrante illud:ergo nullo modo eſt voluntarium. Sic docent omnes Doctores, ſaltem loquendo de homicidio quod ex actione licita contingit; nam non deſunt aliqui ſentientes, inducere irregularitatem homicidium omninò fortuitum, ſi aliàs ex actione illicita eueniat. Legantur D. Thom. *loc.cit*. Nauar. *cap*.27.*n*.220. Suar.*loc.cit num*.9. Auil.*loc.cit.verſ.Secundò notandum eſt*. Sayr.*loc.cit.n*.2. Molin.*tom*.4.*tract*.3.*diſp*.71.*n*.1.*& diſp*.77.*n*.2. Bonac.*num*.2. Gibal.*q*.2.*cit.n*.2.*pag*.159. Barboſ. *ad c. Lator.citatum,n*.1. Pellizz. *loc.cit.q*.55. *num*.236. & alij.

Qvæstio IV.

An ſaltem homicidium indirectè voluntarium, ſeu aliquo modo volitum, pariat irregularitatem.

RESpondeo, vt certum : Parere irregularitatem. Quia ſic colligitur ex *cap.Significaſti,el primero, & ex cap. Dilectus,de homicid.& ex cap. Clerico, cum aliis,diſt*.50. Ratio eſt, quia homicidium indirectè volitum, eſt verum, & proprium homicidium, cum ſit ſufficienter voluntarium; & peccaminoſum moraliter : at ſic eſt, quod Sacri Canones plectunt irregularitate talis homicidij crimen : ergo. Sic tenent omnes Theologi cum D.Thom.2.2.*q*.64. Summiſtæ *verb.homicid. & verb.Irregularitas*, & Canoniſtæ in iuribus citatis.

Qvæstio .V.

An vt hac irregularitas, quæ ex homicidio indirectè volito manat, incurratur, ſufficiat venialis culpa.

AFfirmant Caietan. Arag.2.2.*q* 64. *art*.8. Scotus, Mayron, & Comitolus apud Gibalinum, vbi infra. Conradus, Corduba, & Toletus, apud Sayrum. & alij ex Canoniſtis, & nouiter Megal. 3.*part. lib*.7. *c*.2 *q*.5.*num*.110. Quorum fundamentum habes ſupra *tract*.1.*diſp*.1.*q*.7.

Sed probabilius Reſpondeo : Non ſufficere culpam venialem, ſed requiri omninò mortalem culpam. Ratio eſt. Quia huiuſmodi irregularitas eſt pœnalis, aliàs ſine vlla omninò culpa contraheretur, quod contrarij negant; ergo ſupponit culpam ſibi correſpondentem, vt iuſta ſit : at ſic eſt, quod vt omnes concedunt, irregularitas eſt pœna grauis : ergo & culpam grauem ad illam requiri, omnes fateri debent. Sic Sot. *lib*.5 *de Iuſt.quaſt*.1.*art*.9.*in fine*. Nauar. *cap*.27.*n*.252. *verſ.Octauò dico*. Henriq. *lib*.14 *cap*.3.§.1. *& c*.15. §.1.*&* 7. Suar. *diſp*.45.*ſect*.9.*n*.8. Sanch.*lib*.9.*de Matr. diſp*.32. *n*.29. Bonacina, Bannez, Gordonus, Ioan. de la Cruz, Sayrus, Valentia, & alij, quos refert, & ſequitur Gibalin. *quaſt*.2. *cit.n*.5.*pag*.161. Diana *p*.4. *tract*.2.*Reſol*.21. Monteſinos 1.2.*diſp*.8. *q*.12. *n*.152. Pellizzar.*loc.cit. q*.56.*n*.139. Legantur dicta à nobis *tract*.1.*diſp*.1.*q*.7.*circa*.

Qvæstio VI.

An ſemper quod quis mortaliter poſitiua actione peccat in cauendo homicidio, contrahat irregularitatem.

REſpondeo, vt certum : Contrahere irregularitatem, etiamſi rei licitæ vacet. Hanc reſponſionem vt certiſſimam ſtatuit Gibalinus *de Irregularit.cap*.4. *quaſt*.2. *num*.7. vbi ita ait : Qui mortaliter peccat, ob non adhibitam ſufficientem diligentiam in cauendo homicidio, contrahit irregularitatem homicidio ſubſequuto, ſiue vacaret rei licitæ, ſiue illicitæ. Hæc regula nullam habet difficultatem; cum enim voluntarium ſit homicidium illud, & culpabile mortaliter, quamuis non fuerit volitum in ſe, ſed in ſua cauſa, propter ignorantiam vincibilem, & negligentiam mortalem in præcauendo periculo, nihil planè fingi poteſt, vnde excuſetur irregularitas, quam certum eſt contrahi ratione homicidij voluntarij. Quod autem quis vacaret rei licitæ, ex qua ſequutum tamen fuit præter intentionem, ſed non ſine culpa, eaque graui operantis homicidium, non facit, quin illud fuerit voluntarium : & quamuis non fuerit peccatum præciſè exercendo actionem licitam, ratione tamen periculi, quod in his circumſtantiis cum eiuſdem actione, alioquin nullo iure prohibita coniungebatur, & non ſatis præuiſum, aut impeditum fuit, peccaoit ita operans peccato homicidij indirectè voluntarij. Et idcircò *in c.Presbyterum, de homicid*. qui in caſtigando puero exceſſerat, fit irregularis, morte ſequuta: quia etiamſi licitè caſtigaret puerum, modum tamen debitum exceſſit, &c. Sic Gibalinus. Cui nemo contradicere poteſt.

Qvæstio VII.

An dans operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi aliquo iure prohibitæ, ſi ex illo opere ſequatur homicidium omninò caſuale, inuoluntarium, & inculpatum, fiat nihilominus irregularis?

AFfirmant non pauci DD. docentes abſolutè incurrere irregularitatem vacantem rei ſibi illicitæ, ſi ex tali actione ſequutum fuit homicidium omninò à caſu, & omninò ignoranter, etiamſi ne ex ſua actione ſequeretur, debitam adhibuerit diligentiam. Fundamentum eſt, quia *in cap Dilectus filius, & cap. Ioannes*. Definit Innoc. III. non fuiſſe incurſam irregularitatem ob quædam homicidia omninò caſualia, eò quod non fuerint facta, dando operam rei illicitæ : ergo à contrario ſenſu, ſi fuiſſent facta dando operam rei illicitæ, incurſa eſſet irregularitas. Ob id ita tenent Caietan.2.2.*q* 64. *art*.8. (non 9. vt leges apud Hurtadum, & Dianam) Syluest. *verb. homicidium* 2. *n*.2. Conrad.1.2.*q* 72. *art*.8. Philiarcus *libro quarto*, *c*.11.§. *ſeptimo*. Viualdus *de Irregularitate n*.248. *verſ. Tertia*, vbi ita ait : Dans operam rei illicitæ, quantamcunque adhibeat diligentiam, fit irregularis per mortem, vel mutilationem ſequentem, vt eſt exemplum *in c.Suſcepimus,de homicidio*. Ita ille, qui & citat pro ſe, vltra Caietanum, Sotum *libro quinto de iuſtitia, quaſtione quinta, articulo fin*. Angelum, Syluestrum, Armillam, Couarruuiam, Caſtrum, Nauarrum, & alios. Sed non benè ita abſolutè citat hic author hos Authores, vt infra.

Alij

Digitized by Google

Alij verò contra ex parte dicunt, non ſufficere ad incurrendam hanc irregularitatem, quod homicidium caſuale ſit ſequutum ex opere illicito, ſed neceſſarium eſſe, quod opus illud ſit periculoſum; quia aut ex natura ſua eſt ordinatum ad homicidium, vel mutilationem; aut cum illo ferè ſemper, atque hic, & nunc coniunctum, vt eſt mittere bombardam ad arcem, aut ſagittam, aut lanceam in exercitu, &c. tunc enim ſi ſequatur homicidium, vel mutilatio, quantacunque diligentia adhibeatur, incurritur irregularitas. Quia eo ipſo, quod quis opus, quod ex ſe, & ſua natura periculoſum eſt, ad homicidium exercet, cenſetur velle illud homicidium indirectè ſaltem, & in ſua cauſa, ex illa Regula Iur. *lib.6. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur.* Ita tenet Couar. *in Clement. Si furioſus, part. 2.* (non 1. vt leges apud Sayrum) §.4.*num.*10.*per totum*, qui *verſ. Igitur*, citat pro ſe Ancharan. & Francum *in cap. vltimo de homicid. in* 6. Gonſaluum à Villadiego *tract. de Irregularitate, cap. de percuſſore col.* 3. Alphonſum de Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnal. cap.* 14. & Sotum *lib.* 5 *de Iuſtit. quæſt.* 1, *art.* 9. His addi poſſunt Molina *tom.* 4 *tract.* 5 *diſp* 77.*num.* 5. Aragon 2. 2. *quæſt.*64. *art.* 8. Corduba *lib.* 2. *quæstion.* 26. Medina 1. 2. *q.*73. *art.* 3. Salon 2. 2. *q.*64. *art.* 8. *controu.* 3. Henriquez *lib.* 14 *cap.* 15.§. 1. & 2. apud Sayrum Petr. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 2. *dubit.* 6. *corol.* 3. Nauarr. *cap.* 2. (non 22 1. vt legi apud Sayrum) *num* 221.*verſ. Tertiò, in fine*, vbi requirit, vt ſit cauſa propinqua ſufficienter directa reſpectu talis effectus. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 6.*quæſt.* 5. *punct.* 3. & *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *puncto* 5. Toletus *lib.* 1. *cap.* 29. *verſ. Secundò, notab.* 2. Sayrus *lib.* 7. *Theſauri, cap.* 5 *num.* 12. (non 6. *num.* 11. vt citat Gibalinus) Auila *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *dub.* 5. *opinione* 4. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimon. diſput.* 32. *num.* 25. Layman *lib.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num* 5. quamuis hic requirat culpam ſaltem venialem. Villal bos *tract.* 21. *diff.* 23, *num.* 3. & Monteſinos 1. 2. *diſp* 8. *q.* 12. *n.* 165.

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia probabilius eſt, nunquam oriri irregularitatem ex homicidio caſuali ex opere ſiue licito, ſiue illicito, etiam periculoſo ex ſe, ſi omnis diligentia quam prudentia exigebat, adhibita fuit, ne homicidium contingeret.

Probatur *Primò*. Quia huiuſmodi homicidium procedens ex opere illicito, & pericoloſo, eſt adhuc merè caſuale, & omnino inuoluntarium in ratione homicidij, ac proinde prorſus inculpabile: ergo non poteſt parere irregularitatem. Conſequentia eſt nota, ex ſuprà adductis. Antecedens verò probatur à Gibalino ſic: Quia tale homicidium neque directè, & in ſe eſt voluntarium, vt apparet; neque indirectè, & in ſua cauſa, quia adhibita fuit, vt ſupponitur, omnis diligentia ad cauendum homicidium: ergo non magis volitum eſt homicidium in ſua cauſa, ex eo quod fuerit ſequutum ex opere illicito, cùm vtrobique fuerit poſita omnis diligentia, quam prudentia in his circumſtantiis requirebat; & ratio tota voluntarij indirecti, quæ fingi poteſt in ſimili caſu, petenda ſit à negligentia, & à cautione non adhibita, &c. Sic ille.

Secundò probatur à Gaſp. Hurtado. Quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis: ſed in nullo iure expreſſum eſt, homicidam eſſe irregularem, ob homicidium omnino caſuale, quamuis factum dando operam rei illicitæ etiam ex ſe tendentis ad homicidium, quia in duobus capitulis, *Dilectus*, & *Ioannes*, adductis ab aduerſariis, tantum definitur, non eſſe irregularem ob homicidium caſuale factum non dando operam rei illicitæ; addendo autem Pontifex *non dando* (ſic cum negatione lege) *operam rei illicitæ*, non ſupponit à contrario ſenſu, ob homicidium omnino caſuale factum dando operam rei illicitæ incurri irregularitatem: tum quia id non addit abſque cauſa, ſed ob duas, nempe & quia in caſibus ſibi propoſitis ita contingit, & ſupponebatur; & quia iuxta doctrinam omnium certum erat, tunc homicidium non imputari ad culpam. Tum etiam, quia argumentum à contrario ſenſu nunquam eſt efficax, præſertim in materia odioſa, quæ potius eſt reſtringenda, quàm amplianda, & maximè in materia irregularitatis, quam conſtat non incurri, niſi in caſibus à iure expreſſis. Ita Hurtado *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 8. *num.* 28. & Gibalinus *cap* 4. *de Irregularit. quæſt.* 2. *num.* 9. *pag.* 166. vterque citans Henriquez pro hac parte, eodem loco, quo pro contraria citat Sayrus, nempe *lib.* 14. *cap.* 15. Sed licet Henriquez *n.* 1. nobis conſentiat, contrariis tamen adhæret *num.* 2. dum dicta à ſe his verbis limitat: At quando ex tali cauſa frequenter, & moraliter ſequitur homicidium, qui vidit eam cauſam, & dat operam rei illicitæ, videtur communiter fieri irregularem, ſecuto effectu: de his enim iura ita in foro exteriori iubent præſumi irregulares: qui enim vult cauſam determinatam, & quaſi neceſſariam, hic ſubinde vult effectum, qui communiter in re morali inde ſequitur. Hæc Henriquez verba, per quæ elatè fatetur, contrariis aſſentiri. Verum eſt quod ſtatim loquendo in foro conſcientiæ, veniat nobiſcum. Legatur idem Auctor pro nobis eodem *lib.* 14 (non 13. vt leges apud Dianam) *cap.* 11. *num.* 1. necnon Ægidius *diſſ.* 18. *dub.* 9. *n.* 80. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 100. *num* 59. & *diſp.* 124. *cap.* 2. Præpoſitus 3. *part. quæſt.* 5. *de Irregularit. dub.* 10. *num.* 63. & 84. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 20 *cap.* 3. *num.* 64. Tannerus *in* 3. *part. diſp* 1. *quæſt* 10. *punct.* 12. *n.* 216. Sà *verb. Irregularitas ex deformi natione illicita, num.* 4. apud Dianam; apud Gibalinum 2. & apud me, vbi ita ait: *Homicidium caſuale facit irregularem, cum oritur ex peccato mortali, & opere, ex quo ſequi ſolet, vt ex natura rei.* Quibus verbis duo requirere conſtat, nempe, & peccatum mortale in cauendo homicidio, & opus quod ex natura ſua ſit cauſa illius. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 20. Gibalinus *cap.* 4. *q.* 2. *à n.* 8. *pag.* 165. Suarez *etiam diſp.* 45. *ſect.* 6. *n.* 9. qui tantum limitat quoad caſus quoſdam, quos in iure expreſſos eſſe putat, quod idem dicit Gordon. *q.* 18. *lib.* 7. *n.* 61. Bonacina *diſp.* 7. *q.* 4 (non 14. vt leges in Gibalino) *punct.* 7. *n.* 9. licèt poſtea in limitationibus, quas apponit, videatur communi ſententiæ adhærere. Fagundez *lib.* 5. *in decalog. c.* 14. *n.* 11. Pellizzarius *loc. cit. q.* 57. *n.* 241.

Ex doctrina à nobis ſuperius tradita ſolui poſſunt caſus de homicidio caſuali paſſim occurrentes, quos breuiter proponemus. Sit igitur

QVÆSTIO VIII.

An Clericus, qui equum ferocem equitans caſu aliquem occidit, maneat irregularis.

RESpondeo: Non manere irregularem, ſi ſufficientem diligentiam adhibeat, ne mors hominis ſequatur. Ratio eſt, quia nullam culpam in homicidio commiſit. Sic communiter DD. qui id probant ex *cap. Significaſti*, & *cap. Dilectus, de homicid.* & ex *l.* 1. *in princip. ff. ſi quadrup. pauper. feciſſe dicatur.* Legantur Summ. Angelica *verb. Irregularitas*, §. 17. vbi citat Bern. *in cap. Dilectus*, contrarium ſentientem in caſu, quo de facili frenum potuit frangi. Sed nec in hoc caſu ſentiendus eſt irregularis, ſi diligentiam ſufficientem adhibuit, aut nulla

de hoc periculo ei euenit ſuſpicio, aut dubitatio. Summa Aſtenſis *part.2. lib.6 tit.14. art.6 quæſt.10.* Couar. *in Clement. Si furioſus, part.2.§.4.num.5.verſ. Poſterior.* Sayrus *lib.7.cap.6. num.1.* Auila *p.7.diſp.6. ſect.1. dub.1. in fine.* Bonac. *diſp.7. quæſt.4. punct.7. n.23.* Graffis *p.2. deciſ.lib.2.c.66.n.14* Barboſa *in cap. Dilectus cit.num.1.* & communis.

QVÆSTIO IX.

An Monachus Franciſcanus, qui equitando contra regulam, caſu puerum occidit, maneat irregularis?

AFfirmare tenentur Auctores primæ opinionis *quæſt.7.* Illi enim dicunt, manere irregularem illum, qui vacans rei illicitæ, occidit aliquem caſu, & fortuitò, etiamſi ad homicidium cauendum omnem diligentiam poſuerit. Quia ſequutum fuit ex opere illicito, & prohibito: tunc ſic: Atqui prohibitum eſt Franciſcanis equitare; ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manſiſſe irregularem. Sic tenent in primis omnes Auctores, quos pro ſecunda opinione retulimus *quæſt.7.* & conſequenter certè. Probant: quia licèt Franciſcanus peccet contra Regulam equitando, quia tamen hoc non eſt res periculoſa, nec ordinata ad mortem, ideo non efficitur irregularis, quando equitando, caſu inopinato puerum occidit, ſi debitam adhibuerit dilungentiam. Sic probant, & tenent in ſpecie noſtri caſus, Nauar. *c.27.n.238.* ita dicens: Vigeſimooctauo infertur, quod non ſit irregularis Monachus Minor, peccans equitando, eo quòd mula manſuetiſſima, qua vehitur, citra ſuam aliam culpam puerum occidat; quia culpa inſeſſionis eiuſmodi mulæ nullatenus dirigebatur in talem mortem. Sic ille. Henriquez *lib.14.cap.11.n.1. in Gloſſa, litt. M. & cap.15.n.4.* Sayrus *lib.7. cap.9. n.25.* Bonac. & Barboſa *loc.cit.*

Tenent & à fortiori omnes Auctores pro noſtra ſententia *quæſt.7. adducti*; non ex eo quod licèt talis Monachus, dabat operam rei ſibi illicitæ, ſed non ſimul periculoſæ, ac ad mortem ordinatæ; ſed ex eo, quod nec per illam actionem inſeſſionis mulæ, nec per aliam diſtinctam concurrerit ad necem pueri voluntariè, directè, aut indirectè, admittendo homicidij mortale, quod vt vidimus, neceſſum eſt omnino ad irregularitatem contrahendam.

QVÆSTIO X.

An Clericus, vel Monachus, qui dant operam venationi non periculoſæ, vt eſt venatio perdicum, cuniculorum, &c in ea, adhibita diligentia ſufficienti, fortuitò, & omnino caſu occidit aliquem, maneat irregularis?

AFfirmare debent Caietan. Conrad. Philiarcus, Viuald. & alij relati *ſuprà quæſt.7.* pro prima opinione, docentes vniuerſaliter, quod omnis ille, qui dat operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi prohibitæ, etiamſi adhibeat diligentiam ſufficientem, ne homicidium ſequatur; ſi tamen de facto ſubſequitur, fiat irregularis. Ita illi, quos ſequi videtur Barboſa *in cap. De cætera, de homicid.* Nunc ego: Sed ſic eſt, quod Clericis, & Monachis eſt prohibitum, ob honeſtatem, & ſtatus decentiam, venari etiam animalia manſueta, vti perdices, cuniculos & huiuſmodi: ergo homicidium ex venatione tali ſecutum irregularitatem illis pariet. Et ita in terminis docent apud Couarruuiam Socin. Iunior *lib.1. conſil.58.* Caſtro *lib.2. de lege pœnali, cap.14. verſ. Nec refert.* Quibus Henriquez addit Maiolum *lib.5. de Irregularit.cap 48.§.3. num.5.* (Sed hic Auctor id non in ſpecie docet ibi) Syluestrum *verb. Homicidium 2.§.2.* Tabienam *irregularitas 3. §.19.* Caiet. *2.2. quæſt.64. art.8.* & Angelum *homicidium 2. num.13.* vbi ita ait. Quid de Clerico, qui venando, vel ſe exercendo iaculum proiecit, & alium caſu interfecit? Reſpondeo, quod tenetur de homicidio, & eſt irregularis ſiue adhibuerit diligentiam, vel ne: quia dabat operam rei illicitæ, *cap. ii qui arborem, §. Si verò, 50. diſt.* Sic Angelus.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem, ſi adhibuit ſufficientem diligentiam, ne homicidium ſequeretur. Quia, vt bene Couarruu. illa culpa illicitæ venationis, non pertinet ad homicidium, ſed tantum ad tranſgreſſionem præcepti de non venando conſtituti, quæ non ſufficit ad irregularitatem ex homicidio priuato conſtituendam; quod patet, quia ſi non eſſet interdicta venatio, vt omnes fatentur, nulla contraheretur ex hac ſpecie irregularitas: igitur irregularitas non eſt deducenda ex illa culpa, quæ nulla ex parte ad homicidium fertur, ſed ad tranſgreſſionem præcepti, cuius violatio, iuxta Canonicas ſanctiones, non producit irregularitatem. Sic Couar. *in Clem. Si furioſus, 2.p.§.4.num.10. verſ. Quartò infertur.* Nauarrus *cap.17. num.135. & 237.* Sotus *lib.5. de Iuſt.q.1.art.9.col.6.* Henriquez *lib.14. c.15.n.3.* Sayrus *lib.7.c.6.n.28.* Auila *p.7.diſp.6.dub.1. propè finem, verſ. Primò ſequitur.*

QVÆSTIO XI.

An ſaltem maneat irregularis Clericus, vel Monachus, qui incumbens venationi periculoſæ, vt eſt venatio aprorum, aut vrſorum, caſu occidit hominem?

AFfirmant, & à fortiori, Auctores pro prima ſententia adducti. Quibus addi poſſunt omnes alij, qui tenent fieri irregularem illum, qui dat operam rei illicitæ, & ſimul periculoſæ, ſi inde ſequatur mors alicuius præter occidentis intentionem; quamuis ſufficientem adhibuerit diligentiam, ne talis mors ſequeretur. Hos Auctores retulimus *ſuprà q.7.* ſed in ſpecie ita tenent Nauar. *cap.27. num.237. in fine.* Sotus *ſup. col 6.* Henriquez *lib.14. cap.15.n.3.* Sayrus *lib.7. cap.6. num.17.* Couarru. *num 10. cit.* ibi: Quam ſententiam ipſe admitterem dubio procul, vbi venatio eſſet prohibita, ob periculum homicidij, mortis, aut vulnerum, quæ ſolent contingere ex ſimili venandi modo.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem, ſi ne ſequeretur homicidium, omnem diligentiam præſtiterit. Quia ad contrahendam hanc irregularitatem parum refert, quod res prohibita, cui quis vacat, ſit periculoſa, & ob id interdicta, nec-ne; ſolum enim attendendum eſt, vt homicidium ſit aliquo modo voluntarium, & mortaliter peccaminoſum, & quod ad illud ſpecialiter concurrat committens. Nam (vt ſuprà eſt habitum) nihil ad rem attinet, verum aliquod opus licitum fuerit, aut illicitum, quando ex vtroque æquè ſequitur caſualiter homicidium: ideoque diſtinctio illa contrariorum, rei licitæ duntaxat, & periculoſæ, atque ea de cauſa prohibitæ, nec quidquam prodeſt; quia ſi fuit adhibita diligentia neceſſaria, vti ſupponimus, iam ea periculum omne abſterſit, & re vera cum tali diligentia ea res non eſt amplius periculoſa: ſi verò non fuit cura ſufficiens adhibita, iam ratione illius negligentiæ, & inconſiderationis homicidium eſt voluntarium

Digitized by Google

voluntarium in ſua cauſa, & non omnino caſuale, & æquè contraheretur tum culpa, tum irregularitas, ſi propter eandem negligentiam ſequuta fuiſſet mors ex opere etiam licito. Sic omnino Gibalinus *cap. 4. q. 2. n. 10.* Et ſic tenent omnes Auctores citati *ſupra q. 7.* pro ſententia noſtra. Et in caſu noſtræ quæſtionis idem tenet Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 11. verſ. Hinc ſequitur*, & *verſ. Primò ſequitur*, quamuis non ob noſtram, ſed ob aliam rationem, nempe quia (inquit) venatio aprorum, & vrſorum non eſt opus periculoſum, cum in ea rarò mors contingat.

QVÆSTIO XII.

An fiat irregularis Clericus, qui dum licitè pulſans campanas, caſu cauſam dedit homicidij, cadendo tinnabulum.

RESpondeo, vt certum: Non fieri irregularem. Quia ſi ſufficientem diligentiam adhibuit, vt ſupponimus, tale homicidium fuit inuoluntarium, & abſque vlla culpa: ergo abſque vlla pœna irregularitatis. Sic omnes communiter, & probant ex *c. Ioannes, de homicid.* vbi Barboſa *num. 1. & 2.* citans Graſſium *part. 1. deciſ. lib. 2. n. 66.* Farinac. *crimin. part. 2. tit. I. n. 509.* Nauarrum *cap. 27. n. 290. (Sed hunc malè apud meum librum)* Garciam *de Benefic. part. 7. c. 11 n. 73.* Suarez *diſp. 45. ſect. 5.* Auilam *part. 7. diſp. 6. ſect. 1.* Sayrum *lib. 7. c. 5. n. 8. & c. 14.* (adde tu *dub. 6*) *n. 3.* & alios. Qui ſecus dicunt, ſi ex negligentia mortalis culpa interueniſſet. Quod dixit haud obſcurè Maiolus *lib. 5. cap. 48. § 3. n. 11.* his verbis: Ille quoque, qui campanis pulſandis præpoſitus eſt, ſi minus diligenter aſſeruet colligaturam campanæ, & propterea vel ipſa, vel malleus ceciderit, & interfecerit aliquem, ipſe redditur irregularis, ad quem ſpectat cura eius colligationis aſſeruandæ. Panormit. *in cap. Ioannes*, per illum textum *de homicid.* Siluest. *in verb. homicidium 2. verſ. 10.* Tabiena *dict. num. 19.* Hæc Maiolus, & Nauar. *c. 27. n. 235. verſ. Vigeſimotertiò.*

QVÆSTIO XIII.

An ſaltem fiat irregularis Clericus, qui illicitè pulſans campanam tempore interdicti, caſu cadens tintinnabulum occidit hominem.

AFfirmant (eo quod tunc pulſatio campanarum ſit illicita) quamplures Canoniſtæ, vt vidimus *quæſt. 7.* Et inter illos, eſſe communem opinionem, fatetur Henriquez *lib. 14. c. 5. n. 3. verſ. 4. Si Clericus, & in gloſſa litt. T.* Inter hos numera Sayrum *lib. 7. c. 6. n. 3.* citantem pro ſe Couar. Maiolum, Nauarrum, Tabienam, Siluestrum, & alios; ſed non bene omnes. Vnde

Probabilius Reſpondeo: Adhuc non fieri irregularem, ſi aliàs aut Clericus Campanarius non aduertit, aut ſi aduertit, fecit diligentiam ſufficientem, vt tintinnabulum non caderet. Quia tunc ea diligentia abſterſit culpam homicidij, ſine qua nequit irregularitas homicidij incurri. Sic in primis tenet Nauarr. *n. 235. cit.* & aptius *n. 238.* his verbis. Vigeſimoſextò infertur, quod rectè dixit Sotus, aberraſſe Silueſtrum dicendo, irregularitatem incurri à Clerico, qui cædendo alienam arborem caſu aliquem interimit, etiam adhibita diligentia quæ ipſum cædentem propriam à culpa excuſaret. Rectè etiam dixit non fieri irregularem Monachum, eo quòd ſurſum verſus, ipſo mouente campanam tempore prohibito, illius tintinnabulum, aliquem occidat, ſi eam diligentiam adhibeat, quæ ſufficeret ad excuſandum eum à culpa, ſi tempore debito id faceret: licèt enim in his duobus caſibus opus ſit illicitum, culpa tamen nullatenus dirigitur in mortem. Sic Doctiſſ. Nauarrus ex Soto *lib. 5. de Iuſtit. quæſt. 1. art. 9.* Henriquez *loc. cit.* vbi ait quod prædictus, quamuis in foro exteriori præſumatur irregularis, non verò ſit in conſcientia, ſi non aduertit, nec ex officio tenebatur aduertere. Citat Henriquez pro hac parte Maiolum *loc. cit. num 9. col. 3.* & Villadiego *cap. 6. num. 40.* Sed non omni ex parte bene. Lege Gibalinum *cap. 4. quæſt. 2. num. 10. col. 3.* Couarruuiam *etiam in Clement. Si furioſus, 2. part. § 4. n. 10. verſ. Quintò eadem eſt*, vbi expreſsè noſtram ſententiam docet Cornejo *diſp. 3. de Irregularit. dub. 2 ſub concl. 1. verſ. Ex quo infero primò.*

QVÆSTIO XIV.

An contrahat irregularitatem ille qui non habens officium Campanarij, pulſando campanam, caſu occidit hominem.

AFfirmat Villadiego *cap. 6. de Irregularit. num 38 iuncto 40.* etiam in caſu, quo mors abſque culpa pulſantis contingeret. Quia (inquit *num. 38.*) [illegible] dabat operam rei illicitæ, eo quod ſe immiſcuit officio, quod ad eum non ſpectabat. Id ipſum affirmauit antea Silueſt. *verb. Homicidium 1. quæſ 5 verſ. Decimò*, vbi ita ait: *Decimo*, quid de Sacerdote, quo pro diuinis pulſante campanam, malleus cadens puerum interfecit? Et dico eum non eſſe irregularem, ſi id fecit ex officio Sacriſtæ, vel eius permiſſione, aut conſuetudine, qua quilibet Sacerdos, vel Clericus pro ſimilibus poterat pulſare campanam, & diligentiam adhibuit. Secus ſi non fecit ex dicto officio, vel permiſſione, aut conſuetudine, vt *in cap. Ioannes, eod. tit.* Item ſi non adhibuit diligentiam, vt quia fuit Sacriſta, & tintinnabulum diligenter non ligauit. Hæc Silueſter.

Sed probabilius Reſpondeo: Non contrahere irregularitatem, caſu quo ſine ſua graui culpa accidit homicidium, eo quod inculpabiliter non aduertit, aut ſi aduertit, diligentiam ſufficientem adhibuit, ne tintinnabulum caderet. Ratio eſt, quia ad irregularitatem hanc contrahendam non attenditur, quod occidens det operam rei illicitæ, necne; ſed quod voluntariè culpabiliter ad homicidium ſpecialiter concurrat, ſuam ad illud dirigendo actionem, vt *ſuprà* eſt habitum: at in noſtro caſu, non eſt ſic: ergo.

QVÆSTIO XV.

An ſi quis, adhibita diligentia, ne alicuius mors ſequatur, arborem alienam, in die feſto cædat, & cadens caſu aliquem opprimat, maneat irregularis.

AFfirmant multi, ſed inter eos Maiolus *lib. 5. de Irregularit. cap. 48. § 3 ſub num. 9. verſ. Incautus quoque*, his verbis: Sed & ſi ſecus viam priuatam arbor incidatur furandi cauſa, quia operam dat rei illicitæ, occidendo efficietur irregularis. Silueſter *in verb. homicidium 2. verſ. 18* Tabiena *irregularitas 3. num. 19.* Hucvſque Maiolus. Qui ſecus dicunt, ſi arbor eſſet propria.

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè manere irregularem. Quia licèt in hoc peccaret cædens alienam arborem in die feſto, contra iuſtitiam, & contra religionem,

Digitized by Google

religionem ; quia tamen cæſio illa nec ex ſe, nec ex intentione cædentis ad mortem hominis ordinatur, magis quàm ſi arborem ſuam cæderet (in quo caſu omnes conueniunt non manere irregularem) non eſt irregularis, niſi aliàs ex defectu mortali diligentiæ adhibitæ mors ſequatur. Sic Henriq.*lib.*14 *c.*15.*n.*3.vbi ita confusè citat Siluestrum, & Tabienam.vt non facilè pro qua parte citet, cognoſcatur. Sotus *lib.*5.*de Iuſtit.q.*1.*art.*9.vltra medium,& ex illo Nauar.vt habes *ſuprà q.*13.Sayrus *lib.*7.*cap.*6.*n.*21.dicens,opinionem contrariam omni carere probabilitate. Gibalin. *c.*4.*q.*2.*a.*10 *col.*3.Cornejo *diſp.*3.*de Irregularit.dub.*2. *ſub concl.*1.*verſ.Infero* 4. & communis.

QVÆSTIO XVI.

An fiat irregularis qui inducit alium, vt intret alienam vineam, cauſa furti, ſi ingrediens occidatur à cane, vel cuſtode vineæ.

AFfirmauit Nauar.*relect. de furto,n.*24. Et debent affirmare qui docent, homicidium ſequutum, etiam caſu, ex actione illicita creare irregularitatem. Lege pro hac ſententia Siluestrum *verb. Homicidium* 1.*quæſt.*8.*verſ.Secundum,ſi quis.*

Negant contrà Henriq. *lib.*14.*c.*5. *n.*3. *verſ.*5. Salon 2.2.*q.*64. *art.*8. *controu.*3. & alij exiſtimantes,minimè manere irregularem.

Sed clarius Reſpondeo : Minimè manere irregularem, ſi non aduertens periculum, inducit ſocium, vt intret vineam alienam ; aut ſi aduertit, adhibet ſufficientem curam,ne mors intrantis ſequatur. Quia tunc inductio non dirigitur ad mortem. Secus dicendum caſu,quo inducens cognoſcat probabiliter,tale furtum eſſe periculoſum homicidij, nec adhibeat diligentiam ſufficientem, ne ſequatur : quia tunc, cùm ex illa inductione ſequatur mors ex negligentia mortali ipſius inducentis,erit homicidium aliquo modo volitum ab illo,& conſequenter ex illo irregularis. Sic Sayr.*lib.*7. *c.*6.*n.*26.Cornejo *loc.cit.verſ. Infero tertiò*,& alij.

QVÆSTIO XVII.

An ſit irregularis qui mandauit famulo rapere fœminam in ſuam libidem, & famulus rapiendo occidit hominem, aut ab alio fuit ipſe occiſus.

AFfirmant plures,mandantem eſſe irregularem,eo quòd mandauerit rem illicitam,ex qua ſequutum fuit homicidium. Ita docent Auctores primæ opinionis relatæ *q.*7.& expreſſe Silueſt.*loc.cit.*iis verbis : Si quis non conſuluit homicidium, ſed aliquid vnde ſecutum eſt,ſecundum Innocent. ſi veriſimiliter potuit exiſtimari, quod inde ſequeretur mors,irregularis eſt, vt ſi ſuaſit iactum machinæ, vel balliſtæ, vel quod eatur ad capiendum caſtrum, quod non poterat capi de facili ſine morte hominum,& ſic mors ſequuta eſt.Si verò non erat veriſimile, quod mors ſequeretur, tunc quidem ſi conſulit rem licitam, non eſt irregularis, etiamſi mors fuerit ſecuta ; ſi verò illicitam,irregularis eſt,*de homicid.cap.continebatur.*Ita ille.

Sed probabilius, iuxta ſæpè dicta, Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia quamuis mandauerit rem illicitam, tamen non dirigebatur tale mandatum ad mortem. Sic Henriq.Sayrus,& Cornejo *loc.cit.*& latius Couar.*in Clem.Si furioſus*,2.*part.* §.1. *num.*2. his præclaris verbis : Sic ſanè,vbi delictum,alteriue mandatum non tendit ad homicidium,nec poteſt tendere in id per ſe,aut immediatè, non tenebitur mandator de homicidio ſequuto. Huius concluſionis erit exemplum in eo, qui iuſſerit aliquam fœminam rapi cauſâ libidinis : attamen mandatarius in raptu ipſam fœminam occidit, non tenebitur de hoc homicidio mandator, licèt teneatur de raptu, ſiquidem raptus cauſa libidinis fit, nec dirigitur ad ipſius mulieris occiſionem immediatè, nec per ſe, licèt per accidens fuerit ipſa fœmina occiſa. Ita equidem reſpondit eleganter Decius *in conſil.*234. *col. vlt.* Thomas Grammatic. *conſil.* 20. Idem colligitur ex Bartol. *in d. l. Dinus, ff.ad leg.Cornel.de ſicar. ad finem*, &c.Hæc & amplius Couar Legatur.

QVÆSTIO XVIII.

An qui fabrum lignarium expertum facit incedere per tectum, vt illud componat, fiat irregularis, ſi ille expertus caſu cadat, & moriatur.

REſpondeo : Quod non. Quia aduocatio fabri,aut alterius hominis pro compoſitione, aut ædificatione tecti, non tendit per ſe ad homicidium : ergo aduocans non poteſt fieri irregularis per homicidium ſine culpa ex tali actione ſequutum. Sic Angel. *verb. Homicidium* 2. §.8. & omnino ex illo non citato,Silueſter *homicidium* 2. §.9. Henriq. *lib.*14. *c.*15. *n.*4.qui citat,ſed malè, Nauar. *cap.*27. *n.*237. quia ibi apud meum librum nihil de quæſtione tractat.Sayrus *lib.*7.*c.*6.*n.*26 *fine*,& alij.

QVÆSTIO XIX.

An ſit irregularis ille qui tecta reficiens, proiicit tegulam, qua occiditur viator.

REſpondeo cum communi : eſſe irregularem, niſi aliàs verbis monuerit,vel ſignum de more poſuerit, vt tranſeuntes ſibi caueant ab ictu tegularum. Quia in opere ita periculoſo non cenſetur adhibuiſſe ſufficientem diligentiam ad præcauendum alterius mortem, niſi monens circunſtantes, vel ſignum de more ponens. Sic Tabiena *verb.Irregularitas* 3.§.19. Nauar.*c.*27.*n.*235. (non *n.*237. vt legi apud Sayrum) *verſ.vigeſimoſecundò.* Maiol. *lib.*5.*c.*48. §. 3. *num.*50. Henriq. *lib.*14.*c.*15. *n.*4. D.Anton.3 *part. tit.*29. *c.*2. §.*homicidium caſuale.* Philiarcus *lib.*4. *c.*21. §.7. *regula* 1. & Summ. Corona *tract. de Irregularitate, num.*16. *reg.*1. Quos omnes citat, & ſequitur Sayrus *lib.*7. *cap.*7.*n.*27. Vgolin.*de Irregularitate*, *c.*21.*n.*5. Graffius 1.*part. lib.*2.*cap.*66. *n.*2.Bonaciu. *diſp* 7.*q.*4. *de Irregularitate*, *punct.*7. *num.*30. Molina,& Regināld. apud ipſum. Barboſa *ad cap. Quidam, de homicid. n.*2. & alij.

Addo tamen ego, quod in foro conſcientiæ poſſit quis ſæpè in tali euentu ab irregularitate excuſari, nempe ſi talis homicidij caſualis nulla præceſſerit ſuſpicio,aut dubitatio, aut ſi aliqua præceſſerit, obliuioni data fuit,aut inaduertentia adfuit,quæ cùm excuſet à peccato, etiam à pœna excuſare debet.Legantur Hurtad. *diſp.*2. *de Irregularit. diff.*8.*n.*31. & Gibalin. *c.*4.*q.*2. *conſectar.*14. *verſ.octauò*, vbi ad incurrendam irregularitatem huius caſus,mortalem culpam in proiiciente requirit.

QVÆSTIO XX.

An maneant irregulares murator, aut architectus, ex alto proiicientes lapides, ſeu tegulas, & proclamantes, aduertendo viatores, vt caueant, ſi nihilominus ex tali proiectione aliquis occiſus maneat.

RESpondeo ex dictis: Non manere. Quia in hoc caſu in proiiciente nulla inuenitur culpa: ergo homicidium ex eiuſdem tegularum proiectione proueniens omnino caſuale dicitur: ergo eſt ex omni parte impunibile: ergo alienum ab irregularitate. Sic omnes Auctores citati. Sed ex illis expreſſiùs Barboſ. *num.* 2. ex Iacobo Ayrer. *de homicid. part.* 3. *n.* 10. & Farinac. *in praxi crimin. part.* 5. *q.* 120. *n.* 22. *&* 23.

QVÆSTIO XXI.

An fiat irregularis ille, qui puerum pro aſportanda aqua mittit ad flumen, aut puteum diſcoopertum, & ſuffocatus eſt.

AFfirmant abſolutè quidam Doctores, eo quòd mittens puerum debuit præcogitare de veriſimili periculo. Ita Nauar. *c.* 27. *n.* 236. *verſ.* 25. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *n.* 4. *verſ.* 4. vbi citat Siluestrum *homicidium* 2. §. 27. & Summ. Confeſſ. *q.* 26. Sed hi duo Auctores cum limitatione id affirmant; dicunt enim id eſſe verum caſu, quo mittens poterat de periculo rationabiliter cogitare. Sayr. *lib* 7. *c.* 6. *n.* 28. & alij.

Sed clarius, ac probabilius Reſpondeo: Irregularem fieri, ſi actu cogitauit mittens de periculo pueri, & nihilominus, pro aqua aſportanda miſit. Secus ſi nil de periculo cogitauit actu, licet potuerit, aut debuerit, quia ſine cogitatione, aut ſuſpicione actuali de periculo id nemo aduertere poteſt, aut cauere. Igitur ſi illa ad flumen miſſio caruit ob hanc cauſam culpa, carere debet & pœna. Et ſic intelligo Siluestrum & Summ. Confeſſor. & Angelum ſtatim citandum.

QVÆSTIO XXII.

An fiat irregularis, qui mittit puerum ad aquandum equum, monens eum, vt caueat à flumine, ſi puer intrans flumen ſubmergitur, & pereat.

AFfirmat Simon Maiolus, non abſolutè, ſed caſu ſolùm, quo veriſimile erat, ab eo in flumine tale periculum poſſe incurri. Ita enim ait: Eſt etiam imprudens quiſquis vtitur opera imperiti ſerui, vel miniſtri. Exemplum eſt, ſi puer, vel fatuus tibi ſeruiat ad alendos equos, iſque eos adducens ad flumen tuo conſilio, vel patientia, etiamſi monueris eum, ne intra flumen ingrediatur, tamen ſi immergatur, tibi imputatur ad irregularitatem. S. Auguſt. *de verb. Domini ſuper Matth. ſerm.* 16. *in princip.* & eſt argum. *cap. Continebatur, de homicid.* Summ. Confeſſor. *eod. tit. q.* 26. Alberic. *in verb. Homicidium* 6 *prope finem*, ſi tamen veriſimile erat, ab eo in flumine tale periculum poſſe incurri. Silueſt. *verb Homicidium* 2. *verſ.* 27. Tabien. *verb. Irregularitas* 3. *num.* 1. *&* 7. Hæc Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 3. *num* 14. His addi poſſunt Angel. *homicidium* 2. §. 22. Aſtenſ. D. Anton. & Philiarens, quos *loc. cit.* citat, & ſequitur Sayrus dicens, prædictum mittentem puerum fieri irregularem eo caſu, quando probabiliter præcogitare debuit fore periculum, vt contingere ſolet.

Sed iuxta dicta clarius, & probabilius Reſpondeo: Fieri irregularem, ſi actu de periculo contingenti cogitet, & aduertat, & nihilominus mittat; quia ob negligentiam mortalem in cauenda pueri morte concurrit ad illam, & conſequenter fiet irregularis. Secus dicendum ſi actu de periculo non præcogitauit, nec ſuſpicatus fuerit, licèt aliàs debuerit.

QVÆSTIO XXIII.

An ſi quis circulator (Hiſpanè chocarrero, ò Charlatan) *deferat ſerpentes, & ludo exterrens, moriatur aliquis, fiat irregularis.*

RESpondeo: Fieri irregularem, niſi aliàs inconſideratio, aut actualis inaduertentia à culpa graui excuſet. Quia voluntariè, vt ſupponimus, metum incuſſit, ex quo mors euenit. Sic Maiol. *lib.* 4 *c.* 48. §. 3. *n.* 8. per hæc verba: Si ioci gratia quis metum ſubitaneum alicui incutiat, vnde vel præcipitatio, aut caſus alius interuenerit, imputandam eſt ei, qui metum incuſſit. Archiep. Florent. 3. *p tit.* 29 *c* 4 § 3. Tabiena *in verb. Irregularitas* 3. *num* 4. Exemplum eſt in circulatore, aut alio deferente ſerpentes, aut angues, quos ſubito motu oſtendat, vt metum incutiat, & ob id mors, vel mutilatio contigerit, iure ciuili extra ordinem punitur, *l. vltim. ff. de extraordin. crimin.* cuius culpæ ratione irregularitas inducitur. Sic Maiolus, quem citat, & ſequitur Henriq *lib.* 14. *c.* 15 *n.* 2 *litt. L.* Sayrus *lib.* 7. *c.* 6. *n.* 31. & Gibalin. *cap.* 3 *q.* 3. *conſect.* 15. *num.* 92. *verſ. Primò.*

QVÆSTIO XXIV.

An iuuenes, qui ex ludo rumpunt veſicas turgidas, maneant irregulares, ſi illarum fragore, & crepitu faciant fœminam abortire.

AFfirmat abſolutè Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. *n.* 3. vbi *litt. K.* citat pro hac parte Maiolum, Silueſtrum, Tabienam, & Abbatem. Sed ex his Silueſter oppoſitum docet, *vt infra.* Maiolus verò, & alij id affirmant, caſu quo iuuenes illi id fecerint cauſa perterrefaciendi; tunc enim, inquiunt, irregulares manebunt, ſi ſcire potuerunt, eam mulierem prægnantem fuiſſe: nam tunc ſunt in dolo, & cauſam ſufficientem abortus dederunt. Ita Maiol. *lib.* 5 *c.* 48. §. 3. *num.* 7. *cit.* Innocent. Abbas, Vincent. Sum. Corona & alij, quos citat, & ſequitur Sayrus loco nuper citato.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo: Manere quidem irregulares, ſi veſicas rumpant, ea cognitione, & intentione actuali, vt earum crepitu perterrefaciant mulierem, quam ſciunt eſſe prægnantem, dubitántve, & abortire faciunt. Quia tunc verè cum peccato graui concurrunt ad necem pueri Secus aliàs, ſi cum probabili ignorantia, aut inaduertentia ſufficienter excuſentur à peccato homicidij: quia tunc minimè manebunt irregulares, vt loquendo de pueris docet Silueſter loco citato ab Henriquez pro parte altera, nempe *verb. Homicidium* 2. *verſ.* 22. vbi ita ait: Quid de puero, qui frangendo turgidam veſicam porcinam, mulierem prægnantem terrore abortire fecit? Et dico, quod Innocent. Abb. & Vincent. ſentire videntur, quod homicida ſit, & irregularis. Sed oppoſitum bene tenuit Panormitan. quia ad eſſe irregularem non debet attendi qualibet cauſa, ſecundum gloſſ. *in cap. De cætero, eod. tit.* Sed, vt ibi dicit Panormitan. appellatione cauſæ propinquam, & non remotam intelligimus. Hæc, loquendo de pueris, Silueſter: cuius ſententiam in hac parte tenuit

nuit antea Summ. Angel. *homicidium* 2. §. 12. & poſtea Tabiena *irregularitas* 3. § 14. Maiolus *n.* 8. *cit.* Legantur pro nobis Gibalinus *cap.* 4. *q.* 2. *conſectar.* 13. *n.* 92. *pag.* 201.

QVÆSTIO XXV.

An ſint irregulares, qui hyemali tempore ſe petunt pilis niueis, ſi inde mors, aut mutilatio ſequatur.

AFfirmant Vgolinus *c.* 22. *n.* 4. & Bonac. *q.* 4. *de Irregularit. punct.* 7. *n.* 21.

Sed clarius Reſpondeo: Fieri quidem irregulares, ſi abſque ſuffi ienti diligentia, ne mors, aut mutilatio ſequatur ſe pilis niueis petunt: ſecus aliàs, aut caſu, quo dicti ſic ludentes, nec præuideant rationabiliter, aut veriſimiliter mortem aut mutilationem è tali ioco euenturam: quia tunc minimè fient irregulares. Sic Gibalinus *loc. cit.* ita dicens: Qui pilis glaciata niue confectis, & iam indureſcentibus, aut lapidem abſcondentibus ſeſe mutuò percutiuot in loco frequenti, ſi alicui oculum eruant, aut etiam occidant, vix excuſari poterunt à lata culpa, atque ab homicidio, & irregularitate: ſi tamen monuiſſent ſeriò, & ſpectatores ducti curioſitate, non ſibi caueant, eorum potiùs erit culpa, quàm ludentium: ſi verò aliquis è ludentibus intereat, aut mutiletur, vix excuſari poterit, cùm vix diligentia, & cautio ſufficiens huic malo euitando poruerit adhiberi.

QVÆSTIO XXVI.

An fiant irregulares, qui lapidibus certant, ſi mors eueniat, aut oculum alteri eruı contingat.

AFfirmat abſolutè Maiolus *lib* 5. *cap.* 48. §. 3. *n.* 2. Quia (inquit) hæc contingunt in ludo noxio, qui periculum in ſe habet mutilandi, vel occidendi.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo: Fieri quidem irregulares, caſu quo inexperti in tali ludo ſint, aut ſine diligentia ſufficienti ne mors, vel mutilatio ſequatur, certent: Secus aliàs, ſi experti fundibularij ſint, & exercitati in dicto ludo, qua de cauſa facilè vitare poſſunt periculum occiſionis. Sic Vgolinus, & Bonac. *loc. cit.* Et bene, ſi cum hac limitatione affirmarent idem in caſu quæſtionis præcedentis, quod à fortiori debuerant, cùm periculoſior ſit ludus certantium lapidibus, quàm pilis niueis. Nobiſcum ſentit Gibalinus *loc. cit.* vt hæc eius verba monſtrant: Funambuli, ſi caſu ſuo ſe mutilent, aut alium quempiam obterant, ſi periti erant, ita vt prudentium arbitrio nullum eſſet periculum, non fiunt irregulares: quia reuera non peccarunt, vt docet Petr. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3 *n.* 81. neque etiam ſe, aut alium mutilando, aut occidendo inuoluntariè prorſus, & caſu quodam, qui prudenter timendus non erat: nam ſi vel ex imperitia, vel ex alia cauſa, quam quis præuidere debuit, neque cauere tentauit, contingat cædes, reus illius erit, atque adeò irregularis. Sic Gibalinus.

QVÆSTIO XXVII.

An ſi quis in ludo proiiciendi lapides ad vires corporis experiendas (*Hiſpanè*, tirar alcanto) *caſu aliquem ex ſpectantibus occideret, irregularis maneret.*

REſponden, quod non: Quia talis ludus ex ſe licitus eſt, & honeſtus, & citra periculum exercetur communiter, cùm non ad nocendum, ſed ad vires exercendas ordinetur: igitur ſi quis vires experiendi cauſa iaceret lapidem, & hic aberraret, aut manus in vnum aliquem obuium, tunc certè caſualis omnino eſſet cædes ex errore contingens, ac proinde omnino inuoluntaria, & abſque culpa, ſaltem graui, & conſequenter abſque irregularitatis pœna. Sic Couat. *in Clem. Si furioſus, part.* 2. 4 *n.* 6. & ex illo Gibalin. *c.* 4 *q.* 2. *conſect.* 13 *verſ Quintò.*

QVÆSTIO XXVIII.

An qui lapidem direxit in auem, vel quadrupedem, & fortuitò hominem tranſeuntem occidit, irregularitatem contraxerit.

NEgat cum communi Sayrus *lib* 7. *cap.* 6. *in fine*, eo quòd illa actio licita fuerit, & nullo modo ex ſe ad hominis occiſionem periculoſa. Sic ille, citans Gloſſam *cap Clerice, di inct.* 50. Sylueſtrum *verb. Homicidium* 2 § 5. Tabienam *verb Irregularitas* 3. §. 19. Maiolum *lib.* 5. *c.* 48 §. 3. *n.* 5. & Alphonſum Viuald. *tract. de Irregularitate, n.* 170.

Sed clarius Reſpondeo: Non contraxiſſe irregularitatem, ſi lapidem direxit in auem, aut quadrupedem exiſtentes in loco ſolitario, per quem quis tranſire non conſueuit: aut ſi exiſtebant in loco communi, per quem homines ſolerent tranſire, adhibuit diligentiam vociferando: quia tunc, etiamſi occideret hominem, non fieret irregularis; quia id fecit abſque culpa. Secus foret, ſi ob non adhibitam ſufficientem diligentiam ad euitandum homicidium mortalem culpam admiſerit: nam tunc irregularitatem contraheret. Sic Viualdus *loc. cit.* Sayrus *n.* 270. (non 170. vt leges apud ipſum) Sylueſt. loco ab ipſo citato, vbi ita ait. Quintò, quid de Clerico qui porcos de agro pulſurus, lapidem iecit, & puerum interfecit? Et dico eum non eſſe irregularem, per *cap. Clerice,* 50. *diſtinct.* Sed intellige, quod ſecundùm gloſſam dabat operam licitæ rei: & adde, quod diligentiam adhibuit circumſpiciendo, alioquin fuiſſet irregularis. Illud pro talibus aduertendum eſt, quod ſecundum Panormitan. *cap. Ex litteris, el* 2. *eodem tit.* qui proiicit aliquid ad locum inſolitum, & per quem quis tranſire non conſueuit, non tenetur clamare, vt *in l. ſi putator, ff. ad leg. Aquil.* aliàs ſecus.

QVÆSTIO XXIX.

An ſi quis in ludo, qui calcibus, aut pugnis exercetur (*Hiſpanè*, al toro de las cozes, ò puñadas) *aliquem ſuffocet, aut occidat, vel mutilet, irregularis maneat.*

AFfirmat Viualdus *tract. de Irregularitate, num. mihi* 168. dicens, manere irregularem propter immoderatum ludendi modum, citátque Archidiac. *in cap. Eum qui.* 50. *diſt.* & ſuppreſsè alios.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregulatem,

gularem, ſi caſu, & ſine voluntate vlla ſuffocet, aut occidat, vel mutilet. Quia tunc, cum ea vna parte ludus hic ſit licitus, & valde vſitatus inter iuuenes; & ex alia, nulla culpa mortalis, quæ in noſtra ſententia ſemper ad irregularitatem requiritur, in tali ſuffocatione, occiſione, vel mutilatione reperiatur, non eſt vnde occidenti irregularitas eueniat. Secus dicendum ſi ſuffocet, vel occidat, &c. ex negligentia culpabili, grauiter, aut cum dolo, vt conſtat.

Qvæstio XXX.

An fiant irregulares, qui gladiis, & crudis armis inter ſe decertando, aut infeſtis haſtis dimicando (Hiſpanè, en el luego de Torneos) *aliquem occidant, vel deforment etiam à caſu.*

AFfirmat via poſſe excuſari prædictos decertantes ab irregularitate, Gibalinus *cap.4. quaſt.2. conſect.13 n.29 verſ. Quintò.* Quia ſimulata iſta certamina, quæ torneamenta nominant, ita ea natura ſua periculoſa ſunt, vt vix ſatis magna diligentia ad vitandam cædem, vel mutilationem adhiberi vnquam poſſit, vnde & prohibentur *tit. de Torne.mentis.* Hæc ille. Et antea id abſolutiùs affirmarunt Angel. *verb. Torneamentum, n.3.* Hoſtienſ. & Gofred. apud ipſum, Syluester *eod. verb. n. vnico,* & Armilla *n.2.* ita dicens. Pugnans torneamento, eſt reus homicidij, & irregularitatis, ſi ibi aliquis occiditur, etiam à caſu: quia cum det operam rei illicitæ, quidquid accidit, ſibi imputatur, *de homicid. c. fin.*

Sed clarius Reſpondeo: Fieri quidem irregulares, qui occidunt aliquem, etiam à caſu, pugnando in torneamentis vtroque iure prohibitis: non verò in permiſſis ab vtroque. Quia in torneamentis prohibitis periculum ſemper ineuitabile adeſt, minimè verò in permiſſis. Hanc reſponſionem intelliges, ſi cum Puente Hurtado notes, quod torneamenta, quæ inſtituta ſunt ad oſtendendas vires, & oblectandum populum, duplici modo fieri ſolebant: primò, armis hebetibus, & modo vacante omni periculo, quemadmodum in Hiſpania ineuntur torneamenta pedeſtria inter binos, ſingulos, ternos, aut quaternos, ferro, & chalybe, bene armatos, geſtantes enſes ſine acumine, & lanceas ſine cuſpide, & excipiendi ſunt vtrinque ictus quaterni, aut quini. In his autem torneamentis nullum eſt probabile diſcrimen mortis, aut vulneris; quia ſunt ludus, & vmbratilis pugna, & fiunt ſine vlla malitia, & ideo licita, & permiſſa in Extrauag.1. *de Torneament.* vt probat Nauar. *c.15. n.9.*

Secundo modo fiebant torneamenta cum armis acutis, aptis ad cruentandum: quibus torneatores magno cum ipſorum diſcrimine pugnabant, eo quòd non aliter ad torneamenta ſe armabant, ac inſtruebant, quàm ad pugnas hoſtiles, exercebantur equis, qui frequenter incurrentes faciebant ſeſſores quoque collidi, quos proſtratos peſſundabant, alij impetus quoque lancearum armatarum ferro. Et ideo, quia hæc torneamenta vix poſſunt non eſſe neceſſariò cruenta, prohibita tanquam deteſtabilia fuere iuribus citatis. Vnde qui his etiam à caſu occideret hoſtem, aut mutilaret, verè contraheret irregularitatem: non verò qui in aliis licitis, quia non ſunt connexione neceſſaria ex ſe periculoſa, & ideo diligentia ſufficienti præhabita, poteſt quis caſu abſque culpa occidere. Et ſic poſſunt intelligi Auctores primæ ſententiæ. Legantur Puente Hurtado *de duello, diſputatione 170. ſect.5. per totam,* & Henriquez *lib.14. cap.13. num.3. in gloſſa lit. Q.*

Qvæstio XXXI.

An contrahat irregularitatem, qui canem, quem ferocem, ac rabioſum nouerat, in alium ioco concitauit, & canis ipſum mutilauit, vel occidit.

AFfirmat, licèt cum timore, Gibalinus *cap 4. de Irregularitate, quaſt.2. conſectar. 13. num. 23. verſ. Octauo,* dicendo via poſſe excuſari à cæde, aut mutilatione (& conſequenter ab irregularitate) quia vix, poſita ea cognitione, poterit à ioco abeſſe culpa lata, & mortalis, ratione cædis conſequutæ, cuius periculum præuidere debuit, & vitare diligentius; atque ita præſumitur in foro externo, & damnatur, *l. Item Mela, §. Item & cum eo, ff. ad l. Aquiliam, & l. Qua actione. §. Sed ſi quis ſeruum, ff. eod.* Abſolutiùs affirmant id Vgolinus *cap.18. §.2. num.8.* vt quæſtione ſequenti conſtabit, & Bonacina ea illo.

Sed clarius Reſpondeo dicendo, quod verè contrahat irregularitatem, ſi probabiliter timuit, canem ab ipſo loco concitatum poſſe occidere, vel mutilare illum in quem concitauerat: quia poſita hac cognitione probabili, minimè poteſt excuſari à mortali culpa cædis, aut homicidij, ac per conſequens nec ab irregularitate. Secus verò ſi dictus concitans canem de cæde non timuit, neque in mentem illi venit, &c. quia tunc, cum ob defectum ſcientiæ, aut cognitionis careat culpa, carere oportet & pœna.

Qvæstio XXXII.

An etiam incurrat irregularitatem ille, qui non nouerat canem rabioſum eſſe, eo quòd non erat ſolitus mordere, ſed tamen eum, in quem ioco prouocauit, momordit, & occidit.

AFfirmat Vgolinus loco nuper citato: quia, inquit, concitans illicitæ rei vacabat, ex qua actione ſequutum fuit homicidium. Vgolinum ſequitur Bonac. *q. quarta, punct. 7. n. 24. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Minimè incurrere irregularitatem homicidij, quia in dicto caſu minimè culpa mortalis homicidij ſubſequuti fingi poteſt, quod nos ad irregularitatem contrahendam ſemper requirimus. Nec obſtat quid, quod concitans canem daret operam rei illicitæ, quia vltra id requiritur culpa mortalis homicidij, *vt ſuprà* eſt habitum. Sic Gibalinus loco nuper citato.

Qvæstio XXXIII.

An qui domi cuſtodit leonem, vrſum, aut canem ita bene ligatum, vt neminem lædere poſſit, ſi tamen aliquo caſu, ſoluatur, & occidat aliquem, maneat irregularis.

REſpondeo cum communi: Non manere irregularem cuſtodem illum, cum in re illa nihil peccauerit: Secus foret, ſi cuſtodis temeritate, aut negligentia euaſerit Leo, aut Vrſus, &c. &

aliquem interfecerit, quia tunc reus eſſet homicidij illius, ac proinde irregularis. Sic Maiolus *libro 5. capite 48 §. 3. num. 13.* & penes illum Syluester, Summ. Confeſſor. Speculat. & Tabiena. Nauarrus *c. 27. n. 227. verſ. Decimoquartò*, & apud illum Innocent. Cardin. & communis Couar. *in Clement. Si furioſus, 2. p § 4. n. 11. verſ. de eo autem*, non *n. 10. verſ. Quartò*, vt malè citat Saytus. Henriq *lib 14. cap. 15. n. 3. fine*, Toletus *lib. 1. cap 39. in fine.* Summa Aſtenſis, Piſanela, & Angelica, & D. Anton. quos cum aliis citat, & ſequitur Saytus *lib. 7. c. 6. n. 19.* Auila *par. 7. diſp. 1 ſect. 1. dub. 7. concluſ. 1.* Bonacina *quaſt. 4. punct. 7. numero 24.* Gibalinus *cap. 4. quaſtione 4. conſectar. 12. verſ. Tertiò*, & alij.

QVÆSTIO XXXIV.

An ſaltem maneret irregularis custos ille, qui leonem, vrſum, aut aliam feram ligatam poneret in platea, aut alio publico loco, quæ incaute accedentem occidit.

AFfirmat abſolutè Couarruuias *loc. citato*, vbi ait: Attamen ipſe opinor, hunc eſſe irregularem, ſi hæc animalia habeat etiam ligata in via, vel in itinere, aut in alio loco publico, *l. hi enim, l. Et generaliter, l. qua vulgò. ff. de adilit. edict.* quarum meminit Ludouic. Romanus *in ſingul. 704.* ad ſit quod eo hic vltimus caſus puniendus, & legibus illis ponitur pœna pecuniaria ducentorum ſolidorum. Hæc ille. Quem ſequuntur ex ſuprà citatis Henriquez, Auila, Saytus, & Bonacina. Quia in hoc caſu (inquit hic vltimus) vtpotè periculoſo, non cenſetur ſufficientem adhibuiſſe cautionem, & diligentiam ad præcauendam mortem.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo dicendum: Manere quidem irregularem talem cuſtodem ferarum, ſi in dicto caſu deuotaretur quis ab aliqua illarum, ex defectu diligentiæ, & cuſtodiæ cuſtodis, vt benè ait Bonacina cum aliis: Minimè verò manere, ſi adhibita ſufficienti diligentia & cautione ad præcauendum mortem cuiuſvis accedentis, eo quòd benè ligatam dictam feram tenuerit, ſed eluſa cuſtodis diligentia, ſoluta eſt, & interfecit aliquem. Quia tunc cuſtos nullum peccatum lethale commiſit homicidij, quod in noſtra ſententia eſt requiſitum ad irregularitatem contrahendam, vt ſæpè diximus. Vnde nil ad contrahendam hanc pœnam facit, quod iuribus ſit prohibitum dictas feras habere in via, ſeu loco publico, ſi alias cautè & benè ligatas illas teneat, & cuſtodiat, ne damnum, vel mortem inferant.

QVÆSTIO XXXV.

An qui aliquem de ponte ioco præcipitem dedit, eo fine, vt ipſum à quartana liberaret, manſerit irregularis, caſu quo ille interierit.

REſpondeo: Manſiſſe irregularem, ſi aliquo modo præuidit periculum mortis quartanarij, nec fecit diligentiam vt caueret: quia tunc graue commiſit homicidij peccatum, & conſequenter admiſit irregularitatem. Secus verò dicendum, ſi à peccato mortali excuſaretur præcipitans, vel ob nimiam ſimplicitatem, vel ob diligentiam præſtitam, quam ſufficientem putauit, ne præceps ſuffocaretur, vel ob inaduertentiam, &c. Sic Gibalinus *c. 4. q. 2. conſect. 13. verſ. Nonò, pag. 202.*

QVÆSTIO XXXVI.

An fiat irregularis ille, qui ludendo, lapidem in altum mittit, animo eum deterrendi, ille verò alius fugiendo lapidem, caſu in alium lapidem impegit, & mortuus eſt.

AFfirmant communiter Canoniſtæ *in cap. Exhibita, de homicid.* non abſolute, ſed caſu ſolum, quo fugiens timebat de malo graui ſibi infligendo, niſi fugeret, eo quòd proiiciens grandem iaceret lapidem, aut iacere ſe fingeret, aut graue vulnus minaretur, & alter, vt hoc malum fugiat, ſe det præcipitem. Secus verò (inquiunt) ſi fugiens timebat ſolùm de percuſſione leui, eo quod proiiciens intenderet ſolum leniter percutere, aut lapidem à longè miſit, & terrefecit hominem eo modo, qui non ſolet perturbare, aut nocere; tunc enim licet timens fugiat, & corruens intereat, proiiciens irregularis non erit. Ita Couarr. *in Clem Si furioſus, 2. p §. 4. n. 6.* & penes ipſum Innoc. Abb. Anania & alij Doctores. Summa Aſtenſ. & Angelica, Siluest. Hug. Alberic. Summa Confeſſor. Tabiena, D. Ant. Maiolus, Viualdus, & Henriq *lib. 14. c. 15. §. 3 litt. D.* quos omnes citat, & ſequitur Saytus *lib. 7. Theſauri, c. 6. n. 29.* (non 31. vt citat Gibalinus) & *in Clauis Regia, lib. 10 c. 12. n. 28.* Bonacin. *quaſt. 4. de Irregularit. punct. 7. n. 26.* Barboſa *ad cap. Exhibita, de homicid* Vgolin. *c. 19. n. 10.*

His Auctoribus ex parte contradicit Gibalinus, *loco cit. verſ. Vndecimò*, dicens, poſſe adhuc proiicientem grandem lapidem ludi cauſa, liberum ab irregularitate ob caſualem cædem contingentem remanere, eo quod in vitando eo periculo potuit abeſſe moralis cauſa, aut culpa.

Sed ego clarius Reſpondeo dicendum, quod in vtroque caſu poteſt proiiciens lapidem in alium, ludi cauſa, & manere liber ab irregularitate, & etiam Innodatus illa: liber, ſi in vtroque caſu abſit (vt verè poteſt) mortalis culpa, ob quam ſolam hæc pœna contrahitur: innodatus verò, ſi in vtroque caſu culpam admiſit mortalem in non vitando mortis periculo illius, in quem ioco, & ſolùm animo eum deterrendi, lapidem, ſiue leuem, ſiue grauem miſit. Si ergo in vtroque præuidit, aut prudenter timuit necem alterius, & hac præuiſione non obſtante, non ceſſauit à ludo; verè in vtroque admiſit hanc irregularitatis pœnam, quia præmiſit in vtroque homicidij culpam. Si verò non præuidit mortis alterius periculum, nec prudenter timuit illud, tunc immunis ab irregularitate erit, ſicut à mortali culpa.

QVÆSTIO XXXVII.

An ſit irregularis, qui proiicit lapidem in Petrum, ſi lapis, Petro illum declinante, percutiat Ioannem, & illum occidat.

AFfirmat abſolutè Saytus *lib. 7. c. 6. n. 30.* Quia occiſio (ait) Ioannis prouenit ex actione illicita Petri, nempe ex actione ad hominis occiſionem directa: ergo ob illam Petrus irregularis erit. Citat Sayt. pro hac ſua ſententia Hugol. *in cap. Sapè, diſt. 50.* Summa Confeſſor. *lib 2. tit. 1. q 27.* Aſtenſ. *parte 2. lib. 6. tit. 4. art. 6. quaſt. 8.* Nauarrum *c. 27. num. 236.*

verſ.

verſ. Vigeſimoquintò. Henriq. *libro* 24. *cap.* 25. *num.* 3. Maiolum, Tabienam, Silueſtium & alios antiquos. Quibus nouiſſimè adhæret Barboſa *ad c. Exhibita, numero ſecundo,* & poſt ipſum Farinac. *in praxi crimin. quæſtione* 126. *n.* 17. & alij. Qui omnes affirmant, minimè manere irregularem Petrum, qui ictum lapidis declinauit, niſi (vt Henriquez cum aliis in Gloſſa *lit. F.* vult) in fraudem fecerit: quia iſte evitando ictum vſus eſt ſuo iure, neque enim tenebatur ſuo periculo impedire alienum.

Sed clarius, ac probabilius Reſpondeo dicendo, quod proiiciens lapidem in dicto caſu, verè maneat irregularis, ſi eum proiecit in Petrum, abſque ſufficienti diligentia, ne lapis ille ad Ioannem perueniret; nam tunc verè fuit homicida voluntariè. Secus verò dicendum caſu, quo proiiciens lapidem in Petrum debitam diligentiam adhibeat, & forte fortuna lapis perueniat ad Ioannem, & occidat: nam tunc ſine mortali culpa id effecit, & ideo liber ab irregularitate manebit. Sic clarè ex dictis colligitur, & docet Bonacina *quæſtione quarta, puncto ſeptimo, numero decimonono*, vbi citat pro hac parte Suarium *diſputatione quadrageſimaquinta. ſectione ſexta, numero decimooctauo.* Filliucium *tractatu vigeſimo, cap.* 4. *num.* 81. Sayrum *loco ſupra citato,* & Molinam *tom.* 4. *diſp.* 32. *num.* 2. Sed ex his auctoribus, quos pro hac ſententia citat Bonacina, Suarez aut expreſsè ſentit oppoſitum, vt videre eſt in primo caſu, quem adſtruit; aut ſolum dicit, hanc partem ſpeculatiuè videri ſatis probabilem, practicè verò conſulendum eſſe, peti diſpenſationem, propter dubium, & horrorem facti, & quia ibi non poteſt excuſari malitia homicidij exterioris cum effectu ſequuto. Hæc Suarez in ſecundo caſu, quem loco citato ponit. Et eodem modo loquitur Filliucius. Sayrus verò abſolutè, & ſine vlla diſtinctione oppoſitum tenet. Molina nihil ait (loco citato) ad propoſitum. Tenet tamen noſtram ſententiam Gibalinus *c.* 4. *q.* 2. *conſectar.* 10. *verſ. Octauò.* Qui etiam explicat Auctores contrarios.

Qvæstio XXXVIII.

An ſi Petrus ludens cum Ioanne, proiiciat eum in terram, & caſu cultellus Petri Ioannem feriat, maneat Petrus irregularis, ſequuta morte Ioannis.

Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia huiuſmodi homicidium omninò, & ſimpliciter fuit caſuale, & ſine culpa graui (vt ſupponimus) commiſſum: ergo committenti illud, non debet imputari ad pœnam. Sic habetur *in cap. Lator, de homicid.* vbi Gloſſa in Summa textus expreſsè ait, quod homicidium caſu commiſſum, culpa non præcedente, non ſit imputandum. Sic cum communi Canoniſtarum ſentit Barboſa ad dictum *cap. num.* 1. Sayrus *lib.* 7. *c.* 6. *n.* 6. Gibal. *c.* 4. *q.* 2. *conſect.* 13. *verſ. Duodecimò*, hæc dicens: Qui luctantur inuicem, vt experiantur ſuas vires, dum quilibet ſuum aduerſarium deiicere conatur, ſi vnus feriatur à gladio alterius lateri accincto, non contrahitur irregularitas, niſi vel ex lege ludi, vel alia circumſtantia poſuerit aduerti hoc periculum, & in eo omittendo fuerit culpa mortalis. Sic ille.

Qvæstio XXXIX.

An ſi quis proiiciat lapidem in Petrum, & hic Ioannem impellat, qui & occiditur, maneat irregularis Petrus, necnon qui lapidem proiicit.

Affirmat manere vtrumque Gibalinus *cap.* 4. *de Irregularitate, quæſtione* 2. *conſectar.* 10. *verſ. Decimò*, his verbis. Quando quis vt ictum aduerſarij declinet, medium alium obiicit vulneri, ex quo moritur, fit irregularis, quia non poteſt ſe tueri cum alterius iniuria, vt dicitur *l. ſcientiam, ad leg. Aquiliam,* & reuera ponit cauſam proximam morti; quare homicidij illius cauſa eſt. Eandem quoque irregularitatem contrahit percutiens hunc medium, vt patet. Ita Gibalinus.

Negat verò ex parte Sayrus *libro ſeptimo, capite* 6. *num.* 13. docens in dicto caſu non Petrum, ſed proiicientem lapidem manere irregularem duntaxat. Ait namque ſic. Qui proiicit lapidem in Petrum, & Petrus alterum impellit ſine dolo, & ille alter occiditur, irregularis efficitur, non Petrus, ſed qui lapidem proiecit in Petrum. Ita Sayrus.

Sed ego diſtinctius, ac probabilius Reſpondeo: Manere quidem vtrumque irregularem, ſi in vtroque reperiatur culpa mortalis tendens ad homicidium Ioannis, veluti ſi in proiiciente lapidem in Petrum ſit negligentia mortalis in præcauenda morte Ioannis, & in impellente Ioannem in medium, vt declinet à ſe ictus, reperiatur dolus, & fraus: tunc enim certum eſt, & conſtat ex dictis, manere vtrumque irregularem; cum vterque ſit homicida voluntarius. Secus verò, ſi in neutro illorum reperiatur mortalis culpa, vt contingere poteſt; nam à proiiciente lapidem abeſſet caſu, quo hic ſufficientem diligentiam præberet, ne alium quàm Petrum feriret: ab impellente Ioannem in medium, ſi hunc ſine dolo, ſed ſolo terrore ductus, repentè ad ſe liberandum impelleret. Si ergo in vtroque nulla mortalis, reſpectu Ioannis occiſi, reperiatur culpa, nulla reperietur & pœna. Si verò in aliquo reperiatur lethale crimen, reperietur irregularitas.

Qvæstio XL.

An ſit irregularis Petrus, qui Ioannem impellit in alium, qui eo impetu concidens occiditur.

Affirmat Maiolus *lib.* 5. *capit.* 48. §. 3. *numero* 6. his verbis: Si quis me impellat in alium, quem meo impulſu occidi, aut præcipitaui ſine dolo, ego irregularis non ſum, ſed qui me impulit. Hugo *dict. cap. Sæpe, text. in leg. Qua actione,* §. *Proinde, ff. ad leg. Aquil.* Huc vſque Maiolus. Hanc etiam ſententiam tenuit poſtea Vgolinus *cap.* 18. §. 2. *numer.* 7. eo quòd dabat Petrus operam rei illicitæ.

Sed diſtinctius, ac probabilius Reſpondeo: Non ſolum Ioannem manere liberum, in eo caſu, ab irregularitate, vt bene docet Maiolus; verùm etiam & Petrum, ſi in illa ſua impulſione liber extitit à mortali. Quod in præſentiarum bene vidit Gibalinus loco nuper citato, *verſ. Vndecimò*, qui cauſam huius quæſtionis ſic proponit, & reſoluit: Si quis Titium impellat in Mæuium, qui eo

impetu concidens occiditur, damnatur tanquam irregularis ab Vgolino §. 2. *citat. num.* 7. quia dat operam rei illicitæ. Mihi vulgaris diſtinctio retinenda videtur: ſi enim caſurum Mæuium præuidere debuit, ac potuit, atque cædis periculum, in eo caſu, propter loci, aut perſonarum, aliorúmque adiunctorum rationem, itavt illa impulſio ratione illius periculi fuerit mortalis, erit reuera irregularis, ſequuta Mæuij cæde: ſi autem leuis quædam ioconſideratio, & vel inculpabilis, vel non niſi venialiter fuit, nulla incurretur irregularitas. Impulſus autem Titius corruens io Mæuium, illúmque in ſaxum allidens, aut conterens, & occidens non eſt irregularis, quia non eſt cauſa moralis illius cædis. Sic Gibalinus.

QVÆSTIO XLI.

An aliquis fiat irregularis, caſu quo turba aliqua ad pontem, aut fores Eccleſiæ ita ſe conſtipat, quod aliqui compreſſi pereant.

RESpondeo: Nullum carentem dolo, vt ſupponimus, fieri Irregularem. Quia nullus totius multitudinis dici poteſt cauſa culpabilis cædis, quæ ex ea conſtipatione contingit: ergo nullus illorum irregularis eſt. Sic Maiolus, & Gibalinus *locis citatis*.

QVÆSTIO XLII.

An ſaltem, contraheretur irregularitas, ſi mors alicuius contingeret ex oppreſſione ingredientium ad fornicis alicuius infamem domum.

AFfirmabunt, qui docent homicidium caſuale ex actione illicita proueniens facere irregularem: ſunt autem Maiolus, Henriquez, & alij, quos & ſequitur Barboſa *ad cap. Significaſti*, *el* 2. *de homicid.* necoon & alij adducti à nobis *ſuprà quæſt.* 7.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec in hoc caſu contrahi irregularitatem ab aliquo: quia ſi nullus, adhuc in ingreſſu talis domus, eſt cauſa culpabilis vt quis opprimatur, nullus irregularis erit. Nec quid refert (vt ſæpè diximus) quod opprimentes nolendo vacent volendo rei illicitæ. Sic Gibalinus *loc. cit.* qui bene addit, ſecus dicendum, ſi quis dolo malo ad cauſandam compreſſionem aliquid feciſſet, & præuideret periculum mortis alicuius; nam tunc, hac ſequuta, irregularis haberetur.

QVÆSTIO XLIII.

An qui acriter aliquem increpauit, fiat irregularis, ſi increpatus pœnitudine ductus, ſe mutilet, aut ſibi mortem imprudenter afferat.

NEgat Vgolinus *cap.* 28. *num.* 6. eo quòd ita contigiſſe B. Antonio Paduano, narretur in eius vita: nam pœnitens ab ipſo increpatus ſibi pedem imprudenter abſcidit; & tamen non ob id manſit Diuus Antonius irregularis. Cum Vgolino ſcotit Gibalious *cap.* 4. *quæſt.* 2. *conſectar. vltim. verſ. Septimò, pag.* 205.

Sed clarius Reſpondeo: Non fieri quidem irregularem increpantem, niſi aliàs præuideret, quod eius increpatio eſſet motiuum proximum ad hoc vt increpatus ſe mutilaret, & imprudenter occideret: nam tunc verè moraliter influeret in eius mutilationem, aut mortem: quod rerum eſt non contigiſſe D. Antonino, & ideo liber ab irregularitate, in caſu contingenti euaſit.

QVÆSTIO XLIV.

An Parentes, qui infantes ſuos in eodem lecto detinent, peccent mortaliter, & irregulares fiant, ſi infantes ſuffocent.

AFfirmandom abſolutè videtur. *Primò*, quia in iure expreſsè prohibetur Parentibus in ſuo lecto reponere nocte infantes, propter probabile homicidium quod inde euenire ſolet, vt *cap. Conſuluiſti* 2. *q.* 5. (non 4. vt leges apud Henriquez) & *cap. Quæſitum, de pœnit. & remiſſ. & cap. de infantibus, de iis qui filios occidunt.*

Secundò, quia in pluribus Diœceſibus, ſub lata excommunicatione prohibetur, ne infantes ante annum expletum, in lectis dum dormiunt, teneantur. Ita habetur in Concil. Prouinciali Mediolanenſi VI. *tit. de Baptiſmo*, §. *grauiſſimo*, & in Epiſcopatu Sauonæ, vt refert Viualdus *tract. de Irregularitate*, *n.* 243. vbi ait, quod baptizato infante dicit Sacerdos Patrino: *Se vi commanda ſotto la ſcomunion maggiore, da parte di Monſignor Veſcouo, non metterlo al letto per tuto queſte anno*: at ſic eſt, quod ad incurrendam maiorem excommunicationem requiritur peccatum mortale: ergo. Propter hoc vltimum argumentum Tabiena *irregularitas* 3. *num.* 14. & Armilla *in verb. Irregularitas*, *num.* 51. & eos ſequitur Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 3. *n.* 9. dicunt, quod vbi adeſt cenſura excommunicationis, inexcuſabiles à peccato ſint, qui infantes ante annum ſecum in lecto nocte habent: & conſequenter ſi infantes ſuffocentur, irregulares fiant.

Sed clarius ego huic difficultati Reſpondeo *Primò*: Si parentes (aut etiam nutrices) experti ſunt alios infantulos ſuffocaſſe, verè peccant mortaliter, habentes eos in eodem lecto, quia ſi denuò non adhibeant ſufficientem cautelam, verè ſe exponunt probabili periculo eos ſuffocandi. Et in hoc ſenſu veriſſima eſt ſententia Maioli, & aliorum, quibus fauent Viualdus *num.* 243. *cit.* & Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 7. *litt. Q*, Saytus *lib.* 9. *cap.* 6. *n.* 30. cum aliis.

Reſpondeo *Secundò*: Si Parentes ex iuſtis cauſis, & adhibito aliquo debito remedio, infantulos ſuos nocte teneant, non peccant mortaliter, adhuc ſuppoſita cenſura, quia poteſt dari legitima cauſa, quæ Parentes à mortali excuſet: ergo. Sic Henriq. *loc. cit.* his verbis: Ex cauſa licebit infantem in eodem lecto tenere, ſi aliàs implacabiliter plorat, & lectus eſt magnus in quo infans ſatis diſtat à parente, ſeu nutrice, ſoletque dormire quietus: vel ſi parentes inopes ob commodum infantis ita reponunt, vt in frigore foueant: charitas enim excuſat ab inobedientia periculi exigui. Sic Henriquez. Et antea Viualdus *loc. cit.* ſic: Si nutrix experta eſt ſe quietè dormire (id eſt, *che a la matina, ſe ne tribola del medeſimo modo che ſi dormi*) & infantem collocat in lecto à ſe aliquantulum ſeparatum, non erit mortale peccatum; maximè ſi nutrix non dormit profundè, ſed leniter, & lectus amplior eſt. Et *infra*: Si nutrix pauper eſt, ita quod nullum alium lectum, vel reclinatorium habet, vel infans frigore laboret, vel periculum ſit extra lectum eſſe ab aliquo

aoimali

Digitized by Google

animali,ſerpenti, vel diabolica arte nocendum; tunc nullum mortale erit illum apud ſe collocare. Sic ille. Quem citat, & ſequitur, cum aliis pluribus, Saytus *loc. cit.*

Ex iis ad ſecundam partem quæſiti reſpondendo, *Dico tertiò.* Parentes, qui infantes ſecum dormientes ſuffocant, fiunt irregulares, ſi imprudenter, & incautè, & omnino mortaliter culpabiliter illos in ſuo lecto collocant: non autem ſi ex iuſtis cauſis, aut variis circunſtantiis periculum timeri non debuit, aut illi ſufficienter cautum fuerat, aut alia cauſa legitima ex ſupra recenſitis ipſos à peccato excuſauit. Et ita interpretor prohibitionem factam parentibus locandi hos infantes in eodem lecto, etiamſi excommunicatio illi prohibitioni annexa ſit; nam ad illam requiritur peccatum mortale, vti demonſtrauimus *part.4. de Cenſur. tract.1. diſp.8 quæſt.9.* Sic Gibalinus *c.4. q.2. conſectar.14. verſ. Quartò. pag.204.* & ex parte Saytus *num.3. cit.* Henriquez Nauarr. & alij plures Canoniſtæ, quos nouiſſimè ſequuntur Suarez *diſp.46. ſect.6.n.15.* Fillinc. *loc.cit. n 79. verſ. Secundus.* Reginald. *lib.30. cap.12. n.157.* Bonac. *q.4. punct.7.n.18.* & alij.

Qvæstio XLV.

An fiat irregularis Clericus noctu portans arma prohibita, ſi rixoſus amicus, ei inſcio, aut inuito ſuſtulit, & illis armis hominem occidit.

AFfirmat Maiolus *lib.5. cap.48. §.3. num.17.* his verbis: Aliquando verò Clericos eſt in culpa tenendo, aut ferendo arma de nocte, vel dando operam rei illicitæ, vel arma prohibita, & eo caſu, etiamſi inuito Clerico amicus arma abſtulerit, vel inſcio ſurripuerit, fit irregularis Clericus ea culpa. Ita ille, qui ſimul & Henriquez citant pro hac parte Felinum *in cap. Sicut dignum, de homicid.* Nicol. Ploue *tract. de Irregularit.n.13.& 14.* & Carrer. *in pract.crimin.tit. de homicid.§.Circa.n.69.*

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia in illa traditione armorum nulla fuit culpa mortalis homicidij. Sic ex doctrina Nauarri *cap.27. num.221. & 237.* docet Henriquez *lib.14. cap.15. num.14 in fine,* & nouiſſimè Gibalinus *cap.4. quæſt.2. conſect. vltim. verſ. Nonò,* vbi addit idem dicendum eſſe, caſu quo Clericus volens illa arma dediſſet; niſi aliàs in illa traditione armorum committeret aliquod homicidij mortale, propter præuiſum iniuſtum homicidium. Sed de hoc vltimo caſu ſupra nos egimus.

Qvæstio XLVI.

An ſit irregularis Magiſter caſtigans diſcipulum, ſi ex caſtigatione caſu ſequatur mors.

AFfirmat abſoluiè, & ſine vlla diſtinctione, Felinus *in cap. Presbyterum, de homicid.* docens eſſe irregularem.

Sed clarius cum diſtinctione Reſpondeo dicendum: Eſſe quidem irregularem, ſi nimis in caſtigatione exceſſit, & non adhibuit debitam diligentiam, ne ſequeretur mors, vel mutilatio: ſecus verò ſi non exceſſit, ſed moderatè, & circumſpectè caſtigauit, quia tunc homicidium ſequutum merè erit caſuale. Sic communis ex textu *in cap. Presbyterum, & cap. Ad audientiam, de homicid.* Nauar. *cap.27. num.235.* Couarr. *in Clement. Si furioſus, part.2.§.4. num.5. & §.2. num.9.* Vgolin. *cap.20. num.11.* Henriquez *lib.14. cap.14. num.5.* Molina *tom.4. tractat.3. diſp.77. num.6.* Auila *p.7. diſp.6. ſect.1. dub.3.* Saytus *lib.7. c 6 num.2.* Suarez *diſp.46. ſect.2. num.4.* Bonac. *quæſt.4 punct.7. num.14* Barboſa *ad cap. Presbyterum, cit num.1. & 2.*

Qvæstio XLVII.

An qui vinum generoſum conuiuis appoſuit, aut lautiſſimas illis miniſtrauit epulas, quibus aliquis ſe ita ingurgitauit, vt crepuerit, aut mentis defectu alium occiderit, maneat irregularis.

REſpondeo: quod non. Quia fortuitum omnino, & inuoluntarium eſt conuiuanti illud homicidium. Sic Vgolinus *cap.28. num.3. & 4.* Gibalinus *ex illo cap.4. quæſt.2. conſectar. vlt. verſ. Primè.* Qui idem dicit de illo, qui tectum reſarciens cadit, & aliquem obterit. Et de illo qui mittit aliquem itinere maritimo, aut terreſtri, & vel tempeſtate periit, vel à latronibus cæditur, &c.

Quis autem poſſit in hac irregularitate, orta ex homicidio caſuali diſpenſare, dicemus *diſp.27.*

DISPVTATIO XVII.

De Irregularitate orta ex mutilatione voluntaria membrorum.

Qvæstio Prima.

An ex iniuſta, & voluntaria membrorum mutilatione naſcatur irregularitas.

RESPONDEO, vt quid certum: Naſci. Quia ſic determinatum eſt Iure, & docent ex illo omnes Doctores, vt vidimus *ſupra diſp. 10. quæſt.7.* vbi *quæſt.8.* diximus, hanc irregularitatem eſſe omninò diſtinctam ab irregularitate orta ex homicidio; & ideo non omnia, quæ iura diſponunt de irregularitate voluntarij homicidij, extendenda eſſe ad irregularitatem iſtam mutilationis voluntariæ. Legantur dicta à nobis ibi *quæſt 9. & 10.*

Qvæstio II.

Quid ſit mutilatio membri.

REſpondeo dicendum, quod mutilatio propriè ſumpta, nil aliud ſit, quàm membri abſciſſio, & amputatio, ſeu detruncatio. Sic colligunt communiter Doctores ex Gloſſa (non ex regula,) vt errore Typographi leges apud Corneio *in cap. Accuſaſti, verbo debilitatus, de accuſationibus.* Legantur de hac materia Nauarr. *cap.27. num. 206.* Sotus *lib.5. de Iuſtitia, quæſt.2. artic.1.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus, 3. part. initio, numer.9.* Molina *tom.4. tractat.3. diſputat. 68.* Suarez *diſput. 44. ſect.2.* Bonacina *diſputat.7. quæſt.4. punct.8.* Saytus *lib.6. cap.15. à num.3.* Maiolus *lib.5. cap.50.* Auila *part.7. diſputat. 5. ſect.1.* Filliucius

tract. 10.*c.* 1.*à n.* 7. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 5.§.1. *à n.* 3. Hurtad.*diſp.* 5.*diff.* 5.*n.* 18. Gibalinus *de Irregul. c.* 4. *q.* 1.*à n.* 5.*pag.* 116.& Moure 2.*p.examin.c.* 10.§.14.*n.* 2.

QVÆSTIO III.

An ad veram rationem membri, cuius mutilatio irregularitatem parit, neceſſe ſit, vt habeat proprium & diſtinctum officium à reliquis partibus totius corporis?

NEgant quamplures Doctores, docentes, minimè eſſe neceſſarium ad rationem membri, cuius abſciſſio, ſeu mutilatio irregularitatem parit, vt habeat proprium, & diſtinctum officium, ſeu diſtinctam, & totalem operationem; ſed ſufficere, ſi habeat operationem coniunctam, & acceſſoriam in aliqua parte præcipua, quam iuuat, vt videtur in digitis manuum, & pedum. Probant: Quia ius canonicum ſolùm requirit ad irregularitatem contrahendam, mutilationem membri, vt patet ex *Clement. vnica, de homicid.* at ſic eſt, quod notabilis cuiuſlibet membri diminutio, propter abſciſſionem alicuius partis ipſius, dicitur mutilatio: ergo huiuſmodi ſufficiens erit ad inducendam irregularitatem. Ita tenent Sotus *lib.* 5. *de Inſt q.* 2.*art.* 1. & *in* 4.*diſt.* 25.*q.* 1.*art.* 3. *concluſ.* 3. Palud. *ibidem q.* 3. *art.* 5. *concl.* 1. Caietan. 2. 2. *q.* 65. (non 6. vt legi apud Sayrum) *art.* 1. Quibus adhæſere Aragon. 2.2.*q.* 65.*art.* 1. Gordonus *q.* 18.*lib.* 7.*n.* 48. Suarez *etiam diſp.* 44.*ſect.* 5. (non 24 vt leges apud Cornejo) *n.* 7. & 8. (vnde non bene citat hunc Doctorem Bonacina pro parte contraria) Laiman *lib.* 3. *tract.* 3.*c.* 11.*n.* 2.

Sed ego probabilius Reſpondeo dicendum, quod ad veram rationem membri, cuius mutilatio irregularitatem inducit, neceſſum ſit, quod habeat proprium, & diſtinctum officium à reliquis partibus corporis. *Primò* probatur ex Paulo 1. *Corinth.* 12. dicente, *membra corporis non habere eundem actum:* indicans per hoc, ex actibus diſtinctis membra diſtingui.

Secundò. Quia in pœnalibus, voces ſunt in rigidiori, & maximè propria ſignificatione capiendæ: at vox *membri*, in rigidiori ſignificatione ſumpta, ſolùm accipitur pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia diſtinctam: ergo. Sic paſſim ſentiunt Iuris Doctores, Bartol. Bald. Felin. Panorm. & alij, quos refert, & ſequitur Couar. *in Clement. Si furioſus*, 3 *p.* (non §. 3. vt leges apud Palaum) *initio n.* 8. Nauarr. *c.* 27.*n.* 106. Henriquez *lib.* 14.*c.* 8.§.1. Valentia *tom.* 4.*diſp.* 7.*q.* 19.*punct.* 3.§.4. Graffis *lib.* 5.*c.* 62. *n.* 4. Tabiena, Angel. Philiarchus, & Salon, quos citat & ſectatur Sayrus *lib* 6.*c.* 15.(non 16. vt leges apud Palaum) *n.* 13. & 14. Molina *tom.* 4.*tract.* 3.*diſp.* 69.*n.* 5. Auila *p.* 7.*diſp.* 5.*ſect.* 1.*dub.* 1. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 8. *concl.* 2. Reginald. *lib.* 30.*n.* 91. Filliucius *tract.* 19.*cap.* 9. *n.* 535. Bonacina *q.* 4.*punct.* 8.*n.* 3. Hurtad. *diſp.* 5. *de Irregul. diff.* 5.*n.* 18. Ioan. Præpoſitus *in* 3.*p. q.* 5.*de Irregul. n.* 74. Tolet *lib.* 1.*c.* 71. aliquibus, mihi tamen *c.* 77. *n.* 4. Moure *loc. cit. n.* 3. Gibalinus *c.* 4.*q.* 1.*n.* 6.*pag.* 117. Diana *p.* 2.*tract.* 15.*reſol.* 10. & *p.* 4.*tract.* 2.*reſol.* 26. & *p.* 9.*tract.* 7.*reſol.* 21. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 55. §.1. *n.* 4. Cornejo *diſp.* 5.*de Irregul. dub. vnico, q.* 4. Barboſa *de Appellatiua verb. Signif. verb. Membrum, n.* 1. & communis.

QVÆSTIO IV.

An abſcindens alteri pedem, manum, aurem, linguamve, aut eruens oculum, fiat irregularis?

REſpondeo, vt certum: Fieri. Quia verè abſcindit membrum habens propriam, & diſtinctam operationem ab alio, veluti manus ad palpandum, pedes ad ambulandum, aures ad audiendum, lingua ad loquendum, & oculi ad videndum: ergo. Sic ſentiunt omnes Doctores vtriuſque ſententiæ nuper relatæ, vt notat Sayrus *loc. cit. n.* 11. Legatur Barboſa *loc. cit.*

QVÆSTIO V.

An abſcindens alteri vnum, aut duos digitos pedis, vel manus, maneat irregularis?

AFfirmant Sotus, Caiet. & Paludan. locis ſupra citatis. *Primò* Quia digiti pedis, vel manus verè ſunt partes pertinentes ad integritatem totius corporis: ergo ſunt verè membra.

Secundò. Quia, vt nuper eſt habitum, illud dicitur in rigore, & eſt propriè membrum, quod habet proprium officium, & diſtinctam operationem ab alio: atqui digiti manus ſunt huiuſmodi, cum, vt conſtat, digitis ſcribamus, pingamus, & inſtrumenta muſica pulſemus: ergo abſcindens illos irregularis manebit. Ita videtur ſentire Filliuc. *tract.* 20. *c.* 1.*q.* 6.*dicto* 3.*n.* 15.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia probabilius eſt, digitos in ordine ad inducendam irregularitatem, non reputari membra, quidquid ſit in ordine ad componendam naturam. Nam digitus in propria ſignificatione non eſt membrum, ſed pars membri. Ex quo ſolutum manet primum argumentum. Et ad ſecundum neganda eſt minor; quia ſcribere, pingere, & huiuſmodi, non digitorum, ſed officium proprium eſt manus; quæ quaſi inſtrumento coniuncto ad hæc præſtanda, vtitur digitis. Sic tenent communiter Auctores noſtræ ſententiæ quæſtionis antecedentis: inter quos præcipuè Sayr. *c.* 15. *cit. n.* 14. & 15. Couarr. Bonacina, Henriquez, Tolet. Maiol. Hurtad. Barboſa, Moure, Palaus, & Diana *loc. cit.* Qui idem, & à fortiori, dicunt de vnguibus; cùm hæ multo minus ſint, aut dicantur membra.

QVÆSTIO VI.

An ſaltem maneret irregularis, qui alteri abſcinderet digitos, quibus Sacra Euchariſtia contrectatur, nempe pollicem, & indicem?

AFfirmant, & à fortiori, Sotus, Caiet. & Palud. Quibus acceſſere Silueſter *homicidium* 3. *q.* 3. *verſ.* 4. Maiolus *lib.* 5.*c.* 50.*n.* 5.& (apud Sayrum *vbi infra*) Toletus *lib.* 1. *c.* 57. *notabili* 3. Sed hic Auctor oppoſitum docet, vt citò conſtabit. Tenent tamen Suar. *diſp.* 44.*ſect.* 2.*n.* 8.& P. Vaſquez apud Luyſium *lib.* 9 *de cenſur. diſp.* 67.*dub.* 5.*verſ. Sed P. Suarez*, & Zerola *in* 1.*part praxi Epiſcop. verb. Irreg. verſ. Tertiò.*

Sed ego probabilius Reſpondeo: Nec iſto caſu manere irregularem mutilatorem pollicis, & indicis. Quia nec hi digiti verè, & propriè membra ſunt: ergo nec illos mutilans manebit irregularis.

Sic

Digitized by Google

Sic in primis ſentit Toletus, non loco citato à Sayro pro oppoſita parte, ſed *lib.1.cap.77. num.4. in fine*, vbi ita ait: Qui ergo alteri digitum abſcidit, etiamſi pollex, aut index ſit, non cenſetur mutilator, vt irregularis efficiatur. Sic Toletus, Couar. *in Clement. cit. part. 3.initio, num* 8. ſic dicens: Quartò proximè deducitur, non eſſe eum irregularem, qui alteri eos abſciderit digitos, ſine quibus ipſe mutilus Sacerdos eſſe non poteſt, nempe tres digitos ad conſecrationem neceſſarios, propter honeſtatem. Nam qui hos digitos non habet, irregularis eſt ob defectum maximum eius partis, quæ neceſſaria eſt ad honeſtè, & decorè celebrandum. Qui verò eam partem abſciderit, non habet eam deformitatem, nec defectum, nec membrum abſcidit; & ideo irregularis non eſt. Sic Doctiſſ. Couar. Salon. 2.2.*q.59. art.1. contron.* 4. quos citat, & ſequitur Sayr. *lib.6.c.15.n.*16. Bonac. *punct.* 8. *cit.n.*3. Auila *p.7.diſp.5.ſect.1.dub.1.verſ. Sequitur ſecundò.* Cornejo *diſp.2. de Irregul. dub. vnico, q.4. verſic. Infero primò.* Diana *p.2.tract.15 reſol.* 20, *& p. 4 tract.2.reſol.*26. vbi citat Hurtadum, Villalob. Præpoſitum, Megalam, & alios, & *p.9. tract.7. reſol.* 21. Henriquez *lib.14.c.8.n.1.*& alij

Qvæstio VII.

An ſit irregularis, qui alteri abſcindit auriculam, hoc eſt, cartilaginem, quæ circa aurem eſt?

Affirmant aliqui; & probatur. Quia talis auriculæ amputator verè facit alium irregularem: ergo & ipſe eadem debet pœna puniri. Ita tenent Nauar. *in Man.c.27.n.*186. & 216. §.2. Maiol. *lib.5. c.50.n.6.* Viuald. *n.*161. qui & probat ex textu *in c. Si Petrus*, 14.*q.1.* Sed malè, quia ibi nil ad propoſitum dicitur. Suarez. *diſp.44. ſect.2.n.*8. Lublinus 1. *p. Sum. verb. Irregularitas, n.*27. & alij.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Minimè eſſe irregularem. Quia probabilius eſt, quod auricula, ſeu cartilago non ſit propriè membrum: ergo qui alteri auriculam abſcindit, non eſt membri mutilator, & conſequenter nec irregularis. Sic Couar. *loc.cit.* ita ſcribens: Primùm *infero*, non eſſe membri abſciſſionem cum auricula ſcinditur, & amputatur; ſiquidem auris membrum eſt propriè, illa autem cartilago, quæ circa aurem eſt, & auricula dicitur, potiùs ad ornatum auris, & membri tutelam, quàm ad peculiare corporis obſequium pertinet, & ideo membrum non eſt, nec eius abſciſſio efficeret quem irregularem, &c. Sic ille, qui & citat Baldum *in l. ſerui fugitiui, C. de ſeruis fugitiuis.* Sic eam tenent Henriquez *lib.14. cap.8 num.3.* ibi: Qui alterum auricula priuat, non eſt mutilator, nec irregularis. Sic ille. Qui & citat *litt.C.* Nauarrum *lib.5.conſil.de ſentent. excommun.conſil.65.* Sed apud meum Nauarrum ille titulus non habet niſi 57. *conſilia.* Auila *p.7. diſp.5. ſect.1.dub.1, corollar.2.* Sayrus *lib.6.c.15. n.17.* Bonac. *diſp.7 q.4.punct.8.n.3.* Cornejo *diſp 2.de Irregul. dub. vnico, q.4 verſ. Infero ſecundò.* Diana 2. *p.tract.15.reſol.20. & p.4 tract.2.reſol.26.* Luyſius Turrian. *lib.9. diſp.67. dub.2.* Barboſa *verb. Membrum, cit.n.4.* & penes illum Burg. Bellet, Riccius, Campan. & alij, Portel *in addit. ad dub. Regul. verb. Homicidium, n.8.* & nos *ſuprà diſp.2.q.13.*

Ad fundamentum oppoſitæ partis neganda eſt conſequentia; nam optimè poteſt contingere, quod quis efficiat alium irregularem, & ipſe non maneat talis, vt fatetur ipſemet Nauar. *conſil.2. de homicid. n.2.* his verbis: Tum, quia non eſt verum, quod aliqui dixerunt, eum qui alium efficit irregularem, fieri irregularem, quia id nullo iure cauetur: & qui generat filium extra matrimonium, qui eſt irregularis, non propterea ipſe fit talis: & Iudex damnans aliquem furti, facit eum irregularem, non tamen ob id ipſe fit talis. Sic ille. Quod & approbant Couarr. Henriquez, Auila, Filliucius, Sayrus apud Dianam 2.*p.loc.cit.* & nos amplius *infra q.25.*

Qvæstio VIII.

An qui aliquem naſo mutilat, irregularis permaneat?

Affirmabunt, qui docent, quod ille qui alium reddit irregularem ſuo facto, ipſe quoque irregularis exiſtat. Sunt autem Maiolus *lib.5.c.50.n.4.* & penes illum Guil. de Laur. Silueſt. Tabiena, Angel. & Bonif. Rotæ auditor. Et in terminis id affirmat Zerola 1.*p.praxis Epiſcop. verb. Irregularitas, dub.2. pag.*451. quia iſte talis præſcindit membrum.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia probabilius eſt, naſum, prout in præſentiarum ſumitur, non eſſe membrum; cùm illo ablato, adhuc non tollatur ſenſus. Sic Henriquez *lib.14. c.8. num.3.* his verbis: Secundò qui alterum auricula priuat, non eſt mutilator, nec irregularis, vt nec qui præcidit mamillam fœminæ, aut naſum. Sic ille. Qui *litt.E*, ait id colligi ex Nauarro, & Couarr. quia naſus non eſt neceſſarius pro odoratu. Auila *p.7. diſp.3. dub.1. prope finem, verſ. Ex dictis ſequitur.* Cornejo *dub.vnico, cit.q.4.verſ. Infero ſecundò.* Quia illa cartilago, *inquit*, non eſt membrum, ſed ſolùm deſeruit ad tutelam & ornatum odoratus. Sic etiam Bonacina *n.3.cit.*

Qvæstio IX.

An qui vnum eruit oculum alteri, irregularis exiſtat?

Negant quidam, quos ſuppreſſis nominibus, refert Luyſius *lib.9. de Cenſur. diſp.67. dub.2. verſ. Deinde.* Sed, vt ipſe ait, ſine idoneo fundamento. Quare

Ego vt quid certum Reſpondeo: Irregularem exiſtere. Quia vnus oculus habet propriam operationem, & peculiarem, quam poteſt elicere ſine alio. Sic ex Gabriele Vaſquez docet Luyſius *loc.cit.*

Qvæstio X.

An etiam ſit irregularis, qui detrahit alteri viſum, licèt non eripiat oculum?

Affirmant Maiolus *lib.5.c.50. n.5.* ita ſcribens: Qui oculum alterius ita lædit, vt inducta albugine, vel macula promoueri non poſſit, ipſe quoque, qui ita commaculauit, irregularis eſt, & non poterit promoueri. Ita ille. Et ante illum Angelus *verb. Homicid.5.n.5.* Silueſt. *homicid.3.q.3.verſ. Tertium, in fine.* Tabiena *irregul.3.n.26.* quos ſequitur Portel. *loc. cit. verb. homicid.n.8.*

Sed probabilius Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia huiuſmodi viſus læſor, non eſt propriè mutilator membri, cum nullum à toto truncet, aut ſcindat, quod erat neceſſe vt irregularitatem incurreret. Sic Molina *tom.4.tract.3, diſp.68. col.932.* ibi: Qui claudum, aut mancum aliquem efficit abſque membri detruncatione, & qui cæcum aliquem efficit,

non eruendo illi oculum, non incurrit irregularitatem. Toletus etiam *lib. 1. c. mihi 77. n. 9. verſ. Tertiò.* Megala *in 3. p. lib. 7. c. 1. n. 31.* Diana *p. 4 tract. 3. reſol. 26. & 71. in fine.* Fernand. *in examin. Theolog. Moral. p. 2. c. 10. §. 14. n. 7.* Bonac. *q. 4. punct. 8. n. 7.* Gibalin. *c. 4. q. 1. conſ. 16. n. 46. verſ. Oculus.* Mout. *2. p. examin. c. 10. §. 14. n. 7.* & tenent etiam conſequenter alij mox citandi.

QVÆSTIO XI.

An vt quis hanc irregularitatem incurrat, ſufficiat debilitare membrum alterius, & reddere ineptum ad munus ſuum præſtandum, quamuis non amputet illud.

AFfirmarunt aliqui ex antiquis, docendo, ſufficere ad contrahendam irregularitatem ita debilitare membrum alterius. Quia paria videntur non eſſe, & eſſe, & inutile eſſe, *c. 2. de Tranſlat. Epiſcop.* ſicut paria ſunt, vxorem non habere maritum, vel habere inutilem: & paria ſunt, Eccleſiam non habere Prælatum, & habere ineptum. Ideò hanc partem tenent Panormitan. *c. Cum illorum, de Sentent. excom. n. 8.* Tabien. *irregul. 3. n. 26.* & Angel. *homicid. 5. n. 5.* (non *homicid. 3. q. 3. verſ. Tertium,* vt citat Sayr.) quos citat, & ſequitur Maiol. *c. 50. n 7* Sylueſt. *homicid. 3. q. 3. verſ. Tertium,* & alij, quos citat Henriquez vbi infra.

Sed probabilius Reſpondeo: Non ſufficere debilitare membrum, aut illud inutile reddere: ſed omninò requiri abſciſſionem, aut detruncationem membri. Ratio eſt. Quia huiuſmodi irregularitas non imponitur à iure, contra debilitatem membrum, ſed contra mutilantem, aut detruncantem illud: ergo cùm ſit pœna, ſtrictè ſumenda ſunt verba, & non amplianda. Sic Panormitan. ſibi contrarius, *& c. 1. Qui Clerici vel vouentes, n. 9. & c. Accuſaſti, de accuſat. in fin.* Sot. *lib. 5. de Iuſtit. q. 2. art. 1.* Nauar. *c. 27. n. 206. & 207. verſ. Tertiò.* Couarr. *in Clem. ſi furioſus, p. 3. initio, n. 9.* Henriq. *lib. 14. c. 8. n 4. in fine.* Tolet. *lib. 1. c. 77.* (non 27. vt leges apud Sayrum) *n. 8. verſ. Secundò.* Sayr. *lib. 6. c. 15. n. 5.* qui tamen malè citat Angelum, & Tabienam pro hac parte. Auil. *p. 7. diſp. 5. ſect. 1. dub. 2.* citans Villadiego, & Perez. Molin. *tract. 3. cit. diſp. 68.* Suar. *diſp. 44.* (non 47. vt leges apud Palaum) *n. 5.* Bonac. *diſp. 7. q. 4. punct. 8. n. 6 & 11.* Hurtad. *diſp. 2. diff. 5. n. 18* Filliuc. *tract. 19. c. 9. n. 234.* Ægidius *diſp. 18. dub. 8. concl. 2.* Corn. *diſp. 2. dub. vnic. q. 1.* Palaus *diſp. 6. punct. 15. §. 1. n. 5.* Diana *p. 4. tract. 2. Reſol. 26. & 71.* Gibalin. *c. 4. q. 1. n. 5. pag. 116.* Portel. *loc. cit. n. 6.* & Mour. *2. p. examin. c. 10. §. 14. n. 7.*

QVÆSTIO XII.

An ſaltem fiat irregularis, qui ita membrum alterius debilitat, vt omninò ſiccetur, & moriatur.

AFfirmat Suar. *loc. cit. n. 11.* (non 10. vt leges apud Palaum) vbi ita ait: Qui membrum, v.g. oculum ita lædit, vt ex vi læſionis omninò areſcat, & exſiccetur, quamuis nullam partem abſcindere videatur, irregularis manet: quia ſubſtantialiter, vt ſic dicam, mutilat; nam relinquit corpus vno membro principali priuatum. Et hoc ſignificaſſe videntur Syluest. Angel. Maiol. *locis à nobis ſup. cit.* Huc vſque Suarez. Quem citat, & ſequitur Ægidius *diſp. 18. cit. dub. 8. concl. 2. n. 61.* & tenent à fortiori Authores nuper pro prima ſententia adducti.

Sed adhuc probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia adhuc non dicitur propriè mutilator membri, qui illum lædendo areſcit, & exſiccat, aut mortuum reddit. Nam manus (v.g.) arida, aut ſicca, licèt perfectè non viuat, retinet tamen rationem membri vniti ad decorem, & integritatem hominis, & ideò qui eam iniuſtè ſcinderet, fieret irregularis. Quod quidem colligitur ex *c. Sicut vrgeri, 1. quæſt. 1. ibi*: Si cuius hominis manus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum illius, quamuis ſine ſanguine, & inefficax, & mortuum. Sic Henriq. *lib. 14. c. 8. n. 4. à lit. G.* Palaus *diſp. 6. punct. 15. §. 1. n. 5. verſ. Videe.*

QVÆSTIO XIII.

An qui alicui dentes excutit, exiſtat irregularis

REſpondeo, vt certum: Non exiſtere irregularem. Quia certum eſt apud omnes, quod dentes non ſunt membra, ſed ſolum inſtrumenta, quibus maxilla mandit cibos, & molat: ergo qui illos excutit non fiet irregularis, cum non dicatur membri mutilator. Sic ex Victoria §. 239. docet Henriq. *c. 8. cit. num. 2. in fin. in gloſſ. lit. S.* Molin. *tom. 4. tract. 3. diſp. 69. num. 2. column. 933.* Sayr. *lib. 6. cap. 15. num. 11.* Bonac. *quæſt. 4. punct. 8. num. 3.* Dian. *p. 2. tract. 25. Reſol. 20.* Gibalin. *cap. 4. q. 1. conſect. 16. in fin.* Palaus *loc. cit. num. 4.* Portel *in addit ad dub. Regul. v. homicid. n. 8.* & alij.

QVÆSTIO XIV.

An ſi quis alteri vi, aut pharmaco totam barbam euelleret, maneret irregularis.

REſpondeo, vt certum: Non manere irregularem, adhuc ſi ob contumeliam id faceret. Quia certum eſt, barbam non eſſe membrum, ſed ſolùm hominis ornamentum, vt dicunt D. Baſil. *in hexaemer. homil. 12.* & D. Auguſt. *de Ciuit. Dei lib. 22. c. 24.* ergo qui eam euelleret, quomodocumque id faceret, nullatenus diceretur mutilator membri, ac per conſequens nec irregularis. Sic Maiol. *lib 5. c. 50. n. 3.* Sayr. Bonacina, Palaus, Molin. Dian. Barboſ. *loc. cit.* & omnes, qui ob eandem rationem idem docent de capillis capitis.

QVÆSTIO XV.

An qui præſcindit alteri membrum virile, fiat irregularis.

REſpondeo, vt certum: Irregularem fieri. Quia præſcindit membrum habens peculiarem actum, & distinctum à cæteris: ergo huiuſmodi verè dicitur, & eſt, mutilator membri, ac proinde irregularis. Sic Bonac. *quæſt. 4. punct. 8 num. 3.* Dian. *p. 2. tract. 15. reſol. 20 in fin.* vbi ita ait: Qui præſcindit alteri membrum virile, eſt irregularis; quia mutilauit membrum: & tamen ſic præciſus, ſi contingat abſque propria culpa, non fit irregularis, *cap. Ex parte, el 2. de corp. vitiatis.* Sic ille, ex Auil. *part. 7. diſp 3. dub. 5. verſ. Ex dictis ſequitur, & (adde tu) verſ. Prætereà, & diſp 5. ſect. 1. dub. 1.* & benè iuxta dicta à nobis ſup. *diſp. 2. à quæſt. 55.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

An qui alteri amputat vtroſque teſticulos, abſque membro virili, perſiſtat irregularis?

NEgant quamplures, eo quòd exiſtiment, teſticulos non eſſe membrum, & conſequenter ſcandentes illos, non eſſe irregulares. Ita in primis ſentit Nauarr. *c.* 27. *n.* 206. *verſ. Secundò dico*, Henriq. *lib.* 14. (non 23. vt legi apud Sayrum) *c.* 8. *n.* 1. *in corp. lit. Q*, quod io Gloſſ. *ead. lit.* id probat, quia inquit, ſine teſticulis corrumpit Virginem, & ſeminat aliquo modo, & *lit. R.* ita ex Nauarro ait: Ac ſubinde qui alteri abſcindit teſtes, non eſt mutilator irregularis. Negant etiam apud Palaum Bonacin. *q.* 4 *punct.* 8. *n.* 3. & Hurtad. *diſp* 2. *diff* 5. *n.* 19. Quibus addo Sayrum *lib.* 6. *c.* 15. *n.* 15. *in fine.* Auil. *p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 1. *verſ. Praterea probo, & diſp.* 5. *ſect.* 1. *dub.* 1. *verſ. Hinc ſequitur primò.* & Dian. *p.* 2. *tract.* 15. *Reſol.* 20. *in fine*, ita ſeribens: Notent Confeſſarij, non eſſe etiam irregularem, qui abſcindit mamillam fœminæ, vel auriculam, id eſt cartilaginem: quia ſolum deſeruit ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem, vel teſticulos, abſque membro genitali, &c. Ita Diana poſtea ſibi contrarius, vt mox videbis. Negat etiam Cornejo *diſp.* 2. *de Irregal. dub. vnic. verſ. Ad ſecundam.*

Sed probabilius Reſpondeo: Perſiſtere irregularem. Quia probabilius eſt, quod teſticuli ſint membrum. *Probatur*, quia (vt ſuprà eſt habitum) omne id (quod in corpore diſtinctam habet operationem, propriè dicitur membrum: at ſic eſt, quod teſticuli habent diſtinctam operationem à cæteris membris, nempe actionem generatiuam, vt conſtat. Nam licet ſine illis corrumpere poſſit quis Virginem, vt vult Henriquez, non tamen poteſt ſine illis generare: ergo habent rationem membri: ergo amputator eorum verè eſt, & dicitur mutilator membri, ac proinde irregularis. Sic tenent Palaus *diſp* 6. *punct.* 15 §. 1. *num.* 4. & ex illo Dian. *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 21. his verbis: Adde etiam, quod non deſunt Doctores, aſſerentes, teſticulorum abſciſſionem, etiam voluntariam, non inducere irregularitatem: & ita docet Hurtad. *de Irregul. diff* 5. *n.* 19. & Bonac. *de cenſar diſp.* 7 *quaſt.* 4. *punct.* 8. *n.* 3. Sed ego magis adhæreo affirmatiuæ ſententiæ, quam tuetur Caſtr. Palaus *tom.* 7. *diſp.* 6 *punct.* 15. §. 1. *n.* 4. Hæc Diana iam, vt vides, ſibi contrarius. Lege attentè Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 2. *n.* 9. *in fin.* vbi videbis ſatis noſtram ſententiam indicare, & illam tuetur Portel *loc. cit. n.* 8.

QVÆSTIO XVII.

An etiam eſſet irregularis, qui amputaret vnum teſticulum abſque genitali membro?

NEgant à fortiori Doctores primæ ſententiæ, quibus in hoc caſu adhæret Palaus *loc. cit.* per hæc verba: Sed has extenſiones nequaquam probo. Nam eſto abſciſſionem vnius teſticuli exiſtimem non eſſe abſciſſionem membri ſufficientem ad irregularitatem inducendam, cùm ex ea actione non impediatur aliqua actio corporis ab aliis actionibus diſtincta: at abſciſſio vtriuſque teſticuli impedit actionem generationis, &c. Ita ille.

Sed probabilius Reſpondeo: Adhuc eſſe irregularem. Quia probabilius eſt, quod quilibet ex teſticulis eſt perfectum membrum; cum habeat actionem propriam diſtinctam à cæteris membris, vt conſtat experientiâ, ſiquidem paſſim videmus generare illum, qui vnicum teſticulum tenet: ergo. Confirmatur ex dictis *q.* 9. Nam qui alteri eruit vnum oculum, verè eſt irregularis, eo quòd quilibet oculus habeat propriam operationem, quam poteſt elicere ſine alio: ergo iam erit irregularis, qui amputat, aut euellit vnum teſticulum, cum habeat propriam operationem generatiuam, quam potens eſt elicere ſine alio: quod idem confirmabunt dicenda à nobis *q.* 19.

QVÆSTIO XVIII.

An maneat irregularis, qui vtramque mamillam fœminæ abſcinderet?

NEgant aliqui Doctores; quia putant mamillam fœminæ membrum proprium non eſſe. Ita Couarr. *in Clem. ſi furioſus, p.* 3. *initio n.* 8. *corollar.* 2. (non 3. vt leges apud Auilam) Bern. Diaz *in ſua practica, c.* 99 *in fine*, Auil *p.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *dub.* 1. *verſ. Sequitur ſecundò.* Henriq *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 3. *litt. D.* Villalob. *tom.* 1. *tract* 21. *diff.* 19. *n* 4.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Manere irregularem, quia probabilius longè eſt, mamillam fœminæ eſſe propriè membrum principale, ac habere propriam & peculiarem actionem, vt quæſt. ſequenti videbimus. Sic Doctores ſtatim citandi.

QVÆSTIO XIX.

An etiam irregularis maneret, qui vnam tantùm fœminæ mamillam amputaret?

NEgant à fortiori Doctores ſuprà allegati.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Etiam manere irregularem, quia probabilius longè eſt, quod quælibet ex mamillis fœminæ actionem habet ab aliis corporis membris diſtinctam. Sic optimè Molin. *tom* 4 *tract.* 3. *diſp.* 69. *n.* 6. his verbis: Illud admonuerim, falſam eſſe Couarruuiæ opinionem, *loc. cit.* qua aduerſus Baldum affirmat, mamillam, ſeu mammam in fœmina non eſſe membrum, eaque de cauſa illam fœminæ abſcindentem, irregularitatem non incurrere. Cum enim habeat proprium actum, nempe generare lac, ac lactare infantem: atque vtrumque vnaquæque mamilla ſeorſum ab alia efficiat, perinde ac vnuſquiſque oculorum actum videndi exercet, & perinde atque quævis aurium exercet audiendi actum, negandum ſanè non eſt, vnamquamque fœminæ mamillam verè eſſe membrum, illamque proinde abſcindentem irregularitatem incurrere. Sic Molina. Et ſic etiam apud illum Felinus. Sic item Sayrus *lib.* 6. *c.* 15. (non 16. vt leges apud Palaum) *n.* 18. Suarez & Vaſquez, quos citat, & ſequitur Luyſius *lib.* 9. *de cenſar. diſp.* 67, *dub.* 1. Vgolin. *cap.* 4. §. 5. Reginald. *num.* 91. Bonacin. *quaſt.* 4. *de Irregularit. punct.* 8. *num.* 3. qui tamen malè citat Baldum pro oppoſita parte. Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 4. *in fine*, Barboſ. *tract. de Appellatiuis, verb. Membrum, n.* 5. vbi pro hac noſtra ſententia adducit Baldum, Riccium, Socin. & Farinacium; & pro contraria Sayrum *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 18. ſed hunc omninò malè: nam loco ab ipſo citato nil de hac difficultate agit, nec illud caput habet niſi numerum 16. agit tamen *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 18. vbi noſtram ſententiam apertè contra Couarrou. & Henriquez defendit. Tenent

rurſus

rurſus noſtram opinionem Dian. *part.4. tract. 2. Reſol.26.* Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. homicidium,n.*8. & alij.

QVÆSTIO XX.

An deinde fieret irregularis, qui mamillam viri abſcinderet.

RESpondeo, vt quid certum, quod non. Quia mamilla in homine non eſt propriè membrum, cum nullum habeat peculiarem actum, ſed ſolùm ad decorem, ac ornatum videatur inſeruire: ergo eius abſciſſio non eſt membri, ſed potius partis carnis, quæ non affert irregularitatem. Sic Bald. Felin. Molin. Vaſq. Luyſ. Bonacin. Barboſ. ſup. citati, & communis.

QVÆSTIO XXI.

An irregularitatem incurreret, qui mutilaret membrum omninò debilitatum, & ineptum ad munus ſuum.

RESpondeo, vt certum: Incurrere. Quia membrum debilitatum verè eſt,& propriè membrum viuum: ergo qui illud abſcinderet (intellige iniurioſè & cum mortali,) verè eſſet, & ac propriè diceretur mutilator, ac proinde irregularis. Sic Suar. *diſp.44. ſect.2. num.*11. & ex illo non citato, Filliuc. *tract.*20. *n.*17. vbi ita ait: Qui abſcinderet membrum viuum, & verum, quamuis inutile ad miniſterium, videtur irregularis: quia mutilat membrum corporis humani, & grauis eſt mutilatio, &c. Bonac. *loc.cit punct.*8. *n.*5. Cornejo *diſp.2.de Irregul. dub. vnic. q.*1.*verſ. Infrà primò.* Henriq. *lib.*14. *c* 8.*n.*4 *lit.N.& part.7. diſp.5. ſectione* 1.*dub.*2. *Corollar.*2.Luyſius *dub.*2.*cit.* & omnes.

QVÆSTIO XXII.

An item eſſet irregularis, qui abſcinderet membrum omninò aridum, & mortuum.

NEgant Suarez, & Luyſius *loc. cit.* necnon Filliuc.*n.*6.& Portel. *loc.cit. n.*8. Quia (inquiunt) talis abſciſſio non eſt humani membri, hoc ipſo, quod non eſt informatum vita: ergo non eſt inductiua irregularitatis.

Sed probabilius Reſpondeo: Dicendum, quod etiam eſſet irregularis. Quia talis abſcindens verè eſſet hominis viui mutilator, & deformator, quod ſufficit, licèt membrum abſciſſum non ſit informatum vita. Sic Henriq.*lib* 14.*c.*8.*n.*4.*litt.N.* ibi: Nam manus arida licèt perfectè non viuat, retinet rationem membri veiti ad decorem, & integritatem hominis, & qui eam iniuſtè ſcinderet, fieret irregularis. Sic ille. Qui & citat Perez,Cepolam,Præpoſit.,Alciatum, & Vaſcoletum. Sic etiam Auil.*coroll.*2.*cit.*Bonacin. *n.*5.& Palaus *diſp.6.punct.*15.§.1.*n.*5.*in fine.* Qui ſecus dicunt de illo, qui ſæuiens in cadauer inimici illud truncat amputando caput, pedes, vel manus, &c.quia iſte non occidit hominem, nec truncat illum, & ideò non fit irregularis. Legantur Couartuu. *Clem.ſi furioſus, initio n.*1. Auila *ſect.*1 *cit.verſ. Ex dictis ſequitur.* Gibalinus *c.*4.*de Irregul.q.*1.*conſect.*1. *n.*14. & nos ſupr.*q.*12.

QVÆSTIO XXIII.

An in omni caſu, quo mutilando quis alium, fit irregularis, fiat etiam mutilando ſeipſum.

RESpondeo affirmatiuè. Quia talis verè eſt, & dicitur mutilator membri: ergo verè erit irregularis. *Confirmatur*, quia maius delictum eſt mutilare ſeipſum, quàm proximum: ergo à fortiori debet irregularitatem incurrere, qui mutilat ſeipſum, quàm qui mutilat proximum: ergo in omni euentu, quo quis mutilando alium fit irregularis, fiet etiam mutilando ſeipſum. Sic Filliuc. *tract.*20. *de cenſur. c.*1.*q.*6.*n.*13. Portel *n.*8.*cit.*& communis.

QVÆSTIO XXIV.

An contrà, in omni caſu, quo mutilando ſeipſum fit quis irregularis, fiat etiam mutilando alterum.

AFfirmabunt forſitan Caiet.Sot.& alij citati ſuprà *quaſt.*5.

Sed vt certum, abſolutè Reſpondeo: Negatiuè. Quia vt conſtat ex ſuprà dictis *q.*5. *& diſp.*2. *q.*31. *&* 32. qui partem membri, v.g. digitum, vel partem digiti ſibi ex ira vel indignatione abſcindit,fit irregularis ex Concil. Tribur. *c* 33. & habetur *cap. Qui partem, diſt.*55. & tamen ſi alteri ſimilem partem abſcinderet, non fieret irregularis, vt ex dictis ſuprà liquet, eo quod ius in mutilatione ſuimet ſpecialem atrocitatem vidit. Sic Suarez *diſp.*44.*ſect.*2. *num.*10. Filliuc. *loc. cit. num.*14. Legantur Tannerus *in* 3 *part. diſp.*6.*q.*10. *dub.*10. *n.*188. Reginald. *lib.*30. *tract.*2. *c.*5. *n.*4. Diana *part.*4. *tract.*2. *reſol.*60. & ego ſuprà *diſp.*2.*à quaſt.*31.

QVÆSTIO XXV.

An eo ipſo, quo quis alium faciat irregularem, aut mutilando, vel percutiendo, aut reddendo illum alio modo ineptum ad Ordinis miniſterium, fiat ipſemet irregularis ſimul.

AFfirmat Maiol. *lib.*5.*cap.*50.*num.*4. his verbis: Et quia facies nobiliſſimum hominis membrum eſt, idcirco ſi vulneribus, aut alio genere deturpationis alterius faciem quis dehoneſtauerit, ita quod ob ſcandalum, turpitudinem, aut horrorem promoueri ille non poſſit, is qui deturpauit, irregularis eſt, & promoueri non debet; quia qui alium reddit irregularem ſuo facto, ipſe quoque irregularis exiſtit, vt ſingulari doctrina docuit Guil.de Laur. *in ſuo Sacramentali*, quem in hoc probat Sylueſt. *in verb. homicidium* 3. *quaſt.*3. *verſ.Tertium, ad fin.* Tabien. *in verbo Irregularitas* 3. *num.*26 Angel. *in verb. homicidium* 5. *num.*5. & Bonif. Rotæ auditor, vt tradit apertè Nauarr. *de Irregul.n.*214. licèt aliter alibi ipſe loquatur, vt ibid. *n.*207. Hæc omnia Maiolus ibi, quod iterum docet *n.*7. Sed aduerte, quod ex Doctoribus, quos pro ſua ſententia adducit, non benè adducit Angelum; licet alios benè Sententiam tamen Maioli ſequutus fuit Viu ld. *de Irregul.n.*161. *pag.* 19.

Sed iuxta noſtram doctrinam, vt certum Reſpondeo: Negatiuè, quia multoties contingit, vt quis alium faciat irregularem, & ipſe minimè fiat.

Exemplum

Exemplum ſit : Qui præſcindit alteri naſi, aut auriculæ cartilaginem, aut pollicem, & indicem, non manet irregularis, quia prædicta non ſunt membra, vt ſupra eſt habitum ; & tamen præciſus manet irregularis : ergo. Et idem eſt in eo, qui impreſſit alteri cicatrices in vultu, cum magna deformitate. (Alia exempla invenies ſup. *q.7.*) Et ratio præcipua eſt; quia quod contrarij volunt, nullo iure cauetur. Sic tenent Nauar. Henriq. Auil. Couar. Sayr. Filliuc. & Dian. *q.7.* adducti. Molin. etiam *tom.4 tract. 3. diſp* 69. *n.5.* Cornejo *diſp.2. de Irregul. dub. vnic. q.1. coroll.5.* Gibal. *c.5 de Irregul. q.1. n.36. pag. 334 verſ. Quintò.* Bonac. *q.3. punct.7. n.14.* & communis.

Qvæstio XXVI.

An contra poßit contingere, quod mutilator fiat irregularis, & non ipſe mutilatus.

RESpondeo: Poſſe etiam. Nam qui iniurioſè præſcindit alteri membrum virile, vel illum eunuchat, fit irregularis : eo quod (vt ſupra eſt habitum) propriè mutilauit membrum, & tamen ſic præciſus, vel mutilatus (ſi id illi contingat abſque propria culpa) non manet irregularis, vt ſup. *diſp.1. q.56.* eſt habitum, & conſtat *c. Ex parte, cit.* ergo Sic Auil. *p.7. diſp.3. dub.1* propè *finem*, Filliuc. *loc. cit. n.15.* Cornejo *loc. cit.* & communis.

Qvæstio XXVII.

An tandem poßit accidere, quod tam mutilator, quàm mutilatus irregulares fiant.

REſpondeo, vt notum : Poſſe accidere. Nam ſi diuerſa ſit perſona mutilans, & mutilata, planum eſt : ſi eadem, etiam : nam caſu, quo quis abſcinderet ex ira pollicem, ac indicem, eſſet duplici ratione irregularis, ex delicto videlicet, quia mutilator, ex ſpeciali ordine iuris : & ex defectu, quia deeſſent digiti neceſſarij ad exercitium Ordinis. Sic omnes. Legantur Filliuc. *tract. 20. c.1. q.6. n.15.* Cornejo *diſp.2. cit. dub. vnic. q.1. coroll.2.* & omnes.

Quod ſi hic deſideras ſcire, an ex dubia mutilatione contrahatur irregularitas. Et an eandem contrahat qui parato occidere aliquem, conſulit, vt potius mutilet, lege *q. 17. diſp.1. tract.1. & q.54. diſp.10. tract.2.* De diſpenſatione autem huius irregularitatis, dicemus infrà *diſp.27.* vbi etiam de diſpenſatione homicidij voluntarij agemus.

DISPVTATIO XVIII.

De Irregularitate proueniente ex iteratione Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum.

Qvæstio Prima.

An maneat irregularis, qui ſcienter rebaptizat.

RESPONDEO, vt quid certum : Manere irregularem. Quia ſic cauetur in iure *cap. Ex litterarum, de apoſtatis, cap Afros, diſt.98. c. Qui in qualibet 1. q.7. cap. Quibus, cap. Eos quos, cap. Non licet, & cap. Rebaptizare, de conſecrat. diſt.4.* Et ſic docent omnes Doctores. Legantur Maiolus *lib.5. cap.14.* Henriquez *lib 1. cap.31. §.1. & l.b.14. cap.4. §.3.* Toletus *lib 1. cap.16.* Suarez *in tertia parte, tom.3. diſp.31. sect.6. & tom.5. de cenſur. diſp.2. sect.1.* Sayrus *lib.7. de cenſur. cap.8. à num.3.* Nauarrus *cap.27. num.346.* Couarr. *in Clement. ſi furioſus, part.1. initio, dub 8.* Sotus *diſt.5. quæſt. vnica, artic.9.* Auila *part.7. diſp.7. à dub.1.* Neñus *tertia parte, quæſt.66. articulo 9.* Ægidius *diſp.18. dub.5.* Bonacin. *diſp.7. quæſt.3. punct 3.* Filliuc *tract.20. cap.6.* Palaus *diſp.6. punct.16.* Gibalinus *capite 5. q.5. pag.596.* Pellizzarius *tomo ſecundo, tract.7. capite 5. sect.3. à n.110.* & omnes.

Qvæstio II.

An etiam fiat irregularis, qui ex officio miniſtrat rebaptizanti.

REſpondeo, tanquam certum : Etiam fieri. Quia textus *in cap. Ex litterarum*, nuper cit. expreſsè loquitur de Acolyto publicè miniſtrante ſecundo Baptiſmo, cui irregularitatis pœnam iniunxit Alexander III. eo quod rebaptizanti miniſtrauit, & conſequenter rebaptizationi cooperatus fuit. Sic tenent omnes DD. Legantur citati, præcipuè Ægid. *n.35.* & Pellizz. *n.116. & 117.*

Qvæstio III.

An etiam hanc irregularitatem incurrant Parentes, qui ſuos filios rebaptizandos offerunt, Compatres, & alij cooperantes rebaptizationi.

AFfirmat cum aliis Maiol. *lib.3.* (non 2. vt oſtendi apud Gibalinum) *cap.14. num.6.* vbi ita dicit : Eadem hæc irregularitas afficit eos, qui rebaptizanti miniſtrant, Acolyti, Subdiaconi, vel Diaconi officio fungentes, *d. cap.2. de apoſtat.* & Gloſſ. *d. l.1. C. de Sanct. Baptiſm.* Qua ratione idem audeo dicere de Compatribus ſcientibus, ſunt enim participes eius rebaptizationis, cum ſint fideiuſſores, *c. Vos ante, de conſecr. diſt.4.* Ita ille. Vgolinus etiam *cap.15. §.3. n.6.* & apud Bonacinam Ægid. *diſp.18. dub.5. n.34.* ſed certè Ægidius nec obſcurè id inſinuat.

Sed probabilius Reſpondeo : Non incurrere. Quia dicta ampliatio nullum habet in iure argumentum. Nam præfatum *cap. Ex litterarum*, ſolùm loquitur de Acolyto : ergo ſolum poteſt extendi ad eos, qui inſeruiunt reiterationi ex officio, vt ſunt Subdiaconus, Diaconus, &c. & non ad alios, cum odia ſint reſtringenda ; & irregularitas non contrahatur, niſi in caſibus à iure expreſſis. Sic Bonac. *q.3. de Irregul. punct.2. num.1.* Gibalinus *cap.5. quæſt.1. n.6. in fine,* & alij.

Qvæstio IV.

An rebaptizatio debeat eſſe ſolemnis, & publica, vt miniſter baptizantis, & ipſe rebaptizans irregularitatem incurrant.

NEgant communiter Doctores, docentes ſufficere rebaptizationem occultam, vt tam miniſter rebaptizantis, quàm ipſe rebaptizans incurrant irregularitatem. Quia in *cap. Qui in quolibet 1. q.7.*

&

& cap. Qui bis, & cap. Eos qui, de conſecrat. diſt. 4. nullatenus publicitas criminis requiritur. Pro hac ſententia refert Palaus vbi infrà Hoſtienſ. *in dict. cap. Ex litterarum*, Sotum *in* 4. *diſt.* 6. *quaſt.* 8. Auilam *part.* 7. *diſp.* 7. *dub.* 1. Henriquez *lib.* 14. *capite* 5. *num.* 5. *& cap.* 20. *num.* 3. Saytum *libro* 7. *Theſauri, cap.* 8. *num.* 6. Ægidium *diſput.* 18 *dubio* 5. *numero* 36. & Bonacinam *quaſt.* 3. *de Irregularitat. punct.* 3. *numero* 9. Sed certè non omnes hi, quos hic Author citat, Authores hanc omnino tenent ſententiam, vt infrà conſtabit.

Alij media via incedentes, dicunt, hanc irregularitatem nullatenus miniſtrum incurrere, niſi in caſu, quo crimen, ſeu rebaptizatio ſit publica, be e tamen rebaptizantem. Sic ſentit Auila *loc. cit.* vt dicunt hæc verba eiuſdem: Sed circa illud verbum *publicè miniſtrantis*, notandum eſt, quod nonnulli tenent Acolytum manere irregularem, quamuis miniſtret in occulto: & ſolùm eſſe hanc differentiam, quod ſi miniſtrat publicè, debet perpetuò manere irregularis, ſine ſpe diſpenſationis, præterquam ſi Religionem ingrediatur; quia tunc fauore Religionis poterit Epiſcopus diſpenſare: ſi verò miniſtrauit in oculto, poterit Epiſcopus cum eo poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, etiam manendo in ſæculo; & hoc modo explicant prædictum *cap. Ex litterarum*. Ego verò probabilius reputo, quod ſi miniſtrat in occulto, non manet irregularis, ſed poterit poſt peractam pœnitentiam promoueri. Ita Syluest. *verb. irregularitas, quaſt.* 4. Henriq. *num.* 4. & aliqui Magiſtri: nam lex pœnalis, præcipuè in materia irregularitatis, ſtrictè eſt interpretanda. Sed aduertite, quod rebaptizans, licèt ſit in occulto, manet irregularis. Sic Hoſtienſ. ſup. *d. cap. Ex litterarum*. Hucvſque Auila. Malè ergo citatur ex parte à Caſtro Palao, ſicut malè citatur etiam Henriquez, vt amplius infrà conſtabit. Malè etiam citatur Ægidius, nam ad minus, loquendo de Acolyto miniſtrante, idem ſentit quod Auila. Cum Auila tamen ſentit Giballinus *capite quinto, quaſtione* 1. *n.* 1. & 7.

Probabilius nihilominus Reſpondeo: Dicendum, quod ad hoc, vt tam miniſter rebaptizantis, quàm ipſemet rebaptizans, incurrant hanc irregularitatem, neceſſum ſit, quod rebaptizatio ſit ſolemnis, & publica; aliàs neuter illam incurret. Probatur: quia probabilius eſt, quod ſi miniſtrat in occulto Acolytus, non maneat irregularis, vt patet ex texto *d. cap. Ex litterarum*. Ex quo id probat Auila, (vt vidimus) Ægidius, Suarez, & alij infrà citandi: ergo & probabilius eſt, quod nec maneat irregularis ipſemet rebaptizans, niſi id faciat ſolemniter, & in publico. Patet conſequentia, quia vterque ex eodem capite, & textu ſit irregularis, vt omnes Doctores ſentiunt: ergo ſi miniſter non ſit, niſi quando crimen, hoc eſt rebaptizatio, eſt ſolemnis, & publica, nec rebaptizans ſiet. Sic expreſsè ſentit Gaſp. Hurtad. *diſp* 2. *de Irregularit. diff.* 1. *num.* 1. dicens, ſic ſentire, licèt non audeant exprimere, Suarez *tract. de Baptiſm. diſp.* 32. *ſect.* 6. *dub.* 3. & Ægidius *num.* 36. Et meritò id dicit, quia verè ſentiunt. Et ſic pro hac ſententia citatur à Sayro Suarius; & ita Palao *eodem loco*, quo pro contraria fuit citatus. Ægidius. Sic etiam ſentiunt Panormitan. *cap. Ex litterarum, cit. num.* 1. Syluest. *loc. cit.* Palud. *in* 4. *diſt.* 6. *quaſt.* 4. *artic.* 1. *concluſ.* 2. Toletus *lib.* 1. *Summ. cap. mihi* 70. *num.* 4. & 5. Layman *lib.* 1. *Summ. tract.* 5. *part.* 5. *capite* 2. *num.* 1. & licèt timidè, Palaus *diſput.* 6. *punct.* 16. *num.* 3. Qui & probat: quia text. *in cap. Ex litterarum*, abſolutè decidit, ſi crimen occultum ſit, Ordinari Acolytum illum poſſe, neque diſpenſationis mentionem fecit: ergo abſque fundamento diſpenſatio exigitur. Alij verò textus non de rebaptizante, ſed de rebaptizatis loquuntur; præterquam quod explicari debent iuxta hunc textum *in cap. Ex litterarum*, vbi Pontifex apertè loquutus eſt. Sic ille. Pellizzarius etiam *loc. cit. quaſt.* 9. *num.* 115. & alij.

Qvæstio V.

An etiam hanc irregularitatem incurrat non ſolum rebaptizans, & eius miniſter, ſed etiam ipſe rebaptizatus.

RESpondeo, vt quid certum: Etiam ipſum rebaptizatum irregularitatem incurrere. Quia ſic decernunt iura ſuprà allegata, præcipuè Leo I. Felix III. Concil. Carthagin. V. Tolet. IV. vt refert Gibalin. *cap.* 5. *quaſt.* 1. *num.* 5. & 6. & antea Saytus cum omnibus Authoribus *lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *diſp.* 31. *ſect.* 6. & alij. Qui aiunt, rationem cur irregularitatis pœnam prædictis vitiis impoſuit, fuiſſe reuerentiam Baptiſmi, & deteſtationem iniuriantium Sacramentum.

Qvæstio VI.

An irregularitate innodetur paruulus, qui ante vſum rationis rebaptizatur.

AFfirmandum videtur. Quia Felix III. *Epiſt. c. c.* 5. vt refertur *in cap. Qui in qualibet*, 1. *q.* 7. expreſſè dicit: *Ne qui vnquam in qualibet ætate alibi quàm in Eccleſia Catholica baptizati, aut rebaptizati ſunt, ad Eccleſiaſticam militiam prorſus permittantur accedere.* Quibus verbis imponere videtur Pontifex etiam infantibus rebaptizatis, cum nullam excipiat ætatem, irregularitatis pœnam: ergo.

Sed vt certum Reſpondeo: Non innodari. *Primò.* Quia ita habetur in iure, *c. Placuit, & cap. Qui apud* 1. *q.* 4. loquendo de baptizatis ab hæreticis.

Secundò. Quia puer ante vſum rationis eſt incapax culpæ: ergo & pœnæ irregularitatis. Sic Sotus *diſt.* 3. *quaſt. vnic. art.* 9. Auil. *part.* 7. *diſp.* 7. *dub.* 1. *concl.* 2. Qui benè ex Gloſſa ad textus pro parte contraria adductos reſpondet intelligendos eſſe de ætate qualibet adulta, in qua ſit vſus rationis. Legantur Gibalin. *cap.* 5. *de Irregularit. quaſt.* 1. *n.* 5. & Sayt. *lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 9.

Qvæstio VII.

An ſi non baptizatus rebaptizet, maneat irregularis.

REſpondeo, vt certum: Non manere. Quia hæc irregularitatis pœna eſt Eccleſiaſtica: ergo non comprehendit illum, qui eſt extra Eccleſiam. Sic Henriq. *lib.* 14. *cap.* 4. *num.* 4. *in gloſſ. lit.* Y. Auil. *dub.* 1. *cit. concluſ.* 3. & conſtat ex dictis *tract.* 1. *diſp.* 3. *quaſt.* 3.

Qvæstio VIII.

An ſi quis ignorans probabiliter, ſe eſſe baptizatum, rebaptizaretur, incurrat irregularitatem.

AFfirmant aliqui Authores: Quorum fundamentum eſt text. *in cap. Qui bis, de conſecrat. diſtinct.* 4.

*diſt.*4. vbi ignoranter rebaptizatus arcetur ab Ordinibus Sacris. Qui tamen ſecus dicunt de rebaptizante aliquem, probabiliter ignorante eſſe iam baptizatum. Quia de baptizante (inquiunt) non inuenit in iure cautum, quod fiat irregularis, ſicut inuenitur de ipſo rebaptizato. Ita apud Sayrum tenent Ricard. Palud.D. Anton. Silueſt. Goffred. Angel.& Viualdus. Quibus addo Vgol.*c.*55.§.2.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec rebaptizatum, neque rebaptizantem eſſe irregularem, quoties probabilis ignorantia facti eos excuſat à peccato: ſecus quando ignorantia culpabilis eos accuſat: quia tunc, ſicut eos non excuſat à culpa, ita nec à pœna. Probatur. Quia irregularitas hæc, cum ſit ex delicto, ſupponit mortalem culpam: ergo vbi non eſt hæc, non eſt irregularitas, at ſic eſt, quod vbi eſt ignorantia probabilis facti, ſiue in rebaptizato, ſiue in rebaptizante, nulla eſt culpa: ergo nec irregularitas. Sic communis Doctorum tenet ſententia. Nauarr. *cap.*27. *num.*146. Couarr.*in Clem. ſi furioſus*, 1. *p.in princip.num.*8. Henriq.*lib.*14.*cap* 4.*num.*3 & 4. Sayr. *lib.*7. *cap.*8. *num* 8. *verſ. Secunda opinio*, cum aliis pluribus. Auil. *part.*7. *diſp.*7.*dub.*2. Gibalinus *cap.*5. *num.*5. & 8. Suarez *tom* 2. *in tertia parte*, *diſp.*31. *ſect.*6. Bonacin. Filliuc. & Layman, quos citat,& ſequitur Pellizzar. *ſect.*3.*cit.quæſt* 9 *num.*111.

Ad textum *in cap Qui bis*, adductum à contrariis, vbi dicitur: *Qui baptizati ſunt bis ignoranter, ſecundum Canones promoueri non poſſunt.* Reſpondet primò Auila, ibi ſermonem eſſe de ignorantia culpabili. *Secundò* reſpondent Suar. Couarr. Sayr. Gibalin. & alij, textum illum non valere, nec habere per ſe auctoritatem ad inducendam hanc irregularitatem, cum non ſit alicuius Romani Pontificis, vel Generalis Concilij, ſed ſumptus ex Pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſ. vt teſtatur Burchard. *lib.*4. *Decret. cap.*51. relatus à Gratian. *in d.cap. Qui bis.*

QVÆSTIO IX.

An ille, qui omninò ignoranter rebaptizatus, poſtea ratum habet ſuum ſecundum baptiſmum, irregularis fiat.

AFfirmant apud Sayrum Ricard. *in* 4. *diſt.*6. *art.*4. *quæſt.*2. Palud. *ibid. quæſt.*4. *art.*1. *concluſ.*2. Angel. *verb. irregularitas*, §.24. Viualdus *de Irregularitat. num.*14. Sylueſt. *verb. Baptiſmus* 5. *quæſt.*3. & *verb. irregularitas*, *quæſt* 4. Couarr. *n.*8. *cit.* S. Anton. Summ. Aſtenſ. Summ. Confeſſor. Summ. Piſana, & Maiolus. Quibus addit Auila Emmanuelem Rodrig. *verb. Irregularitas*, *cap.*147.*concluſ.*1.

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. *Primò*, quia in iure non exprimitur hæc irregularitas, quidquid velit Viualdus *de Irregularit. mihi num.*7.§. *de Infidelibus*, *pag.*515. *Secundò* quia irregularitas hæc ſolùm eſt impoſita iterationi culpabili baptiſmi: atqui ad hanc nihil prorſus confert ſubſequens ratihabitio: ergo ex hac non poteſt contrahi irregularitas. Sic Henriquez *lib* 14.*cap.* 4.§.3. *lit. P.* vbi in Gloſſa ait, ita ſignificare Couarruuiam. Auila *part.*7. *diſp* 7. *dub.* 2. *concluſione* 3. Suarez *in tertia parte*, *de Sacram. diſputatione* 31. *ſectione* 6. Sayrus *libro* 7. *capite* 8. *num.*51. Gibalinus *cap.*5.*de irregularit. conſect.*2.*numero* 9. *pag.*311. & alij.

QVÆSTIO X.

An qui primum baptiſmum recepit fictè; & ſine intentione; ſed ſecundum verè, & cum intentione recepit, ſit irregularis.

AFfirmatiuam ſententiam tenere Palud *diſp.*6.*q.*5. ait Henriq *lib.*14.*c.*4.*n.*4.*in gloſſa*,*lit O.*

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Non eſſe irregularem, quamuis in foro externo, quod præſumptione ducitur, contrarium præſumatur. Ratio eſt, quia hic verè non eſt rebaptizatus: ergo nec irregularis. Quod idem dicendum eſt, de illo, qui primum baptiſmum verè ſuſcepit, ſecundum tamen fictè, & ſine intentione. Sic Henriquez *loc. cit.* Auil *part.*7.*diſp.*7.*dub.*4.*in fine*. Suar *diſp.*31.*cit. ſect.*6. Sayr.*lib.*7. *c.*8.*n.*9. Gibal.*c.*5. *q.*1. *conſectar.*3. *pag.*311.& alij.

QVÆSTIO XI.

An qui metu cadente in virum conſtantem rebaptizat, vel rebaptizatur; ſit irregularis.

AFfirmat abſolutè Viuald. *de Irregularit vbi de ſecunda eius ſpecie*, §.1. *num. mihi* 8. *pag.*516. quatenus ita ſcribit: Quarta concluſio. Eadem irregularitate ligatur rebaptizatus per metum etiam cadentem in conſtantem virum, *cap. Eos quos*, vbi Gloſſa *de conſecrat. diſt.*4. Sylueſt. *verb. Irregularitas*, *quæſt.*4. *in fine*. Secus autem eſſet, ſi quis per vim coactiuam fuiſſet rebaptizatus, vt fuit Epiſcopus quidam, cui nomen, *Habet deus*, quem Arriani ligatis manibus, ac pedibus inuitum omninò rebaptizarunt. Maiolus *ſupr. lib.*3. *cap.*14. *numero tertio*. Hæc Viualdus. Pro cuius ſententia citat etiam Sayrus Innocentium, Couarruuiam, & Angelum.

Alij verò communiter media via reſpondent, dicendo. Eſſe quidem irregularem, caſu quo verè, & ex animo rebaptizet, vel rebaptizetur, eo quòd ad hoc nullo timore poteſt efficaciter cogi, cùm omninò ſit in ſua libertate, non habere interius intentionem: minime verò (aiunt,) caſu quo rebaptizet, vel rebaptizetur fictè, & ſine intentione; quia tunc non adeſt vera rabaptizatio, cui impoſita eſt irregularitas. Ita ſentiunt Henriq. *lib.*14. *c.*4. *n.*4. *lit N.* quem citat, & ſequitur Auil. *dub.*4. *cit. concluſ.*1. & 2. Suar. *de Sacram. diſp* 31. *ſect.*6. *in fine*, Sayrus *cap.*8. *cit. numer.* 18. Gibalinus *conſectar.* 3. *cit. num.*11. *verſ. Hinc ſoluitur* Pellizzarius *tom.*1. *tract.*7. *cap.*7. *ſect.*3. *quæſt.*9. *num.*113. *verſ. Sequitur* 2.& alij.

Sed probabilius omnium Reſpondeo: Dicendum, minimè eſſe irregularem, non ſolum caſu, quo fictè, & ſine animo rebaptizet, aut rebaptizetur, vt benè aiunt DD. ſecundæ ſententiæ; verùm etiam caſu, quo inſtante dicto metu graui, verè, & ex animo rebaptizet, vel rebaptizetur; licèt aliàs non excuſetur à culpa grauiſſima, eo quòd talis rebaptizationis actus ſit iure diuino prohibitus. Ratio eſt, quia communis opinio fert, quod metus cadens in virum conſtantem excuſat à pœna ſtatuta per leges humanas, quamuis non excuſet à culpa, ſi aliàs actus ſit alio iure prohibitus: at ſine dubio talis eſt metus, cum v.g.dicitur: *Occidam te, niſi rebaptizeris, aut rebaptizes*: ergo quamuis id ex intentione, ob incuſſum metum, faciat; irregularitatem

latam per legem humanam effugiet,licèt non effugiat culpam , quam contrahere conſtat ex fractione præcepti diuini , prohibentis reiterationem Baptiſmi,vt latè probat Saytus *cap.8. citato , num.* 1. *&* a. Legantur dicta à nobis *prima parte,tract.* 1. *de Baptiſmo,diſp.6.*

Qvæstio XII.

An qui certò ſciens, aliquem eſſe ritè baptizatum,denuò ſub conditione rebaptizat, fiat irregularis.

Affirmant plures DD. Quorum fundamentum eſt,quia qui rebaptizat ſine conditione , eſt ex iure irregularis : ergo & qui rebaptizat eum conditione quem certò ſcit verè fuiſſe baptizatum : quia tunc talis conditio verè eſt otioſa , & habetur pro non adiecta. Ita tenent Victoria *in Summ.* §. 35. *de Materia Baptiſmi.*Sotus *diſt.* 3.*art.*9.*col.*9.Cordub.*in Summ.q.*37.Maiol.*lib.*3.*c.*14.*n.*5.Catechiſm.Roman. *tract.de Baptiſm.*§.*de effectib.Baptiſmi.*Saytus *lib.*7. *c.*8.*n.*23.Vgolin.*c.*35.§.3.*n.*4.Gordon.*lib.*7.*q.*18.*n.*96. & alij.

Sed probabilius Reſpondeo:Non fieri irregulatem. Probatur.Quia qui condirione adiecta rebaptizat,verè non baptizat baptizatum:ergo non manet irregularis.Conſequentia patet. Antecedens probatur,quia, qui ſub conditione rebaptizat, ſolum habet animum baptizandi in caſu , quo non ſit baptizatus , & in caſu , quod ſit baptizatus non haber animum baptizandi : at ſic eſt, quod hie eſt iam ſemel baptizatus: ergo non vult illum denuo baptizare. Sic tenent Suarez *in* 3.*p.de Sacr. diſp.*31. *ſect.*6. *dub.*4.*&* 5. & Henriquez *lib.*2.*c.*31.§.1.*& lib.*14.*c.*4.§.4. apud Saytum , dicentem falſo , hos Authores citare pro hac ſenteotia Maiolum , cùm diſertis verbis contrarium ſententiam teneat. Sed falsò Saytus his præclaris Theologis id imponit. Nam ſi attentè eos quia legat,ſolum inueniet dicentes,*quod videatur Maiolus* non aliud.Tenent deinde noſtram ſententiam Nauar. *c.*21.*n.*246.Auil.*part.*7.*diſp.*7 *dub.*3. Bonacin. *diſp.*7. *q.*3.*punct.*3.*n.*4. Ægid.*diſp.*18.*n.*38.Gibalinus *cap.*4. *quæſt.*1.*conſectar.*4.*nu.*12.*pag.*312.Pellizz. *tom* 2.*tr.*7. *cap.*5.*ſect.*3.*q.*9 *n.*212.Dian.*tertia parte,tr.*4 *Reſol.*9. Nuñus, Cabrera,Poſſeuinus, & Toletus, & alij, quos dedimua iam pro hac parte,*p.*1.*tr.* 2. *diſp.*6. *q.*9. vbi aliam rationem huius partis reperies, ex qua ſolutum inuenies fundamentum oppoſitæ.

Qvæstio XIII.

An etiam euadat irregularitatem, qui re ipſa intendit rebaptizare , ſed in fraudem legis, & vt vitet irregularitatis pœnam ab ipſa impoſitam, conditionem dictam exteriùs apponit, dicendo, ſi non es baptizatus , ego te baptizo.

Affirmabunt Authores , qui dixerunt irregularitatem incurri etiam , ob delictum merè internum. Sunt autem citati à nobis *p.* 4.*de cenſur.in com. diſp.*8.*q.*3.*& ſup.tract.*1.*diſp.*1.*q.*9.

Sed iuxta ibi dicta, clarius , ac diſtinctius Reſpondeo : Dicendum , quod nullo modo euadat irregularitatem in noſtro caſu , caſu quo rebaptizantis intentio ex aliquo ſigno externo colligi poſſit : quia tunc reuera eſt irregularis , cum ponatur actio exterior ex intentione ſufficienti ad conſummandum in ſuo genere peccatum,quod tali pœoa punitur.Etenim quoties à ſciente repetitur Baptiſmus,idque aliis conſtar,ſatis efficaciter colligitur, eam actionem exerceri animo hæreticali, & ex iudicio morali, quod Baptiſmus ritè collatus poſſit repeti : cui delicto impoſita eſt irregularitas.Si verò mala intentio,maluſque animus rebaptizantis nullo modo prodatur exteriùs, propter adhibitam condirionem , tunc nobis dicendum eſt,vitare irregularitatem, cum hæc minimè incurratur per delictum merè internum. Sic ſentiunt Præpoſitus *in* 3.*p.q.*66.*art.*9.*dub.*3.Ægid. *loc.cit.* loquendo de prima parte noſtræ ſententiæ , quos citat & ſequitur Gibal.*loc.cit.verſ. Quod ſi apponatur*, qui etiam ex Ægidio probabilem dicit ſecundam partem quam vt talem ſequitur Pellizz. *loc.cit. n.*212.

Qvæstio XIV.

An ex iteratione Sacramentalium , vel Conſecrationum oriatur etiam irregularitas.

Affirmat Maiol.*lib.*3.*c.*15.*n.*3.vnde iuxta eius iudicium irregularis erit , qui vel hoſtiam conſecratam reconſecrat,vel oleum infirmorum,aut aquam benedictam rebenedicit,vel chriſma reconſecrat , aut calices,altaria & huiuſmodi.

Sed vt certum Reſpondeo : Non inde irregularitatem oriri.Quia nullus textus afferri poteſt,qui hanc irregularitatem pro prædictarum rerum iteratione imponat.Sic communiter omnes.Sayr.*lib.*7.*c.*8.*n.*19. Gibal.*c.*5.*q.*1.*conſect.* 5. *n.* 15. & alij. Quod amplius confirmabitur ex reſolutione *quæſt. ſeq.*

Qvæstio XV.

An reiterans actiuè , vel paſſiuè, Sacramentum Confirmationis , fiat irregularis.

Affirmant D. Anton. Nauar. Maior , Richard. & Caſtro citati à nobis 1. *p. tract.* 3. *de Confirm. diſp.*4.*q.*11.Quibus nunc addo Maiol. *lib.*3.*c.*15.Gloſſ. *in c. Dictum,de conſecr.diſt.*5.Viuald.*loc.cit.num. mihi* 10.*pag.* 517.Hoſtienſ.Summ.Confeſſ. Trotium , Philiarcum,& alios apud Sayrum *lib.*7.*c.*8.*n.*27.Quorum fundamentum eſt.Quia Concil.Tarracon.*can.*6.vt refertur à Gratian. *in d.c. Dictum*,Iuone 1.*p.c.*244. & Burchard.*lib.*4. *c.* 50. eodem modo prohibetur Confirmationis , quo Baptiſmi iteratio , & eadem pœna pro vtroque delicto ponitur,vt ſcilicet qui ita delinquit,*Non ſæculo,ſed ſoli Deo,ſub habitu regulari, vel Clericali famuletur*:ergo ſi iteratio Baptiſmi punitur pœna irregularitatis, ſimili debet puniri pœna iteratio Confirmationis.

Sed probabilius Reſpondeo : Negatiuè , quia licèt vtriuſque Sacramenti , nempe Confirmationis, & Baptiſmi iteratio, in Concil. Cabilon. II. *cap.* 27. (non Tarracon . vt volunt ſuprà DD. citati)apertè prohibeatur ; non tamen inde colligi debet , iterationem Confirmationis puniri irregularitate , ſicut iterationem Baptiſmi ; cum Concilium non dicat vtramque iterationem eadem pœna prohiberi , ſed vtramque iterari minimè debere. Punitur ergo irregularitate iteratio Baptiſmi , quia ius expreſſe illi hanc pœnam imponit,quam minimè imponit iterationi Confirmationis. Sic ſentiunt Scot. Sot. Palud. Suar.Filliuc. Valent. Couar. Bonac. Ochagau. Ioan. à Cruce, Ludou.de S. Iuan. Veg. Philibert. & Graſſius, quos retulimus 1. *p.tract.*3.*diſp.* 4.*q.* 11. Quibus

nunc addo Auil.*part.7.diſp.7.dub.5.* Henriq.*lib.14. cap.4.num.5.* Præpoſitum, Hurtadum, Vgolinum, & Ægidium,quos ſequitur Gibal.*c.5.q.1. n.2. pag.*300. Qui benè ex Caſtro probat, ex relatis verbis à Gratiano nullo modo colligi poſſe, irregularitatem impoſitam eſſe iterationi horum Sacramentorum; ſed potiùs contrarium erui poſſe.Legantur Suarez,& Saytus *loco cit.*

Qvæstio XVI.

An ſaltem reiterans Sacramentum Ordinis pæna irregularitatis puniatur.

AFfirmant omnes Auctores primæ ſententiæ relatæ, inſuper & ex ſententia noſtra Vgol.*cap.35. §.5.* & apud ipſum alij,docentes ex Ordinis iteratione irregularitatem naſci; & ideò eſſe irregularem, ſi quis Ordinatum ritè reordinet,aut Ordinatua ſe reordinari permittat. Probat id ex *c.Saluberrimum*, 1.*q.*7. vbi Hæreticis conuerſis ad fidem permittitur in Ordine aſſumpto miniſtrare,*niſi iterata vnctione fuerint maculati.*Si igitur qui bis vncti, & Ordinati fuerint, non poſſunt in ſuis Ordinibus miniſtrare,erunt certò irregulares,vt ibi obſeruat Gloſſa *verb.Maculati.*Sed Sed malè omninò affert hoc caput, eiuſque Gloſſam Vgolinus pro ſe. Nam textus non dicit: *Niſi iterata vnctione fuerint maculati*,ſed *ſi tamen iterata vnctione non fuerint maculati*,id eſt,ait Gloſſa, *ſi fuerint rebaptizati.*Malè ergo legit Vgolinus, *iterata vnctione*, & malè affert Gloſſam. Cum Pontifex Leo non loquatur de Ordinatione Clericorum ab hæreticis, ſed de rebaptizatione, vt explicat Gloſſa.

Igitur probabilius Reſpondeo: Negatiuè. Quia nullibi in iure ſtatuitur irregularitas propter iterationem Ordinis: ergo minimè à nobis ea inducenda eſt. Sic tenent ferè omnes DD. citati pro noſtra ſententia quæſtionis antecedentis. Legantur præcipuè Suar.*tom.5.de cenſur.diſp.45.ſect.4.n.6.*Auila, Henriquez,& Saytus *loc. cit.*

Qvæstio XVII.

Quare impoſita eſt ab Eccleſia pæna irregularitatis iterationi Baptiſmi, & non iterationi Confirmationis, & Ordinis, cùm omnia hæc Sacramenta ſint initerabilia.

REſpondeo: Dicendum, quod quamuis hæc tria Sacramenta ſint initerabilia, & ideò grauiſſimè peccent illa omnia,& ſingula, iterantes: non tamen iterationi omnium,ſed ſolùm Baptiſmi fuit ab Eccleſia impoſita irregularitas. Quia in Baptiſmo inuenit ſpecialem rationem, & cauſam: nempe ad deteſtandam hæreſim Donaſtitarum ſuſtinentium, quod baptizati ab hæreticis iterum eſſent baptizandi:quæ ratio non adfuit in iteratione aliorum Sacramentorum. Legantur Couarr.Sayr.Auil.*loc. cit.* Qui aliam addit cauſam.

Qvæstio XVIII.

An in irregularitate,quæ contrahitur ex publica reiteratione Batiſmi, poſſit non ſolùm Papa,ſed etiam Epiſcopus diſpenſare.

REſpondeo tanquam certum: Non poſſe, niſi ſolum Pontificem.Quia Pontifex ſolum poteſt diſpenſare in iure communi. Minimè verò Epiſcopus,

niſi aliàs habeat facultatem ab illo conceſſam. Sic communiter omnes. Legantur Maiolus *lib. 3. c. 24.* Henriquez *lib.24 cap.4.num.5.* Auil.*diſput.cit. dub. 6. concl.*1. Saytus *lib.7.capite* 8.*in fine*,Bonacin.*diſp. 7. q.3.punct.5.n.9.* & omnes.

Qvæstio XIX.

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare in Irregularitate incurſa ob ſecretam reiterationem Baptiſmi.

REſpondeo, vt certum: Poſſe. Quia habet facultatem ex Concil.Trident *ſeſſ.24.cap.6.* ad diſpenſandum in irregularitate proueniente ex delicto occulto.Sic Auil.*loc cit.concl.*2.ex Henriq.*lib.14. c. 20. n.*3.vbi notat,quod licèt ſecundus Baptiſmus fiat publicè, erit delictum occultum, ſi ratio rebaptizandi ſit occulta, vtpote quia primus Baptiſmus eſt occultus.Sayt.Bonac.& communis.

DISPVTATIO XIX.

De Irregularitate proueniente ex illicita ſuſceptione, & collatione Baptiſmi.

Qvæstio Prima.

An infans baptizatus ab hæretico maneat irregularis.

AFfirmat Maiol.*lib.3. de Irreg.c.12.* Sed vt certum Reſpondeo,Non manere irregularem. *Primò.* Quia ſic fuit habitum in duobus Concilijs Carthag. approbatis ab Eccleſia Romana,quorum verba refert Gratian.*c.Placuit* 1 *q* 4. *Secundò.* Quia in ea ſuſceptione Baptiſmi abeſt ab infante peccatum:ergo & irregularitas. Sic contra Maiolum omnes. Vgolinus *c.34.n.5.*Suarez,Filliucius,Reginaldus, Toletus, quos refert & ſequitur Bonacin. *loc. cit. n.* 13. Qui contra nonnullos notat id etiam eſſe verum,quamuis infans adulta ætate approbauerit Baptiſmum ab hæretico collatum, eo quod nullo iure probari poſſit, iſtum ſubiacere huic irregularitati.

Qvæstio II.

An ſaltem adultus baptizatus ab Hæretico fiat irregularis.

REſpondeo:Fieri irregularem. Quia ſic decreuêre Innoc.I. *Epiſt.22.c.5.*& Felix III. *Epiſt.1.c.5.* cuius verba referuntur,*in c.Qui in qualibet*,1. *q.* 7. Sed aduerte cum Gibal.*t.5.q.1.dub.1.n.15. pag.*314. quod huiuſmodi irregularitatis pœna non fuit inflicta tantùm in odium hæreticorum Baptiſmum miniſtrantiũ, ſed præcipuè propter peccatum communionis cum hæretico,& conſenſum in eius hæreſim: quod colligitur tum ex eo quod,vt nuper eſt habitum, infantes ab hæreticis baptizati non ſunt irregulares. Tum etiam,quia vt omnes fatentur,vrgente neceſſitate,licitè poteſt ſuſcipi Baptiſmus ab hæretico,& tunc minimè contrahitur irregularitas, cùm nulla committatur culpa, & nulla ſit conſenſio cum hæreticis: ex quo

conſtat, hanc irregularitatem pœnalem eſſe, & ob peccatum hæreſis externæ, quod in ea Sacrorum communione prohibita apparet impoſitam fuiſſe. Et ideò quoties in ea Baptiſmi ſuſceptione peccatum abeſt, nulla irregularitas contrahitur. Legantur Suar. *tom. 5. diſp. 42. ſect. 1. n. 14.* Bonac. *in noua edit. diſp. 7. q. 3. punct 3. in fin.* præpoſit. *in 3. p. q. 5. de Irreg. dub. 4.* Gibal. *loc. cit.* & Pellizz *q. 2. n. 218.*

Qvæstio III.

An differens ſuſceptionem Baptiſmi vſque ad articulum mortis ſit irregularis?

Affirmat abſolutè Vitald. *de Irregular.* §. 1. *de ſecunda ſpecie irregularitatis, n. 11 pag. mihi 517.* aliàr *n. 42.* per hæc verba: Huc accedit alia quæſtio, quid de illo ſit iudicandum, qui cum eſſet adultus, Baptiſmum non recepit vſque ad ſuperuenientem infirmitatem? Reſpondeo talem eſſe irregularem, atque à ſuſceptione Ordinum repellendum, per text. *in c. ſi quis, diſt. 57.* Ratio eſt, quia talis, non voluntate, ſed neceſſitate coactus Baptiſmum accipere videtur. Quapropter in pœnam negligentiæ circa animæ ſalutem, non eſt admittendus. Hæc ille.

Sed clarius, & diſtinctius Reſpondeo eſſe irregularem, & à ſuſceptione Ordinum arcendum; niſi aliàs poſt Baptiſmum ſuſceptum ipſius fides, & vita probata fuerit, & ſit neceſſitas miniſtrorum, quia tunc ordinari poterit. Sic habetur *in cap. ſi quis, cit.* quod eſt Conſilij Neocæſareenſ. *c. 12.* vbi ſic legitur: *Si quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter Ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt, niſi fortè poſtea ipſius ſtudium, & fides probabilis fuerit, aut* (aliàs *&*) *hominum raritas exegerit.* Sic Concilium. Et ſic omnes communiter. Legantur Suarez *diſp. 42. ſect. 1. n. 6.* Sayrus *lib. 7. cap. 8. n. 30.* & apud ipſum Angel. Silu. D. Anton. & Summ. Confeſſor. Filliuc. *n. 171.* Bonac. *loc. cit. num. 11.* & Gibalinus *loc. cit. dub. 2. num. 16. pag. 313.* Immò ipſe Vitaldus *loc. cit. n. 12.* tandem nobiſcum ſentit. Legatur.

Qvæstio IV.

An poſitis illis duabus conditionibus, quas Canon Concilij requirit, nempe exemplar vitæ, & neceſſitas miniſtrorum; ſit adhuc neceſſaria diſpenſatio Pontificis, aut Epiſcopi, vt baptizatus in fine vitæ Ordinari poſſit.

Affirmant eſſe neceſſariam vel Pontificis diſpenſationem, vt vult Maiolus *lib. 3. cap 8.* vel ſaltem Epiſcopi, vt ſentiunt Suar. *diſp. 42. de Cenſur. ſect. 1. num. 1. & 6.* Turrecrem. *in cap. Vnico, diſp. 57.* Silueſt. Angel. & alij apud Suarium: dicentes, opus eſſe hac diſpenſatione ad tollendam præſumptionem iuridicam.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod tunc non ſit neceſſaria diſpenſatio, concurrente vtraque conditione, vt dictus Baptizatus Ordinetur. *Primò.* quia textus, nullius diſpenſationis mentionem facit. *Secundò.* Quia, poſitis illis duabus conditionibus, quas Canon requirit, ceſſat omnis præſumptio ſimulati baptiſmi, propter quam ſolam reiiciebatur à Sacerdotio: ergo ad amoliendam omnem præſumptionem non eſt opus diſpenſatione aliqua. Nam quamuis fuerit iuridica præſumptio, tolletur iuridicè, quando iuridicè conſtabit de conditionibus requiſitis à iure ad ceſſationem illius præſumptionis. Sic Bonacina *num. 11. cit.* Giballnus *c. 1. quæſt. 1. dub. 2. num. 16.* Legatur Gloſſa *in d. cap. Si quis, in Summ, & verb. Poſtea*, & Gloſſa marginal. *ibid.*

Qvæstio V.

An ſit irregularis, qui ut liberiùs peccet, differt Baptiſmum vſque ad ſenectutem?

Affirmat Maiolus *lib. 3. c. 9.* quia exiſtimat omnem dilationem culpabilem Baptiſmi eſſe cauſam irregularitatis, eo quòd Gloſſa, & Doctores ita interpretantur *c. Vnicum cit. diſt. 57.*

Sed vt certum Reſpondeo: Minimè eſſe irregularem. Quia nullus datur textus, qui tali Baptiſmi dilationi pœnam irregularitatis imponat. Nam *cap. Si quis, diſtinct. 57. cit.* de hoc caſu minimè agit, nec eius ratio valet pro caſu præſenti; nam etiamſi quis ductus peccandi libidine, baptizari differat, non ideo præſumi debet ficto animo ipſum ſuſcepiſſe Nec Gloſſa certè, nec vlli alij Doctores contrarium ſentiunt, vt falsò Maiolus dicit. Sic Gibalinus *cap. 5. quæſt. 1. dub. 2. verſ. Colliges tertiò, pag. 316.*

Qvæstio VI.

An laicus priuatim, ſine ſolemnitate baptizans fiat irregularis.

Affirmant Palud. Silueſt. Angel. Ioan. de Cruce, quos citatos inuenies à nobis *1. part. tract. de Baptiſmo, quæſtione 10.* Fundamentum eorum eſt textus *in capite primo, de Clerico non Ordinato miniſtrante*, vbi dicitur: Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit, non Ordinatus, &c. vbi textus non limitat ad baptizantem ſolemniter: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia non eſt textus, qui hanc pœnam laico baptizanti ſine ſolemnitate imponat. Nam *caput 1.* pro parte contraria adductum, ſolùm loquitur de baptizante ſolemniter, ut bene probat Auila *par. 7. diſ. 9. ſect. 3. dub. 14. concl. 2.* Sic ille, & penes ipſum Nauarr. Ledeſma, Henriquez, necnon D. Thom. Anton. Filliuc. Nuñus, Pitigianus, Petr. Ledeſma, Ludou. de S. Ioanne, Hinojoſa, & Diana, quos citauimus *1. p. loc. cit.* & alij mox citandi.

Qvæstio VII.

An ſaltem maneat irregularis laicus ſolemniter baptizans.

Negant adhuc Angel. Armilla, & quidam alij Summiſtæ quos pro hac parte citat Suar. *to. 3. in 3. p. diſp. 31 ſect. 4.* (non 3. vt per incuriá Typographi citatum apud me inuenies *1. p. tract. 2. diſp. 4. q. 10. cit.*) *verſ. Sed quæres, an idem.* Quibus addi poſſunt S. Anton. Bern. Diaz. Couar. & Henriq. quos pro hac parte citat, & ſequitur Saytus *lib. 7. c. 10. n. 7.* Gibal. *c. 5. q. 1. conſect. 1. n. 25 pag. 327.* & alij apud ipſum.

Sed probabilius Reſpondeo: Manere irregularem ſic ſolemniter baptizantem. Probatur: Quia ſic habetur *in d. c. 1. de Cleric. non Ordinato*, vbi textus abſolutè dicit: *Si quis baptizauerit non Ordinatus.* Quæ verba cum generalia ſint, omnem non Ordinatum comprehendunt: ergo. Sic Suarez *loc. cit.* qui citat pro ſe Paludanum, Maiorem, D. Antoninum

Google

nium (quem citat Sayrus pro ſe, Sotum, Ledeſm. Syl-ueſt. Maiol. & Nauarrum. Sic etiam tenent Auila. *loc. cit.* Filliuc. Villalob. & alij citati à nobis *prima parte, quæſt.* 10. *cit.* Quibus addi poſſunt Hurtad. Gordon. Valent. 1 *e* :poſit. & alij, quos adducit Gibal. *loc. cit.*

Qvæstio VIII

An Sacerdos regularis, vel ſæcularis, ſine licentia ſuperioris abſque neceſſitate baptizans, incurrat irregularitatem.

Affirmavit Armilla, vt vidimus *prima parte, tract.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 16.

Sed probabiliùs iterum Reſpondeo: Non incurrere. Quia talis pœna non eſt in iure illi impoſita. Sic Sot. Angel. Sylueſt. Nauarr. Viuald. Ioan. de Cruce, Hinojoſa, & Hurtad. adducti à nobis vbi ſuprà.

Qvæstio IX.

An Clericus, qui non eſt Sacerdos, ſolemniter, etiam in extrema neceſſitate baptizans, fiat irregularis.

Reſpondeo, vt certum: Fieri irregularem, etiamſi Diaconos Cardinalis eſſet, & etiamſi vrgente neceſſitate ſic baptizaret. *Primò*. Quia exercet actum proprium Sacerdoris, cum ad illum ſolum pertineat Sacramentum Baptiſmi ſolemniter celebrare, vt diximus *prima parte, tract.* 2. *diſp.* 4. *q.* 17. *Secundò*, quia ſic habetur *cap. ſi quis, cit.* & ideò ita ſentiunt omnes. Angel. Silueſt. Nauarr. Palud. Ricard. Sor. Henriq. Viuald. Bonac. Filliuc. & Granados, quos dedimus *loc. cit. quæſt.* 20. Quibus addo Maiol. Gabr. Palac. & Philiarc. quos citat, & ſequitur Sayr. *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 4. Auil. *de cenſur. p.* 7. *diſp.* 9. *dub.* 14. *concl.* 1. Gibal. *c.* 5. *quæſt.* 1. *conſectar.* 2. Qui benè docent id eſſe verum adhuc loquendo de baptizante in extrema neceſſitate, quia neceſſitas licèt faciat licitam Baptiſmi collationem, non tamen ejus ſolemnitatem, quæ minimè eſt neceſſaria.

Qvæstio X.

An eandem irregularitatis pœnam incurrat Clericus non Sacerdos, baptizans aliquem non ſolemniter, ſed abſque neceſſitate, & prohibente Parocho.

Affirmant Sot. Armill. Malol. & Ledeſma allegati à nobis *prima parte, tra.* 2. *diſp.* 4 *q.* 21.

Sed probabilius iterum Reſpondeo: Non incurrere irregularitatem (licèt aliàs mortaliter peccet) *Primò*. Quia hic non exercet actum proprium Sacerdotis. *Secundò*, quia *d. c. ſi quis, de Cler. non Ord. miniſt.* tanquam odioſum debet reſtringi ad caſum expreſſum. Sic Nauar. Palud. Syln. Henriq. & Granad. dicta *q.* 21. citati Sayr. *loc. cit. n.* 4. *in fine.*

Qvæstio XI.

An Parochus ſolemniter baptizans puerum alterius Parochiæ, ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi, fiat irregularis.

Reſpondeo: Non fieri irregularem (quamvis peccet mortaliter, vſurpando iuriſdictionem alterius) Ratio eſt, quia in tali caſu non vſurpat actum Ordinis, cùm ipſe Sacerdos ſit, ſed iuriſdictionis: ergo non eſt vnde fiat irregularis. Sic Nauarr. Palud. Sylueſt. Sotus, & Henriquez citati à nobis 1. *par. tr.* 2. *diſp.* 4. *q.* 23. Legator Gibalin. *cap.* 5. *de irregularit. q.* 1. *conſectar.* 5. *numero* 29 *pag.* 332.

DISPVTATIO XX.

De Irregularitate ex delicto malè accipiendi, & exercendi Ordines contracta.

Qvæstio Prima.

An qui Ordines Sacros ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit, ſuſcepit, maneat irregularis.

Affirmant quamplures DD. ducti ex *cap.* 1. *de Ordinato ab Epiſc. qui renunc. Epiſcopatui.* Quia illa verba Pontificis, nempe, *Quia indignum ſe fecit, exequutionem officij non habebit*, ſonant omnimodam priuationem, quæ fit per irregularitatem, non per ſuſpenſionem. Ita ſentiunt Nauarr. *c.* 27. *n.* 241. dicens, eſſe omnium ſententiam. Henriq. *lib.* 14. *c.* 6. *n.* 6. Tolet. *lib.* 1. *c.* 71. *n.* 2. Summ. Confeſſ. Angelic. Sylueſt. Ledeſio. Sor. Maiol. Summ. Corona. Valent. Medin. Philiarc. quos citat, & ſequitur Sayr. *lib.* 7. *c.* 10. *n.* 27. Quibus addi poſſunt Rodrig. *ſecunda parte Summ. c.* 14. *concluſ. vltim.* Regin. *lib.* 30. *n.* 27. & Vgol. *c.* 40. *n.* 3.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem, quia probabilius eſt in *d. c.* 1. *cit.* à contrariis, non imponi irregularitatem, ſed ſuſpenſionem. Ratio eſt, quia irregularitas impedit (vt conſtat) omnium Ordinum exercitium: atqui pœna illius capitis ſolùm priuat executione Ordinis, quem à tali Epiſcopo ſuſcepit, ex Doctorum omnium ſenſu: ergo. Sic ſentiunt Gloſſ. *in d. c.* Panorm. *n.* 6. & Barb. *in Collectan. in d. c. & alleg.* 48. *de poteſt. Epiſc* Flamin. *lib.* 1. *de reſignat. q.* 17. Azor. *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 48. *q.* 13. Suar. *diſp.* 31. *de cenſur. ſect.* 1. *n.* 7. Alter. *diſp.* 9. *de ſuſpenſ. c.* 1. *verſ. Ex his quæ habentur.* Bonac. *diſp.* 3. *de ſuſpenſ. in particul. q.* 1. *punct.* 9. *n.* 13. apud Gibalin. apud me verò *diſp.* 3. *punct.* 5. § 1. *n.* 8. Filliuc. *tract.* 17. *n.* 76. Viuian. quos ſequitur Gibalin. *cap.* 5. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 18. Legantur dicta à nobis *p.* 4. *tr.* 4. *de ſuſpenſione, diſp.* 4 *q.* 2.

Qvæstio II.

An irregularis fiat, qui Ordinatur ſcienter ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, aut alia aliqua pœna irretito, quæ ipſi liberum exercitium Ordinis prohibeat.

Affirmat Maiolus, cum aliis ab ipſo adductis, *lib.* 4. *c.* 22. Quorum præcipuum fundamentum poteſt eſſe cõſtitutio Clem. VIII. edita *anno* 1595. vbi expreſsè ait, quod Ordinatus ab Epiſcopo ſchiſmatico, minimè miniſtrare permittatur, *Niſi cum ipſo ſuper irregularitate huiuſmodi contracta occaſione, authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum:* ergo tali Ordinatus irregularitatem contraxit, ſiquidem eius indiget diſpenſatione.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo, Non fieri propriè, & in rigore irregularem, ſed ſolùm eſſe ſuſpenſum ab exercitio Ordinis à tali Epiſcopo ſuſcepti. Quia talis Epiſcopus caret vſu, & executione, ſiue exercitio ſui characteris Epiſcopalis (licèt aliàs, vt diximus 2. *p. tract. 6. diſp. 4. q. 3.* validè conferat Ordines) ergo non poteſt ordinato ab ipſo conferre vſum, & exequutionem Ordinis ab ipſo collati, eo quòd nemo dat, quod non habet. Sic Gibalin. *c. 5. q. 5. dub. 4. pag.* 319. ex Præpoſito 3. *p. q. 5. de Irregular. n.* 28. & aliis Theolog. qui ad fundamentum contrariorum reſpondens dicendo, quod irregularitas, cuius diſpenſationem neceſſariam fuiſſe aſſeruit Clemens VIII. contracta fuerit non in ipſa ordinatione, ſed in ſubſequuta exequutione Ordinis ab Epiſcopo ſchiſmatico ſuſcepti, qui licèt Ordinem contulerat, eius tamen vſum minimè dare potuerat. Legantur dicta à nobis *p. 5. tract. 4. de ſuſpenſ. diſp. 4. q. 1.*

Quæstio III.

An maneat irregularis, qui ordinatur per ſaltum, ſeu qui ſuſcipit ſuperiorem Ordinem, relicto inferiori.

Affirmant quamplures DD. dicentes, eſſe irregularem, & ideo nec poſſe vti Ordine ſuſcepto, nec prætermiſſum recipere, ſine diſpenſatione, quam dare poſſe Epiſcopum (ſi Ordinatus non fuerit vſus Ordine ſic ſuſcepto) conſequenter affirmant. Ducuntur, eo quod hæc irregularitas videatur haberi *in cap. Vnico, de clerico per ſaltum promoto, & cap. Solicitudo, diſt.* 52. Ita tenet Sayr. *lib. 7. c. 10. n.* 39. citans pro hac parte Nauarr. *c. 27. n. 242. verſ. Sextò.* Henriq. *lib. 14. c. 6.* §. 3. (Sic lege, non *n.* 4. vt offendes apud Auilam) Valentiam *tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 3.* §. 5. Viuald. *tract. de ſuſpenſ. n.* 48. Maiolum, Silueſtrum, Sotum, Ledeſm. Philiarc. Zerol. & alios antiquos.

Sed ego probabilius Reſpondeo: Minimè eſſe irregularem, ſed ſolum eſſe ſuſpenſum vel ipſo iure ab Ordine per ſaltum ſuſcepto, vt communiter tenent DD. vel vt alij pauciores volunt, eſſe ſuſpendendum. Ratio eſt. Quia nullus datur textus, ex quo talis irregularitas colligatur. Nam textus *in cap. Vnico, de Cleric. per ſaltum promoto*, quem allegant Auctores opinionis contrariæ, non apponit talem irregularitatem, vt patet ex illis verbis: *Eum in Diaconum Ordinare procures*: quæ verba nullam denotant diſpenſationem, vt aduertit Auila. *In cap.* autem *Solicitudo*, ſolum prohibetur directè functio Ordinis per ſaltum ſuſcepti; quod eſt proprium ſuſpenſionis, non irregularitatis. Sic tenent Archidiac. *in d. cap. Solicitudo, diſt.* 52. Angel. *irregularitas* 2. *num.* 39. Armilla *eod. verb. num.* 68. Tabiena *irregularitas* 4. §. 2. *concl.* 2. Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub.* 2. (non 4. vt offendes apud Bonacinam) *concl.* 1. vbi dicit, ſic ſentire viros doctos. Bonacina *de Irregularitate, quæſt. 1. punct. 4. num.* 5. qui & citat (ſed malè) Nauarrum eodem loco, quem pro contraria parte citant Henriquez, Sayrus, & Auila. Sic etiam Gibalinus *c. 5. de Irregularit. q. 1. num. 21. dub. 6. pag.* 323. & alij. Qui tamen omnes concedunt, fieri quidem irregularem. Si iſte ſic promotus miniſtret ante abſolutionem ſuſpenſionis in Ordine per ſaltum recepto, aut in Ordine, quem non habet. Legatur Bonacina *quæſt. 3. citata, punct. 7. n.* 14. necnon & ego *infra quæſt. 12. & part. 4. tract. 4. de ſuſpenſ. diſput. 4. quæſt. 4. dub. 2.*

Quæstio IV.

An non ſolùm maneat ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, qui furtiuè, id eſt ignorante Epiſcopo, nec examinante, nec approbante, Ordinem recepit?

Affirmant plures ex *cap. 1. de eo qui furtiuè Ordines ſuſcipit*, vbi e ntelſè datur Epiſcopo facultas diſpenſandi eum eo qui furtiuè Diaconatum accepit, vt ad Sacerdotium promoueatur: ergo clarè indicat Pontifex, Diaconum præfatum irregularem manſiſſe. Et ideo ita ſentiunt Summa Confeſſor. & Summ. Corona, Maiolus, & alij, quos refert, & ſequitur Sayrus *l. c. n.* 37. Henriquez *lib. 14. c. 6.* §. 5. Suarez *de Cenſur. diſp. 42. ſect. 3. num.* 5. Filliucius *tract* 20. *n.* 195. Bonacina *quæſt. 3. de Irregularit. punct. 5. n.* 6. Pellizzarius *tom. 2. tract. 7. c. 5. ſect. 3. q. 25. n.* 123.

Sed alij cor tà Reſpondent manere ſuſpenſum, vt omnes concedunt, ſed non irregularem. Quia, inquiunt, nec ex *c. 1. de eo qui furtiuè*, quod vnicum affertur contrarij, nec ex alio aliquo aliqua ratione colligitur. Sic Gibalinus *cap. 5. de Irregularit. quæſt. 1. num. 21. dub. 6. in fine.*

Sed ego & manere ſuſpenſum ipſo facto, & iure, vt dixi *part. 4. tract. 4. diſp. 4. quæſt.* 11. & etiam irregularem hunc, cum Auctoribus primæ ſententiæ ſentio.

Quæstio V.

An qui ſine Sacramento Confirmationis ordinatur fiat irregularis.

Affirmat Maiolus (apud Sayrum *vbi infra*) *lib. 4. cap. 12. num. 9.*) & apud Henriquez *infra*) *lib. 4. c. 3. n. 1. & cap. 22. fine.*

Sed reſpondeo: Non fieri irregularem. *Primò*: Quia Ius id non decreuit. *Secundò*. Quia, qui ſine Sacramento Confirmationis recipit Ordinem, tantum peccat venialiter, vt cum communi diximus 1. *part. tract. 3. diſp. 1. quæſt.* 8. Ergo non apponit culpam, vnde illi irregularitatis applicetur pœna. Et ideo ſic ſentiunt Sotus *diſt. 24. quæſt. 1. art. 4. circa finem, & diſtinct. 25. quæſt. 2. art. 1. col.* 6. Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 3. litt. A*, quos citat, & ſequitur Auila *part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 3. concl. 1. & 2.* Vgolinus *cap. 38.* §. 1. Sayrus *lib. 7. cap.* 10. (non 14. vt legi apud Bonacinam) *n.* 42. Suarez tom. 5. *diſp. 42. ſect. 3. num.* 14. Filliuc. *tract. 20. num.* 205. Bonac. *quæſt. 3. de Irregul. punct. 4. num.* 8. Gibalinus *loc. cit. verſ. Secundò. pag.* 324 & communis.

Quæstio VI.

An qui vno die recipit primam tonſuram, & quatuor minores Ordines, incurrat irregularitatem.

Reſpondeo, vt certum: Non incurrere. Quia non reperitur in iure hæc pœna impoſita tali actioni. Imò, vt teſtantur Nauar. Auila, & alij communiter, ante Trident. licita erat talis receptio: imo ex conſuetudine poſt illud, ex iuſta cauſa licet, vt cum plurimis Doctoribus diximus 2. *part. tract. 6. de Ordine, diſp. 11. quæſt.* 13. Sic tenent, & probas ex *cap. 2. de eo, qui furtiuè Ordin. ſuſcep.* Gloſſa ibi, *verb. Minores*, & Gloſſa *in cap. De eo, verb. Ad minores, de temp. Ordin.* Auila *part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 4. concluſ. 1.* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num.* 25.

Bonacina

Digitized by Google

Bonacina *q.* 3. *punct.*4.*n.*3. Gibalinus *cap.*5.*q.*1.*n.*20. *dub.*5.*pag.*522.& alij communiter.

QVÆSTIO VII.

An ſaltem irregularitatem incurrat, qui eodem die, inſcio Epiſcopo, quatuor minores Ordines ſimul cum Subdiaconatu ſuſcipit?

AFfirmant plures DD. ex textu *in cap.*2. *&* 3. *de eo qui furtinè*, ubi expreſſum videtur. Et ideo ita tenent Nauar. *in Manual. cap.*27. (non 97. vt leges apud Saytum) *num.*241. Auila *part.*7. *diſp.*9. *ſect.*1. *dub.*4. *concl.*2. Saytus *lib.*7. *cap.*20. *num.*22. Bonac. *num.*3.*cit.* & alij penes ipſos.

Sed probabilius Reſpondeo : Nec in hoc caſu incurrere irregularitatem : imò nec ſuſpenſionem ipſo facto, ſed ferendam, vt diximus cum Suario, Philiberto, Diana, & aliis 2.*part.tract.*6.*diſp.*11.*q.*15.*& part.*4. *tract.*4. *diſp.*4.*q.*9. Quia probabilius eſt ex dictis *c.*2. *&* 3.*cit.* pro parte contraria, nil aliud, quàm ſuſpenſionem ferendam colligi, non irregularitatem. Et ita tenent Suarez *tom.*5.*diſp.*42.*ſect.*3.*n.*1. Filliuc.*tract.*1.*n.* 191. Gibalinus *loc.cit.*& alij citari à nobis *q.*15.*citata.*

QVÆSTIO VIII.

An ad minus pœnam irregularitatis contrahat, qui eodem die, inſciò Epiſcopo, duos Ordines maiores ſuſcipit?

AFfirmant à fortiori omnes Doctores nuper pro primæ ſententia adducti. Quibus addi poſſunt Henriquez *lib.*14.*cap.*6. *num.*5.*lit. G.* & apud ipſum Ioan.Andr.Panormitan. Angel.Armilla, & D.Anton. Sebaſt.Medic.*tit.*9.*quæſt.*29.Toler.*lib.*1.*c.*39. Viuald. *tract.de ſuſpenſ.num.*47. Philiarcus, Valentia, & alij, quos citat, & ſequitur Saytus *vbi ſupra.*

Sed probabilius ego Reſpondeo, quod, licèt prædictus ſic Ordinatus incurrat ipſo facto ſuſpenſionem (vt diximus 2. *part. tract.*6. *diſp.*11.*q.*14. *& part.*4. *tract* 4.*diſp.*4 *q.*8. contra Villalobos, & Dianam) non tamen incurrat irregularitatem, quia non exprimitur in iure. Nam ſi alicubi, maximè *in cap.*2.*&* 3.*de eo qui furtinè*, &c. vt contrarij fatentur : atqui ibi non exprimitur irregularitas, ſed ſolum ſuſpenſio : ergo. Minor probatur : nam ibi tantum prohibetur miniſtrare ita Ordinatis, niſi cum diſpenſatione Epiſcopi, eo quòd de rigore iuris nequeat in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare ; non autem addit, non poſſe promoueri : ergo, &c. Sic Suarez, Filliuc. & Gibalinus *loc.ſup.alleg.*

QVÆSTIO IX.

An Clericus non Sacerdos fiat irregularis, Sacramentaliter aliquem abſoluens?

NEgant Silueſt. *verb. Confeſſor* 1.*in princip.* Ledeſma *part.*4. *quæſt.*7. *art.*3. *dub.*6 quos nouiſſimè videtur ſequi Præpoſitus *quæſt.*5. *de Irregularit. dub.* 6. Qui probant, quia Ius nullibi id ſtatuit: nam *in cap.* 1. *de Clerice non Ordinato miniſtr.* tantum eſt ſermo de baptizante, & exercente aliquod diuinum officium, abſque Ordine requiſito : ergo non de adminiſtrante cætera Sacramenta.

Sed probabilius Reſpondeo : Fieri irregularem. Quia probabilius eſt, id à Iure ſtatui *cap.*1. *cit.* eo quod nomine *diuini officij*, in hac materia, abſolutio Sacramentalis intelligatur. Sic Henriquez *lib.*14. *cap.*6.*num.*2. Nauar.*cap.*27. *num.* 242.*in fine* Maiolus *lib.* 4.*cap.*13.*num.*5. Sotus *diſt.*8. *quæſt.*4.*art.*1. Vgolinus *cap.*37. *num.*6. Suarez *diſput.*42. *ſect.*4. *num.*7. Filliuc.*tract.*20 *num.*210. Auila *part.*7 *diſp.*9. *ſect.*2. *dub.*15. *concluſ.*1. Ægidius *diſp.*18 *dub.*6. *num.*48. Bonacina *quæſt.*3.*de Irregular punct.*6.*num.*4. Saytus *lib.*7.*cap.*10.*num.*5. Gibalinus *cap.*5.*quæſt.*1.*conſect.*2. *num.*26. *pag.*328. Qui idem dicunt de eodem non Sacerdote adminiſtrante extremam vnctionem, eo quòd etiam exerceat Ordinem, quem non habet.

QVÆSTIO X.

An etiam fiat irregularis Sacerdos non Epiſcopus, exercens Pontificalia, v. g. conferendo Ordinis, vel Confirmationis Sacramentum, conſecrando Altaria, &c.

NEgant Auctores primæ ſententiæ nuper relatæ, ob idem fundamentum.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam fieri irregularem. Quia qui ſine Epiſcopatu Pontificalia exercet, re vera diuina officia exercet non ordinatus: ergo fit irregularis, per text. *in cap.*1. *de Clerico non Ordin. Miniſtr.* Antecedens probatur. Quia character Epiſcopalis diſtinctus eſt realiter à charactere Sacerdotali, & ideo per illum habet Epiſcopus aliam poteſtatem ad exercenda munia quædam, ad quæ non ſufficit, nec extenditur character Sacerdotalis, iuxta doctrinam probabiliſſimam datam à nobis 2. *part. tract.*6. *diſp.*1. *quæſt.*11. *&* 12. Et ideo noſtram ſententiam tenent Suarez, Filliucius, & Gibalinus *loc. cit.* Bonacina *num.*3. Auila *concluſ.*2. & alij.

QVÆSTIO XI.

An deinde fiat irregularis Epiſcopus promotus per ſaltum, ſi conferat Ordinem, quem non habet?

AFfirmat expreſsè Suarez *diſp.*42. *ſect.*4. *num.* 9. quem (*in edit. nona*) citat & ſequitur Bonac. *num.* 3. *cit.* Et affirmare ita debent omnes, qui tenent Epiſcopum per ſaltum Ordinatum, non poſſe validè conferre Ordinem, quem ipſe non ſuſcepit, v. g. Epiſcopum non Diaconum, non poſſe conferre Diaconatum ; quia tunc verè fiet irregularis, cum conferat Ordinem, quem non habet, & facit miniſterium, quod neceſſariò prærequirit Ordinem, quo caret. Sunt hi Doctores D. Anton. Silueſt. Henriquez, Sà, Sanchez, Homobonus, Petrus Ledeſma & Ludouicus citati à nobis 2. *part. tract.*6. *diſp.*4. *quæſt.*4.

Sed probabiliùs Reſpondeo : Non fieri irregularem. Quia probabilius eſt (vt *loc.cit.* diximus) poſſe Epiſcopum validè (licet non licitè) conferre Ordinem (v.g. Ordinem Diaconatus) quem non ſuſcepit. Quia qui, omiſſo Diaconatu, Sacerdos, & Epiſcopus eſt effectus, verè eſt Epiſcopus; cum verè acceperit characterem Epiſcopalem : ergo & poteſtatem conferendi omnes Ordines Sacerdotio inferiores : ergo & conferendi Ordinem Diaconatus, quem non accepit : ergo ob id non fiet irregularis, cum non faciat, aut exerceat miniſterium, quod neceſſariò prærequirit Ordinem, quo caret. Sic debent ſentire Vaſquez, Layman, Molfeſius, & Philibertus, citati à nobis *vbi ſuprà* 2.*part. tract.*6.*diſp.*4.*quæſt.*4. & clarè innuit Gibalinus *cap.*5. *quæſt.*1. *conſectar.* 3. *in fine, pag.*331.

QVÆSTIO XII.

An ſaltem fiat irregularis, qui per ſaltum promotus, exercet actum Ordinis prætermiſſi?

RESpondeo, vt certum: Irregularem fieri, ſi ſcienter id faciat, & in ea actione mortaliter peccet. Quia reuera ille miniſtrat in Ordine, quem non habet. Sic Suarez *diſp.42 ſect.4.n.5.* & S. Filliuc. *tract.20.n.*209. Gibalinus *cap.5.q.1.conſect.3.n.27.pag* 330. Pellizzarius *tract.7.cit.cap.5. ſect.3.q.25.n.*136. & alij communiter, vt notauimus *ſup.q.3.in fine*.

QVÆSTIO XIII.

An Clericus, qui non eſt Subdiaconus, cantans Epiſtolam indutus Dalmatica, ſed ſine manipulo, fiat irregularis?

AFfirmant nonnulli Doctores, maximè caſu, quo Clericus Epiſtolam canere ex officio intendat. Sunt autem Panormitanus, Tabiena, Paludan. & Siluester, citati à nobis 2.*part.tract. de Ordine, diſp.2. quæſt.*23.

Sed probabilius iterum Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia qui canit Epiſtolam ſine manipulo, non exercet exteriorem ſolemnitatem Ordinis Subdiaconatus; cum id faciat ſine propriis ornamentis illius Ordinis: ergo. Sic D. Thom. Nauar. D. Anton. Hoſtienſ. Henriquez, Villadiego, Armilla, & Sà, quos pro hac parte citauimus 2. *part. quæſt.23. cit.* Quibus addo nunc Bonac. *quæſt.3. de Irregularit.punct.6.num.*2. Gibalinum *cap.5. de Irregularit. quæſt.1. conſectar.4. num.*28. Saytum *lib.4. Theſauri, cap.16. à num.*17. Auilam *part.7. diſput.9. ſect.2.dub.2. verſ. Ex ſecunda conditione, & dub.23. verſ.Quinta, & verſ.Sed petis.*

QVÆSTIO XIV.

An ſaltem fiat irregularis, ſi dictus Clericus Subdiacono inferior, cantet in Miſſa ſolemni Epiſtolam, indutus Dalmatica, & Manipulo?

NEgare adhuc poſſunt, qui negant, Subdiaconum nec partialiter Ordinari per traditionem libri Epiſtolarum, ſed ſolùm per traditionem Calicis vacui, & Patenæ vacuæ, vt ſentiunt Diana, Philibertus, Syluius, Ægidius, Layman, Valentia, Comitol. Molfeſius, Vaſquez. Henriquez, Granados, Bonac. Peſantius, Bieſcas, Viualdus, Villalobos, Ludouic. de S.Ioanne, Petr. Ledeſma. & Machado, vt habes 2. *p. tract.6. diſp.3. quæſt.*14. Ratio ſit, quia in horum opinione, recitatio Epiſtolæ in miſſis ſolemni, nec eſt, nec debet dici actus proprius Ordinis Subdiaconatus: ergo in eorum opinione, etiamſi Clericus non Subdiaconus cantet Epiſtolam cum Dalmatica, & Manipulo, non fiet irregularis, cum nullum proprium actum Ordinis exerceat.

Sed probabiliùs longè iterum Reſpondeo: Fieri irregularem tunc, maximè ſi ita cantet Epiſtolam cum intentione officium Subdiaconi faciendi. Quia longè probabilius eſt, quod recitatio Epiſtolæ in Miſſa ſolemni, verè, & propriè ſit actus Ordinis Subdiaconalis: ergo inferior Clericus qui illam cantat cum Dalmatica, & Manipulo in miſſis ſolemni, verè, & propriè exercet actum Ordinis, quem non habet: ergo fiet irregularis. Antecedens, in quo eſt difficultas, conſtat ex dictis 2. *part. tract.6.diſp.3 quæſt. 24 cit.* Quia Subdiaconus vel adæquatè Ordinatur per ſolam traditionem libri Epiſtolarum, tanquam per adæquatam, & totalem Subdiaconatus materiam, vt volunt Viguerius, Directorium Curatorum, Iauellus, & Lublinus: vel ſaltem inadæquatè, tanquam per partialem Subdiaconatus materiam, vt nos probabilius cum Philiberto, Medina, Fornerio, Adamo, Hurtado, Filliucio, Binsfeldio, Oſio, Guillelmo Durando, Petro à S. Ioſepho, & Machado *loc. cit.* docuimus: ergo cantare Epiſtolam in Miſſa ſolemni cum Dalmatica, & Manipulo, verè, & propriè eſt exercere actum Ordinis Subdiaconatus: ergo. Sic Philibertus *loc. cit.* Nauar. Vgolinus, & Bonac. *q.3. cit. punct.6. num.*2. & alij communiter, vt vidimus 2.*part.tract.6.diſp.2.quæſt.*24.

QVÆSTIO XV.

An etiam fieret irregularis Clericus Subdiacono inferior, qui cum Dalmatica & Manipulo, cantaret Epiſtolam in Miſſa, ſine intentione tamen faciendi officium Subdiaconi?

NEgauit (vt vidimus *quæſt.24.nuper cit.*) Sà *verb. Irregularitas ex Ordinis abuſu, num.*5. Et negat etiam cum aliis Bonacina *quæſt.3. de Irregularit. punct.6.num* 2. vbi ita ait: Verùm ſi cum Manipulo, & Dalmatica canat Epiſtolam, non intendens exercere ex officio, ſed ſolùm ſupplere officium Subdiaconi, non fit irregularis: quia non dicitur propriè exercere ex officio, nec actus dicitur completus, completur verò per intentionem, & exteriorem actionem cum Manipulo, & Dalmatica. Ita Nauarrus *loc cit.* quem ſequitur Vgolinus *loc.cit. num.*10. quidquid in contrarium ſentire videatur Coninchus *num.*47. Huc vſque Bonacina, cui adde Tabienam *Irregularitas* 4. §.3. & Auilam *part.7. diſp 9. ſect.2. dub.13.verſ. Quinta*, dicentem tamen, ſic tenendum eſſe loquendo in foro interiori, non in exteriori.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam irregularem fieri in dicto caſu. Quia, vt diximus *q.1.cit.* ad effectum incurrendi irregularitatem, maximè in foro exteriori, ſat eſt, vt ex præcepto Eccleſiæ ad Subdiaconum pertineat recitare Epiſtolam cum Dalmatica, & Manipulo: vnde quod id ſine intentione faciendi officium Subdiaconi faciat, nihil intereſt. Sic Philibert. *tract.2.de Ordine, part.6. cap.4.n.*6. Ægidius *loc.cit.* optimè omnium Suarez *diſp.43.ſect.4.num.17.* & 18. vbi id latè probat, & reſpondet inſtantiis, quæ à contrariis obiici ſolent. Legatur.

QVÆSTIO XVI.

An Clericus Subdiacono inferior, ſit irregularis, cantans Epiſtolam cum Dalmatica, & Manipulo, vbi eſt conſuetudo, quod non Ordinati ſic eam cantent?

NEgat cum aliis Auila *loc. cit. dub.13.verſ. Quinta*, ita ſcribens: Imò dico, quod non erit irregularis, licèt canat Epiſtolam cum Dalmatica, & Manipulo, vbi eſt conſuetudo, quod non Ordinati ſic eam cantent. Ita Anton. qualis conſuetudo eſt apud Fratres Minores, vt teſtatur Villadiego relatus à Nauarro: tunc autem requiritur, quòd non intendat canere ſolemniter, & quaſi ex officio. Ita Auila. Cuius ſententiam à fortiori debent amplecti Tabiena, Sà, & Bonacina relati nuper, quæſtione antecedenti, necnon & Saytus *lib* 4. *Theſauri,*

c.16.n.18.& alij citati pro prima opinione *q.14.*

Sed clarius,& probabilius Reſpondeo: Fieri quidem irregularem Clericum primæ tonſuræ, aut alium inferiorem Subdiacono, canentem cum Dalmatica, & Manipulo Epiſtolā, etiamſi non intendat canere eam ex officio, niſi aliàs conſuetudo introducta canendi eam à nō Ordinati maioribus Ordinibus, potens ſit ad iuri hum uo derogandum. Quia tunc cum conſuetudo tollat præceptum ad mortale obligans, tollit conſequenter irregularitatem in eo fundatam: Secus aliàs. Quod ex dictis ſæpè, eſt planum.

QVÆSTIO XVII.

An maneant irregulares laici, qui cum Dalmatica, & ſine Manipulo porrigunt in Miſſa ſolemni Sacerdoti, aut Diacono calicem præparatum?

AFfirmant Silueſt. *verb. Irregularitas, q.22.*& Angel. *irregularitas 2. n.38* vbi pro ſe citat Hoſtienſ. & Innocentium.

Sed probabilius, iuxta dicta Reſpondeo: Non manere irregulares. Quia tunc laici non miniſtrant, aut exercent ſolemniter actum Ordinis Subdiaconatus, cùm miniſtrare ſolemniter nil aliud ſit, quàm miniſtrare cum propriis ornamentis illius Ordinis, vt ipſemet Silueſter fatetur: atqui Manipulus eſt proprium ornamentum Subdiaconatus: ergo. Sic conſtat ex dictis *ſupra q.13.*& debent ſic ſentire Auctores ibi pro nobis citati. Et expreſsè tenent Auila *part 7. diſp.9. ſect.2. dub. 13. verſ. Sed petis.* Quod idem tenendum eſt loquendo de Clerico inferiori Subdiacono.

QVÆSTIO XVIII.

An ſaltem maneat irregularis laicus, ſiue Clericus Subdiacono inferior, qui cum Dalmatica, & Manipulo, Diacono, aut Sacerdoti in Miſſa calicem præparatum miniſtrat?

NEgare deberēt qui affirmant recitationem Epiſtolæ eſſe ſolummodo proprium actum Ordinis Subdiaconalis. Sunt autem Viguerius, Directorium Curatorum, Iauellus, & Lublinus, docentes (vt vidimus 2. *part. tract.6. diſp.3. q.14.*) traditionem ſolam libri Epiſtolarum eſſe adæquatam, & totalem materiam Subdiaconatus ex quorum placito neceſſariò ſequitur, proprium actum Ordinis Subdiaconatus eſſe duntaxat recitationem ſolemnem Epiſtolæ.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Verè manere irregularem. Quia longè multò probabilius eſt, quod etiam ſit verus & proprius actus Subdiaconalis Ordinis miniſtrare Presbytero, aut Diacono in Miſſa ſolemni, vaſa Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini: eo quòd longè probabilius eſt, quod vel ſola traditio Calicis vacui cum Patena vacua, ſit proxima, adæquata, & totalis materia Subdiaconalis Ordinis, vt quamplures DD. volunt (vt vidimus *quæſt.14. cit.*) vel ſaltem partialis, vt nos cum aliis multis loco allegato defendimus.

QVÆSTIO XIX.

An Clericus non Sacerdos, qui in Choro fungitur officio hebdomadarij, maneat irregularis?

REſpondeo, Manere irregularem, caſu quo ſolemniter in choro munus Hebdomadarij referat; veluti ſi ſolemniter dicat, *Deus in adiutorium,* &c. *Capitula* in Veſperis, vel Laudibus, *Collectam,* & alia ſimilia, quæ iure humano, vel ex præcepto Eccleſiæ, vel ex vniuerſali conſuetudine ſunt propria Ordinis Sacerdotalis. Ratio eſt, quia tunc verè dicitur ſe immiſcere Ordini, quo caret: ergo verè manet irregularis. Secus eſſet dicendum caſu quo ſine ſolemnitate officium hebdomadarij faciat, vt contingit fieri in Choro fratrum, quando nullus adeſt Sacerdos Sic tenent Bonacina *quæſt 3. de Irregularit. punct.6. n.7.* ex Vgolino *cap.37 n.8.* & ex aliis viris doctis. Quibus addi poſſunt Sayrus *lib.4. Theſauri, cap.16. à num.13.* Gibalinus *cap.5. de Irregularit. quæſt.2. conſectar.25. n.33. verſ. Secundò,*& communis.

QVÆSTIO XX.

An etiam maneat irregularis, Clericus Sacerdote inferior, qui à Cenſura aliqua ſolemniter abſoluit pænitentes, aut benedicit ſponſis, aut aqua, &c.

REſpondeo: Etiam irregularem manere, quamuis id abſque ſuperpellico, vel ſtola faciat. Ratio eſt, quia hoc munus eſt proprium Sacerdotis: ergo ſi illud non Sacerdos exerceat, irregularis fiet, vt patet ex *cap.1. de Clerico non Ordin. miniſtrante.* Sic Vgolinus *loc. cit. num.10.* Suarez *diſp.42. ſect.4. num. 19. in fine,* Ægidius *diſp.18. dubit.6. num.49.* Filliucius *tract.20. cap.7. num.212.* Bonac. *quæſt.3. de Irregularit. punct.6. num 8.* Sayrus *lib.4. cap.16. n.15.* Gibalinus *cap.5. quæſt.1. conſect.5. n.29.*& communis.

QVÆSTIO XXI.

An Sacerdos celebrans ſine Altari conſecrato ab Epiſcopo ſit irregularis?

AFfirmat Maiolus *lib.3. de Irregularit. cap.21. num 2.* Qui ſic probat. Nam crimen, quod inducit depoſitionem, inducit aliquam irregularitatem: at ſic eſt quod Sacerdos, qui audet Miſſam ſine altari conſecrato, celebrare, deponi, aut degradari iubetur *in c. Nullus Presbyter 1. & 2. de Conſecrat.* ergo.

Sed vt certum ferè Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia nullus eſt expreſſus textus in iure, qui pœnam irregularitatis tali Sacerdoti imponat. Quia ſi aliquis eſſet, maximè textus allegati à Maiolo: at hi nullo modo talem pœnam adſtruunt: ergo. Minor probatur. Quia in illis locis tantum eſt ſermo de pœna, non lata, ſed ferenda, ex qua non oritur irregularitas, aliàs ferretur ab homine, quod falſum eſſe conſtat ex dictis *ſuprà tract.1. diſp.1. quæſt.6.* Sic tenet Gibalinus *cap.5. quæſt.2. num.31. pag.333.* Et ante illum, quem non citat Suarez *diſp.42. ſect.5. num.5. verſ. Quartus caſus eſt,* Filliuc. *tract.20. cap.8. num.221.* Bonacina *quæſt.3. punct.7. num.10.* Luyſius *lib. de Cenſur. diſp.61. dub.6. verſ. Quartus caſus.*

QVÆSTIO XXII.

An Sacerdos conficiens Euchariſtiam, toto ritu Miſſæ omiſſo, ſit etiam irregularis?

AFfirmat etiam Maiolus *lib.3. cap.26. num.5.* eo quòd abutatur Ordine Sacerdotali, & ideo eo, omnique eius vſu indignus fit. Citat Maiolus pro ſe D. Antoninum *de Cenſur. & irregularit. cap.87. verſ. Tertiò nota.*

Sed

Google

Sed vt certum ferè etiam Reſpondeo: Non ob dictum delictum fieri irregularem: quia licèt ſit valdè graue, non tamen inflixit Ius hanc irregularitatis pœnam Sacerdoti illud patranti, quod probandum fuerat à Maiolo. Sic Gibalinus *loc. cit. num.37. verſ. Quartò, pag.334.* & ante ipſum Suarez *diſp.42. ſect.5. n.8. verſ. Septimè*, vbi clarè oſtendit D. Antonij ſententiam longè differre à ſententia Maioli. Filliuc. *n.224.* Bonac. *part.7. cit. n.22.* Luyſius *de Cenſur. lib.9. diſp.61. dub.5. cit. verſ. Septimus caſus.* Diana *part.4. tract.2. reſolut.57. verſ. Et nota etiam.*

QVÆSTIO XXIII.

An ſit irregularis Sacerdos, qui pro perſona viuenti Miſſam defunctorum dicit ea intentione, vt illi mortem impetret?

AFfirmat Maiolus *lib.3. de Irregularit. cap.25. num.6.* eo quòd in Concil. Toletan.13. *cap.7.* vt citat Gratian. *in cap. Quincumque, 26 quæſt.5.* vel potius *cauſa 17. cap.5.* Sacerdos hoc faciens à proprio deponitur gradu.

Sed multò longè probabilius, imò vt ferè certum Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia nullibi inuenitur expreſſus textus, qui irregularem dictum Sacerdotem faciat. Nam Concilium citatum ſolùm dicit ſententiam ferendam, non latam; verba enim eius hæc ſunt: *A proprio deponatur gradu*: ergo minimè fert ſententiam irregularitatis. Sic Suarez *diſp. 42. ſect 5. num.7. verſ. Sextus caſus.* Gibalinus *loc. cit. verſ. Tertiò*, vbi docet, quòd omnes emendatores Gratiani obſeruant, Concilium *loc. cit.* nullo modo agere de Irregularitate, ſed de depoſitione ferenda, vnà cum pœna perpetui exilij, quam etiam Patres extendunt ad illum, qui huius ſacrilegij Auctor fuit. Filliuc. *tract.20. c.8. n.223.* Bonacina *q.3. de Irregul. punct. 7. n.21.* Luyſius & Diana *locis nuper citatis.*

QVÆSTIO XXIV.

An quicumque Miniſtri Eccleſiæ, qui non Religionis cauſa, aut obſeruandi Eccleſiaſticos ritus, ſed amaritudinis ſuæ teſtandi cauſa, Altaria veſtibus ſacris exuunt, aut lugubri ornatu ea veſtiunt, aut luminaria conſueta extinguunt, irregulares permanent?

AFfirmat item Maiolus *cap.25. num.6. cit.* ob dictum Concilium Toletanum relatum à Gratiano *in dicto cap. Quicunque, 26. quæſt.5.* vbi puniunt Toletani Patres ſimili pœna committentes delictum tale.

Sed longè multò probabilius, imo vt ferè certum, Reſpondeo: Non ob id permanere irregulares. Quia verba Concilij nec pœnam irregularitatis inſinuant. Nam in primis (vt bene aduertit Suarez) ſi dictus Sacerdos, ſeu Miniſter, per veram pœnitentiam, & ſatisfactionem factam coram Metropolitano purgauerit delictum, nulla pœna ei imponitur à Concilio. Si autem impœnitens fuerit, loco dignitatis ſuæ, & honore priuandus, dicitur *Ignobilitati perpetuæ mancipatus.* Quæ verba non dicunt irregularitatem, ſed pœnam ab homine ferendam, & facilè de priuatione beneficij, aut alterius dignitatis Eccleſiaſticæ verificari poſſunt. Sic Suarez, & Gibalinus *loc. cit.* Filliucius *n.223.* & Bonac. *n.23.* & alij.

QVÆSTIO XXV.

An Sacerdos, qui hominem nominatim excommunicatum ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittit, fiat irregularis?

AFfirmat item Maiolus *lib.3. cap.23. num.9.* ex Clement.1. *de ſepulturis* (non *de Cenſuris*,) vt offendi apud Luyſium.

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri. Quia nullus reperitur textus, propter quem irregularis dici queat. Nam in dicta Clement. licèt excommunicetur dictus Sacerdos, non tamen fit irregularis. Quia quamuis per tale miniſterium ſacrum contrahatur excommunicatio, non ideo contrahitur per talem actum irregularitas, eo quòd per tale miniſterium non violetur ipſamet excommunicatio: ergo nullus eſt textus quo feratur irregularitas, ob admiſſionem Excommunicati ad Eccleſiaſticam ſepulturam: ergo. Sic omnino Suarez *diſp.42. ſect.5. num.6. verſ. Quintus caſus*, ex Speculatore *in Clement. cit.* Filliuc. *loc. cit num.222.* Bonac. *punct.7. cit. num.27.* Luyſius *lib.9. diſp.61. dub.5. verſ. Quintus caſus.*

QVÆSTIO XXVI.

An Clericus, qui in vita, vel morte fauet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemoſynas accipiendo, vel eis pœnitentiam, ſine debita reſtitutione, vel cautione concedendo, vel tandem eorum ſepulturis aſſiſtendo, irregularitatem incurrat?

AFfirmare id quis probabiliter poteſt, ex *cap.2. de raptorib. in 6.* vbi dicta quatuor genera actionum ſpecialiter prohibentur Clericis, & ſubditur in pœnam tranſgreſſoribus, *vt Ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Quæ verba haud obſcurè videntur irregularitatem indicare. Et ideo pro hac parte citat Bonacina Patres Suarium, & Filliucium *vbi infra*; ſed malè omnino, vt videbis.

Sed probabilius Reſpondeo: Non incurrere. Quia probabilius eſt (ait Sapientiſſ. Suarez) illa verba iuris citata, non ſignificare pœnam ipſo iure, ſed à Iudice imponendam. Sicut etiam, quod ſubditur: *Et Eccleſiaſtico beneficio careant*, non intelligitur ipſo iure; cum hoc non addatur in lege, ſed quando illo priuentur. Eſt ergo illa pœna ſuſpenſionis perpetuæ, vel depoſitionis à Iudice imponendæ, vt Panorm. ibi aduertit *n.2.* Sic Suar. *n.6. cit.* Cui non citato ſubſcribit Gibalin. *c.5. de Irregul. q.1. n.33. verſ. Secundò*, vbi neminem oppoſitum dixiſſe affirmat. Filliucius *etiam tract.10. c.8. n.222. in fine*, ibi Suarez *n.6.* qui etiã addit, Clericum, qui in vita, vel in morte fauet raptoribus videri potius irregularem, ex *c.2. de raptorib. in 6.* ob ea verba: *Ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Sed ſubiungit, tantum continere pœnam ferendam, non latam. Hæc Filliucius. Bonac. *etiam loc. cit. n.26.*

QVÆSTIO XXVII.

An Cardinalis electus in Papam à paucioribus, quàm à duabus partibus electorum, ſi Papatum vſurpare conetur, tam ipſe, quàm qui ipſum receperint, irregulares maneant?

AFfirmat Maiolus *lib.4. de Irregularitate, cap.1. num.5.* citans Speculatorem *in c. vbi periculum.*

de Electione in 6. Et probat ex *c. Licèt, de Electione,* vbi loquendo de tali Cardinali electo, ac de eiuſdem electionibus, dicitur quod, *Si papatum vſurpare conetur, tam ipſe, quàm ij. qui eum receperint, excommunicationi ſubiaceant, & totius ſacri Ordinis priuatione mulctentur.* Quæ poſteriora verba irregularitatem ſignificare videntur: ergo.

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregulares. Quia probabilius eſt, illis vltimis verbis non ferri irregularitatem, ſed depoſitionem ab Ordine, non ipſo iure latam, ſed à Iudice ferendam, vt verbum, *mulctentur*, apertè declarat. Sic ex Panorm. *ibid. n.7.* docet Suarez *diſp.42. ſect.3. n.10.* Cui adde Gibal. *c.5. quæſt.1. n.37.* vbi addit ex Suario (quem non citat) quod quamvis illis verbis contineretur depoſitio ipſo iure (& de conſequenti irregularitas) nihil tamen inde contra noſtram doctrinam colligere liceret, quia delictum illud ab electo in Papam commiſſum, potius eſt abuſus iuriſdictionis, quàm Ordinis, de quo in præſentiarum agimus. Sic etiam Filliucius *tract.10. c.8. n.226* Bonac. *punct.7. cit. n.25.* Luyſius *lib.9. diſp.61. dub.5. verſ. Vltimò ſolet,* & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An laicus, ſiue Clericus Sacerdote inferior, fiat irregularis, ſi per iocum, aut per modum repræſentationis, ſine intentione conficiendi Sacramentum, conſecret, aut celebret Miſſam, & tanquam ſi Sacerdotio eſſet initiatus.

AFfirmat Maiolus *lib.4. c.13. n.7.* irregularem fieri, caſu verò duntaxat, quo talis iocus fiat in deriſum, & contemptum ſacri miniſterij, quia tunc eſt grauiſſimum delictum, quod reddit operantem ſaltem de hæreſi ſuſpectum, ac proinde irregularem. Secus extra hunc caſum.

Sed abſolutè loquendo, vt ferè certum Reſpondeo: Non fieri irregularem, etiam caſu, quo talis iocus, aut repræſentatio fieret in contemptum, & deriſum miniſterij ſacri. Quia quamvis ſit grauiſſimum peccatum res ſacras in iocum & contemptum afferre, cum ſit contra reuerentiam eis debitam; tamen quia illud verè non eſt miniſtrare propriè in Ordine, ideo per hoc delictum non incurritur irregularitas. Nec grauitas delicti eſt ſatis, vt vult Maiolus, niſi oſtendatur ius propter illud imponens irregularitatem. De hæretico autem, vel ſuſpecto de hæreſi, infra dicimus. Sic Sotus *in 4. diſtinct.25. q.1. art.3* Silueſt. *verb. Irregularitas, §.12.* cum Hoſtienſ. & Nauar. *c.27. n.242. verſ. Septimò,* quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.14. c.6. n.1. litt. L,* ibi. Excuſatur verò, ſi ioco ad feſtiuitatem fecit per ludum Tabiena *irregularitas 4 §. 2.* Ang. *verb. Irregularitas, n.38.* D. Anton. Summ. Aſtenſ. Philiarcus, Valentia, Toletus, Summa Corona, & Confeſſorum, quos citat, & ſequitur Sayrus *lib.7. Theſauri, cap.10. num.1. & 2.* Auila *part.7. diſp.9. ſect.2. dub.13. verſ. Tertiò requiritur.* Suarez *diſp.42. ſect.4. n.16.* Bonacina *q.3. de Irregularitate, punct.6. n.1. verſ. Dixi ſeriò.* Vgolinus, Filliuc. Regioald. & Ægidius apud ipſum. Qui addunt, ob dictam rationem nec incurrere irregularitatem initiandum Ordine ſacro, ſi ſe exerceat in Miſſa celebranda, vt illius cæremonias addiſcat, aut ne erret celebrando, poſtquam fuerit initiatus Ordine Sacerdotali, quia non dicitur celebrare ex offi io, tanquam initiatus Ordine Sacerdotali, nec item pueros, qui aliquas Miſſæ partes inter ſe canunt; hoc enim non intendunt ſeriò facere, ac ſi eſſent initiati Ordine Sacerdotali.

QVÆSTIO XXIX.

An ſaltem incurrat irregularitatem, qui vſurpat actus minorum ordinum, quos non habet.

NEgant quamplures Doctores, eo quòd in minoribus Ordinibus etiam cum ſolemnitate veſtium ſoleant miniſtrare laici. Ita D Thom. quem citat, & ſequitur Syluest *verb Irregularitas, q.12.* Sotus *loc. cit. & diſtinct.18 quæſt.4 artic.1.* D. Anton. *3 part. tit.28. cap.1.* Bern Diaz. Trotius & Lapus, quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.14. cap.6. num 1. litt. F.* Auila *loc. cit. verſ. Prima,* Vgolinus *de Cenſur cap. 37. n.13.* Ægidius *diſp.18. dub.6. n.45.* Bonacina *punct.6. cit. n.1. verſ. Dixi, in Ordine ſacro.* Sayrus *lib.7. c.10. n.1. in fine,* Gibalinus *cap.5. q.1. conſectar.4. num. 18. pag. 331.*

Sed probabilius, aut clarius Reſpondeo cum diſtinctione, dicendo, quod verè incurrat irregularitatem quicumque exerceat actum cuiuſuis minoris Ordinis, tanquam Ordinatus in eo, cum non ſit. Secus verò, ſi exerceat illud miniſterium, eo modo, quo ſecundum conſuetudinem ſolet per laicos exerceri: Probatur hæc noſtra reſponſio, quoad primam partem ex *c.1 de Clerico non Ordin miniſtrant.* vbi ſic habetur: *Si aliquod diuinum officium exercuerit non Ordinatus,* &c. at ſic eſt quod etiam officia, ſeu miniſteria minorum Ordinum pertinent ad officium diuinum, præſertim in noſtra ſententia docente, eſſe vera Ordinis Sacramenta: ergo. Sic Suar *diſp.41 ſect.4 n.15.* dicens ſic intelligendam eſſe ſententiam ſuprà pro parte oppoſita adductam, vt ſentit Nauar *c 27. n.242.* referens alios. Filliuc. *tract 20. c.7. q.8.* & alij. Legantur dicenda à nobis *diſp. ſeq. q.3.*

QVÆSTIO XXX.

An ſit irregularis Epiſcopus, qui confert alicui Ordinem per ſaltum, v g. Sacerdotium, Diaconatu prætermiſſo.

AFfirmat Maiolus *lib.4. de Irregularitate, cap. 1. num. 10.* Cuius ratio eſt, quia qui per ſaltum ſcienter Ordinatur, fit irregularis: ergo à fortiori Ordinator.

Sed vt certum ferè Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia non exprimitur in Iure, vt ipſemet Maiolus concedit: ergo. Sic Suarez *diſp. 42. ſect.5. num 9.* Filliuc. *num.223.* Bonac. *quæſt.3. de Irregularitate, punct.7. num.24.* & alij. Ad fundamentum autem Maioli facilè reſpondetur ex dictis hic *quæſt.3. & ſupra diſp.17. quæſt.25.* negando tam antecedens, quàm conſequentiam.

QVÆSTIO XXXI.

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate, quam quis contraxit, exercendo Ordines, quos non habebat.

REſpondeo, vt certum: Solum Pontificem poſſe quia ipſe ſolus poteſt diſpenſare in iure communi. Verum tamen eſt, quod Epiſcopus poſſit diſpenſare, vt vtatur Ordine ſuſcepto, licèt non vt aſcendat ad vlteriores, niſi aliàs delictum ſit occultum, ex Tridentino *ſeſſ.24. capite 6. de Reformat.* Sic omnes Doctores. Legantur Sayrus *libro 7. cap.10. num.11.* vbi citat Hoſtienſ. Goffred. Innoc. Panormitan. Ang.

Maiolum,

Maiolum, Tolet. & alios. Anila *part. 7. diſp. 9. ſect. 2. in fine.* Vgolinus *de Irregularit. c. 37. num.* 14. Suar. *diſp.* 41. *ſect.* 4. *num.* 3. Bonacina *quaſt.* 3. *punct.* 6. *in fine*, & alij.

DISPVTATIO XXI.

De Irregularitate ex violatione excommunicationis contracta.

QVÆSTIO PRIMA.

An excommunicatus minori excommunicatione, fiat irregularis exercendo ſolemniter actus maioris Ordinis.

RESPONDEO, tanquam quid certum: Non fieri. Quia ſic eſt definitum *in cap. Si celebrat, de Clerico excommunic. miniſtrante.* Et ratio deciſionis eſt, quia excommunicatio minor non ſuſpendit ab executione diuinorum, ſicut ſuſpendit maior excommunicatio, ſed tantum impedit receptionem Sacramentorum, vt habitum eſt *part. 4. tr. 2. à diſp.* 2. ergo minor excommunicatus nequit exercendo actus Ordinis maioris irregularitatem contrahere: patet conſequentia, quia hæc pœna ſolum incurritur per violationem cenſuræ exercendo actum Ordinis ſibi per eam cenſuram prohibiti. Et ideo ſi tenent DD. Legantur Syłueſt. *excommunicatio* 4. *n.* 3. Sot. *in 4. diſt. 22. quaſt. 2. art.* 3 Nauar. *c. 27. n.* 244. Couar. *in c. Alma mater, part.* 1. *§. 8. n.* 1. Henriq. *lib* 13. *c. 3. n. 1. fine.* Saytus *lib. 1. Theſauri, c.* 21. *n* 27. Suarez *diſp. 11. de Cenſur. ſect.* 3. *n.* 1. Auila *par. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub.* 1. Bonac. *q. 3. de irregularit. punct.* 5. *n.* 1. Gibalinus *c. 5. de Irreg. q. 1. conſect.* 1. *n.* 1. Villalobos *tract. 21. difficult. 14. n.* 1. Cornejo *in 3. p. diſp. 6. de Irregular. dub. vnic. q.* 1. & alij.

QVÆSTIO II.

An ſaltem fiat irregularis, qui maiori excommunicatione ligatus, exercet ex officio, aut ſolemniter, actum proprium Ordinis maioris, quem habet.

NEgat quidam Neothericus, eo quod expreſsè nõ inueniatur in iure incuſſa irregularitas in eos, qui violant excommunicationem contractam, exercendo ex officio actum proprium Ordinis maioris, ſed ſolum in eos, qui violant ſuſpenſionem, aut interdictum: ergo non eſt extendenda hæc pœna.

Sed nihilominus tamen. Reſpondeo, tanquam quid mihi certum: Irregularem fieri. Quia ſic vel explicitè, vt fert communis ſententia, vel ſaltem implicitè, aut quaſi per identitatem, determinatur pluribus iuribus. Nempe *cap. Si quis Epiſcopus* 2. 11. *quaſt.* 3. *cap.* 1. *de ſentent. & re iudic. lib* 6. *cap.* 1. *de ſentent. excommunic. eod. lib. & cap. Is cui, eod. lib.* Et ideo ſic ſentiunt omnes DD. Legantur citati, præcipuè Sotus, Nauar. Couarruu. Suarez. Henriquez Auila, Bonacina *loc. cit.* Alterius *de Cenſur. lib. 2. diſp. 1. c.* 1. Gibalinus *cap. 5. quaſt. 1. à num.* 1 *pag.* 33. Saytus *lib. 2. cap* 15. *num.* 2. Suarez rurſus *diſp. 2. ſect.* 2. & alij. Nec obſtat fundamentum contrarij. Quia in primis negandum eſt, quod non fiat expreſſa mentio in dictis iuribus. Secundò, quod dato quod in præfatis capitibus non fiat expreſſa mentio de violante cenſuram excommunicationis, ſed ſolùm ſuſpenſionis, & interdicti; fiat tamen implicitè, cum ſit etiam cenſura, & principalior: & vſus communis optimus legum interpres, præfatos Canones de violante excommunicationem ſemper etiam intellexit.

QVÆSTIO III.

An etiam fiat irregularis excommunicatus maiori excommunicatione, exercens ſolemniter actus minorum Ordinum, quos habet.

NEgant quamplures DD. eo quòd nullibi in iure reperiatur pœna irregularitatis impoſita contra eos, qui in excommunicatione maiori exercent actus Ordinum minorum, ſicuti reperitur (vt vidimus) contra exercentes actus maiorum Ordinum: ergo non ab illis, ſed ab his ſolùm huiuſmodi pœna incurritur. Ita tenent Sotus *in 4 diſt. 25. q. 1. art. 3. verſ. Quintus caſus.* S. Anton. 3 *p. tit. 28. c. 1. §. 1. verſ. Si verò Clericus.* Armilla *verb. Excommunicatio, n.* 9. Palud. *diſp. 24. q. 4 art.* 4. Nauarrus (apud Alterium *conſ. 44. n. 10. in tit. de ſentent. excommunic. & in Manual. c. 27. n.* 244. (apud Auilam) Henriquez *lib. 14. c. 6. n. 1. litt. F.* Sylu. *verb. Irregularitas q.* 27. Tolet. *lib. 1. c. 67. n.* 4. Bonac. *q. 3. punct. 5. num. 1. verſ. Dixi, actus maioris Ordinis*, quamuis addat, contrarium eſſe verum loquendo in rigore Iuris, non verò conſuetudinis. Gibalin. *c. 5. de Irregular. conſect. 14. & 15. n. 31. &* 33. Saytus *lib. 2. c.* 15. & loquendo de ſuſpenſo *lib. 3. c. 16. n.* 11. Villalob. *tract. 21. difficult. 12. n.* 1. Auila *part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub.* 3. Cornejo *dub. vnico, citat. quaſt.* 2.

Sed probabilius Reſpondeo: Etiam fieri irregularem, exercendo ſolemniter, aut ex officio actus Ordinum minorum. *Primò.* Quia omnes textus Iuris loquuntur vniuerſaliter de exercente actum alicuius Ordinis, ſine vlla diſtinctione, vt *c. 2. de Cleric. excommunic. miniſtr.* vbi generaliter dicit, *ſi quis Presbyter, aut Clericus, c. fin. de exceſſib. Prælator. in c. 1. de re iudic. in* 1. & alibi: at ſic eſt, quod minores Ordines verè ſunt, aut pertinent ad Sacramentum Ordinis, vt cum communi ſententia diximus 2. *part. tr. 6. diſp. 1. quaſt.* 6. ergo.

Secundò. Quia ſuſpenſus, aut interdictus ſimpliciter ab officio, non ſolùm exercendo actus ſacrorum Ordinum, ſed etiam minorum, incurrit irregularitatem, vt *infra diſp.* 22. videbimus: ergo etiam incurret eandem exercendo maiori excommunicatus. Sic tenent Abbas *c. 3. de Cleric. excommun. miniſtr. n. 4. &* 10. *& in c. fin. de exceſſib. Prælator. n.* 5. Archidiacon. c. *Si quis Presbyter,* 11. *q.* 3. Angel. *verb Irregul. n. 40. verſ. Tertiodecimo*, vbi ita alij. Tertiodecimò incurritur irregularitas, quando excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus celebrat, vel facit aliquid attributum certo Ordini Eccleſiaſtico, etiam minori: putà Acolytatus, Exorciſtæ, & huiuſmodi, ſecundum communem opinionem, vt notat Hoſtienſ. Ioan. Andr. & Panormitan. *in c. 2. de Cleric. excommunic. miniſtr.* Sic ille. Et ſic etiam Silueſt. *verb. Irregularitas, q. 13. n.* 15. licèt aliqualiter inſinuet poſtea contrarium *quaſt.* 27. pro oppoſita parte citatus. Armilla *verb. Irregularitas, n.* 13. quamuis oppoſitum dixerit *verb. Excommunicatio, n. 9. cit.* Citat etiam Auila pro nobis Nauarrum *in Man. cap. 25. n. 76. & c.* 27. *n. 163. & conſil. 28. de ſentent. excommun. num.* 20. & benè certè, quia expreſsè hanc noſtram tenet

ibi

ibi ſententiam: quamuis oppoſitam inſinuet etiam *loc. cit.* pro ſententia prima. Tenet etiam Suarez *diſp.* 12. *de Cenſur. ſect.* 2. *n.* 8. (non *diſp.* 31. *ſect.* 3. *n.* 7. vt offendes apud Bonac.) Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 14. §. 1. *n.* 1. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 186. Graſſius 1. *part. lib* 4. *cap.* 27. *num.* 34. Alterius *lib.* 2. *diſp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. & *tom.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 3. *col.* 21. Qui omnes notant, hanc reſolutionem intelligendam eſſe caſu ſolùm quo excommunicatus exerceat actus minorum Ordinum ex officio, tanquam miniſter deputatus per characterem (non ſicuti laicus.) Quod tunc (inquit Sapientiſſ. Suarez *loc. cit. n.* 10.) contingere poteſt in Acolytis, verbi gratia, ſi in aliquo ſolemni officio, vel ob dignitatem perſonæ celebrantis, vt ſi ſit Epiſcopus, vel Summus Pontifex: vel ob loci amplitudinem, aut receptum vſum, ſint peculiares veſtes ſacræ determinatæ ad munus Acolyti exercendum, quibus vti non poſſunt, neque in tali officio ſolemniter miniſtrare, niſi qui talem Ordinem ſuſceperunt, tunc Acolytus excōmunicatus ſic miniſtrās irregularis fiet, quia tunc reuera operatur vt miniſter ex officio conſecratus. Idem cenſerem de Exorciſta, ſi veſte ſacra indutus exorciſmos Eccleſiæ ſuper Energumenos excommunicatus proferret: nam tunc planè vteretur poteſtate ſibi in Ordine data. Hucvſque Suarez, & benè.

Qvæstio IV.

An Clericus primæ tonſuræ, maiori excommunicatus, fiat etiam irregularis ſuum officium ſolemniter exercendo.

Affirmare poſſunt DD. qui tenent primam tonſuram eſſe verum Ordinis Sacramentum: cuius præcipuus actus eſt, vel aſſiſtere Miniſtris Eccleſiæ, vt dignè, ac reuerenter munera ſua exequantur; vel in choro, aut in Eccleſia Pſalmos canere. Sunt autem Hoſtienſ. Abbas, Butrius, Couar. Viuianus, Barboſa, Torrebianca, & aliqui citati à nobis 2. *p. tract.* 6. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. & *diſp.* 2. *quæſt.* 6.

Sed, vt longè probabilius, Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia longè probabilius eſt, primam tonſuram non eſſe verum Ordinis Sacramentum, nec habere aliquod officium Eccleſiaſticum ſolemniter exercendum ſibi annexum, vt cum communi Theologorum diximus 2. *p. tr.* 6. *diſp.* 1. *q.* 5. & ideò ad Clericum, qui ſolùm primam tonſuram habet, non poteſt hæc irregularitas pertinere. Sic Suarez expreſsè *diſp.* 12. *ſect.* 2. *num.* 8. & à fortiori debent tenere omnes DD. primæ ſententiæ quæſt. antecedentis.

Qvæstio V.

An Epiſcopi excommunicati contrahant irregularitatem, exercendo ſolemniter actum proprium Ordini Epiſcopali annexum.

Negandum videtur. Quia ex ſententia multorum Canoniſtarum, & Theologorum, quos retulimus 2. *p. tr.* 6. *diſp.* 1. *q.* 10. Epiſcopatus præciſè conſideratus non eſt verus Ordo, aut Sacramentum, ſed Sacramentale quoddam: ergo etiamſi Epiſcopus exerceat actum ſibi competentem ex vi conſecrationis, non idcirco exercet actum alicuius Ordinis, vnde contrahere poſſit hanc irregularitatem.

Sed tanquam quid certum Reſpondeo, Contrahere irregularitatem propter huiuſmodi actus. *Primò*: Quia probabilius longè eſt, Epiſcopatum verum eſſe Ordinem & Sacramentum, vt cum communi Canoniſtarum, & Theologorum diximus 2. *p. loc. cit.*

Secundò, quia dato, & non conceſſo, quod non eſſet Ordo, nec Sacramentum, nihil refert ad præſentem quæſtionem; eo quòd iura expreſsè ſtatuunt ex talibus actibus, Epiſcopos, & Prælatos excommunicatos incurrere irregularitatem, vt patet ex *c. Si quis Epiſcopus damnatus*, 12. *q.* 3. & *c. Si quis Epiſcopus in Concilio*, ibidem, & ex *c.* 1. §. *Caueant, de ſent. excomm. in* 6. Igitur Epiſcopus excommunicatus Ordines tam maiores, quàm minores, imò & tonſuram conferens, aut Chriſma conficiens, aut baptizatos Confirmans, aut degradans Clericum, aut conſecrans Epiſcopos, Eccleſias, Altaria, vel Calices, aut Patenas, vel aras, aut benedicens veſtimenta ſacra, aut Virgines Deo dicatas, aut dans populo benedictionem, præmiſſo verſiculo, *Sit nomen Domini benedictum*, irregularitatem incurrit, eo quòd omnes enarrati actus pertineant ad Ordinem Epiſcopalem. Sic tanquam quid certum, docent omnes Doctores. Legantur Suarez *diſp.* 12. *de Cenſur ſect.* 2. *n.* 20. & 21. Alterius *lib* 2 *de Cenſur. diſp.* 1. *c.* 1. *col.* 4. *dub.* 2. Sayrus *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 1. & *lib* 4. *c.* 26. *n.* 12. & *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 5. Auila *part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *dub* 2. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. *n.* 1. Bonacin. *q.* 3. *de Irregul. punct.* 5. *n.* 9. & alij.

Qvæstio VI.

An etiam incurrat irregularitatem Epiſcopus excommunicatus, impendens populo benedictionem domi, aut in itinere, ſine vlla ſolemnitate.

Negant Alterius *c.* 1. *cit. col.* 6. per hæc verba: At verò ſi ſimpliciter detur benedictio ſine ſolemnitatibus, non contrahitur irregularitas, quia talis actus pertinet ad iuriſdictionem, non ad Ordinem; ſicut excommunicare, & abſoluere. Ideo Archidiacon. *in c.* 1. §. *Caueant, de ſentent. excommunic. in* 6 aſſerebat Epiſcopum excommunicatum benedicendo populum in itinere, non fieri irregularem. Hæc Alterius. Cuius ſententiam ſequitur in noua editione Bonacin. *q.* 3. *punct.* 9 *n.* 3. ita ſubſcribens: Ego reſpondeo, non incurrere pœnam irregularitatis. Tum quia huiuſmodi benedictio, in rigore loquendo, non eſt actus Ordinis Epiſcopalis, cum etiam ab aliis aliquando impendatur. Tum, quia paruitas materiæ excuſat à mortali, & conſequenter etiam à graui pœna irregularitatis. Ità Bonacin. & innuit Sayr. *lib.* 7. *Theſauri*, *c.* 10. *n.* 5. Et licèt hanc opinionem inſinuauimus per tranſennam, *p.* 4. *tr.* 5. *diſp.* 4. *q.* 4. Sed re meliùs conſiderata.

Clarius, & probabilius Reſpondeo, irregularitatem incurrere, niſi aliàs ob leuitatem materiæ ab ea incurrenda excuſetur. *Prima pars* quæ militat aduerſus Alterium & Bonacinam, probatur. Quia probabilius eſt, talem actum benedicendi eſſe Ordinis Epiſcopalis actum, & non iuriſdictionis: ergo abſolutè loquendo Epiſcopus excommunicatus illum exercens irregularitatem incurrit. Conſequentia eſt conſtans; antecedens ſic probatur à P. Suario: quia licèt illa benedictio, quaſi materialiter conſiderata, poſſit etiam à non Epiſcopo fieri: prout tamen ab Epiſcopis dari ſolet, non videtur dubium, quin ſit aliquo modo actus Ordinis Epiſcopalis, quandoquidem *in c. Abbates, de Priuileg.* declaratur, *Abbates qui ex priuilegio poſſunt poſt Miſſarum ſolemnia, ac veſpertinum, vel matutinum officium populum benedicere, non poſſe alibi publicè aut per vias, ciuitates, caſtra, & villas populis, & plebibus benedictionē facere.* Supponitur ergo illud munus per ſe eſſe Epiſcopale, non quidē ratione ſolius iuriſdictionis, nam licèt Epiſcopus ſit iam electus & cōfirmatus, & iuriſdictionē habeat, donec conſecratus ſit, nō exercet illū actū: eſt ergo ille actus conſecrationis:

ergo illo titulo non poteſt in eo actu irregularitas excuſari. Ex alio verò excuſari poteſt, quia ille actus ſine ſolemnitate fit, & non eſt res magni momenti, ideoque per ſe loquendo, leuis materia videtur, & inſufficiens ad peccatum mortale, & conſequenter ex hoc capite excuſari poteſt à pœna irregularitatis: niſi fortaſsè tanta ſit frequentia, vt ea ratione & materia grauis cenſeatur, & quemdam virtualem contemptum cenſurarum indicare. Hoc vſque Doctiſſ. Suarez *diſp.22.ſect.2.num.11. verſ. Atque idem.* Cuius verbis etiam ſecunda pars noſtræ reſponſionis (quam concedit, & à fortiori Bonacina, imò & Alterius) manet probata, & ſatisfacta ratio à contrariis adducta.

Qvæstio VII.

An etiam irregulares maneant Abbates, qui ex priuilegio conferunt Ordines minores, ſi conferant illos, quando excommunicati exiſtunt.

Reſpondeo, vt quid certum: Etiam irregulares manere. Quia iura citata *ſup. q.5. in argumento* 2. expreſsè ſtatuunt, Epiſcopos, & Prælatos excommunicatos ex talibus actibus incurrere irregularitatem: at ſic eſt, quod nomine Prælatorum etiam comprehenduntur Abbates: ergo. Sic Suares *ſect.2. cit. n.20.* ita ſcribens: Vnde non dubito, quin Abbas, qui ex priuilegio poteſt minores Ordines conferre, aut Eccleſiaſticas veſtes benedicere, irregularis fiat, ſi hæc faciat quando excommunicatus exiſtit; quia in illa generali appellatione Prælatorum, etiam hic comprehenditur. Sic ibi Suares, cui non citato ſubſcribunt Alterius, & Bonac. *ſup. adducti.* Gibalinus *cap.5.q.2.conſectar.15.n.35.verſ.Quintò*, & alij.

Qvæstio VIII.

An Sacerdos, qui ex commiſſione Papæ miniſtrat excommunicatus Sacramentum Confirmationis, ſit etiam irregularis.

Reſpondeo, etiam vt quid certum: irregularem eſſe. Quia licèt talis actus iure Ordinario non pertineat ad Characterem Sacerdotalem, tamen facta commiſſione Pontificis, fit quaſi moralis quædam extenſio illius, ita vt verè dicatur ille actus eſſe tunc talis Characteris Sacerdotalis. Cuius argumentum eſt, quia non poſſet Pontifex talem actum alicui non Sacerdoti concedere (quidquid Abbas, Innocent. Gloſſa, Angel. & Aureol. relati à nobis 1. *p.tract.3. diſp.2. quæſt.4.* falsò contrarium tenere) ſic Suarez *diſp.22 ſect. 2. n. 10.* & ex illo non citato Alterius *lib.2.diſp.1.c.1. col.5. verſ. Et idem dicendum.* Gibalinus *loc.cit.n.33.verſ.Sextò*, & communis.

Qvæstio IX.

An Sacerdos qui maiori excommunicatione ligatus, ſuſpenſus, aut interdictus Miſſam celebrat, aut exercet aliquam aliam actionem ad Ordinem Sacerdotalem pertinentem, fiat irregularis.

Reſpondeo, vt quid certum: Fieri irregularem, vt conſtat ex Iuribus citatis *ſuprà q.2.* Ideoque Sacerdos, qui excommunicatus maiori celebrat Miſſam, aut benedicit veſtes, fruges, aquam, oliuas, cereos, paramenta, nuptias, aut mulierem poſt partum, aut exercet alias actiones ad Ordinem Sacerdotalem pertinentes, verè fit irregularis. Sic tenent omnes Doctores, præcipuè Nauar. *c.27 n.163. & n.244.* Vgolin. *tab. 1. c.14.§.1.n.5.* Henriquez *lib.14.c.7.n.1.* Saytus *lib.7. Theſauri, cap.9.n.6.* Alterius *lib.2.diſp.1.c.1.col.6.verſ. Quamobrem.* Suarez *diſp.12.ſect.2.n.11.* Bonacina *q.3. punct.5.n.7.* Legantur dicta à nobis *part.4. tract. 2. de excommunic.diſp.7.q.17.& 31.cum ſequent.*

Qvæstio X.

An deinde, Diaconus, & Subdiaconus, qui maiori excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto innodati cantant in ſolemni Miſſa Euangelium, aut epiſtolam, exiſtant irregulares.

Reſpondeo, tanquam quid certum: Irregulares exiſtere, ſi cum Manipulo, aut Stola, & aliis veſtibus ſacris, in Miſſa ſolemni cantent, Subdiaconus Epiſtolam, & Diaconus Euangelium. Quia tunc verè exercent munus Ordinis ſacri, tanquam Miniſtri ad id ex officio deputati. Secus verò erit, ſi abſque propriis veſtibus ſacris, aut Miſſæ inſeruiant, aut Epiſtolam in Choro cantent. Sic communiter DD. Legantur Nauar. *cap.27.n.163.* Maiol. *lib 3.c.21.n.5.* Henriquez *lib 14. c.7.§.1. & 4.* Palud. Richard. Tabiena, & alij plures, quos refert & ſequitur Saytus *lib 4.c.17.n.10. & lib.7.c.10. num.7.* Suarez *diſp.12. ſect.2.n.11.* Alterius *lib.2 diſp.6.c.1.col.8.verſ. Multò magis.* Auila *p.7.diſp.9 ſect.2.dub.2.verſ. Ex ſecunda conditione.* Bonacina *q.3.punct.5.n.4.* & alij.

Qvæstio XI.

An itemm aneat irregularis Subdiaconus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, Calicem & Patenam ad Altare deferendo, eaque adminiſtrando Diacono.

Negabunt qui exiſtimant hoc munus non eſſe proprium Subdiaconi, quos Auctores habes 2.*p.tract.6.diſp.3.q.14.& ſup.diſp.23.q.18.*

Sed iuxta ibidem dicta, longè multò probabilius Reſpondeo: Irregularem manere. Quia longè multò probabilius eſt, dictum munus eſſe proprium Subdiaconi, vt conſtat ex dictis *locis citatis.* Et tenent S. Anton.3.*p.tit.29. de Irregularit.c.1.§.1.* Vgolinus *tab.1. cap.14. §.1.n.6.* Saytus *num 7. citato, & lib.4. cap.26. num.19.* loquendo de Subdiacono ſuſpenſo à ſuo officio, vel Ordine, vbi dicit, id eſſe commune Doctorum. Philiarcus *lib.4.cap.12.n.6.*

Qvæstio XII.

An Diaconus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſit etiam irregularis adminiſtrando Euchariſtiam in abſentia Presbyteri.

Reſpondeo: Eſſe etiam irregularem; nam verè exercet actum proprium Ordinis Diaconatus, vt habitum eſt 2. *p.tract.6 diſp.1. q.26.* Legatur Suarez *diſp. 11. ſect.3. n.24.* vbi addit id eſſe verum ob dictam rationem, etiam caſu, quo Diaconus adminiſtret Euchariſtiam ſine licentia Presbyteri, quia ſemper exercet actum Ordinis ſui. Bonacina *punct.5.cit. n.7.* Alterius *lib.2. diſp.1.cap.2. propè finem. verſ. Si loquamur.* Gibalinus *cap.5 quæſt.2. conſectar.6.n.16. pag.349. verſ.Quartò.* Quod idem affirmandum eſſe caſu, quo Diaconus exerceat actum ſolemniter baptizandi, conſtat ex dictis 2.*part.quæſt.26 cit.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An item excommunicatus maiori, vel interdictus, aut ſuſpenſus ab officio prædicandi, maneat irregularis, ſi prædicet.

AFfirmat Nauarrus in *Manual.cap.27.num.163. verſ.Octauò infertur*, vbi docet, excommunicatum concionantem,ſi ſolemniter,& quaſi ex officio ad modum Sacerdotis prædicet,fieri irregularem, eo quòd actus prædicandi eſt vel lege diuioa (vt noa *2.part.tract.6. diſp.2. q.26.* innuimus) vel humana, vel ſaltem conſuetudine peculiariter deputatus Ordini Diaconatus,& ſic videtur effectus Ordinis ſacri: ergo excommunicatus illum exercens irregularis euadit. Cum Nauarro ſentlt Valentia *tom.4.diſp. 7.q.18. punct.1.dub.3.*

Sed probabilius Reſpondeo: Non manere irregularem. Quia probabilius eſt, quod munus prædicandi,ſeu eius exercitium,non ſit actus proprius alicuius Ordinis; ſed potius actus iuriſdictionis. Nam cùm Chriſtus dixit,*Paſce oues meas*:not, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, non dedit poteſtatem Ordinis, ſed iuriſdictionis. Sic Sylueſter *verb.Suſpenſio,q.5.fino.*Ang.*Suſpenſio 3.n.*8.Maiolus *lib.3.c.19.n.21.* Henriq.*lib.14.c.6.n.2.in fine*,& in gloſſ.*lite. Z*, & antea *lib.13.de excommun.& ſuſpenſ.c.32.n.5.*Armilla, Sotus,Medina,& Corduba apud ipſum,Viuald.*tit.de ſuſpenſ.n.163.*Toletus *lib.1.c.14* Sayrus *lib.4.c.16.n.20. & 21.*Suarez *diſp.12 ſect. 2.n.4.*Altcrius *lib.1.diſp.10. c.3.col.4.verſ.Hæc tamen opinio,& tom.2.diſp.6.cap.3. col.13.pag.95.verſ.Oppoſita tamen.*Auila *part.7.diſp. 9.ſect.2.dub.2.verſ Ex dictis ſequitur*,Bonacin.*diſp.2. de excommunic q.2.punct.3.§ 2. n. 11.* Diana *part.5. tr.50.reſol.10.*Tannerus *tom.4 diſp 6.quæſt.10 dub.7. num. 37.* & alij.

Vnde ad fundamentum Nauarri dicendum eſt, quod officium prædicandi minimè ſit ex ſe, aut intrinſecè proprium alicuius ordinis ſacri, ſed conuenire illi extrinſecè, ex eo quod illi, vel ex Iure diuino, vel ex conſuetudine Eccleſiæ deputetur Quod ex eo conſtat,quia huiuſmodi prædicandi officium nullus ſibi vſurpare poteſt auctoritate propria, ſed ſolùm conuenit illi, qui ab Epiſcopo iuſſus eſt, iuxta illud Apoſtoli, *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* & iuxta *c.Excommunicatus 1.§.Quia verò, de hæreticis.* Ideóque nos aduertenter diximus *2. part. loc.cit.* id conuenire Diaconis de licentia Epiſcopi. Legantur Suarez, Auila, & Alterius *loc. cit.* & dicta à nobis *part.4.tr.2.de excommun.diſp.7.quæſt.21.*

QVÆSTIO XIV.

An ſaltem maneat irregularis excommunicatus,interdictus, aut ſuſpenſus ab officio prædicandi; ſi prædicet, quando tali excommunicato, interdicto, aut ſuſpenſo annexum eſt officium prædicandi.

AFfirmant,manere eo caſu irregulàrem, Maiolus *lib.3.de Irregularitate,cap.19 n.25.* & Viualdus *tit.de ſuſpenſ.n.163.* & ante illos Nauarrus *in Man. c.27.n.163.verſ.Octauò infertur*, vt vidimus nuper.

Sed probabilius etiam Reſpondeo: Adhuc non manere irregularem. Quia talis annexio eſt omnino per accidens, & ideo minimè irregularitatem incurrit,qui excommunicatus, interdictus, aut ſuſpenſus ab officio,prædicandi munus exercet,etiamſi hoc munus annexum ſit tali,v.g. Archidiacono, Priori, &c. Sic Henriq.*lib.13.c.6.n.5.lit.R.*vbi ſententiam Maioli falſam appellat.Sayr.*lib.4.c.16.n.21.in fine.* Alterius *diſp 6.de ſuſpenſ.loc.cit.*

QVÆSTIO XV.

An irregularis fiat excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, qui in Choro, tanquam hebdomadarius officiat, canendo Capitulum & Orationem, *cum* Dominus vobiſcum.

REſpondeo: Affirmatiuè Quia huiuſmodi actus eſt deputatus Ordini Sacerdotali, vel Diaconali. Sic communiter DD. Qui ſecus dicunt, ſi Sacerdos, vel Diaconus dicant (non tanquam Sacerdos, & Diaconus)officium diuinum, ſed abſque *Dominus vobiſcum*, more Monialium,quia tunc non fient irregulares.Leguntur Auila *p.7.diſp.9 ſect.2.dub 2 verſ.Primò.* Syl-ueſt,Henriq & alij viri docti apud ipſum. Alter. *lib.1. diſp.10.c.4.col.1.pag.114* Legantur dicta à nobis *ſup. diſp.20.q.19.& p.4.tract.de interdict.diſp.8.q 4.*

QVÆSTIO XVI.

An item fiant irregulares prædicti, ſi recitando Horas Canonicas priuatim,dicant Dominus vobiſcum.

AFfirmatiuam ſententiam tenere Suarez, ait Diana *part.4.tr.2.reſol.94.* per hæc verba:In aliquibus caſibus affirmatiuè reſpondet Suarez *de Cenſur. diſp.12.ſect.2.n.13.* vbi ſic ait: Quando excommunicatus Horas Canonicas recitat, debet omittere ſalutationem,& *Dominus vobiſcum*.& loco illius dicere, *Domine exaudi orationem meam*, adeò vt ſi ſit Sacerdos, aut Diaconus,dicendo *Dominus vobiſcum*, irregularis fiat,vt aduertit Nauarr.(adde ut *cum communi ſententia*) *lib.1.de Orat.c.7.n.16.*quia iuxta vſum Eccleſiæ,ille verſiculus à ſolis Sacerdotibus,vel Diaconis dici poteſt,& præ ſe ferr perſonam publicam. Ita ille. Hucvſque perdoctus, & perutilis Magiſter Diana. Sed certè non ita fidelis in referenda ſententia Sapientiſſimi Doctoris Franciſci Suar. cum oppoſitum expreſsè ibidem teneat. Nam quamuis verba relata (quæ affirmatiuam opinionem clarè exprimunt) ſint verba Suarij; ſunt tamen verba mutilata,& interciſa. Nam in primis Suarex non Incipit clauſulam ſuæ orationis ab illis verbis relatis à Diana, nempe, *Quando excommunicatus*, ſed ab his: *Et ideo aduotant Doctores,quando excommunicatus*, &c. quibus planè declaratur, Suarez loqui in ſententia aliorum Doctorum, non ſua,quod planius, ac clarius cernitur, ſi verbis relatis à Diana, ſequentia Suarij tu adiungas. Proſequitur enim hic Doctor, ſic dicendo: *Hoc limitandum eſt, niſi intercedat excuſatio à culpa: hæc enim irregularitas, quæ eſt pœna, non incurritur, niſi propter culpam,vt ratio pœnæ poſtulat, & ſignificatur in c.penult.de ſentent.excommunicat. Et quoniam illa pœna grauis eſt, cenſeo non incurri ſine culpa mortali.* In hoc ergo poteſt *facilè excuſari culpa mortalis ex inaduertentia cum leui negligentia;item ſi fiat ex quadam verecundia ſine contemptu,licet fiat aduertendo ex leuitate materiæ poteſt eſſe venialis culpa, quia eſt actio valdè priuata,& nihil ferè offendens Eccleſiam. In his ergo caſibus non incurritur irregularitas.* Hucvſque Suarez. Qui vt vides, potius negatiuam tenet ſententiam.

Pro affirmatiua ergo citat bene Maiolum *lib.3. de Irregul.*

*Irregularis. cap.*21. *num.*6. Cui adde Saytum *etiam lib.*7.*Theſauri, cap.*10. *num.*9. ibi : Neque irregularis erit qui,dicto *Dominus vobiſcum*, Matutinas, aut veſpertinas p eces recitat,ex Ricard.4.*diſtinct.*18.*art.*17. *quaeſt.*5.Ita ibi Saytus , licèt oppoſitum dixerat *lib.*1. *cap.*3.*num* 5.*vt infrà* videbimus.

Sed probabilius Reſpondeo : Non fieri irregulares. Quia , vbi nullum , aut ad ſummum ſolum veniale præcedit peccatum, nulla poteſt incurri irregularitas : at ſic eſt , quod excommunicatus , ſuſpenſus vel interdictus , dicens priuatim, *Dominus vobiſcum*, vel nullum committit peccatum, vt putant aliqui,vel vt probabilius alij , vt nos *vbi infra* diximus , ſolum veniale committit : ergo. Minor probatur , quia eſt materia leuiſſima , excuſana ideo à mortali. Sic Suarez , vt vidimus *loc. cit.* Tenent etiam hanc partem Saytus *lib.*2. *cap.*3.*num.*5. *in fine*, Auila *de Cenſur.*2. *part.cap.*6. *diſp.*4. *dub.*6. *concluſ.*3. (non vt citatum inueni apud Dianam , *part.*2. *diſp.*5. *diff.*3. *num.*3.) Filliucius *tom.*1.*tract.*12.*cap.*4.*n.*93. Ægidius *diſp* 14. *dub.*7.*num* 54. Bonacina (qui etiam malè citat Suarium pro contraria parte) *q.*2. *punct.*4. §.2. Hurtad. *tract.de excommun.diſp.*5.*diff.*2.*num.*3. Ian. Præpoſitus *in* 3.*part.quaeſt.*2. *de excommun.dubit.*9.*num.*56. Villalobos *tom.*1. *tract.*17.*diffic.*7. *num* 5.) non 3. vt offendes apud Dianam) ibi : *Y dize Molo,que queda irregular,ſi dize*, Dominus vobiſcum,*lo qual ſe ha de entender , diziendo en el Coro : ſi aun eſto tiene ſu dificultad , de loqual diremos abaxo.* Diana *parte* 4. *loc.cit.* Alterius *lib* 1. *diſp* 10.*cap.*4.*col.*2.*verſ.Cenſeo*, & alij citati à nobis *part.*4. *tract.*1. *diſp.*7. *quaeſt.*14. Legantur ibi adducta.

Qvæstio XVII.

An excommunicati maiori , incurrant irregularitatem , adminiſtrando Sacramenta Ordinis , Confirmationis , Euchariſtia, &c.

Reſpondeo : Incurrere , caſu quo illa Sacramenta illicitè miniſtrent , non ſi licitè. Ratio eſt: Omnis excommunicatus exercens illicitè actus Ordinis præcipuè ſacri , fit irregularis, *vt ſupra* eſt habitum : ergo. Sic omnes Doctores. Legantur Suarez *diſp.*11. *ſect.*4.*num.*19. Henriquez *lib.*13. *cap* 7. *n* 2. Bonacina , Cornejo , Palao , & Bauny citati à nobis *part.*5.*tract.*2. *de excommunic. diſp.*7.*quaeſt.*21. vbi de hac eadem quæſtione egimus.

Qvæstio XVIII.

An qui dubitans , ſe irretitum eſſe aliqua excommunicatione , ſuſpenſione , vel interdicto , celebrat Miſſam , aut aliud Sacramentum miniſtrat , maneat irregularis , ſi poſtea conſtet , non fuiſſe excommunicatum, ſuſpenſum,&c.

Reſpondeo,minimè manere irregularem, ſi poſtea inueniat, ſe reuera non fuiſſe excommunicatum, ſuſpenſum , vel interdictum. Ratio eſt , quia irregularitas non ob conſcientiam erroneam,ſed ob violationem alicuius cenſuræ incurritur. Sic Suarez *diſp.*11. (non 31. vt inuenies apud Bonacinam) *ſect.*3. *n.*7. Alterius *lib* 1. *diſp.*1.*c.*3.*dub.*1. Bonac.*q.*3.*de Irregularitate , punct.*5. *n.*2. Legantur à nobis *dicta part.*4. *tract.*1.*de Cenſur.diſp.*9 *q.*13. vbi vt certum , contra nonnullos Doctores diximus , illum , qui percuſſit laicum , exiſtimans eum eſſe Clericum,minimè incidiſſe in excommunicationis cenſuram , eo quòd ad hanc incurrendam veritas requiratur Clericatus.

Qvæstio XIX.

An ſaltem irregularis maneat qui dubitans , ſe eſſe aliqua ex prædictis cenſura irretitum , celebrat, aut aliud Sacramentum miniſtrat , ſi poſtea appareat , eſſe excommunicatum , ſuſpenſum , aut interdictum.

Affirmatiuam ſententiam tenuiſſe Syluestr. *verb. Irregularitas, n.*15.*verſ.Quintum*,& Vgolinum *tabula* 1.*cap.*14. *num.*12. dicit Suarius *loc.cit. num.*7. Quos Doctores videtur ſequi Bonacina *n.*2.*allegato,in principio* , per hæc verba : Ex quo patet,eum qui dubitabat,ſe eſſe excommunicatum,celebrando incurrere irregularitatẽ,ſi reuera detinebatur excommunicatione. Ita ille. Qui etiam citat pro ſua opinione Suarium *vbi ſupra*.Sed non bene,*vt infra* conſtabit.

Probabilius ergo cum eodem Patre Suario Reſpondeo hac diſtinctione, dicendum, quod vel ille,qui celebrat, aut Sacramentum miniſtrat cum tali dubio, peccat mortaliter , contra ipſam cenſuram , aut non: ſi non peccat mortaliter, etiamſi poſtea conſtet re ipſa habuiſſe cenſuram , minimè irregolaritatem incurret, cum hæc non incurratur ſine culpa contra cenſuram commiſſa:ſi verò mortaliter contra cenſuram peccat, tunc verè incurret hanc pœnam , eo quòd reuera exiſtens cenſuratus celebrauit , & peccando mortaliter,& ideo ex nullo capite poteſt excuſari ab irregularitate contrahenda.Sic ille.Ex cuius doctrina ſequitur quod ille,qui dubitat , an cenſura aliqua irretitus ſit,necne,ſi deponat practicè dubium , minimè efficietur irregularis,celebrando , aut aliud adminiſtrando Sacramentum,quamuis poſtea appareat,verè fuiſſe cenſura aliqua irretitum,quia tunc non peccat contra cenſuram,& ideo ab irregularitate excuſatur, vt bene in hoc caſu Bonac.*loc.cit.*& antea Henriq.*lib.*14.*c.*7. §.1.Sayr.*lib.*7.*c.*9.*n.*29.& alij dixere.

Qvæstio XX.

An excommunicatus maiori , audiens Miſſam incurrat irregularitatem.

Reſpondeo,vt certum, non incurrere.Quia audire Miſſam non eſt actus Ordinis pro quo ſolùm irregularitas impoſita eſt à iure:ergo. Sic omnes DD. Legantur præcipuè citati à nobis pro hac veritate *p.*4. *tract.*2.*diſp.*7.*q.*31.Suar.*diſp.*12.*ſect.*1. *n.*4. Filliucius *tract.*12.*c.*4.*q.*6.*n.*97.Bonacin.*diſp.*2.*q.*2.*punct.*3.§.1. *n.*6.Diana *p.*5.*tract.*9. *reſol.*95. Cornejo *diſp.*10. *de excomm.*§.4.*dub.*2.*q vlt.*Palao *diſp.*2.*punct.*9.*n.*4.Quibus adde Alterium *lib.*2.*diſp.*1.*c.*4. *in princip.* dicentem in hoc omnes DD.conuenire.Auilam *p.*7. *diſp.*9. *ſect.*2.*dub.*6.*concl.*2.Angel.*vbi infra*,& alios.

Qvæstio XXI.

An Epiſcopus,aut alius inferior Sacerdos,excommunicatus vitandus,ſuſpenſus ,vel interdictus denunciatus, qui ſe præſente , aliquem Sacerdotem celebrare cogit , incurrat irregularitatem.

Negauit olim (vt *parte* 4.*citata, quaeſtione trigeſimaſecunda* , vidimus) Ioannes Andreas,& nunc

nunc nouiſſimè negat Gibalinus *cap. 5. de Irreg. q. 2. conſectar. 12. n. 13. pag.* 357. & penes ipſum Layman *lib. 1. tr. 5. part. 5. c. 3. n. 4.* & loquendo de Epiſcopo interdicto, qui ſe præſente alium celebrare facit, Ægidius *diſput. 18. dub 6. ſub fin.* His adde Ioannem Præpoſitum *in 3. part. q. 5 de Irregularitate, dub. 6. n.* 38. quem citat & ſequi videtur Diana *par. 4. tr. 2. reſol. 57.* Fundamentum eorum eſt, quia hæc irregularitas nullo exprimitur iure: ergo non eſt à Doctoribus adſtruenda.

Sed iterum probabilius Reſpondeo: Prædictum Epiſcopum, aut alium inferiorem Sacerdotem irregularitatem incurrere. Quia probabilius eſt illam expreſſam eſſe in iure, *c. Illud, de Clerico excommunic miniſtrante.* Sic Couarru. Gloſſa. Panorm. Francus, Villadiego, Rauen. Cardin. Imola, Guillelm. Boniſac. Hoſtienſ. Suarez, Bonacina, Filliucius, Nauarrus, Sayrus, Palao, & Vgolinus citati à nobis pro hac parte, *parte 4. tract. 4. diſp. 7. quæſt.* 32. Quibus nunc adde Auilam *cit. loc. concluſ.* 1. Angelum *verb. Irregularitas* 1. §. 40. ibi: Niſi quis audiret diuina auctorizando, vt quia Epiſcopus facit coram ſe celebrare, quia tunc irregularis efficitur. Secus ſi audiret non auctorizando, vt vult Gloſſ. *in d. Clemente. 2. de Priuil.* & Panormit. *in c. Illud, de Clerico excommunic. miniſtrante.* Et ita intelligit Ioan. Andreas, qui dicit, quod celebrans, & concelebrans palam ſcilicet auctorizando, efficitur irregularis. Sic ille. Syluestrum *etiam verb. Irregularitas, quæſt. 13. part. 4.* Alterium *lib. 2. diſp. 1. c. 4. col. 1.* Henriquez *lib. 14. cap. 7. num 3. litt. T.* ibi: Idem videtur de Epiſcopo ſuſpenſo, aut interdicto, qui Capellanum iubet Miſſam coram ſe dicere, Cornejo *in 3. part. tract. de Irregularitate, diſp. 6. dub. vnico, q. 5.* Villalob. mox citandus.

QVÆSTIO XXII.

An non ſolùm Sacerdos, ſed quilibet alius non Sacerdos, excommunicatus, aut interdictus denunciatus, ſeu ſuſpenſus, faciens aliquem Sacerdotem (ſiue excommunicatum, aut interdictum, &c. ſiue non) coram ſe celebrare, eandem irregularitatem incurrat.

AFfirmarunt Gloſſa, Panormit. Couarr. & Nauarrus citati à nobis *part. 4 diſp. 7. cit. q.* 33. Quibus adde Alterium *c. 4. diſp. cit. col. 2. verſ. Sed dubitari poteſt,* & à fortiori Layman. & Gibalinum *vbi ſupra,* Villalobos *tr. 21. diffic. 14. n. 3.* Sayrum *lib. 7. c. 9. n.* 18. citantem pro ſe Auctores plurimos.

Sed mitius, & probabilius iterum Reſpondeo, non incurrere dictam irregularitatem illum, qui non eſt Sacerdos. Quia probabilius eſt *in dicto c. Illud, cit.* ſolum comprehendi Epiſcopum, aut alium Sacerdotem excommunicatum, facientem, aut cogentem alium Sacerdotem, etiam non excommunicatum, coram ſe Miſſam celebrare, vt docent Suarez. Filliucius, Bonacina, Vgolinus, Sayrus, & Palao *loc. cit.* à nobis dati. Quibus nunc adiungo Henriquez *loc. cit. n. 3. in fin. litt. A* ibi: Et Laicus excommunicatus, ſi ita compellat violare publicè interdictum, non fit irregularis. Sic ille, citans pro ſe alios. Auilam *par. 7. diſp. 9. ſect. 2. dubit. 6. concl.* 1. & alios.

QVÆSTIO XXIII.

An item maneat irregularis Epiſcopus, aut quilibet alius Sacerdos, excommunicatus maiori, ſuſpenſus, aut interdictus, qui cogit celebrare alium Sacerdotem coram alio excommunicato, non coram ſeipſo.

AFfirmat expreſsè Alterius *libro 2. diſp. 1. cap. 4. col. 2.* his verbis: Reſpondeo, nullam apparere rationem diuerſitatis, quia hæc irregularitas incurritur ab excommunicato, qui eſt auctor, & cauſa efficiens, vt ſacrum celebretur coram excommunicato, quicumque ille ſit, vel ipſemet iubens, vel alius. Ita ille. Et poſtea expreſsè contra Suarium Gibalinus *c. 5. q. 2. conſect. 12. n. 30. verſ. Ratio verò.*

Sed mitius Reſpondeo: Minimè manere irregularem Epiſcopum, ſeu alium quempiam Sacerdotem cenſura innodatum, cogentem alium Sacerdotem ad celebrandum, non coram ſe, ſed coram alio excommunicato. Ratio diuerſitatis vtriuſque caſus eſt. *Prima*: quia textus *in c. Illud, ſupra cit.* quod eſt præcipuum fundamentum ſententiæ, quam tutati ſumus *q. 21.* ſolum loquitur de eo, qui facit alium celebrare Miſſam coram ſe: textus ergo ille: cum ſit pœnalis, non eſt extendendus ad illum excommunicatum, qui facit celebrare coram alio excommunicato, non coram ſe.

Secunda. Quia (vt bene Suarez) quando Sacerdos cenſuratus facit celebrare coram ſe, tunc ſe gerit virtualiter, ac moraliter tanquam celebrans, cùm de ratione celebrantis ſit, vt ipſe interſit ſacrificio, & ideo eandem cum ipſo celebrante incurrit irregularitatem: at verò, quando non facit celebrare coram ſe, nec ſe gerit virtute vt celebrans, nec ſe ingerit celebrationi quantum neceſſe eſt ad hanc irregularitatem contrahendam, & ideo illam minimè incurret. Sic Suarez *diſp. 12. ſect. 1. n. 6. & 7.*

QVÆSTIO XXIV.

An qui non eſt ligatus excommunicatione maiori, ſuſpenſioneve, aut interdicto, & facit aliquem excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum, coram ſe celebrare fiat irregularis.

AFfirmant Nauar. *c. 27. n.* 244. Couarruuias *in cap. Alma mater, p. 1. §. 1. n. 9.* Martin. de Ledeſma *2. 4. q. 26. art. 2. de Irregularitate, pag.* 3. & Sayr. *lib. 7. Theſauri, c. 9. n.* 18.

Sed probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia talis irregularitas non reperitur in iure. Nam textus *in c. Illud,* quem aliqui citant pro parte contraria, tantum loquitur de excommunicato, qui facit coram ſe celebrare: & eodem modo loquitur Gloſſa *in Clem. 1. de Priuileg. verb. Celebrari,* quam pro ſe adducit Nauarrus. Sic Auila *p. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub. 6 concl. 3.* citans pro ſe Henriquez in alio ſimili *lib. 14. c. 7. n. 3. litt. Z.* Rodriguez *c. 158. concl. 1.* & alios viros Doctos, inter quos adde Doctiſſimum Suarium *diſp. 12. ſect. 2. n. 7. in fine.* Gibalin. *c. 5. q. 1. conſect. 12. verſ. Ratio verò.* Cornejo *diſp. 6. de Irregularit. dub. vnic. q. 5. verſ. Sed quid ſi vice verſa.* Dianam *p. 4. tract. 2. reſol. 57. verſ. nota tamen.*

QVÆSTIO XXV.

An Sacerdos non ligatus aliqua cenſura, fiat irregularis, ſi celebret coram excommunicato nominatim ab Epiſcopo.

AFfirmandum videtur. Quia prædictus Sacerdos revera violat cenſuram per exercitium Ordinis ſacri: at hæc violatio facit irregularem, vt ſupra eſt habitum: ergo. Maior probatur. Quia excommunicatio, aut interdictum, non ſolùm obligant eum, quem afficiunt, ne Diuinis aſſiſtat, ſed etiam omnes alios, ne cum illis communicent in Diuinis, ſiue ne Diuina coram illis faciant: ergo, &c.

Sed, vt certum Reſpondeo: Minimè irregularem fieri. Quia ſic expreſsè habetur *in cap. Is qui, de ſent. excommunic. in* 6. vbi textus rationem reddit, nimirum. Quia talis irregularitas nullibi expreſſa eſt in iure. Nec ratio dubitandi obſtat, quia doctrina generalis, & certa de incurrenda irregularitate ex violatione cenſuræ per exercitium Ordinis, præcipuè ſacri, intelligenda eſt de violatione cenſuræ, qua quis eſt ligatus. Sic Henriquez *lib.* 14. *c.* 7. *n.* 3. Couar. *in c. Alma,* 1. *part.* (non 4. vt offendes apud Gibalinum) §. 6 *n.* 9. Auila *p.* 7. *diſp* 9 *ſect.* 2. *dub.* 7. Suarez *diſp.* 12 *ſect.* 1 *n.* 10. Alterius *lib.* 1. *diſp.* 14. *c.* 2. *col.* 5. Gibalin. *c.* 5 *q.* 2. *conſect.* 12. Sayrus *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 26. qui plurimos alios citat.

QVÆSTIO XXVI.

An ſaltem ſi dictus Sacerdos non cenſuratus celebret coram nominatim excommunicato à Papa, fiat irregularis.

AFfirmat Simon Maiolus *lib.* 3. *de Irregularit. cap.* 21. *num.* 27. vbi ita dicit: Quæ omnia procedunt in excommunicatione fulminata ab inferiore à Papa, alioqui excommunicato nominatim à Papa, ſi quis communicet diuina officia celebrando coram eo, fit verè excommunicatus, & irregularis: textus, & ibi Abbas *in c. Significauit, de ſentent. excom.* Specul. *in d.* §. *Iuxta, verſ. Quod autem dixi,* cui ſententiæ omnes ferè conſentiunt, vt atteſtatur Syluest. *in verb. Excommunicatio* 7. *verſ. Sexta.* Hæc ibi Maiolus, qui idem repetit *c.* 24. *n.* 4 *verſ. Eſt etiam,* loquendo de Sacerdote admittente publicè ad Miſſarum ſolemnia excommunicatum nominatim à Papa.

Sed vt certum Reſpondeo, Nec dictum Sacerdotem Irregularem fieri. Quia nullibi in iure talis exceptio, aut irregularitas inuenitur Nam textus *in c. Significauit,* citatus à Maiolo, ſolùm adſtruit, quod ille qui in diuinis cum nominatim excommunicato à Papa communicat, eandem maiorem excommunicationem cum excommunicato incurrat. Sic tenent Auctores nuper citati, præcipuè Alterius, & Gibalinus, qui addit, impropriè poſſe dici irregularitatem incurrere, eo quòd aliqui excommunicationem maiorem, impropriam appellent irregularitatem, eo quòd tum à ſuſceptione Ordinum, tum ab eorum exercitio prohibeat.

QVÆSTIO XXVII.

An efficiatur irregularis Sacerdos celebrans coram Epiſcopo nominatim excommunicato, ſi in fine Miſſæ leui capitis inclinatione poſtulet ab illo facultatem benedicendi populo.

AFfirmat Alterius *lib.* 1. *diſp.* 13. *cap.* 2. *col. vltima, verſ. Poſtulabit quis.* Quia (inquit) hoc eſt participare in delicto cum Epiſcopo excommunicato, qui dando tales benedictiones efficitur irregularis. Ita ille ex Maiolo (quem non citat) *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 20. *verſ. Praeterea dico, pag.* 570.

Sed vt certum ferè Reſpondeo, Non effici irregularem talem Sacerdotem. Quia certum eſt, talem irregularitatem non eſſe expreſſam in iure, neque ratio contrariorum eam perſuadere poteſt: cùm ſolum probet talem Sacerdotem eſſe participem excommunicationis Epiſcopi. Sic Gibalinus *c.* 5. *de Irregularit. q.* 2. *conſectar.* 51. *in fine.* vbi falſum appellat contrariorum placitum.

QVÆSTIO XXVIII.

An fiat irregularis, qui exercet Ordinem ſacrum contra præceptum ſui ſuperioris.

AFfirmat Maiolus *lib.* 3. *de Irregularit. c.* 18. *n.* 5. dicens fieri quidem talem Clericum irregularem, ſi exerceat Ordinem contra præceptum ſui Superioris, etiamſi ſit nudum, & abſque vlla cenſura, dummodo ſit notoriè, & publicè impoſitum. Quod non probat ex Iure, ſed auctoritate Sum. Piſan. *verb. Irregularitas, verſ.* 1. & *ſupplem. verb. Irregularitas .. verſ. Nam notorius.*

Sed vt quid certum Reſpondeo, Non fieri irregularem. Quia certum eſt, nullum eſſe Ius, quo irregularitas feratur propter talem inobedientiam, potius quando prohibitio eſt publicè impoſita, quàm cùm ſecretò. Sic Suarez *diſp.* 42. *ſect.* 5. *num.* 2. Fillincius *tract.* 20. *c.* 8. *quæſ.* 5. *n.* 215. Layman *lib.* 9. *de Cenſur. diſp.* 61. *dub.* 5. *verſ. Primus eſt,* & alij.

QVÆSTIO XXIX.

An ſaltem fiat irregularis, qui exercet Ordinem contra præceptum Superioris, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

AFfirmat, & à fortiori, Maiolus *cap.* 18. *cit. n.* 2. ibi: Sed hæc vera ſunt, ſi præceptum hoc nudum fuerit, & ſine vlla pœna adiecta, at ſi anathematis pœna addita ſit in præcepto, contraueniens in ſuſceptione Ordinis, vel in executione, fit irregularis, *in cap.* 1. *de eo qui furt. Ordin. ſuſcep.* Specul. *in tit. de diſpenſat.* §. *Iuxta, verſ. Item promotus.* Silueſt. *in verb. Irregularitas, q.* 3. quo loco ait, hunc à ſolo Papa diſpenſari poſſe. Hæc Maiolus.

Sed vt certum etiam Reſpondeo: Adhuc in hoc caſu non fieri irregularem. Ratio eſt. Quia qui ſic Ordinem ſuſcipit, aut exercet, non fit irregularis, eo quod per talem actum violet præceptum Superioris, vt ſupra dictum eſt: nec fit irregularis in eo caſu quia violat cenſuram; nam ille pro prima vice, non violat cenſuram, ſed contrahit, quod longè diuerſum eſt: ergo. Sic Suarez *ſect.* 2. *cit num.* 3. *verſ. Secundus caſus.* Qui ad textum citatum à Maiolo reſpondet, non poſſe ex illo ſumi efficax argumentum, eo quod in irregularitatibus non poteſt ſumi argumentum a ſimili. Nec Silueſter ab ipſomet citatus, tractat de noſtro caſu, ſed de illo, qui furtiuè Ordines ſuſcipit, contra præceptum Superioris de quo etiam dictum *cap.* loquitur Fillincius *loco cit. quæſt.* 3. *n.* 517. Layman *dub.* 6. *cit. verſ. Secundus caſus.* Cornejo *diſp* 6 *de Irregular. dub. vnico, quæſ.* 11. Pellizzarius *tom.* 5. *tr* 7. *c.* 5. *ſect.* 3. *q.* 28. *n.* 140. & alij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXX.

An ad minus qui commiſit delictum, propter quod ſuſpendendus eſt, ſecundùm iura, ſi accedente præcepto Superioris prohibente celebrationem, nihilominus celebret; fiat irregularis.

AFfirmat, & à fortiori, Maiolus *lib. 3. c. 18. cit. n. 4.* his verbis: Si quis de iure ſit ob aliquod commiſſum ſuſpendendus, id eſt, nondum ipſo iure ſuſpenſus: nam ſi ei fiat præceptum de non adminiſtrando intuitu talis delicti, de quo inquiritur, contraueniendo fit irregularis à ſolo Papa diſpenſandus. Specul. *a § Iuxta. verſ. Item Ordinatus à non ſuo Epiſcopo*, quo loco dicit, hunc eſſe ſtilum Curiæ. Et eſt ratio, quia cum non eſſet ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus, præceptum illud Superioris tunc habet vicem ſuſpenſionis, meritò ex contrauentione fit verè irregularis: maximè hodie, argum. inſpectis verbis *d. cap. 1.* Concil. Tridem. Hæc Maiolus ibi, quod & repetit *c. 19. n. 23. verſ. Decimaſeptima declaratio.* Quem citat, & ſequitur Alterius *diſp 6. de ſuſpenſ. c. 5. col. 3. verſ. Quartò notandum eſt.*

Sed vt certum adhuc Reſpondeo: Non fieri irregularem. Ratio eſt, quia huiuſmodi nullam cenſuram violat, cum per delictum commiſſum ſuſpendendus quidem ſit, at non ſit adhuc ſuſpenſus, per exercitium verò Ordinis, contra ſimplicem prohibitionem adiectam à Superiori, non incurrit irregularitatem, vt ſupra eſt habitum: ergo. Sic Filliucius *tract. 20. c. 8. q. 4. n. 218.* Suar. *diſp 42. ſect. 5. num. 4.* Luyſius *diſp. 61. cit. dub. 5. verſ. Tertium caſum*, & alij.

QVÆSTIO XXXI.

An excommunicatus ſæpius celebrans, plures irregularitates numero diſtinctas contrahat.

NEgat Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 24. n. 7.* vbi ita ait: Tertiò probatur, reddita diſcriminis ratione inter diuerſas fornicationes cum diuerſis conſanguineis eiuſdem fœminæ, vel cum eademmet conſanguinea. Quia in hoc poſteriori caſu non contrahuntur plures affinitates, ſeu plures eiuſdem affinitatis gradus: ſicut nec multæ irregularitates ex multiplici celebratione excommunicati, ſed tantum adduntur nouæ illæ actiones, quibus ſufficienter contraheretur irregularitas, vel affinitas, niſi eſſet jam contracta. Ita ille. Cuius ſententiam vt probabilem ſequitur Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 16. § 4. num. 16.* & ex illo Diana *part. 8. tract. 3. diſp. 58.* citantes pro hac parte Henriquez *lib. 12. c. 10. § 3. & lib. 14. c. 7. § 5* Auilam *p. 7. diſp. 10 dub 8.* Sed certè hi Auctores expreſsè id non negant, imò potius, ſaltem Henriquez, oppoſitum inſinuat, vt conſideranti verba eius attentè conſtabit. ... quidquid ſit de horum Auctorum ſenſu.

Probabilius Reſpondeo: Plures irregularitates diuerſas numero admittere. Ratio eſt, quia talis celebrans verè iterat actum numero omnino diſtinctum peccaminoſum, & prohibitum ſub irregularitate: ergo ex talium actuum iteratione verè iteratur irregularitas, & contrahitur denuò conſequenter à celebrationem iterante. Sic Bonac. *de Irregular. q. 5. punct. vlt. n 1* Reginald. *lib. 30. n. 32.* & patet ex dictis à nobis *de Cenſur. p. 4. tract. 1. diſp. 3. à q. 36.*

An autem in obtinenda ab his irregularitatibus diſpenſatione, ſit neceſſarium exprimere numerum celebrationum excommunicati, dicemus *infra diſp. 27. de diſpenſatione, q. 41.*

QVÆSTIO XXXII.

An duplicem incurrat irregularitatem, qui irretitus duplici cenſura, verbi gratia excommunicatione, ac interdicto, vtitur Ordinibus ſacris.

REſpondeo, vt certum: Incurrere duplicem irregularitatem. Quia duplicem in ſpecie diſtinctam violat cenſuram: ergo duplicem incurrit irregularitatem. Nec certè repugnat per vnicum actum incurri plures pœnas, etiam eiuſdem rationis, ſi talis actus proueniat ex duplici diſtincto delicto, aut quaſi. Sic Bonac. *q de Irregular punct. 5. n. 10.* Pellizzar. *tract. 7. cit. c. 5 ſect. 3. q. 30. n. 142.* & alij.

DISPVTATIO XXII.

De Irregularitate ex violatione ſuſpenſionis orta.

QVÆSTIO PRIMA.

An Clericus ſuſpenſus ab Ordine, vel officio, irregularitatem incurrat, exercens Ordinem ſuſpenſum.

RESPONDEO, tanquam certum: Quod incurrat irregularitatem, & Pontifici reſeruatam. Quia ſic definitur in iure, *c. 1. de ſentent. & re iud. lib. 6.* ibi: *Quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingreſſerit ſe diuinis, irregularitatis laqueo ſe inuoluet, ſecundum Canonicas ſanctiones, à qua nonniſi per Summum Pontificem poterit liberari*, &c & *c. 1. de ſentent. excommunicat. in 6. & cap. Apoſtolica, de Cleric excommunicat. miniſtrante*, & alibi. Et ideo ſic docent omnes Doctores. Legantur Maiolus *lib. 3. de Irregularitate, c. 19.* Nauarr. *c. 27. n. 224* Henriq. *lib. 12. c. 7. a n. 2.* Couar. *in c. Alma mater, part. 2. § 2. n 5.* Auila *part. 7. diſp. 9 ſect. 2. dub. 1. concluſ. 3.* Sayrus *lib. 14. Theſauri, c. 16. per totum*, Diana *part. 5. tr. 10. reſol. 9.* Alterius *to. 2. diſp. 6. de ſuſpenſ. c. 2. & 3.* Suar. *diſp. 26. ſect. 1. à n. 5. & ſect. 2. à n. 3.* & alij.

QVÆSTIO II.

An non ſolùm incurrat irregularitatem exercens actum Ordinis, ille qui eſt ſuſpenſus ab homine, verùm etiam ille, qui eſt ſuſpenſus à Iure.

NEgarunt quidam, quos ſuppreſſis nominibus refert Alterius, exiſtimantes, minimè contrahere irregularitatem per exercitium Ordinis ſuſpenſum à Iure, vel Canone; ſed ſolum ſuſpenſum ab homine.

Sed vt certum Reſpondeo: Tam ſuſpenſum à iure, quàm ſuſpenſum ab homine incurrere hanc irregularitatem, per exercitium Ordinis ſuſpenſi. Quia

id clarè conſtat ex Iure, quia de ſuſpenſione à Iure loquuntur decreta citata ex *lib.6.* de ſuſpenſione verò ab homine Canones Decreti, *c. ſi quis Epiſcopus in Concilio,& c. ſi quis Epiſcopus damnatus*, 11.*q.* 3. necnon & *c. Is qui, de ſentent. excommun. in* 6. Et ideò ſic docent communiter omnes DD. Legantur Suar.*diſp.*26.*ſect.* 2.*n.* 1. Alterius *tom.* 2. *diſp.*6. *de ſuſpenſ.c.*2.*columm.*2 *verſ.Rurſus irregularitas*, & penes illum Hoſtienſ. Innoc. Abbas, Auila *part.*7. *diſp.* 9. *ſect.* 2.*dub.*5. *concl.* 2. vbi in bonum ſenſum explicat Panormitanum *c.Cum dilectus,de conſuetud.n.*17. & Felin.*c.Paſtoralis,§.cum autem,de offic.Deleg. n.* 128. oppoſitum docentes.

QVÆSTIO III.

An qui nominatim non eſt denunciatus ſuſpenſus, fiat irregularis violando ſuſpenſionis cenſuram.

RESpondeo, vt quid certum: Irregularem fieri. Quia quoad ipſum, integrum manet poſt Concil.Conſtantienſe ius, quo hæc irregularitas lata eſt. Quod idem eſt dicendum de excommunicato, vel interdicto non denunciato loquendo, vt optimè ait Auila *part.*7.*diſp.*9.*ſect* 2.*dub.*2.*verſ.Deinde*,his verbis:Deinde notandum eſt,tres prædictas concluſiones habere verum,tam de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis non toleratis,quàm de toleratis,in caſibus, in quibus non exercent licitè Ordines. Senſus eſt, quod licèt aliquis excommunicatus,ſuſpenſus, vel interdictus non ſit denunciatus, nec ſit excommunicatus, ob manifeſtam percuſſionem Clerici; nihilominus ſi exerceat ſolemniter actum deputatum alicui Ordini maiori,eſt irregularis. Probatur, quia Concil. Conſtantienſe non intendit fauere ipſis excommunicatis,ſuſpenſis, & interdictis, vt vidimus in materia de excommunicatione.Hæc Auila.Suar.etiam *diſp.*26. *ſect* 2.*n.*3. & communis.

QVÆSTIO IV.

An omnis violatio cenſura ſuſpenſionis hanc irregularitatis pœnam afferat.

RESpondeo,vt certum, quod non. Nam ſemper quod violatio ſit inculpabilis,& licita, minimè affert irregularitatis pœnam. Vnde ſemper excuſabitur quis ab irregularitate, quoties excuſatus fuerit à graui culpa exercendo Ordinis actum:nam hæc irregularitas eſt pœna,& ideò ceſſante culpa graui, ceſſat ipſa. Ex quo ſequitur, quod ſi excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus exerceat actum Ordinis ad vitandam infamiam grauem, vel ſcandalum ex manifeſtatione delicti, non fiat irregularis. Et idem eſt ſi exerceat actum Ordinis,inuincibiliter ignorans eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, & interdictum; vel quod ius prohibeat exercitium Ordinis Clerico aliqua cenſura, &c. iuxta dicta ſuprà. Sic communiter Doctores. Suarez *diſp.*26.*ſect.*2. *n.*2. Auila *dubitatione* 2.*citat.* Gibalinus *cap.*5. *quæſt.*2. *num.* 4. *pag.*339. Legantur dicta à nobis *tom.*4.*tr.* 1. *de cenſur. diſp.*8. *&* 9.

QVÆSTIO V.

An quando ſuſpenſio fertur his verbis: Qui hoc fecerit,ſuſpenſus ſit ab officio, donec ſatisfaciat, vel pœniteat, *fiat irregularis, qui poſt commiſſum crimen, ante pœnitentiam, exercet actum Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus.*

NEgarunt aliqui Canoniſtæ, inter quos præcipuus eſt Innocent. *in cap. Vltimo, de Cleric. excomm.miniſtr n.*3. necnon Specul *in tit.de diſpenſat.§ Iuxta,verſ.Item quando dicitur, & verſ. In ſuſpenſis autem diſtinguitur.*Syluest. *verb.irregularitas*, §.27. Quos citat, & ſequitur Maiol. *lib.*3.*c.*19. *n.*16. *verſ. Quinta declaratio.*

Fundamentum eorum eſt, quia ſuſpenſio lata ſub illis verbis,*donec ſatisfaciat*, vel *donec pœniteat*, non eſt propria cenſura, ſed pura quædam pœna, quam ſecum affert ipſum peccatum: ergo quantumuis quis celebret diuina, violando dictam ſuſpenſionem, non fiet irregularis: patet quia talis ſolùm efficitur violando cenſuram,vt colligitur ex *cap. Is cui,de ſentent. excommunic. in* 6. vbi conſtituitur generalis regula, *De celebrante diuina, cum ſit cenſura ligatus*: ergo, &c.

Sed vt certum Reſpondeo: Fieri in dicto caſu irregularem. Quia talis irregularitas expreſsè imponitur patranti crimen dictum, *in c.* 1. *de re ind. & de ſentent.excomm.in* 6. ergo. Sic expreſsè Suar.*diſp.* 26. *ſect.*2. *n.* 4. *&* 5. Qui probat ratione. Nam talis ſuſpenſio tam efficaciter priuat ſacro Miniſterio dum durat,ſicut quælibet alia ſuſpenſio: ergo. Alter.*tom.*1. *diſp.*6.*de ſuſpenſ.c.*2.*columm.*3.*verſ.Ex dictis ſequitur.* Qui cum Suario non citato dicit oppoſitam ſententiam eſſe improbabilem. Sayr. *lib* 4. *Theſauri, c.*16. *n.*30.& antea Nauarr.*c.*25.*n.*76.*&* 77.*& c.*27. *n.*154. Tabiena *verb Suſpenſio,n.*10.*verſ. Nonò.* Couarr. *in Clem.ſi furioſus,p.*1.§.1.*n.*5. Maiolus etiam *lib.*5. *de Irregularitat.c.*37.*n.*1.(etſi contrarium loco ſupra citato dixerit) citans pro hac parte vltra Nauarrum loco allegato, Hoſtienſem, Archidiacon. Ioan. Andream,necnon & Sylueſtrum *verb.Clericus* 2.*quæſt.*8. *verſ. Quæritur ſecundò.*

Ad fundamentum verò contrarium, Alterius, & Saytus negant antecedens, quia exiſtimant, ſuſpenſionem latam ſub verbis prædictis, eſſe veram, & propriam cenſuram. Suarez verò concedens antecedens,negat conſequentiam, eo quòd in iure expreſsè adſtruatur talis irregularitas.

QVÆSTIO VI.

An irregularitatem contrahat Clericus, qui ſuſpenſionem, quam à celebrando ei Confeſſarius, in foro pœnitentiæ inflixit, non ſeruat,ſed violat.

RESpondeo, vt quid certum: Quod non contrahat. Quia nec reperitur id iure cautum, nec talis ſuſpenſio eſt facta ab habente iuriſdictionem, & ideò illi contrauenìens minimè ſit irregularis. Sic omnes. Legantur Nauarr.*cap.*27. *num.* 151. *in fine*,& apud ipſum Gloſſa recepta *in cap. Is cui, de ſentent. excommunic.in* 6.& Specul.*tit. de diſpenſat* §. *Iuxta, num.*32.Maiolus *libro* 3.*cap.* 19.*num.*21.*verſ. Decimaquinta declaratio.*Henriquez *lib.* 13. *cap.*31. §. 2. *in*

gloſſa

gloſſa litt K. Viualdus *de ſuſpenſ.n.*15. Sayt.*lib.*4.*c.*16. *n.*4. Alterius *diſp.*6.*de ſuſpenſ.c.*3. *col.*3. *verſ.Quintò*, & alij.

QVÆSTIO VII.

An quicumque in peccato mortali, ſeu excommunicatione minori celebrat, irregularitatem admittat.

RESpondeo, tanquam certum: Quod non. Quia quamuis quodlibet peccatum mortale, & excommunicatio minor ſuſpendat à perceptione Sacramentorum, in hoc ſenſu, quod percipiendo peccetur mortaliter; non tamen incurritur irregularitas, quia non contrauenitur ſuſpenſioni, prout eſt ſpecies cenſuræ, ſed ſolùm prout eſt prohibitio reſultans ex natura illorum. Sic omninò meus Nauar.*c.*27. *num.*152. *verſ.Quartò dico.* Maiol.*lib* 3.*c.*19.*n.*24. Specul. Archidiac. & Anchar. apud ipſum, Couar.*in Clem. ſi furioſus*, §.2.*n.*2. Alterius *loc.cit.verſ.Sextò*, & omnes.

QVÆSTIO VIII.

An violans ſuſpenſionem, ſeu potius irregularitatem, ex defectu corporis, aut animæ manantem, nouam irregularitatem incurrat.

RESpondeo, etiam vt quid certum: Quod non incurrat. Quia irregularis celebrando non incurrit nouam irregularitatem: cuius rationem reddit meus Nauarr.*c.*27.*n.*194. *verſ. Tertiò. Primò*, quia id iure non cauetur. *Secundò*, quia irregularitas non eſt vera ſuſpenſio, nec cenſura Eccleſiaſtica, & ita celebrans illâ irretitus, nullam violat cenſuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem, & illa non incurritur niſi [illegible]ùm exprimitur. Sic Nauarrus ibi, *& conſil* 40 *de temp.Ordin.n.*2. *& conſ.*6 *de conuerſ. coniugat.n.*4. Maiol.*lib.*3.*c.*19.*n.*17.*verſ.Octaua declaratio*, quo ſenſu ait, debere intelligi, quod dicit Rota *deciſ.*362 *in antiquis*, nempe ſuſpenſum à Canone celebrando non fieri irregularem. Sic etiam Specul. Innocent. Ioan. Andr. Archidiacon. Angel. Syluеſt. Tabiena, quos affert, & ſequitur Sayt.*lib.*4. *c.*16. *n.*5. *&* 6. Tolet.*lib.*1.*c.*49. Alter.*diſp.*6.*de ſuſpenſ. c.*3. *col.* 1. *verſ.Primò.* Auil.*p.*7.*diſp.*3.*dub.*11. *concl.*2. *& diſp.*9. *ſect.*2.*dub.*5.

QVÆSTIO IX.

An ſuſpenſus ab officio in temporalibus contrahat, ſi in his adminiſtret, irregularitatem.

RESpondeo, vt certum: Non contrahere irregularitatem. Ratio eſt, quia non ſuſpenditur ab officio ſpirituali annexo Ordini, quod neceſſum erat ad hoc vt quis adminiſtrando in illis incurreret irregularitatem. Sic Nauar.*c.*27.*n.*153.*verſ.Septimò* (non *ſecundò dico*, vt leges apud Alterium) ita ſcribens: Septimo dico, quod neque vlla ſuſpenſio laici, eſt ſuſpenſio, de qua hic agimus, & per conſequens neque ſuſpenſio officij aduocandi etiam in foro Eccleſiaſtico, quia non eſt propriè Eccleſiaſticum; neque ſuſpenſio facultatis dandi gradus, conceſſæ per Regem, vel Imperatorem, quidquid ſentiat Gloſſa *Clem. Cupientes, column.*2. & Tabiena *verb. Suſpenſio, in princ.p.* Sic Nauarr. Et ſic Gloſſa etiam *in cap.*1.*de ſentent.excommunic.in* 6. & notant *in cap.fin. de exceſſib. Prælator.* Alterius *diſp.*6.*de ſuſpenſ.cap.*3.*column.*2. *verſ.Tertiò ſecundum.* Ex Maiol.*lib.*3.*c.*19.*num.*18. *verſ. Decima declaratio.*

QVÆSTIO X.

An ſaltem Vicarius Epiſcopi fiat irregularis, ſi ſuſpenſus à temporalibus, contraueniat.

RESpondeo ex nuper dictis, minimè fieri irregularem. Sic expreſsè Maiol.*loc.cit.* Ita ſcribens: Idem de Iudicibus eſt dicendum, vnde ſi Vicarius Epiſcopi ſit ſuſpenſus à ſola poteſtate exercendæ iuriſdictionis temporalis, contraueniendo non fiet irregularis, ex prædictis. Et ita intelligo Syluеſt *in verb. Suſpenſio, q.*5.*verſ.Si verò ſit ab officio, in fine.* Vnde ſuſpenſus ab eligendo, præſentando, nominando, vel prouidendo, aut etiam beneficia conferendo, ſi contraueniat, non fit irregularis. Innocent. & Hoſtienſ.*in cap.fin. de exceſſib.Prælat.* Card.*in cap Si celebret, de Cleric. excommun.miniſtr.* Anchar.*in d.cap.*1.§.*Caueant, de ſentent.excommunic.lib.*6. Huc vſque Maiolus. Et benè. Sic Saytus *lib.* 7. *cap.*9. (non 10. vt offendes apud Gibalinum) *n.*10 *&* 11. Gibalin. *c.*5. *quæſt.*2. *confect.* 14. Alter.*tom.*2.*diſp.*6.*de ſuſpenſ.cap.*3.*column.*2.*verſ. Tertiò.*

QVÆSTIO XI.

An ad minus fiat irregularis, qui ſuſpenſus ab officio in temporalibus, in eis adminiſtrat, in contemptum Clauium.

AFfirmat Maiol. *cap.*19. *cit.num.* 2. *verſ. Secunda extenſio, & num.*19. *&* 20. vbi docet, doctrinam à ſe traditam, nempe quod contrauenientes in iſtis temporalibus non fiant irregulares, non habere locum, quando contraueniunt in contemptum Clauium: nam ille (inquit) contemptus inducit irregularitatem, etiam in iſtis temporalibus, vt ſentit Specul. *d.* §. *Iuxta, verſ.Quartò*, & diximus ſuprà in ſecunda extenſione, & videtur text. & Gloſſ.*in cap. Tanta, in gloſſ. magna, circa med. de exceſſib. Prælat.* Hæc Maiolus.

Sed adhuc, vt quid certum Reſpondeo: Neque in hoc caſu irregularem fieri (licet non euadat immunis à culpa graui, & variis aliis pœnis) Ratio eſt, quia irregularitas tantum incurritur in caſibus in iure expreſſis: at quod in propoſito caſu incurratur, non poteſt ex aliquo iure colligi. Probatur, nam ſi ex aliquo, maximè *ex cap.Tanta*, quod pro ſe refert Maiolus, at in hoc cap. ſolùm agitur de celebrante violando interdicti cenſuram: ergo. Nec rurſus Gloſſa magna, quam ipſemet citat, aſſerit hanc, per dictum delictum, incurri irregularitatem. Nam licet *in c.Cum dilectus, de conſuetud.* dicatur, Clericum ſuſpenſum inualidè conferre beneficia, non tamen dicitur fieri irregularem ea conferendo. Sic Alterius *diſp.*6.*de ſuſpenſ. c.*3.*column.*2.*verſ.Tertiò ſciendum.* Gibalinus *c.*5. *q.*2. *n.*32.*confect.* 14. Ex Suario (quem neuter citat) *tom.* 5. *diſp.*26.*ſect.*2.*n.*6.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An ſaltem ſuſpenſi, aut excommunicati maiores, vel interdicti, maneant irregulares exercendo actus iuriſdictionis in ſpiritualibus.

AFfirmat Maiol. *lib. 3. de Irregul. c. 19. n. 2. verſ. Secunda extenſio, & n. 8. verſ. Decimaquarta extenſio,* quatenus docet, quod ſuſpenſus fiat irregolaris conferendo beneficia: nam hæc collatio actus eſt iuriſdictionis, non Ordinis, licet ſit Ordini annexa.

Sed adhuc vt certum Reſpondeo: Non manere irregulares. Quia certum eſt, quod actus iuriſdictionis contra cuiuſvis cenſuræ prohibitionem facti, non pariant irregularitatem. Ratio eſt. Quia irregularitas per ſe non impedit actum iuriſdictionis, ſed Ordinis; & ideò tanquam pœna proportionata tantum imponitur ab Eccleſia ei, qui cùm ſuſpenſus ſit, aut alia quacumque cenſura irretitus, actus Ordinis exercet; non verò ei, qui actus iuriſdictionis Vnde minimè fiet irregularis qui quacumque cenſura innodatus excommunicat, beneficia confert, eligit, aut electum confirmat, iudicat, ſententiam dicit, excommunicatum ſine ſolemnitate abſoluit, aut alia quæcumque ſuæ iuriſdictionis munera exercet, quamuis aliàs grauiter peccet, violetque cenſuram, & varias pœnas (vt diximus) incurrat. Sic Nauarr. c. 27. *n. 191. & n.* 244. (non 144. vt leges apud Sayrum.) Panorm. Ancbar. Francus, Sylueſt. Ledeſma, Philiarcus, Henriquez, & Vgolinus, quos affert, & ſequitur Sayrus *lib. 7. Theſauri, cap. 9. num.* 10. & antea *lib. 4. cap* 16. *num.* 8. Suarez, Alterius, & Gibalinus *loc. cit.* Auil. *part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 2.* addens, quod hæc doctrina habeat verum, licet ille ſuſpenſus ſit à iuriſdictione ſpirituali.

QVÆSTIO XIII.

An Sacerdos, qui mala fide ante legitimam ætatem Sacerdotium ſuſcepit, fiat irregularis conſecrando ſimul cum Epiſcopo Ordinante.

AFfirmant Nauarr. Sorb. Couar. Barboſ. Bonac. Daza, & Vaſquez relati à nobis *2. p. tract. 6. diſp. 6. q. 17. & part. 4. tract. 4. de ſuſpenſ. diſp. 4. §. 1. quæſt. 3. dub. 7.* Ratio eorum eſt: Quia Sacerdos, qui ſuſpenſus celebrat, verè fit irregularis: at qui cum Epiſcopo Ordinante conſecrat, verè celebrat: ergo verè fiet irregularis.

Sed iterum, atque iterum probabilius Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia quamvis verum ſit, quod Sacerdotes, qui ſuſpenſi celebrant, fiant irregulares; tamen ille qui Sacerdos initiatur, & conſecrat cum Epiſcopo Ordinante, non eſt adhuc completè Sacerdos, cum non ſit ei tunc adhuc poteſtas abſoluendi à peccatis conceſſa, vt diximus *1. part. tr. 6. de Ordine, diſp. 3. q. 6. & 7.* ergo non poteſt per talem celebrationem incurrere irregularitatem. Sic Sylueſt. Maiol. Medin. Sayrus, Vgolinus, Quaranta, Naldus. Homobonus, Mercerus, Philibert. Henriq. Suarez, Ægidius, Auila, Hurtadus, Diana, & alij citati à nobis vbi ſup. 2. *& 4. parte.* Addo nunc, quod adhuc dato, quod dictus Sacerdotio initiatus, eſſet iam tunc quando concelebrat, completè Sacerdos, vt aliqui (quos vbi ſupra retulimus) volunt, adhuc non fieret irregularis ob dictam celebrationem, tum quia, vt ex Medina ait Sayr. *lib. 14. c. 16. n. 23. in fin.* Eccleſia reputat pro Miſſa illam tantùm, qua quis per ſeipſum poſtea celebrare ſolet: tum ob aliam mox adducendam rationem.

QVÆSTIO XIV.

An ſaltem Subdiaconus, & Diaconus ſuſpenſi ob Ordinationem ante ætatem, fiant irregulares cantando Epiſtolam, & Euangelium in prædicta Miſſa.

AFfirmat Auil. *3. p. de cenſur. diſp. 5. dub. 7. § Dico ſecundò,* & in ſimili *p. 7. diſp. 9 ſect. 2. dub. 14 poſt concl. 3. verſ. Sed Nota,* & Hurtado *tract. de ſuſpenſ. diſp. 13 n. 36.* eo quòd dictæ actiones verè fiunt poſt completam Ordinationem Subdiaconi, & Diaconi.

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Nec prædictos Subdiaconum, & Diaconum incurrere per tales actiones irregularitatem. Quia dictæ actiones canendi Epiſtolam, & Euangelium in dicta Miſſa, non cenſentur fieri, moraliter loquendo, poſt Ordinationem; cum hæc durare cenſeatur quandiu durat Miſſa in qua fit. Sic Suar. *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. n. 70.* Ægid. *diſp. 15. dub. 5. n. 36.* Mercerus *in 3. p. q. 24. dub. 7.* & Diana *p. 5 tract. 10. Reſol. 37.* quos retulimus 2. & 4. *p. loc. cit.* His addo Gibalin. *c. 5. de Irregular. q 2. conſectar. 4 pag. 443.* & alij.

QVÆSTIO XV.

An ſuſpenſus ſimpliciter ab Ordine fiat irregularis per exercitium, tam maioris, quàm minoris Ordinis.

REſpondeo: Fieri irregularem, tam per exercitium maiorum, quàm minorum Ordinum. Ratio eſt, quia ſuſpenſus ab Ordine indefinitè, eſt ſuſpenſus ab omni Ordine, tam maiori, qoàm minori, vt cum Syluest. Henriq. Auil. Bonacin. Cornejo, Suario, & Palao diximus *p. 4. tract. 4. diſp. 3. q. 12.* ergo per exercitium, non ſolùm Ordinum maiorum (in quo omnes conueniunt) verùm etiam per exercitium ſolemne minorum fit dictus ſuſpenſus irregularis; ſiquidem per exercitium vtrorumque violatur cenſura ſuſpenſionis. Sic tenent Innocent. *in c. fin. de exceſſib. Prælat.* Nauar. *cap. 27. num.* 163. Specul. Maiol. Ioan. Andr. & alij, quos citat, & ſequitur Alter. *diſp. 6. de ſuſpenſ. c. 3. column. 6. verſ. Hic adhuc.* Sic etiam conſequenter tenent alij Authores citati à nobis ſupra *diſp. 21. q. 3.* contra alios oppoſitum ſentientes, loquendo de violatione excommunicationis maioris per exercitium, etiam ſolemne, Ordinum minorum.

QVÆSTIO XVI.

An qui ſpecificè ab aliquo Ordine, verbi gratia Sacerdotio, eſt ſuſpenſus, fiat irregularis non ſolùm ſi exerceat actum Sacerdotij, à quo eſt ſuſpenſus; verùm etiam ſi exerceat actus aliorum Ordinum inferiorum, nempe Subdiaconatus, aut Diaconatus, à quibus non eſt ſuſpenſus.

REſpondeo, vt certum: minimè irregularem fieri. Quia in propoſito caſu non violat ſuſpen

ſuſpenſionem, cùm certum ſit quod ille qui ſuſpenſus eſt ab Ordine ſuperiori, minimè cenſeatur ſuſpenſus ab Ordine inferiori: vt cum communi omnium diximus *par.4.tr.4.diſp.3 q.14.* Quocirca ſuſpenſus à Sacerdotio, optimè poteſt abſque irregularitatis incurſu canere ex officio Epiſtolam, & Euangelium. Et qui ſuſpenſus eſt à collatione maiorum Ordinum, poteſt conferre minores. Sic Sylueſt. Nauar. Henriq. Auila, Cornejo, Diana, Bauny, & Palao citati à nobis *vbi ſupra.* Alterius *etiam diſp.6. de ſuſpenſ. c.3. col. 7. verſ. Immò ſuſpenſus,* ſecutus Maiol. *lib.3. de Irregular. c.19. n.3. verſ. Quarta extenſio.*

Qvæstio XVII.

An etiam immunis ſit ab irregularitate, qui ſuſpenſus ab Ordine aliquo inferiori, exercet actum ordinis ſuperioris, à quo ſpecificè non eſt ſuſpenſus.

NEgat Maiolus *loco cit.* his verbis: Quinta extenſio, non ſolùm ſuſpenſio iſta reddit irregularem eum, qui contrauenit in eo Ordine, à quo ſpecificè ſuſpenſus eſt, verùm etiam ſi in aliis Ordinibus illo ſuperioribus, vtputà ſi quis ſit ſuſpenſus ab executione Subdiaconatus, videtur etiam ſuſpenſus à Diaconatu, & Sacerdotio, *l. Qui indignus, ff. de Senator.* Hoſtienſ. *in c. Dilectus. de temp. Ordin.* refert Ang. *in verb. Suſpenſio 3. circa med.* Syl. eſt *in verb. Suſpenſio, q.5. verſ. Si verò ſit ab Ordine,* propterea Epiſcopus ſuſpenſus à ſolo Sacerdotio, non poterit officio Pontificali fungi. Abbas *in c. ex literis, per illum textum, verſ. vlt. de exceſſib. Prælat.* Hæc Maiolus. Cuius ſententiam tenent omnes, qui exiſtimant, ſuſpenſum ab Ordine inferiori, etiam cenſeri ſuſpenſum ab Ordine ſuperiori: ſunt autem Silu. Nauar. Henr. Auila, Saytus, Suarez, Vgolin. Regin. Toler. Bauny, Hutt. Bonac. quos retulimus *part.4. tr.4. diſp 3. q.16.* Alterius *loco nuper cit.*

Sed probabilius, iuxta doctrinam à nobis *vbi ſupra* traditam, Reſpondeo dicendum, eſſe immunem ab irregularitate. Quia quamuis illi, qui ſimpliciter, & abſque expreſſa reſtrictione eſt ſuſpenſus ab Ordine inferiori, minimè liceat exercere actum Ordinis ſuperioris (quod ſolùm conuincunt Auctores primæ ſententiæ argumentis quæ contra nos conficiunt) ſi tamen de facto exerceat, minimè irregularis fiet, dummodo exerceat actum Ordinis inferioris, à quo ſpecificè eſt ſuſpenſus Quia non eſt expreſſus textus, qui id affirmet. Sic Cornejo, Præpoſitus, Layman, Ægid. & Diana 4. *p. loc. cit.* Legantur ibi dicta.

Qvæstio XVIII.

An ſuſpenſus manens in ſuſpenſione per annum, etiamſi ſuſpenſioni per exercitium Ordinum non contraueniat, incurrat irregularitatem.

AFfirmat Maiolus *lib.3. cap.19. num.9.* ita ſcribens: Suſpenſus aliquando fit irregularis, etiamſi ſuſpenſioni non contraueniat, dummodo vltra annum patiatur ſe in tali cenſura illaqueatum eſſe: nam ex hoc tempore fiet irregularis, videlicet inhabilis ad beneficia iam quæſita, & eſt ineligibilis, nec eligere poteſt; ſicut dici conſueuit de excommunicato perdurante per annum. Tradit Abbas poſt Gloſſam *in cap. Cum bona, de ætat & qualit.* quod intelligo de ſuſpenſo ſimpliciter, & indeterminatè: tunc enim in culpa eſſe videtur, ſi annum labi permittat in hac cenſura: at ſi ſuſpenſio emanauerit cum determinato tempore, id eſt, ſuſpenſus ſit per annum, vel biennium, eo caſu ſi obediat cenſuræ, expectans vt tempus labatur, non debet ex obedientia culpam vllam reportare. Hæc Maiolus. Et ex illo (non citato) Viualdus *de ſuſpenſ. num.147. pag. mihi* 109.

Sed vt quid certum ferè, Reſpondeo, minimè incurrere irregularitatem. Quia nullibi in iure irregularitas talis exprimitur. Nam text. *c. Cum bona*, nequaquam talem pœnam imponit, nec Gloſſa, quam citat Maiolus, dicit talem ſuſpenſum eſſe irregularem, ſed ſolùm eſſe inhabilem ad beneficia, ex quo non fit, eſſe irregularem, quia irregularitas per ſe primò non reſpicit beneficium, ſed actus Ordinis, & ex eo quod inhabilem reddit ad Ordinem, conſequenter etiam inhabilitat ad beneficia, ideóque nullo modo eſt admittendum, ſine exercitio actuum Ordinis quempiam irregularem effici poſſe. Sic Saytus *lib.4. c.16. n.31. verſ. Octauò.* Qui tamen male refert Maiolum citantem pro ſua ſententia textum *in c. Cùm bona,* cùm ſolum citet Abbatem, & Gloſſam in illo capite, vt conſtat ex eiuſdem à nobis verbis relatis.

Qvæstio XIX.

An qui non eſt ſuſpenſus ab Ordine, ſed tantum ab eius exercitio, fiat irregularis per exercitium Ordinis per ſuſpenſionem prohibitam.

REſpondeo, vt quid certum: Fieri. Quia reuera per tale exercitium violat cenſuram ſuſpenſionis. Vnde ſi Sacerdoti prohibitum per ſuſpenſionem ſit, aquam, candelas, fructus, veſtes, nuptias, &c. benedicere, verè fiet contrafaciens irregularis. Sic Nauar. *c.27. n.163.* Syl. eſt. *verb. Suſpenſio, q.5. verſ. Si verò ſit ab officio.* Angel. *ſuſpenſio 3. verſ. Aliquando ſuſpenditur, n.8. in fine.* Armilla, Speculat. Ioan. Andr. Innocent. & Hoſtienſ. quos citat, & ſequitur Viualdus *tit. de ſuſpenſ. n.141. & 144.* Sayr. *lib.4. c.16. à n.13.* Alter. *diſp.6. de ſuſpenſ. c.3 col.12. verſ. Ob eandem rationem.* Legantur dicta à nobis *diſp.21. à q.5.*

DISPVTATIO XXIII.

De Irregularitate ex violatione interdicti orta.

Qvæstio Prima.

An maneat irregularis Clericus, qui in loco interdicto actum ſacri Ordinis exercet.

REſpondeo, vt certum: Manere irregularem, niſi aliàs exerceat aliquem actum Ordinis ſacri, quem licitè exercere tempore interdicti poteſt, iuxta dicta à nobis *p.4. tr.5. de Interdict. diſp.1. per totam.* Sic expreſsè habetur *in c. Is qui, §. is verò, & c. Is cui, de ſent. excommun. in 6.* & ex dictis capitulis docent omnes Doctores. Silueſt. *verb. interdictum 6. q.2. part.2.* Sotus *diſt.22. q.3. art.1. concluſ.3.* Nauar. *c.25. n.86.* Couar. *in c. Alma mater, p.2. §.2. n.2. & 3.*

& 3.Henr.*lib.*13.*c.*43.*n.*3.*litt.T.*quos omnes citat & ſequitur Auila *part.*7.*diſp.*9.*ſect.*2. *dub.* 8. & ex illo non citato, Cornejo *diſp.*6.*de Irregul.dub.vnic. q.* 7. Saytus *lib.*5.*c.*14 *n.*18.& penes ipſum Caietan. Maiol.Sot.& alij, qui idem docent de celebrante in Altari interdicto. Legantur Nauarr.*conſ.* 2. *de ſentent. excommun.*& Rodrig.*c.*168.*concl.*12.& Auil.*loc. cit.*

QVÆSTIO II.

An etiam maneant irregulares Clerici, qui in Eccleſiis generaliter interdictis celebrant diuina officia, etiam cum moderatione cap. Alma mater, *ſcilicet*, ianuis clauſis, ſubmiſſa voce,*&c.*

RESpondeo, etiam vt quid certum: Tunc non manere irregulares. Quia talis celebratio cum prædicta moderatione facta tempore interdicti, eſt licita ex dicto *cap. Alma mater*: ergo non poteſt irregularitatem ex delicto ortam parere. Sic docent omnes. Legantur citati DD. præcipuè Couarruu. *loc.cit.&* § 4. *num.*6. Auila, & Cornejo. Qui omnes addunt, ſecus eſſe dicendum de celebrante in Eccleſiis ſpecialiter interdictis, etiam ſeruatis omnibus prædictis conditionibus; quia tunc reuera violat interdictum ibi celebrando, niſi id faciat in caſibus à iure permiſſis.Legantur dicta à nobis *part.* 4. *tract.*5. *diſp.*3.*quæſt.*5.

QVÆSTIO III.

*An item non maneant irregulares Clerici, qui tempore interdicti, celebrant officia diuina omittendo vnam tantum conditionem,*in cap. Alma,*præſcriptam.*

AFfirmatiuam ſententiam, nempe eſſe immunes ab Irregularitate Clericos celebrantes diuina, omittendo vnam duntaxat conditionem *in c. Alma,* præſcriptam,v.g.*Ianuis apertis,*amplecti debent Luyſius *lib.*6.*de cenſur.diſp.*49.*dub.*5.& Dian.*p.*5.*tract.*10.*reſol.*65. ſiquidem docent, quod celebrare diuina in Eccleſia interdicta, prætermiſſa vna tantum conditione ex requiſitis *in d. c. Alma*, non ſit mortale: ex quo planè ſequitur,nec interuenire poſſe ibi incurſionem irregularitatis; cùm hæc, quando infligitur vt pœna,præuiam requirat grauem culpam, vt ſæpè eſt dictum.

Sed probabilius longè Reſpondeo,manere in hoc caſu irregulares.Quia probabilius longè eſt,committi culpam mortalem ab illo, qui in Eccleſia interdicta, aut interdicti tempore celebrat diuina, prætermiſſa vna tantum circumſtantia ex requiſitis *in c. Alma mater*,vt cum Syluestro,Tabiena, Armilla, Hoſtienſ. Ioan. Andr.Calderin.Couarr. Suario, Alterio, Filliucio,Hurtado diximus *p.*4.*tract.*5.*diſp* 8.*q.*5. nunc ſic: ergo ſi prædicti Clerici mortaliter in dicto caſu violant interdicti cenſuram, abſque dubio irregulares manebunt. Sic ſentire debent Authores citati, & expreſſè id faciunt Auil. *p.*7. *diſp.*9.*ſect.* 2. *dub.*8.*verſ. Sed circa moderationem*, & Couarr.apud ipſum. Giballinus c.5.*q.*2 *conſect.*9.*n.*22.*pag.*353. Alter.*diſp.*9.*de interdicto*, c.3. vbi dicit ſic tenere omnes Doctores à nobis nuper citatos.Saytus *lib.*5.*c.*14.*n.*29.*&* 30.

QVÆSTIO IV.

An deinde, etiam maneat irregularis Clericus qui intendens celebrare diuina officia tempore interdicti,ianuas Eccleſia aperit campanas pulſat,&c.Sed mutata intentione reuera non celebrat.

AFfirmant Archidiac. apud Sayr. *loc.cit.n.*35. & alij,quos ſuppreſſis nominibus,refert Alter.*c.*3. *cit.verſ.Sed hic meritò.*

Sed probabilius multò Reſpondeo: Dicendum, quod,quamuis prædictus Clericus,prædicta faciendo, peccet grauiter,ob illam prauam intentionem, quam habuit celebrandi diuina; non tamen ob id maneat irregularis, ſi reuera celebratio non ſequatur. *Prima* pars ex ſe patet.*Secunda verò* probatur. Quia irregularitas hæc non incurritur, niſi exerceatur actus alicuius Ordinis. Deinde irregularitas requirit actum perfectum,& conſummatum, & tranſgreſſionem exteriorem completam,*cap.fin.*15.*q.*1. & conſtat ex habitis ſupr.*tract.*1.*diſp.*1.ergo.Sic tenent B.Anton.3.*p. tit.*26 *cap.*4 *verſ. Item ſi Clericus.* Card. *tract.de interdict p.*2.*n.*78. Syluest. *Interdictum* 5.§.7.quos citat, & ſequitur Alter.*loc.cit.*Giballin. *c.* 5. *de Irregul.q.*2. *conſect.*9.*n.*22 *pag.*354.Sayrus *loc.cit.*Legantur Suarez *diſp.* 34.*ſect.*4. Auil.*p.*7.*diſp.*9 *ſect.*2. *dub* 8. & dicta à nobis *p.*4.*tract.*5. *de interd. diſp.* 8.*q.* 5. & quæ infià q 6. dicemus.

QVÆSTIO V.

An ſaltem maneat irregularis Clericus, qui tempore interdicti localis pulſat campanas, vel aperit Eccleſia ianuas, vel admittit excommunicatos, vel interdictos, quando officia diuina, vel Miſſa ab aliis celebrantur.

AFfirmant aliqui Doctores. Quorum ratio eſt, quia in tali caſu dictus Clericus participat cum principali in crimine criminoſo,cum cooperetur peccato ipſius celebrantis: ſed principalis, nempe celebrans,manet irregularis:ergo etiam qui participat.Ita ſentiunt Calderin.*tract.de Interdict.p.* 1.*n.*78.B.Ant. 3.*p.tit.*26.*cap.*4. Ioan.Andr.*in c.Alma mater.*Syluest. *interd.*5.§.7. & alij.

Sed multò probabilius Reſpondeo, non manere irregularem.Ratio eſt *Primò.*Quia is tantum fit irregularis,qui tempore interdicti,ſuſpenſionis,aut excommunicationis actum conuenientem Ordini Eccleſiaſtico egerit:at pulſare campanas,aut aperire Eccleſiæ portas,&c.tempore interdicti,non ſunt actus proprius alicuius Ordinis,cũ poſſint per laicos agi,& quotidie agantur: ergo ex his Irregularis nullus poteſt putari.

*Secundò.*Quia nec quis irregularis eſt, ex eo quod participet in crimine criminoſo, hoc eſt, in crimine, ob quod alter celebrans fit irregularis. Patet; tum quia talis irregularitas non eſt expreſſa in iure. Tum etiam, quia qui cauſa eſt irregularitatis alienæ, vt qui debilitat alterius membrum, aut generat illegitimum, non ideo fit irregularis ex participatione, vt diximus ſæpè ſuprà: ergo,&c. Sic Henriq. *lib.*13. *cap* 43.*num.*3.*in gloſſ.litt.K.& lib.*14.*cap.*7. (non 3. vt leges apud Alterium) *num.*4 *litt. N.* Auil. *part.*7. *diſp* 9.*ſect.* 2. *dub.*9. Alterius *diſput.* 9. *de interdict. cap.*3.*verſ. Secundò dubitari poteſt.* Couarr. *in cap.*

Alma

Alma mater, parte 2. §. 4. numer. 7. verſ. De illo autem. Gibalinus *cap. 5. quæſt. 2. conſectar. 9. verſ. Vnde etiam ſequitur.* Cornejo ex Auila (quem non citat) *diſput. 6. quæſt. 4.* Sayrus *libr. 5. capite 14. num. 32.* & alij.

Qvæstio VI.

An adminus fiat irregularis dictus Clericus, ſi pulſet campanas, vel portas Eccleſiæ aperiat, authoritate priuata, aut publica, intendens præbere authoritatem publica, & ſolemni celebrationi diuinorum officiorum, tempore interdicti.

AFfirmat Couarruu. *loco ſuper citato*, quem ſequitur Sayrus *n. 33.* ita dicens: Addo tamen cum eodem Couarr. quod ſi authoritate publica, vel priuata vſus vel campanas pulſet, vel iannas aperiat, & ab alio celebrantur diuina, quaſi ipſe auctoritatem præbeat tempore interdicti diuinorum officiorum celebrationi. hac ratione irregularis erit, vt habet communis DD. opinio. Innoc. & Panorm. *in c. fin. n. 6. de exceſſib. Prælat.* Gonzal. à Villadieg. *tr. de Irregul. c. de Interdicto.* Tabien. *verb. Interdictum 6. n. 1. ante finem*, ita ille. Et Vinald. *tract. de Interdicto n. 266 pag. mihi 164.* Altenus etiam *diſp. 9. de Interdict. c. 3. verſ. Fallit hoc*, & alij.

Sed probabilius Reſpondeo: Nec in hoc caſu fieri irregularem dictum Clericum. Conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 21. q. 14.* vbi diximus, minimè fieri irregularem illum, qui nulla ligatus cenſura præbet auctoritatem, vt ligatus excommunicatione, aut ſuſpenſione, vel interdicto, celebret coram ſe. Sic expreſsè tenet Henriq. *lib. 14 c. 7. n. 4 lit. I*, ita dicens: Non fit irregularis, qui audit publicè diuina officia, licèt quodammodo ea auctorizet pulſans campanas, aut aperiens ianuas, dum alius celebrat (cuius oppoſitum quidam affirmant) quia hic actus non eſt Ordinis Sacri, nec iure exprimitur fieri irregularem. Hæc Henriquez Quem citat, & ſequitur Auil. *p. 7 diſp. 9. ſect. 1. dub. 9.* dicens, id eſſe commune inter iuniores. Addo tamen. *Primò* quod *in Clem. Grauis, de ſent. excommun.* ponitur excommunicatio contra dominos temporales, qui tempore interdicti faciunt diuina officia ſolemniter celebrare, pulſando campanam, aperiendo ianuas, vt diximus *p. 4. tr. 5. de Interdict. diſp. 8. q. 15.* Addo *ſecundò*, quod ſi in caſu propoſito Clericus aperiret ianuas Eccleſiæ, exercendo ſolemniter officium Oſtiarij, tunc fieret irregularis, non quia præberet celebrationi auctoritatem, ſed quia violaret interdictum per exercitium minorum Ordinum, quod in noſtra ſententia ſufficit.

Qvæstio VII.

An Clericus Miniſtrans Sacerdoti celebranti tempore interdicti, ſine moderatione cap. Alma, *fiat irregularis.*

AFfirmat Calderin. *tr. de Eccleſiaſt. Interd.* vt refert Villadiego *c. 5. de Irregul. n. 25. col. mihi* 81. Qui & videtur hanc partem tenere ibidem, his verbis: Ego tamen crederem hoc in eo qui non eſt ſuſpenſus, vel excommunicatus cum celebraret; ſecus in ſuſpenſo, vel excommunicato, vel ſuſpenſo concelebrante, vel in concelebrante tempore interdicti; nam videtur quod iſt ligetur: nam cum iſte cooperetur principali celebranti in illo delicto (putà) in illa illicita celebratione, videtur quod ligetur eadem pœna, per ea, quæ notantur *in c. 1. de offic. deleg.* & ſic eandem incurrit irregularitatem. Cogitate tamen in hoc. Hæc Villadiego.

Negant verò Couarr. *in cap. Alma mater, ſecunda parte, §. 4. n. 6. verſ. de illo autem.* Auila *part. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub 9.* dicens falſum oppoſitum. Henriq. *lib. 14. c. 7. n. 4 lit. L*, ita dicens: Nec ſi miniſtret celebranti in loco interdicto (ſubintellige) fit irregularis, niſi miniſtret in loco Sacro cantans Euangelium, aut Epiſtolam ſolemniter. Ita ille, & apud illum Couar. 2 *parte, cit. §. 3. in fine.* Et benè illum citat; nam expreſsè hoc ipſum docet loquendo de Diaconis, & Subdiaconis aſſiſtentibus veſtibus indutis ſacris Epiſcopo Ordinanti tempore interdicti. Ita etiam Sayr. *lib. 4. cap. 14. n. 33.*

Sed probabilius, iuxta noſtram doctrinam, reſpondeo: Non fieri Clericum talem irregularem, vt docent Authores primæ ſententiæ; niſi aliàs miniſtret celebranti, exercendo ſolemniter aliquem actum Ordinis, ſiue maioris, aut ſacri, ſiue minoris: nam in noſtra doctrina, per quemcunque actum Ordinis, ſiue maioris, ſiue minoris ſolemniter exercitum, violatur cenſura, vt habitum eſt ſupr. *diſp. 21. quæſt. 3.*

Qvæstio VIII.

An Clericus fiat irregularis ob quamcunque officij diuini celebrationem tempore interdicti factam, abſque moderamine cap. Alma mater.

REſpondeo, vt certum: Fieri. Sed quid nomine diuinorum officiorum veniat, diximus *part. 4. tract. 5 de Interdict. diſp. 4. q. 43. & 44.* veniunt namque Miſſæ, etiam ſiccæ. Horæ Canonicæ, ſub quarum nomine veniunt officium paruum B. Virginis, & Defunctorum, Pſalmi graduales, & Pœnitentiales cum Litaniis. Solemnis Benedictio Nuptiarum, Templi, Vaſorum Sacrorum, Corporalium, & aliarum Sacrarum veſtium; Candelarum in die Purificationis, & Ramorum in Dominica Palmarum, Benedictio aquæ, & eam publicè cum *Aſperges* fundere. Benedictio fontis Baptiſmalis. Benedictio ſolemnis Epiſcopi, quæ fit cum baculo, &c. Profeſſio ſolemnis in Religione, Litaniæ dictæ cum ſolemnitate, nempe cum Cruce eleuata. &c. Hæc namque omnia diuina prohibita ſunt publicè fieri tempore interdicti generalis, & ideò ob quamcunque illorum celebrationem violatur interdictum, & incurritur irregularitas.

Quod ſi hic quæras, quænam officia ſunt quæ non prohibentur fieri adhuc publicè tempore interdicti. Reſpondeo ex dictis *loc. citat. quæſt. 44.* quod ſunt ea omnia, quæ non ſunt deputata alicui Ordini Clericali. Nempe Confeſſio generalis, & abſolutio, hoc eſt, *Confiteor Deo, Miſereatur veſtri*, &c. Salutatio Angelica, quæ fieri ſolet manè, meridiè, & veſperè. Benedictio menſæ, & fructuum, & veſtium ingredientis Religionem. Sumptio aquæ benedictæ in ingreſſu Eccleſiæ, Concio, Adoratio Crucis in die Veneris Sanctæ, modò fiat ſine publicis precibus. Purificatio mulierum poſt partum, ſi fiat ſine ſolemnitate. Abſolutio excommunicationis, ſi detur ſine ſtola, & abſque ſolemnitate Sacerdotali. Et denique ſunt licita omnia officia ſolita recitari à Confraternitatibus laicorum: & ideò recitari, imò & cantari

poſſunt Litaniæ,& alij Pſalmi, ſine geſtatione Crucis,ſine ſtola & ſuperpelliceo,& ſinè Dominus vobiſcum.Sic ferè omnes DD. præcipuè Nauarr. Henriq. Suar.Auil.& alij *loc.cit.*adducti.

Qvæstio IX.

An laici Regulares,aut alij Religioſi non Ordinati,fiant irregulares,ſi in loco interdicto celebrent diuina, aut miniſtrent ſolemniter in Ordine ſacro quem non habent, & ſine moderatione cap.Alma.

Reſpondeo, vt quid certum : non fieri irregulares,ſaltem ex violatione interdicti. *Primò*,quia id non eſt in iure expreſſum.*Secundò*,quia *in c.Is cui, de ſentent.excommun.* tantùm imponitur irregularitas contra violantes interdictum locale,agentes in officio ſicut prius:quibus verbis clarè ſupponitur Ordo aliquis ad incurrendam irregularitatem,quem tamen dicti Religioſi non habent:ergo Sic D.Ant.3.*par.tit.*26.*c.*4.§.2.Syluest.*Interdict.*6.*q.*3.*p.*1. Nauar.*c.*27.*n.*28. quos citat,& ſequitur Auil.*p.*7.*diſp.*9.*ſect.*2.*dub.*8.*in fine*,& omninò ex illo non citato,Cornejo *diſp.* 6. *de Irregul.q.*7.*verſ.Infero ſecundò.* Sayr.*lib.*5.*c.*14. *n.* 4. Gibalin.*c.* 5. *de Irregul.q.*2.*conſect.* 9.*in fin. pag.*355. Alterius *diſp.*9.*c.*2.*col.*7.*verſ.Sequitur ſecundè.*Notanter diximus,non fieri irregulares ſaltem ex violatione interdicti ; nam aliunde incurrent irregularitatem, ſi miniſtrent in Ordine,quem non habent,vt conſtat ex dictis ſupr.*diſp.*20.*q.*11.*&* 12. & incurrent alias pœnas,vt conſtat ex dictis *p.*4.*tr.*5. *de Interdict. diſp.* 8. *quæſt.* 15.

Qvæstio X.

An ſint irregulares Clerici,qui conſtituti in minoribus Ordinibus, exercent ſolemniter actus proprios illorum Ordinum tempore interdicti.

Negant plures DD. citati à nobis in ſimili ſup. *diſp.*21.*q.*3.& loquendo de præſenti quæſtione ſpecialiter negant Sot.*lib.*4.*ſent. diſt.*22.*q.*3.*art.*1. *concl.*5.*poſt medium, verſ. Sunt tamen notanda.* Auil. *p.*7.*diſp.*9.*ſect.*2.*dub.*3.Palud. D.Anton. Henr. & alij penes ipſum.

Sed probabilius Reſpondeo : Eſſe irregulares. Sic quamplures DD. quos *diſp.*21.*quæſt.*3. cum ſuis fundamentis adduximus. De quo vlterius loquendo de violatione ſuſpenſionis, egimus ſup. *diſp.* 22. *q.* 15. Legantur Alterius *diſp.*9. *de Interd. loc.cit.verſ. Sed dubitatur.*

Qvæstio XI.

An qui tempore interdicti confert Ordines, fiat irregularis.

Reſpondeo, vt quid verum, Irrègularem fieri, etiamſi ſolùm minores Ordines conferat. Quia reuera violat interdicti cenſuram per exercitium Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. Sic Couarr. *in c. Alma mater,p.* 2.§.3. *n.* 4. Bern. Diaz *in ſua pract. c.*32.*n.*2.*&* 3. Auil. *p.*7.*diſp.*9.*ſect.*2.*dub.*10.*concl.* 1. & conſtat ex ſuprà habitis,*& p.*4.*tract.* 5. *diſp.* 5. *à quæſt.* 27.

An autem irregularitatem incurreret, qui in neceſſitate Ordinandi Miniſtros Eccleſiaſticos,Ordines conferret,conſtat ex dictis *loc.cit.q.*32.non incurrere; quia,dato caſu, licitum eſt Ordines tempore interdicti celebrare.

Qvæstio XII.

An qui tempore interdicti recipit Ordines, ſaltem maiores, maneat irregularis.

Reſpondeo : Quod non. Quia talis Irregularitas non eſt in iure expreſſa.Sic Nauar. *c.*27. *n.*143. *verſ.Octauò.* Henriq.*lib* 13.*c.*43.*n.*7.*circa fin.* vbi ita ait: Qui in loco interdicto recipit Ordinem ſacrum,vt Diaconatum ab Epiſcopo, fit interdictus, aut ſuſpenſus. Quidam addunt, Diaconum dum in loco interdicto initiatur, ſi canter ſtatim Euangelium in eadem Miſſa, fieri irregularem,quia hic interdictus alio actu miniſtrat in Ordine Sacro.At reuera non ita fit,vnde qui in loco interdicto recipit Ordinem Sacerdotalem, non fit irregularis,licèt ſimul celebraret cum Epiſcopo Ordinante,aut participet in crimine : nam propter idem crimen in actibus coniunctis non eſt puniendus duplici pœna,vt ſimul fiat interdictus, & irregularis. Hæc Doctiſſimus Henriquez, quem citat,& in dicto principali ſequitur Auil.*loc.cit.concl.*3. & conueniunt cum his,quæ à nobis ſunt dicta 4.*p. tr.*4. *de ſuſpenſ. diſp.*4.*q.*5.& ſup.*diſp.*22.*q.*13. *&* 14.

Qvæstio XIII.

An Clerici incurrant irregularitatem, ſi ſepeliant in interdicto loco defunctos ſine officio diuino,aut Miſſa.

Reſpondeo,vt certum dicendum, quod licèt incurrant alias à iure ſtatutas pœnas,ſed non irregularitatem.*Primò*,quia non reperitur in iure. *Secundò*, quia ad incurrendam hanc irregularitatem,requiritur executio actus poſtulantis Ordinem : at tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ corpus defuncti ſine officio diuino,aut Miſſa,non eſt actus alicuius Ordinis:ergo non parit irregularitatem.Sic Syluest. *Interdictum* 5. *q.*8.*par.*2.Nauar.*cap.*27.*n.*244 Henriq *lib.*14.*c.*7.*n.*4. *lit.P.ibi*:Nec fit(*irregularis*,intellige)qui abſque officio ſepelit defunctum etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta Sic ille.Auil.*p.*7.*diſp.*9.*ſect.*2.*dub.*2.*coroll.*2. Suar.*diſp.*25.*ſect.*1.*n.*19.*verſ.Præter hanc.*Alter. *diſp.* 9.*de Interd c.*2.*in fine*,Cornejo 3.*p.diſp.*6.*de Irregul. q.*7.*verſ.Sed quid de Clericis.*

Qvæstio XIV.

An ſaltem fiant irregulares Clerici, qui in loco generaliter interdicto ſepeliunt defunctos,cum officio diuino,& Miſſa.

Reſpondeo, tanquam certum, tunc irregulares fieri : cum exerceant actus Ordinis Eccleſiaſtici. Sic omnes Doctores, qui hanc reſolutionem intelligunt, dummodò ſepeliant defunctos ſine moderamine *cap. Alma mater.* Quia ſi in tali diuino officio ſeruetur, non erunt irregulares, cum poſt illud priuilegium omnia officia diuina ſint licita, habita prædicta moderatione, & locus ſepulturæ ſit ſolùm generaliter interdictus : nam ſi ſpecialiter interdictus

interdictus ſit, erunt irregulares, quamuis ſeruent conditiones dicti *c. Alma.* Sic Henriq. *c. 7. cit. n. 4.* ibi: At ſi ſepeliat ſolemniter cum officio in loco generaliter interdicto, etiam non ſacro, fit irregularis, niſi adhibeat moderationem *c. Alma mater.* Seruato tamen modo per iura permiſſo, peccat ſic ſepeliens carentem priuilegio, ſed non fit irregularis. Si tamen ſepeliat ſolemniter in loco ſpecialiter interdicto, etiam cum dicta moderatione, fit irregularis, ex iure antiquo, cui non derogat *c. Alma mater.* Sic ille. Legantur Auila, & Cornejo *loc. cit.* & dicta à nobis *p. 4. tract. 5. de interd. diſp. 6. q. 10.*

Qvæstio XV.

An Clericus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, maneat irregularis intra Eccleſiam diuina officia celebrando.

NEgat Speculator *in tit. de diſpenſ. §. Iuxta.* Quia (inquit) poteſt celebrare extra Eccleſiam, *c. Concedemus, de conſecrat. diſt.* 1. at interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ non fit irregularis celebrando extra Eccleſiam: ergo.

Sed vt certum Reſpondeo: Manere irregularem celebrando intra Eccleſiam. Quia ſic videtur diffinitum *in cap. Is cui, de ſent. excomm. in 6.* vbi ita habetur: *Is cui eſt Eccleſiæ interdictus ingreſſus, cum ſibi per conſequens cenſeatur in ipſa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, ſi contra interdictum huiuſmodi diuinis in ea ſe ingerat, in ſuo agens officio ſicut prius.* Sic textus. Ex quo clarè habetur, quod ſi interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ in ea diuina celebret, quaſi vtens ſuo officio, irregularis erit. Sic Angel *verb. ſuſpenſio 3. n. 5.* vbi ita dicit: Quid ſi interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, intrat, & audit ibi diuina? Reſpondeo quod licèt mortaliter peccet, non tamen efficitur irregularis, niſi ipſe celebret, quaſi vtens officio ſicut prius, ſecund. Gemin. *in d. c. Is cui, de ſent. excomm. lib. 6.* ſic Ang. Et ſic Ioan. Andr. Feder. de Senis, & Silueſt. quos citat, & ſequitur Maiolus *lib. 3. de Irregular. c. 19. n. 4. verſ. Septima extenſio.* Anchar. *in d. c. Is cui, n. 1.* & Francus *ibid.* Nau. *c. 27. n. 170.* Couar. *c. Alma mater p. 2. §. 1. n. 3.* Henriq. *lib. 13. c. 32. n. 2.* Auila *p. 5. diſp. 4. dub. 5. concluſ. 5.* Alterius *diſp. 6. de ſuſpenſ. c. 3. verſ. Secundè dicimus,* Saytus *lib. 4. c. 7. n. 12.* & alij.

Qvæstio XVI.

An etiam maneat irregularis Clericus interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi intra Eccleſiam audiat officia diuina.

REſpondeo dicendum: quod licèt peccet mortaliter, non tamen maneat irregularis, audiendo intra Eccleſiam diuina, niſi aliàs ipſe ſimul celebret, quaſi vtens ſuo officio, ſicut prius. Sic Ang. vt vidimus nuper. Couarr. *n. 3. cit. verſ. Poterit,* ibi. Vnde conſtat, etiam hunc interdictum ingreſſu Eccleſiæ, non poſſe diuina officia intra Eccleſiam audire, licet ex ea auditione irregularis non ſit, *c. Is qui ſupra eod. tit.* Hæc ille. Et Ioan. Andreas, Silueſt. Henriq. Auila *loco cit.* Sayrus *n. 13. & 14.* cum aliis pluribus. Legantur dicta à nobis *p. 4. tract. 5. de Interdict. diſp. 7. q. 2.*

Qvæstio XVII.

An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit abſque incurſione irregularitatis celebrare diuina extra Eccleſiam.

REſpondeo, vt quid certum: Poſſe. Ratio eſt, quia cauſa limitata limitatum producit effectum, arg. *l. in agris ff. de acquirend. rer. domin.* at ſic eſt, quod hæc pœna eſt limitata reſpectu loci, nempe *intra Eccleſiam celebrando,* vt conſtat: ergo nihil operabitur, ſi extra illam celebratio fiat. Ex quo conſtat, quod ille Sacerdos, qui interdictus ingreſſu Eccleſiæ celebraret extra Eccleſiam, ſub dio, vel in territorio, aut aliqua domo priuata, cum Altari portatili, minimè eſſet irregularis. Sic communiter Doctores, Palud. *diſtinct. 18. q. 7. art. 3. concl. 1.* Gloſſ. *in cap. Is cui, verb. In ea.* Henriq. *lib. 13. c. 32. §. 2.* Nauar. *c. 25. n. 75. verſ. Duodecimò, & c. 27. n. 170.* Couar. *in c. Alma mater, p. 2. §. 1. n. 3.* Aug. Guffius, Calderin. Silueſt. D. Anton. Viuald. & alij, quos citat, & ſequitur Sayrus *lib. 4. c. 7. n. 12. verſ. Secundo.* Auila *p. 5. diſp. 4. dub. 5. concl. 5.* Et nos etiam *p. 4. tract. 5. diſp. 7. q. 6.*

Qvæstio XVIII.

An ſi interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ celebret in Oratorio, incurrat irregularitatem.

REſpondeo breuiter cum communi Doctorum ſententia, irregularitatem incurrere, ſi celebret in Oratorio erecto auctoritate Epiſcopi, & ab illo deſignato in perpetuum pro celebratione diuinorum; ſecus ſi celebret in Oratorio priuato, ſine campana, & ſine facultate Epiſcopi erecto. Quia illud verè venit nomine Eccleſiæ; hoc verò in præſentiarum minimè. Sic Anchar. cum Calder. *in c. Is cui, n. 1. de ſentent. excomm. in 6* Nauar. *c. 27. n. 170.* Couar. *§. 1. n. 3. cit.* Auila *concl. 5. cit.* Alterius *diſp. 6. de ſuſpenſ. c. 3. verſ. Quid dicendum,* Henriq. *lib. 13. c. 32 n. 2. lit. O.* & alij plures apud ipſum. Et nos *p. 4. tract. 5. diſp. 7. q. 6.*

Qvæstio XIX.

An item irregularitatem contrahat Sacerdos ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus, celebrans in Eccleſia non conſecrata ab Epiſcopo, ſed ſolùm benedicta.

REſpondeo, vt quid certum: Etiam irregularitatem contrahere. Quia Eccleſia benedicta, licèt non ſit conſecrata, verè, & propriè venit nomine Eccleſiæ. Sic tenet communis ſententia, vt docent Nauarr. Couarru. Henriq. Auila. Alterius, & alij *loc. cit.* Sayrus *lib. 5. c. 11. n. 17.* Panorm. Calder. & Gemin. apud ipſũ.

Qvæstio XX.

An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, fiat irregularis celebrando Miſſam in cœmeterio contiguo ſaltem Eccleſiæ.

AFfirmant plures Authores, eo quòd nomine Eccleſiæ etiam verè, & propriè veniat cœmeterium: ergo ſi interdictus ingreſſu Eccleſiæ

ſit irregularis Miſſam celebrando in Eccleſia, conſequenter fiet celebrando in cœmeterio. Et ideò ita tenent Auila, Hurtadus, Portellus, Luyſius, & Villalob. citati à nobis *parte 4.tract.5.diſp.7.q.6.*

Sed probabilius iterum Reſpondeo: Non fieri irregularem. Quia probabilius eſt, quod interdictus ab ingreſſo Eccleſiæ licitè poſſit in cœmeterio etiam contiguo Eccleſiæ Miſſam dicere, eo quod in huc caſu non veniat propriè, & in rigore nomine Eccleſiæ. Sic Suar. Alter. Filliuc. Regin. Dian. Bonac. Bauny, Baſſeus, Palaus, Vgol. & Sayr. adducti à nobis 4.*p.* vbi ſuprà.

Qvæstio XXI.

An Presbytero celebrante intra Eccleſiam, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, abſque incurſione irregularitatis extra Eccleſiam exiſtens canere Epiſtolam, vel Euangelium.

AFfirmant Henriq. *lib.13. cap.43.n.3. in gloſ. lit. K.* ibi: Sed probabilius eſt, Diaconum hunc non fieri irregularem, quia id odioſum nullo iure exprimitur, & participatio in crimine non extenditur ad cenſuram interdicti. Ita ille. Et ex illo Auil. *part.5. diſp.4.ſect.3.dub.5.concl.5.verſ.Sed inquiris.*

Sed probabilius iterum Reſpondeo: Non poſſe, abſque incurſione irregularitatis. Quia licèt corporaliter miniſterium Subdiaconi, vel Diaconi exerceri extra Eccleſiam videatur: tamen moraliter intra Eccleſiam fieri cenſetur, eo quòd Sacrum, cui miniſtrat, intra Eccleſiam fit, & ad illum proximè cooperatur, & totum illud miniſterium eſt vnum officium. Sic Sylueſt. Suar. Calderin. Gemin. Franc. D. Anton. Alterius, & Palaus citati à nobis *p.4.tract.5.diſp.7.q.3.*

Qvæstio XXII.

An ſaltem contrà Presbytero extra Eccleſiam celebrante, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, canere Epiſtolam, aut Euangelium intra Eccleſiam, abſque incurſione irregularitatis.

AFfirmant Henriquez *loc.cit.n.3.in fine*, ita ſcribens. At ſi Sacerdus ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus, in cæmeterio celebret extra Eccleſiam, licèt Diaconus intra illam canat Euangelium, non violat, nec fit irregularis. Quia (*addit in margine*) cantus Euangelij, quod eſt acceſſorium, ſequitur principale, atque ita tota Miſſa cenſetur fieri extra Eccleſiam. Ita ille. Ex cuius verbis conſtat, ſentire neutrum fieri irregularem, & quantum ad primum idem ſentit Auila à nobis vbi infra citatus.

Sed iterum probabilius Reſpondeo: Non poſſe abſque incurſione irregularitatis. Quia probabilius eſt, non poſſe tunc intra Eccleſiam cantare, ſine violatione interdicti. Quia licèt Miſſa extra Eccleſiam dicatur; tamen de facto actio Subdiaconi, aut Diaconi fit intra Eccleſiam, quod ſufficit ad violandum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ latum, & conſequenter ad incurrendam irregularitatem ob ſolemnem adminiſtrationem Ordinis. Sic Suarez, Alterius, & alij citati à nobis *part.4. tract.5. diſp.7.q.4.*

Qvæstio XXIII.

An in prænſſignatis duobus caſibus non ſolum Subdiaconus, aut Diaconus incurrat irregularitatem, ſed etiam ipſe celebrans Sacerdos.

AFfirmat Sylueſt. *interdictum 6. §. 6.* per verba, quæ ad longum retulimus *p.4.tr.5.diſp.7.q.5.*

Sed iterum probabilius Reſpondeo: Solum Subdiaconum, aut Diaconum incurrere irregularitatem; non tamen Sacerdotem, vt habitum eſt *p. 4. loc. cit.* Niſi ergo (vt ibidem diximus) ipſe Sacerdos ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit, & intra Eccleſiam Sacrum faciat, minimè ex alio capite fiet irregularis. Sic Henriq. Auil. Suar. & Alter. quos loco citato adduximus. Quæ hic deſiderari poſſent, inueniuntur *diſp. 21.*

DISPVTATIO XXIV.

De Irregularitate ex crimine hæreſis proueniente.

Qvæstio Prima.

An Clerici hæretici, qui ſuam hæreſim publicè manifeſtant, ſint omninò irregulares.

RESPONDEO, vt quid certiſſimum: Eſſe omninò irregulares. Quia ſic habetur in iure, *c. Si quis Presbyteri, c. Saluberrimum, & c. Conuenientibus 1.q.7. & c. Nos conſuetudine, diſt.12.* vbi Clerici in hæreſim incidentes, aut à fide apoſtatantes, prohibentur ad vlteriorem Ordinis gradum aſcendere, licèt in iam ſuſceptis Ordinibus, poſtquam conuerſi fuerint ad fidem, permittantur pro beneficio magno in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Sic tenent omnes Doctores, præcipuè mox citandi.

Qvæstio II.

An etiam laici hæretici publici ſint omninò irregulares.

NEgandum videtur, eo quod *in c. Si qui voluerint 1.q.7.* dicatur de Nouatianis redeuntibus ad Eccleſiam, poſſe Ordinari. Qui textus intelligendus videtur (ad minus) de laicis (ait Palao,) quibus non eſt ita certum, hanc irregularitatem eſſe impoſitam, cum omnes textus, qui hanc irregularitatem indicere videntur, de Clericis loquantur. Ita ille *diſp.6. de cenſur. punct.19. §.1.n.1.*

Sed vt certum Reſpondeo: Etiam laicos hæreticos publicos, eſſe omninò irregulares, itaut nec redeuntes ad fidem ordinari, aut initiari Ordinibus poſſint. Quia (ait Sanchez) licèt in prænumeratis ſupra textibus, nulla laicorum mentio fiat, nec etiam ſuſpenſionis, aut priuationis exequutionis Ordinum iam ſuſceptorum: at Doctores ſtatim allegandi id meritò ad laicos hæreticos, vt nullatenus promoueri ad Ordines valeant, extendunt. Quippe hæc promotio non interdicitur Clericis, eo quòd Clerici ſint; ſed ratione criminis, atque ideò comprehendit

laicos

laicos eiuſdem criminis participes. Sic ille *lib. 2. in Decal. cap. 25. n. 2.* Fagund. *lib. 1. in Decal. c. 27. n. 3.* Pelizz. *tom. 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 3. q. 2. n. 96.* & communis.

QVÆSTIO III.

An etiam fiant irregulares hæretici externi, ſi per accidens occulti ſunt?

NEgant plures Doctores, eo quòd textus hanc irregularitatem indicentes exigunt notorietatem criminis, vt expendenti conſtabit: ergo planè ſequitur, quod hæretici occulti non fiant per hæreſim irregulares. Ita tenent Henriq. *lib. 14. c. 4. n. 6.* vbi ſic ait *in corp. capituli*: Qui occultus hæreticus, aut apoſtata, expreſſo iure non probatur eſſe irregularis. Quare (*addit in marg. lit. H.*) Syluest. *verb. Irregularitas, §. 5. & Ordo 4. §. 2.* non refert hanc irregularitatem inter alias. Perez *lib. 3. tit. 4. lib 8. Ordin. pag.* 98 Ledeſma, & Corduba, negant eſſe irregularem: quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus iure expreſsis ſup. *cap. 1. §. 3. F.* & ob nullum crimen occultum, præter homicidium, fit irregularis. Ita Henriq. ibi: & *cap. 5. n. 2. in princ.* Philiarc. *lib. 4. cap. 13.* Soyt. *lib. 7. cap. 12.* (non 11. vt leges apud Palaum) *num. 16. in fine*: Quartò, ſi ſit hæreticus occultus, non eſt irregularis, poſt pœnitentiam, & abſolutionem ab excommunicatione: quia in iure non eſt expreſſum. Ita ille. Sà *verb. Irregularitas ex defectu animæ, n. 2* Auil. *part. 7. diſp. 4. dub. 2. concluſ. 3* Laym. *de Irregularit. lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. n. 12.* Gaſpar Hurtad. *diſput. 2. diff. 4. n. 14.* Garcia *part. 11. de Benefic. cap. 10. num. 84.* Reginald. *lib. 34. tract. 2. n 193.* Tannerus *in tertia parte, diſp. 6. q. 10. n. 200.* Trullench. *lib. 1. Decalog. cap. 13. dubit. 10. n. 2.* qui pro hac parte citat Azorium *lib. 8. cap. 15. q. 13.* Gibalin. *cap. 5. de Irregularit. q. 3. dub. 1. pag. 362.* Dian. *prima part. tract. 11. Reſol. 114.* (licèt contrarium poſteà tenuerit *part. 2. tract. 55. reſol. 24. & part. 4 tract. 2. Reſolut. 26.*) Cornejo *in tertia parte, tract. 5. diſp. 9 dub. unico, quæſt. mihi 4. pag.* 816. (qui tamen malè citat Auilam pro parte contraria.) Et horum ſententiam eſſe valdè probabilem, expreſsè tenet, imo vt talem ſequitur Palaus *part. 6. diſp. 6. punct. 19. §. 1. num. 2.* Qui omnes in eo fundantur, quod putant, hæreticos ſolum ab Ordinibus repelli, vel ratione infamiæ, quia omnis hæreticus eſt infamis, vel ratione excommunicationis, &c.

Sed nihilominus probabilius Reſpondeo: Hereticos omnes externos, quantumuis occultos, effici irregulares, & ideò minimè poſſe, etiam poſt obtentam abſolutionem ab excommunicatione, & peccato hæreſis, Ordinibus initiari, niſi obtineant prius diſpenſationem ab irregularitate ob crimen hæreſis contracta. Ratio eſt. Quia probabilius eſt, irregularitatem per ſe annecti hæreſi: ergo nihil omninò intereſt, quod publica, vel occulta ſit, modo non mentalis, ſed externa ſit. Antecedens probant communiter DD. ex textibus nuper citatis, & ex Concil. Elibertino *cap. 51.* & etiam ex Conſtitutione Clementis VII. incipienti: *Cùm ſicut*, quam refert Peña in fine Directorij Inquiſitorum: vbi Summus Pontifex concedit Dominis Inquiſitoribus facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta ob hæreſim occultam: ergo ſupponit Pontifex irregularitatem hanc contrahi ex ipſo delicto hæreſis occultæ: ad quid enim diſpenſabunt in illa, ſi illa non incurritur? Vnde hanc ſententiam vt communiorem ſequuntur Nauarr. *cap. 27. n. 205. verſ. Tertiò, & conſil. 19. de hæreticis.* Angel. *verb. Irregularitas 1. n. 26* Syluest. *verb. Irregularitas, q. 5. & q. 54.* & clarius *verb. Crimen, quæſt. 2.* vbi ita ait: Secundò quæritur de diuiſione criminum in enormia, & mediocria, & minora. Et dico, quod ſecundum Hoſtienſ. & Gloſſ. & Rayn. criminum quædam ſunt enormia, inter quæ ſunt homicidium, ſcilicet voluntarium: & idem de caſuali præcedente culpa: & ſimonia in Ordine, & beneficio. Et idem dicit Goff. addens vitium hæreſis, *1. q. 2. veniens.* Et hæc, etiam poſt pœnitentiam, impediunt pro mouendum, & iam promotum deiiciunt, etiamſi ſint occulta, *2. quæſt. 1. ventum eſt, de hæret. quicunque, & cap. Statutum, lib. 6. de temp. Ord. Quæſitum, de Simon. tant.* & generaliter idem eſt de omni crimine inducente irregularitatem. Hæc Syluester. Cuius verba retulit, vt fortè non dicas eum Henriquez, non referre Syluestrum hanc irregularitatem inter alias: refert enim, vt vides. Sic item Vgolinus *cap. 36. n. 1.* Felician. *de cenſ. cap. 7.* Maiolus *lib. 5. cap. 46. num. 1.* Lamb. *de iurepatron. 1. p. lib. 1. quæſt. 7.* Peña *in director. Inquiſit. 3. p. comment. 162. quæſt. 183. & comm. 175. q. 126.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 3.* Azor, *tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 13 & cap. 21. q. 8.* Suar. *de Cenſur. diſp. 43. ſect. 1. n. 4. & tract. de fide, diſp. 21.* (non 25. vt leges apud Gibalinum) *ſect. 5. n. 1. & 2.* vbi & benè citat Thomam Sanchez *lib. 2. Decalog. c. 25. n. 2.* Farinacium *de hæreſi, q. 189. n. 41. & q. 192. à n. 67.* & Menduzam *lib. 3. ad Concil. Elibertin. c. 28. & 29.* ſic etiam Filliuc. *tract. 20. cap. 9. n. 228.* (non 17. vt leges apud Palaum) Ægidius *diſp 18 dub. 7. à n. 50.* Bonacin. *diſp 7. de cenſ. q. 3. punct. 7. n. 1. & 3.* Toledo *lib. 1. Summ. cap. 18. n. 1.* apud Sanchez, & Fagundez, apud me verò *c. 19. n. 4. verſ. Tertium eſt, adiuncto c. 69.* Luyſius *de cenſur. lib. 9. diſp. 62. dub. 1.* Præpoſitus *q. 5. de Irregular. dub. 7.* Sanctarell. *de hæreſi capite 25. n. 1.* Gordonus *lib. 7. quæſt. 18. c. 18. n. 220.* Fagundez *lib 1. in Decalog. c. 17. n. 2.* Dian. *part. 2. tract. 15. reſol. 24. & part. 4. tract. 2. reſolut. 46.* Philibertus *de Ordine tract. 1. part. 8. cap. 2. à n. 3.* Pelizzarius *tom. 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 3. q. 2. n. 95.* & alij.

QVÆSTIO IV.

An qui ſpontè, vel metu, fictè negat fidem externus, ſed corde illam retinet, irregularis fiat ex hæreſis crimine?

AFfirmatiuam partem tenere Caietanum, poteſt quis exiſtimare: eo quòd hic Doctor *2. 2. q. 12. art. 1. & q. 94. art. 1. ad 1.* (vt vidimus *p. 4. tract. 1. diſp. 8 quæſt. 6. & tract. 3. diſp. 1. q. 8.*) expreſsè teneat, quod ille, qui ſolo verbo profert hæreſim, etiamſi interius nullum aſſenſum talis propoſitionis hæreticæ habeat, excommunicationem Bullæ incurrat: ergo & irregularitatem.

Sed vt certum quid Reſpondeo: Minimè irregularem ex hæreſis crimine fieri. Quia certum eſt, quod ille, qui exterius ſolùm fictè fidem negat, ſicut liberatur ab excommunicatione, eo quòd verè non ſit hæreticus (vt diximus *loc. cit.*) ita liberatur ab irregularitate, quam hæreſis parit. Sic tenent communiter omnes Doctores, præcipuè Sanchez *lib. 2. Decalog. c. 25. n. 5. & 6.* Bonac. *quæſt. 3. citata, punct. 7. n. 2.* Fagund. *lib. 1. in Decalog. c. 17. n. 5.* Filliuc. *tract. 20. c. 9 q. 2. n. 230.* & alij.

Qværtio V.

An ſaltem prædictus negans fictè exterius fidem, fiat irregularis, irregularitate propria, lata contra eos qui fictè negant fidem?

NEgant adhuc plures Doctores, eo quòd exiſtiment: nullam irregularitatem eſſe à iure latam in fictè negantem fidem. Probatur: quia ſi aliqua eſſet, maxime *in cap. Presbyteros, diſt.* 50. at in hoc nulla fertur irregularitas in fictè negantes fidem: ergo. Minor probatur. *Primò*, quia in dicto cap. tantum eſt ſermo de immolantibus Idolo: ergo non debet extendi ad reliquos deſerentes fidem, cum ſimus in lege pœnali. *Secundò*, quia in d. cap. non fit ſermo de fictè immolantibus Idolo, ſed de illis, qui metu verè ex animo immolauerunt: ergo ex illo non poteſt probari, irregularem fieri, qui fictè, & non ex animo fidem negat. Ita tenent Nauar. *lib de heret. in 1. edit. conſil. 3. in fine, & in 2. edit. toto conſil.* 8. Quorum ſententiam vt probabilem ſequitur Palaus *diſp. 6. de Cenſur. punct.* 19. §. 1. *num.* 4. Imò & Diana, juxta Summam ipſius concinnatam per Auſonium, *verb. Irregularitas ex delicto, num.* 27. Sed hic Auctor fallitur; nam Diana oppoſitum vt quid probabilios, ſequitur.

Sed probabilius Reſpondeo: Irregularem fieri irregularitate propria lata contra fictè negantes exterius fidem. Quia probabilius eſt, hanc irregularitatem contra dictos ferri *in dicto cap. Presbyteros*, quod deſumptum fuit ex Concil. Ancyrano, *cap.* 1. *&* 2. Quia quamuis hic textus videatur loqui ſolùm de offerente ſacrificium Idolis, tamen idem voluit dicere de fictè negantibus fidem quocumque ſigno externo. Nam poſtquam dixit, immolantes Idolis ex graui timore arcendos eſſe ab Ordinibus, ait ſecus eſſe de laicis, qui cum clamarent ſe Chriſtianos eſſe, vi præciſa coacti ſunt immolare, quos ab hac pœna ait eximi, eo quòd culpæ immunes ſint: comprehendit ergo fictos apoſtatas ob timorem, qui non ſunt à culpa hac, & peccato liberi. Sic omnino Fagundez *cap. 17. cit. num.* 5. ſequutus Thomam Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap* 25. *num* 6. Suarium *de Cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 2. *num* 2. Maiolum *lib.* 5. *de Irregularit. cap.* 34. *num.* 2. & Viualdum *de Irregularit. num.* 38. Quibus addi poſſunt Sanctarellus *tract de hereſi, cap.* 25. *dub* 1. *num* 4. Farinac. *de hereſi, quæſt.* 92. *num.* 73. Filliuc. *tract.* 10 *cap.* 9. *num.* 130. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 49. & alij.

Qværtio VI.

An fautores, receptores, & defenſores hæreticorum, quatenus heretici ſunt, afficiantur eademmet irregularitate, qua afficiuntur heretici?

NEgant aliqui Doctores, eo quòd in iure id non habeatur expreſsè. Nam ſi alicubi, maximè *in cap.* 2. *§. heretici, de heretic in* 6. vt contrarij fatentur; at in hoc capite prædicti ſolum dicuntur inhabiles ad beneficia, & officia publica, ſub quorum nomine non includitur Ordo: ergo. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. *litt. R.* Sà *verb. Irregularitas ex defectu animæ, num.* 2. Hurtad. *diſput.* 2. *de Irregularitate, difficult.* 3. *à num.* 7. Quos videntur ſequi Palaus *diſput.* 6. *punct.* 19. §. 1. *num.* 5. & Diana *part.* 4. *tractatu* 2. *reſolut.* 44. & Cornejo *in* 3. *part. tractatu* 5. *diſputatione* 8. *dub. vnico, quæſtione vltima, in fine*, & alij exiſtimantes, prædictos non affici peculiari irregularitate, ſed ſolum illa, quæ contrahitur ex infamia,

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod præfati fautores, receptores, & defenſores hæreticorum verè afficiantur eademmet irregularitate, qua afficiuntur ipſimet hæretici, & ideo illam minimè euadant, quamuis occulti ſint. Quia probabilius eſt, quod hæc particularis irregularitas habeatur in iure *in dicto cap.* 2. *de heret. cit.* vbi præfatæ perſonæ dicuntur eſſe inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum: at ſic eſt, quod ſub nomine officij publici comprehenduntur non ſolum officia temporalia, ſed etiam Eccleſiaſtica: ergo & officium Ordinis, ad quod aſcendere dictæ perſonæ prohibentur. Sic tenent Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 7. Suarez *de Cenſur. diſp.* 43 *ſect.* 2. *num.* 5. *in fine.* Nauarrus, Ledeſma, Valentia, & Maiolus apud illos. Auila *part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 2. *concl.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.* 69. *num.* 1. Bonacina *vbi ſupra*. Sanctarell. *tract. de hereſi, cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 4. Ægidius *diſp.* 18. *dub.* 7. *num.* 51. *concl.* 2 Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 5. *de Irregularit. dub.* 7. *num.* 44. Ioan. de Cruce 2. *part. Summ. vbi de Irregularitate, dubit.* 4. *concluſ.* 2. Fagundez *loc. cit. num.* 6. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 21. *difficult.* 15. *num.* 6. Philibertus *de Ordine, tract.* 1. *part.* 8. *c.* 2. *n.* 3. & alij.

Qværtio VII.

An illi qui tanquam de hereſi ſuſpecti coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi, irregularitatem incurrant?

AFfirmant prædictas perſonas incurrere irregularitatem, ob ſuſpicionem vehementem de hæreſi, Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæſt.* 8. *in fine*, per hæc verba: Quæres deinde, quid ſi Titius tanquam de apoſtaſia ſuſpectus abiurauerit, hoc eſt, iureiurando exeeratus fuerit, & damnauerit omnem hæreſim, an eo ipſo factus ſit irregularis: ita vt nec ad Ordines, nec ad beneficia poſſit promoueri? Reſpondeo idem iuris eſſe de huiuſmodi apoſtata, quod eſt de eo, qui vt ſuſpectus iureiurando deteſtari in iudicio cogitur omnem hæreſim. Vterque poſt abiurationem ob ſuſpicionem vehementem apoſtaſiæ, vel hæreſis, irregularitatem contrahit, aut ſaltem tanquam irregularis habetur. Huc vſque Azor. Cuius ſententiam nouiſſimè ſequitur Emanuel Moure *opuſc.* 1. *de Enſalmis, & incantatione, ſectione* 3. *cap.* 6. *numero* 21, *&* 22.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Minimè irregularitatem incurrere, ratione vehementis ſuſpicionis notoriæ hæreſis. *Primò*, quia in iure ſolùm imponitur pœna irregularitatis hæreticis; non verò abiurantibus hæreſim: quia huiuſmodi nec ſunt hæretici, nec vt tales damnantur, ſed tanquam de hæreſi ſuſpecti. *Secundò*, quia licèt ſuſpecti de hæreſi notorij, ratione infamiæ incurrant aliqualem irregularitatem, dum non purgauerint ſuſpicionem: tamen per abiurationem eam purgant, ac proinde purgata & ablata infamia, liberi manent ab irregularitate, & ideo abſque diſpenſatione vlla ad Ordines poterunt promoueri. Sic doctiſſimus Nauar. *conſ. mihi* 16. *de heretic.* vbi *num.* 1. hæc dicit: Dixi verò, quod mihi videbatur, reſponſum Domini mei doctiſſimi eſſe fictum, quatenus habet, per ſolam abiurationem de leui, non incurri vllam irregularitatem; imò neque per abiurationem de vehementi, quod exercitum fuit in quodam Prælato, qui abiurauit de vehementi, & ſequenti die ſine vlla diſpenſatione celebrauit Miſſam, cum approbatione, & laude Papæ, & totius Curiæ: & rectè, quoniam nullo iure id probari

probari poteſt, & irregularitas non incurritur, niſi in caſibus à iure expreſſis. Hæc meus Nauarrus. Et ex illo Villalob. *tom.1.tract.21.diffic.15. n.2.* Henriq. *lib.12. cap.56.n.1.& lib.14. cap. 4.n. 6. in fine.* Suarez *diſp.43.ſect.2.n.9.&* 10. Sanchez *lib.2. in Decalog.cap. 25.n.10.&* 12. Sà *verb hæreſis,n.5* Flaminius *de Reſignat.benefic. lib 4 quæſt.3. n. 17.* Farinac. *de hæreſi, quæſt. 192. num.* 80. & 81. Garcia *de benef. part. 11. cap. 11.* vbi citat pro hac parte Rotæ deciſionem. Ægidius *diſp.18 dub.7.n.55.* Sanctarell. *de hæreſi c.28.n.9.* Souſa *in Aphoriſm. Inquiſit. lib.2.cap.5. n.6.* Portell. *in addit. verb. Irregularitas,n.*20. Fagundez *lib.1.in Decalog.cap.17.n.7.&* 8 Palaus *diſp.16. punct. 19.§.1. n.* 6 Trullench. *etiam lib. 1. in Decal. cap.3. dub.10.num.3. in fine.* Diana *part. 2. tract. 15. reſol.24.in fine,verſ. Notent verò, & part. 4. tract.2. reſol.47.* Filliuc. *loc.cit.n.133.* Philibert. *cap.2. cit.n.8.* & alij.

Qvæstio VIII.

An filij Hæreticorum, fautorum, defenſorum, & receptatorum eorum ſint irregulares.

NEgant nonnulli Doctores, eo quòd nullo textu eſt contra eos ſtabilita irregularitas, ſed ſola inhabilitas ad officia publica, & beneficia; quorum nomine non veniunt Ordines. Ita Saytus *de Cenſur. lib.6.c.10. n.49.* qui pro hac ſententia citat Toletum *lib 1. Summ.c.25.n.8.* ſicuti illum pro eadem parte citant etiam Sanchez & Palao. Sed certè Toletus in impreſſione Lugdun. *de anno* 1606. oppoſitum diſertis verbis affirmat, non *c.25.* (quia ibi nil dicit ad rem) ſed *cap.69.pag.227.n 3* hæc dicens. Tertiò non ſolum ipſi (*hoc eſt hæretici, & ipſorum credentes, fautores & defenſores*) ſed etiam omnium prædictorum filij, etiamſi crimina parentum non fuerint imitati, ſunt irregulares, *cap. Statutum 1. de hæret.* Hæc Toletus. Tenet tamen ſententiam Sayti Gibalinus *cap.5.de Irregularit q.4.conſectar.3. n.22.*

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod omnes filij hæreticorum, & eorum fautorum, defenſorum, & receptatorum ſint irregulares. Quia *c. Statutum 2.de hæret.in 6.* omnium prædictorum filij redduntur inhabiles ad beneficia, & officia publica: at ſic eſt, quod nomine officiorum publicorum veniunt officia Eccleſiaſtica, inter quæ officia Ordinum computantur, vtpote quæ publica ſunt: ergo. Sic Nauar. *in Summ c.27.n.205.* Ledeſm. *2.p.4.q.26.art.2.fol.564.* Patres Congregati in tertia inſtruct. Hiſpalenſi, *c.11.* Simancas *de Catholic. inſtitut. tit.9. num.14.* Salzedo *in practica* Bern. Diaz *cap.22.n.22.* Maiol. *lib.5.cap.46. n.5.* Henriquez *lib.14.* (non 5. vt leges apud Sanch.) *c.5.n.4.* Valentia *tom.4.diſp 7. quæſt.19. punct.3.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom.1.p.1 lib.4.c.9.* Suarez *tom. 3. in 3.part.diſp.43.ſect.3.n.1.* Viuald. *de irregularitate, n.75.* Miguel *in quæſt.regul.tom.1.quæſt.24 art.7.* Auila *part.7.diſp.4. dub.3.* quos omnes refert, ac ſequitur Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.28.num.7* Quibus addi poſſunt Bonacina *quæſt.3.de Irregularitate, punct.7. n.9.* Villalobos *tom.1.tr.21 difficult. 15. n.* 8. Hurtad. *diſp.2.difficult.3.* Ægidius *diſp 18 dub.7. n. 56.* Filliucius *tract.20. c.9. q 4. n.256.* Philibertus *de Ordine, tract.1.part.8. c.2. n. 9.* qui etiam citat malè Toletum pro oppoſita parte.

Qvæstio IX.

An etiam nepotes hæreticorum, fautorum, defenſorum, & receptatorum eorum ſint irregulares.

NEgat Saytus (& à fortiori) *loc. cit.* Cui ſatis fauet Palao *diſp. 6. de Cenſur. punct. 19. §. 2. num.* 1.

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod etiam nepotes hæreticorum, & eorum fautorum, &c. qui per virilem lineam deſcendunt, maneant irregulares vſque ad ſecundam generationem; qui verò per lineam fœmininam, minimè, ſed ſolum filij. Sic tenet Bonacina *num.* 9. & Auila per hæc verba: filij hæreticorum, & receptatorum vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & vſque ad primam per maternam ſunt irregulares, *d. §. hæretici,* vbi generaliter dicitur vſque ad ſecundam generationem Sed Bonifacius VIII. *c. Statutum, el 2. de hæret. in 6.* reſtrinxit vſque ad primam generationem per lineam maternam. Vnde deſcendens ab hæretico per lineam maternam vltra primum gradum, non eſt inhabilis ad Ordines Ita Nauarr. *lib.8. de tempor. Ordinat.* Hæc Auila Legantur Sanch. *loc.cit.& c.27. à n.2.* & Philibertus *loc. cit.*

Qvæstio X.

An vt filij hæreticorum irregulares maneant irregularitate lata in cap. Statutum, *contra filios hæreticorum, opus ſit, vt nati fuerint poſt parentum delictum, & crimen.*

NEgant plures Doctores, exiſtimantes, non eſſe opus ad hoc vt filij hæreticorum ſint irregulares irregularitate dicta, quod nati ſint poſt parentum crimen, ſed ſat eſſe ad id, quod nati ſint ante lapſum parentum in hæreſim. Quia *cap. Statutum, cit.* filios abſolutè nominat: ergo omnes planè comprehendit. Ita Suarez *diſp.43.ſect. 3.num.2.* citans pro ſe Couar. *lib.2.variar c.8.n.5.* Gomeſium *tom.3.variar.c.2.n.16.* Caſtrum *lib.2.de iuſta hæret.punit.cap. vltim.* & Gregorium Lopez *p.7.tit.2. lib.2. verſ. Sus fijos.* Quibus addi poſſunt Filliucius *loc.cit.n.238.* Gibalinus *cap.5. q.4.conſect.3.in fine.* Citat etiam Diana pro hac parte Luyſium *lib.9.diſp.62. dub.2.* & Auilam *p. 7. diſp 4. dub. 7.* ſed hic Auctor nihil ad propoſitum tractat in illo dubio, Sed *dub.2.verſ. Et quamuis.*

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod vt filij hæreticorum contrahant irregularitatem latam *in cap. Statutum,* contra filios hæreticorum, neceſſum ſit, vt nati fuerint poſt lapſum parentum in hæreſim. *Primò,* quia prædicti filij nati ante lapſum parentum, formaliter loquendo, non ſunt filij hæreticorum, ſed Catholicorum: ergo non comprehendit illos pœna lata *in dicto cap. Secundò,* quia filij reorum criminis læſæ maieſtatis nati ante delictum parentum, non ſubiacent pœnis, quibus ſubiacent nati poſt delictum, vt latè, & optimè probat Sanchez *lib.2. in Decalog. cap. 27 à num.14.* ergo nec filij nati ex Catholicis parentibus, qui poſtea in hæreſim inciderunt, debent ſubiacere irregularitatis pœnæ, quibus ſubiacent per *d. cap. Statutum,* filij nati poſt lapſum parentum in hæreſim. Sic tenet Bonac. *q.3.de Irregularit. punct. 7. n 10.* citans pro ſe Vgolinum *§.1.num.9.* Simancas *de Catholic. inſtit. tit.23.* Leſſium *cap 34. n.121.* Henriq. *lib.14.cap.5.num.4.* Ægidium *diſp.18 n.53.* & Sanch. *loc.cit.*

loco cit. Quibus addi poſſunt Hurtad. *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 3. *n.* 8. & Palao *diſp.* 6. *punct.* 19. §. 2. *num.* 2. vbi ait, ſic eſſe dicendum (conceſſo cum communi ſententia, dictos hæreticorum filios irregulares eſſe) nempe, quod ad incurrendam hanc irregularitatem requiratur, vt ipſi filij nati ſint poſt parentum delictum: nam ſi antequam parentes deliquerint, ipſi fuerint nati, nullatenus irregulares ſunt cenſendi, quia eo caſu non ſunt formaliter filij hæreticorum. Sed potius Catholicorum, cum à parentibus Catholicis concepti, & nati ſint. Sic ille. Villalobos *tract.* 21. *difficult.* 15. *n.* 9. Pellizzar. *loc. cit. q.* 3. *n.* 100. Legatur Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 45. vbi vtramque ſententiam probabilem eſſe affirmat.

Ad fundamentum contrariorum dicendum eſt ex dictis, adeſſe ſufficientem rationem explicandi *dictum cap. Statutum*, de filiis natis poſt lapſum parentum in hæreſim.

QVÆSTIO XI.

An vt filij hæreticorum liberi à dicta irregularitate euadant, ſufficiat adhuc, quod geniti, aut concepti fuerint, etſi nondum nati, ante lapſum parentum in hæreſim.

NEgabunt, & planè à fortiori, omnes Doctores primæ ſententiæ nuper relatæ, imò forſitan & ſecundæ, ſaltem aliqui.

Sed ego probabiliter certè, ſtando dictis, Reſpondeo dicendum, quod vt dicti filij irregularitatem latam *in cap. Statutum, cit.* contra filios hæreticorum, non contrahant, ſufficiat illis, fuiſſe conceptos, & genitos perfectè (etſi nondum nati fuerint) ante lapſum eorum parentum in hæreſim.

Probatur *Primò*. Quia prædicti filij, formaliter loquendo, potius ſunt filij Catholicorum, ſiquidem ab his habuere eſſe, non ab hæreticis: ergo irregularitas lata *in d. cap.* contra filios hæreticorum, non comprehendit prædictos.

Secundò probatur à ſimili ſic. Vt filius illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, & conſequenter non maneat irregularis, ſufficit, quod fuerit genitus, etſi nondum natus, eo tempore quo parentes habiles ad contrahendum extiterint, vt diximus cum communi *ſupra diſp.* 3. *q.* 16. & 19. ergo & ſufficiet certè in præſentiarum, vt quis non contrahat irregularitatem latam contra filios hæreticorum, quod ille non ab his, ſed à parentibus Catholicis ſit genitus, licèt nondum natus.

Tertiò probatur ex habitis nuper *quæſt.* 10. Quia filij nati ante lapſum parentum in hæreſim, minimè contrahunt dictam irregularitatem: ergo nec contrahent adhuc, qui ante lapſum parentum ſunt geniti. Patet conſequentia: quia in rebus, quæ ad commodum cuiuſpiam pertinent, in vtero adhuc exiſtens pro nato habendus eſt: *l. Qui in vtero* 7. *l. Qui in vtero* 26. *ff. de ſtatu hominum*, *l. Vel ſi viuo* 7. *de ſuis & legitim. hæred. l.* 3. *tit.* 23. *part.* 4.

Quartò probatur *l. Emancipatum* 7. *ff. de Senatorib.* vbi habetur expreſsè, quod ſi quis conceptus ſit antequam pater eius Senatu moueatur, natus autem poſt patris amiſſam dignitatem, magis eſt, vt quaſi Senatoris filius intelligatur. Sic Iuriſconſultus. Nunc ago: ergo ſi quis conceptus ſit antequam pater eius in hæreſim incidat, natus verò poſt eius admiſſionem, magis eſt, vt quaſi Catholici filius, non quaſi hæretici intelligatur: Si ergo eſt filius Catholici, & non hæretici, minimè contrahere poteſt irregularitatem latam contra filios hæreticorum. Pro hac parte nullum inueni Doctorem, quia nullum vidi de illa hucvſque tractantem.

QVÆSTIO XII.

An vt filij & nepotes hæreticorum incurrant irregularitatem latam contra filios, in cap. Statutum, cit. *oporteat, parentes in hæreſi deceſſiſſe.*

REſpondeo, vt certum: Oportere. Quia licèt Alexander IV *in cap. Quicumque*, §. *Hæretici, de hæretic. in* 6. abſolutè, & generaliter hac irregularitatis pœna punierit filios, & nepotes hæreticorum; tamen Bonifacius VIII. *in c. Statutum, el.* 2. *eod. tit. & lib* reſtrinxit, & declarauit *c. Quicumque, citatum*, vt ſolùm intelligatur de filiis, & nepotibus hæreticorum, qui non ſunt emendati, & reincorporati Eccleſiæ, excipientes pœnitentiam ipſis impoſitam, aut parati illam ſuſcipere, & exequi. Sic ex dicto capite docent omnes Doctores, inter quos circa limitationem Bonifacij non modica verſatur difficultas, quam nos ſequenti quæſtione tractabimus. Sit ergo

QVÆSTIO XIII.

An filij, & nepotes illorum, qui ob crimen hæreſis repetitum traduntur brachio ſæculari comburendi, ſed ob data pœnitentiæ ſigna ſunt ante mortem abſoluti ab hæreſi, incidant in irregularitatem latam in d. cap. *contra filios hæreticorum.*

NEgant quamplures Doctores, exiſtimantes minimè in talem irregularitatem incidere. Probatur. Quia vt filij, aut nepotes hæreticorum irregularitatem contrahant, exigit Bonifacius, vt vidimus, quod parentes eorum obeant, & decedant in hæreſi, & à delicto non emendati, neque Eccleſiæ reincorporati: atqui parentes, qui ob crimen hæreſis traduntur brachio ſæculari comburendi, ſed ante eorum mortem abſoluuntur ab hæreſi, per dictam abſolutionem reincorporantur Eccleſiæ, & ſic reincorporati obeunt Catholici: ergo eorum filij poſt dictam conſtitutionem Bonifacij non contrahent dictam irregularitatem. Ob id ita eſſe dicendum ſentiunt Simancas *de Cathol. inſtit. tit.* 29. *n.* 17. Henriquez *lib.* 14. *de Irregular. c.* 5. *n.* 4. Nauar. *c.* 27. *n.* 205. Martin. de Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 26. *art.* 2. *fol.* 364. Alphonſ. de Caſtro *de Iuſta hæret. punit. c. vlt. & lib.* 1. *de leg. pœnali, c.* 7. *docum.* 2. *corollar.* 1. Repertor. Inquiſit. *verb. Filij.* Maiolus *lib.* 5. *cap.* 46. Toletus *lib.* 1. *Summ. cap.* 25. *n.* 8. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3. Sà *verb. Irregularit. ex defectu animæ, n.* 2. & Rodrig. 1. *tom. Sum. c.* 190. *n.* 2. quos omnes ſic pro hac parte refert Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. c.* 27. *n.* 22. quibus addo ego Hurtad. *de Irregular. diſp.* 2. *diffic.* 3. *n.* 8. Villalobos *tract.* 21. *diff.* 16. *n.* 9. Et licet hæc ſententia ſit ſatis probabilis,

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod prædictorum filij, ac nepotes verè incidant in irregularitatem latam, ſeu moderatam *in dicto cap. Statutum.* Quia probabilius eſt, quod parentes hæretici ſic conuerſi, præſumantur in hæreſi decedere: ergo filij, ac nepotes eorum irregulares remanent, adhuc poſt conſtitutionem præfatam Bonifacij: conſequentia ex textu ipſo liquet. Antecedens probatur. Quia

hæretici relapſi, & brachio ſæculari relaxati, quamuis de facto exterius ad fidem ante mortem conuertantur, tamen præſumuntur in hæreſi decedere, & fictè omnino conuerti, timore potius ne viui comburantur, quàm fidei amore: & ideo nec iuridicè admittuntur ad pœnitentiam, nec ſolemniter abſoluuntur, quæ ſolemnis, & iuridica abſolutio videtur requiſita, vt ab Eccleſia iudicentur decedere ipſi reconciliati, & reincorporati, ac per conſequens non irregulares. Et ideo hanc tuentur ſententiam Gloſſa *in c. Statutum, cit. verb. Reincorporatos*, & ibi Ioan. Andr. & Francus *fine*. Simancas mutans ſententiam *in Enchirid. Iudicum, tit. 63. n. 7.* Rojas *tract. de Hæretic. 2. part. n. 337.* Peña *in director. Inquiſit. 3. p. commento* 164. Decian. *in pract. lib. 5. cap. 45. n. 3.* Auila *part. 7. diſp. 4. dub. 3.* Azor *tom. 1. lib. 8. c. 13. poſt q. 8. & tom. 2. lib. 6. c. 4. q. 3.* Suarez *6. tomo, diſp. 43 ſect. 3. n. 4.* Molina *tom. 3. par. 1. diſp. 658.* Vmbert. Locatus, Azeuedo, Paramus, & Lælius Zecchius, quos omnes refert, ac ſequitur Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 27. n. 23.* Quibus adhuc addo ego Luyſium *de Cenſur. lib. 9. diſp. 64 dub. 2.* Palaum *diſp. 6. de Cenſur. punct. 19. §. 2. n. 5.* Dianam *part. 4 tr. 2. reſol. 45.* qui tamen ſolum dicit, vtramque ſententiam exiſtimare probabilem Filliucium *tract. 20. c. 9. q. 4. n. 239.* & Pellizzarium *tom. 2. tract. 7. c. 5. ſect. 3. q. 3. num. 99.*

Qvæstio XIV.

An etiam incurrant dictam irregularitatem filij, & nepotes eorum, qui quamuis relapſi non ſint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio ſæculari comburendi, eo quòd hæreſiarchæ fuerint.

Negabunt, & à fortiori Auctores primæ ſententiæ nuper relati.

Sed iuxta illam, quam nos ſecuti ſumus, Reſpondeo dicendum, incurrere prædictam irregularitatem. Quia verè ſunt filij, ac nepotes illorum, qui non ita Eccleſiæ reincorporantur, vt ad pœnitentiam admittantur; & ideo eadem prorſus militat in eis ratio, ac militare diximus in filiis, ac nepotibus eorum, de quibus præcedenti quæſtione egimus. Sic expreſsè Suarez *diſp. 43. ſect. 3. n. 4. in fine.* Suarez *c. 27. cit. n. 24.* Filliuc. *n. 239. cit.* & ni fallor Bonacina *q. 3. de Irregular. punct. 7. n. 9 in fine*, & vt ait Sanchez, omnes relati pro noſtra ſententia *q. præcedenti.*

Qvæstio XV.

An item eandemmet irregularitatem incurrant filij, ac nepotes illorum, qui comburuntur, eo quòd conuicti de hæreſi, illam negant.

Reſpondeo: Incurrere eandemmet irregularitatem. Quia parentes dicti nec emendati dici poſſunt, nec reincorporati Eccleſiæ, cùm ſolemniter non abſoluantur, & in foro Eccleſiæ probati ſunt eſſe, & decedere hæretici, quidquid ipſi negent: ergo eorum filij & nepotes verè irregulares remanent. Sic Suarez, & Sanchez *loc cit.* Palao *diſp. 6. punct. 19 §. 2. n. 6.* & alij.

Qvæstio XVI.

An deinde incurrant præfatam irregularitatem filij illorum, qui in abſentia condemnantur, eorúmque ſtatuæ, ob hæreſim delatam comburuntur.

Reſpondeo, vt quid probabilius, etiam dictorum filios in præfatam irregularitatem incurrere. Quia eorum parentes, ob eorum contumaciam habentur tanquam conuicti, & vere pertinaces hæretici, vt conſtat ex *c. Cum contumacia, de hæretic. in 6.* ibi: *Ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Sic Peña *in director. Inquiſitor. 3. part. comment. 164. col. 3.* Molina *tom. 3. de Iuſt. part. 1. diſp. 658. n. 19.* quos citat & ſequitur Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 27. n. 19.* Palao *diſp. 6. de Cenſuris, punct. 19. §. 2. num. 6.* Qui cum Sanchez bene aduertit, hanc ſententiam intelligendam eſſe, quando parens damnatus eſt verè, & propriè contumax, qualem depingit *d. c. Cum contumacia*: nam ſecus eſſet ſi de eius contumacia non planè conſtaret, vt quando elapſo anno, ob morbum, aut aliud legitimum impedimentum ad Inquiſitores accedere nequiuit, aut pro abſolutione inſtitit, aut ſatisfactionem obtulit, aut denique ea fecit, quæ ipſum verè eſſe Catholicum oſtenderent.

Qvæstio XVII.

An exigatur ſententia condemnans parentes ob hæreſim, vt filij, & nepotes incurrant irregularitatem.

Affirmant aliqui, quos tacito nomine refert Azor *tom. 2. lib. 6. c. 4. q. 5. verſ Alij verò.*

Sed, vt ferè certum reſpondeo: Non exigi ſententiam Iudicis parentes ob hæreſim damnantis, vt filij, & nepotes eorum incurrant irregularitatem, ſed ſat eſſe, ſi aliàs conſtet parentes hæreticos eſſe, aut fautores, defenſores, aut receptatores hæreticorum, per propriam parentum confeſſionem in iudicio, vel per euidentiam facti. Quia (ait Sanch.) id important ea verba textus *d. cap. Statutum*, vbi loquens de huius criminis qualitate in parentibus requiſita, ſic ait: *Qui vel tales eſſe, tales etiam deceſſiſſe probantur*, vbi verbum, *probantur*, eſt verbum iuris, quaſi textus dicat, filios eorum, quos in hæreſi deceſſiſſe notoriè conſtiterit, ſiue ſententia Iudicis, ſiue euidentia facti, ſiue propria in iudicio confeſſione. Quare ſi hæreticus non fuit aliquo horum modorum notorius, filij & nepotes eius nec ſunt irregulares, nec beneficij incapaces. Ita tradunt Suar. *5. tom in 3. p. diſp. 43.* (adde tu *ſect. 3.*) *n. 2.* Sayr. *de Cenſur. lib. 6. c. 10. n. 40.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib 8 c. 13. poſt q. 8. in octaua pœna hæreticorum, verſ Deinde quæres*, vbi bene addit, ſatis eſſe, ſi eos parentes ſit manifeſtum tales eſſe in his locis, in quibus viuere, aut vixiſſe conſtat. Hucuſque Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 27. n. 28.*

Qvæstio XVIII.

An ſaltem exigatur, ad hoc, vt filij, & nepotes irregularitatem ortam ex infamia admittant, vt eorum parentes decedentes in hæreſi, etiam infames ob hæreſim reputentur.

Reſpondeo: Id verè exigi. Vnde minimè incurrent irregularitatis pœnam filij, aut nepotes hæreticorum, qui tales publicè deceſſere, abſque

infamiæ

infamiæ nota, vt ſi obiere in Anglia, Germania, aut alia regione hæreſibus infecta. Ratio eſt (inquit Sanchez) quia dum parentes non ſunt damnati, ſed ſola facti euidentia ſunt hæretici, incurrunt has pœnas filij ratione infamiæ facti, ac proinde ceſſante ea, diximus non incurrere; in prædictis autem locis ceſſat infamia: ergo. Sic Sanchez *loc. cit. n.* 28. *in fin.* ſecutus Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. *n.* 4. ibi. At ſi occulta fuit hæreſis, aut in natione infecta, & pater deceſſit in publica hæreſi abſque nota infamiæ, non videtur filius Catholicus fieri irregularis, & Emmanuel Sà *in Summ. verb. Hæreſis*, *n.* 4. His addo Pellizzar. *tom* 2. *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 3. *n.* 109. Bonacin. *q.* 3. *de Irregularit. punct.* 7. *n.* 9. Palaum *diſp.* 6. *de Cenſur punct.* 19. § 2. *n.* 7. Tanner. *in* 3. *p. diſp.* 6. *q.* 10. *dub.* 10. *n.* 201. Ægid. *diſp.* 18. *n.* 51. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *ſub finem.* Gibalin. *c.* 5 *de Irregularit. q.* 4 *conſectar.* 3. *in fine*, & Dian *p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 45. Qui bene aduertit id eſſe certum loquendo de Irregularitate orta ex infamia; nam loquendo de irregularitate lata *in c.* 1. *de hæret. in* 6. & *c. Statutum*, *el* 2. *eod tit.* & *lib.* iam ex dictis ſupra conſtat quid ſit dicendum.

QVÆSTIO XIX.

An filij, aut nepotes denunciantes Inquiſitoribus ſuos parentes hæreticos, ab irregularitate excuſentur.

RESpondeo: Excuſari ab irregularitate, & ab aliis pœnis iure ſtatutis. Quia id expreſsè habetur in quadam Federici conſtitutione, à variis Pontificibus confirmata, vt docet Peña 2. *p. directorij Inquiſit. c.* 14. *comment.* 15. *verſ Hoc addiderim*, & 3. *p. comment.* 164. *verſ In filiis verò.* Et cum illo Caſtro *lib.* 2 *de Iuſta hæretic. punit. c.* 16. Simanc. *de Catholic. inſtitut. tit.* 29. *n.* 47. Rojas *in ſingularib. fidei, ſingul.* 12. *n.* 5. quos refert & ſequitur Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. c.* 27. *num.* 30. Farinac. *de hæreſi q.* 191. *n.* 37. Palao *punct.* 19. *cit.* § 2. *num. vltimo.*

QVÆSTIO XX.

An etiam apoſtatæ ſint irregulares.

RESpondeo, vt quid certum: Eſſe. Vnde omnia quæ diximus *ſuprà* de hæreticis, eadem dicenda ſunt de apoſtatis, ac de eorum filiis & nepotibus: Quia quoad pœnam irregularitatis iura, & Doctores eodem modo loquuntur. Legantur citati.

QVÆSTIO XXI.

An filij Sarracenorum, Paganorum, & Iudæorum, qui ab infantia ſunt baptizati, irregularitatem aliquam admittant.

RESpondeo: nullam irregularitatem admittere. Quia non admittunt illam, quæ lata eſt contra filios hæreticorum; cum non ſint hæreticorum liberi, nec admittunt illam, quam contrahunt Neophyti, cùm iſti filij, de quibus eſt quæſtio, baptizati ſint ab infantia: ergo. Sic tenent communiter Doctores, Suarez *diſp.* 43 *ſect.* 3. *num.* 8. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 9. *quæſt.* 5. *numer.* 241. Bonacina *quæſtion.* 3. *punct.* 7. *num.* 11. Diana *part.* 4. *tractat.* 1. *reſolut.* 50. Gibalinus *cap.* 4. *de Irregularitate, quæſt.* 3. *num.* 9. *pag.* 71. Sanch. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 28. *quæſt.* 2. *num.* 11. Auila *part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 4.

QVÆSTIO XXII.

An Schiſmatici ſint irregulares.

AFfirmant abſolutè plures Auctores ducti tum ex *c.* 1. *de Schiſmaticis*, tum etiam quia ſchiſma regulariter eſt cum hæreſi coniunctum. Ita Speculator *tit. de diſpenſ.* § *Iuxta*, *n.* 17 Raymund. *in Summ. verb. Schiſma*, *verſ. Vltimò.* Maiolus *lib.* 5. *de Irregular. c.* 46. *num.* 4. Peña *in directlor. Inquiſit.* 2. *p. q.* 48. *comment.* 73. Azor. *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 8. Vgolinus *cap.* 36. § 3. *num.* 7. Philibert. *de Ordine*, *tractat.* 1. *part.* 8. *c.* 2. *n.* 5.

Sed clarius, & probabilius Reſpondeo dicendum *Primò.* Schiſmatici, qui non ſunt hæretici, minimè ſunt irregulares (niſi fortè ratione infamiæ ortæ ex ſchiſmate notorio.) Quia crimini ſchiſmatis vt ſic nulla eſt in iure impoſita irregularitas: ergo ſchiſmatici, vt ſic, non ſunt irregulares.

Reſpondeo *Secundo.* Schiſmatici, qui ſimul ſunt hæretici, verè ſunt irregulares ratione hæreſis, cui adiuncta, & impoſita eſt à iure irregularitas, vt ſupra eſt habitum. Sic tenent Suar. *de Cenſur diſp* 42. (non 23. vt offendes apud Sanch.) *ſect.* 3. *n.* 4. Sanch. *lib.* 2. *in Decal. c.* 37. *n.* 20. Sanctarell. *de hæreſi*, *c.* 43. *dub.* 1. *n.* 13. Gordon. *lib.* 7. *q.* 18. *n.* 11. & quoad ſubſtantiam Gibalin. *c.* 5. *q.* 3. *dub.* 2. *pag.* 368. Filliuc. *tract* 20. *c.* 9. *quæſt.* 3. *n.* 233. Sayr. *lib.* 7. *Theſauri*, *c.* 12. *n.* 16. Bonacin. *q.* 3. *de Irregular. punct.* 7. *n.* 7. Pelizzar. *c.* 5. *cit. ſect.* 3. *quæſt.* 5. *n.* 106. *in fine.*

QVÆSTIO XXIII.

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex hæreſi publica, & notoria.

REſpondeo, vt quid certum: Quod ſolus ipſe, aut alius, cui ipſe facultatem expreſſam concedat. Quia ipſe ſolus habet ius diſpenſandi in iure communi. Sic omnes.

QVÆSTIO XXIV.

An ſaltem habeant Epiſcopi facultatem diſpenſandi in irregularitate orta ex hæreſi occulta exteriori.

NEgant multi, eo quòd careant poteſtate abſoluendi ab hæreſi occulta: ergo & poteſtate diſpenſandi ab irregularitate illi annexa. Ita Maiolus *lib.* 5. *de Irregularit. cap.* 46. *ſub num.* 6. Suarez *diſput.* 43 *ſect.* 1. *num.* 7. & Bonacina *quæſt.* 3. *punct.* 7. *num.* 12. (non 6. *num.* 11. vt offendes apud Philibertum) qui & citat Filliucium *num.* 232. & Toletum *lib.* 1. *cap.* 46. *num.* 7. Sed vterque docet oppoſitum, ille *loc. cit. numer.* 244. *dicto* 3. hic verò in mea impreſſione *cap.* 69. *in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo, Habere dictam facultatem Epiſcopos, ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* concedente Epiſcopis facultatem diſpenſandi in quacunque irregularitate orta ex quocumque delicto, etiam hæreſis. Sic Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 25. *num.* 18. vbi adhuc dato antecedenti contrariis, negat eorum conſequentiam. Philibertus *de Ordine tract.* 1. *part.* 1. *num.* 11. Qui optimè citat

titat Filliucium pro hac parte, necnon & Garciam *de Benefic.p.* 11.*c.*10.& Dian. 1.*p.tr.*15.*miſcell.reſol.*24. *verſ. Sed tota difficultas.* Boſſium *tractat. de Inhil. ſect.*1.*caſu* 10.§.12.*num* 122.Vgolin. *de Irregul.c.*56. *n.*5. Vivald. *Irregularitas.*3.*n.*21. Quid autem ſit reſpondendum fundamento contrariorum, colliges ex dictis à nobis *tom.*4 *tract.*2.*diſp.*17.*q.*45.*&* 46.

DISPVTATIO XXV.

De Neophytorum Irregularitatibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quiſnam propriè dicatur Neophytus.

RESPONDEO dicendum, quod ille propriè dicitur Neophytus, *qui recens eſt in fide Chriſti plantatus*: aut clarius, *qui nouus eſt in Baptiſmo in ætate adulta ſuſcepto.* Sic conſtat ex *cap. Sicut Neophytus, diſt.* 48. & ex illo docent omnes. Legantur Maiolus *lib.* 1. *de Irregularitate, c.* 31. vbi varias Neophytorum ſpecies adducit, quæ à nobis modò non ſpectantur, qui de propriis tantum Neophytis agimus. Vgolin. *c.* 2. Suar. Sanchez, Auila, Bonacina, Palao, & alij mox citandi.

QVÆSTIO II.

An Neophytus ſit omnino irregularis.

REſpondeo, vt quid certum, quod ſit irregularis, & interim dum Neophytus eſt, vetita ſit ei Ordinatio. Quia ſic habetur *cap. Quoniam, diſt.*48. ex Concil. Nicæno *cap. Qui Eccleſiaſticis, diſtinct.* 59. Zozimo Papa *cap. Si officia, ead. diſtinct.* ex Vrbano *cap. Sacerdotale, diſt.*61. ex Gregorio Papa *cap. Ordinates, diſt* 59. ex Celeſtino *cap In Sacerdotibus,* & *in cap. Non negamus, diſt.*61. & *cap. Miramur, ead. diſt.* ex Leone Papa.

Hæc prohibitio triplici nititur ratione. Prior deſumitur ex Paulo ad Timoth. 3. *Ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*, exiſtimans Eccleſiam ſuo miniſterio indigere. Secunda. Quia alios docere neſcit, qui ipſe nondum didicit. Quæ ratio deſumitur *ex cap. Miſerum,* 61. *diſt.* vbi Innocent. ait: Miſerum eſſe cum magiſtrum fieri, qui nondum eſſe diſcipulus didicit. Tertia. Quia aliis nequit ſe conformare, aut fidelium infirmitatibus compati, qui ſtatum Eccleſiæ regendæ non eſt expertus. Quam rationē affert Gloſſ. *diſt.*48. *in principio.* Sic docent omnes DD. præcipuè infra citandi, & citati *ſupr. diſp. anteced. q.*21.

QVÆSTIO III.

An irregularitas hæc Neophytorum ſit indicta iure diuino, ex præcepto deſcendens.

AFfirmandum videtur. Cum conſtet tale præceptum Paulom Apoſtolum intimaſſe, vt vidimus.

Sed omnino Reſpondeo dicendum, taleio irregularitatem non eſſe indictam Neophytis iure diuino, ſed humano. Quod conſtat, cum certum ſit apud omnes, eſſe à Papa diſpenſabilem.

Ad rationem autem dubitandi dicendum eſt, Paulum ordinationem Neophytis prohibuiſſe, tanquam Eccleſiæ Doctorem, & Epiſcopum habentem facultatem condendi leges Evangelio congruas. Sic Azor *p.* 2. *lib.*4.*c.*6 *q.*12. Anton. Ricciulus *tr. de iis, qui ſunt extra grem. Eccleſia*, vbi de Neophytis, *c.*2.*n.*11. Barboſa *de offic. Epiſcopi, p.*1. *tit.*2. *gl.*17. *n.* 8. Philibert. Marchio. *de Ordine tr.*1. *part.*10.*c.*2.*n.*3. & alij.

QVÆSTIO IV.

An deſcendentes ex Iudæis, vel Mauris, ſi ipſi ante vſum rationis baptizati ſunt, maneant irregulares, ſaltem caſu quo parentes ipſorum in Iudaiſmo, vel Mauriſmo adhuc perſiſtant.

AFfirmandum videtur, ſaltem caſu quo parentes Iudæi, aut Mauri perſeuerent, eo quod filij hæreticorum permanentiū in hæreſi remanent irregulares, vt diſp. antecedenti eſt habitum: ergo & irregulares erunt filij Iudæorum, aut Maurorum, etiam ab infantia baptizati, caſu, quo hi Iudæi, aut Mauri perſeuerent.

Sed vt quid certum Reſpondeo dicendum, quod adhuc in præaſſignato caſu filij Iudæorum, aut Maurorum minimè irregulares maneant, ſi ante vſum rationis Baptiſmo fuerint initiati. Quia ipſi non ſunt Neophyti nuper ad fidem conuerſi, de quibus loquuntur iura ſupra citata: ergo ex quo ante vſum rationis Baptiſmum ſuſceperunt, non ſunt irregulares, aut incapaces Ordinum, & officiorum, etiamſi parentes eorum Iudæi, & Mauri adhuc perſeuerent.

Nec eſt eadem ratio de his, & filiis hæreticorum; quia hi ob parentum delictum, quod punitur etiam in filiis, irregularitate afficiuntur: at parentum infidelium delictum nec in ſe, nec in filiis Eccleſia punit. Ex quo fit ſatis ad rationem dubitandi. Vnde hanc noſtram ſententiam tenent Suar *diſp.*43. *de Cenſ. ſect.*3. *n.*8. Couar. *in Clem. ſi furioſus,* 1. *p* §.2. *n* 8. *concl.*6. Spino *ſpec. teſt. Gloſ.*3 *principali, n.*48. Sanch. *lib.*2. *in Decal. c.*28. *n.*11. Philibert. Marchin. *de Ordine, tr.*1. *p.*10. *c.*2. *n* 6. Pellizzar. *to.*2. *tr.*7. *c.*5. *ſect.*2. *q.*4. *in fine* & communiis.

QVÆSTIO V.

An ſaltem filij Catechumenorum ab infantia baptizati ſint irregulares, caſu quo eorum parentes à fide receſſerint.

REſpondeo: Neque huiuſmodi Catechumenorum filios eſſe irregulares, neque Ordinum incapaces. Quia iſti non ſunt inſtar filiorum hæreticorum, ſed habendi ſunt, ac ſi eſſent filij ex infidelibus geniti, & procreati; cum Catechumeni non ſint de corpore Eccleſiæ, nec ab illa puniri poſſint. Sic Sanch. *loc. cit. n.*13. & Philibertus *n.*7.

QVÆSTIO VI.

An Neophytus ita ſit irregularis, quod nec ad minores Ordines aſcendere ſine diſpenſatione poſſit.

NEgant plures DD. exiſtimantes, poſſe Neophytum abſque vlla diſpenſatione ad Clericatum, & Ordines minores aſcendere; eo quòd huiuſmodi

Ordi

Ordinatio nullo textu eis ſit vetita; cum ſolum iura de maioribus Ordinibus loquantur. Ita tenent Archidiacon. *in cap. Quoniam, diſtinct.* 48. *num.* 2. & ibi Præpoſitus. Geminian. *in cap. Quicunque, diſt.* 78. Decius *in cap Eam te, de Reſcriptis, num.* 2. Felinus *in cap. Cum ſit, de Iudæis.* Romanus *ſingul.* 422. Maſcardus *de Iudæis, part.* 3. *cap* 3. *ſub n.* 8. Anton. Ricciulus *tract. peculiari de Neophytis, cap.* 2. *n.* 12. Belletus *diſquiſit. Cleric. part.* 1. §. 12. *n.* 9. quos omnes refert, ac ſequitur Philibertus *tract.* 1. *de Ordine, part.* 10. *cap.* 2. *n.* 8. vbi ex Belleto notat, recentem conuerſam ad fidem, poſſe ſtatim fieri Monialem, vel Monachum, non tamen Abbatiſſam, vel Abbatem. Prædictis Auctoribus ego adhuc addo Toletum *lib.* 1. *cap.* 64. Quibus valdè fauet Gibalinus *c.* 3. *de Irregularitate, q.* 3. *in fine*, quatenus ait, quod ille non auderet damnare eum, qui Neophytum in Clerum admiſiſſet, neque ſubiiceret illum pœnis aduerſus Ordinantes irregulatem; neque Neophytum peccare in ſuſceptione Ordinis commiſſi, propter impedimentum Canonicum irregularitatis reum faceret. Sed quamuis hæc ſententia probabilis ſatis ſit, propter rationem, & auctoritatem Doctorum illam ſectantium:

Sed probabilius adhuc Reſpondeo dicendum, quod Neophytus ita ſit irregularis, quod nec ad minores Ordines aſcendere ſine diſpenſatione queat. Ratio eſt, quia licèt D. Paulus *ad Timoth.* 3. tantum loquatur ad Ordine Epiſcopatus, & in Concilio Niceno *cap.* 2. ſolum fiat ſermo de Presbyteratu, & in Arelatenſi de Diaconatu, & de omni Ordine ſacro D. Gregor. *lib.* 4. *epiſt.* 51. aliàs 95. tamen ex his colligitur idem proportione dicendum eſſe de reliquis Ordinibus minoribus, cum etiam in his habeat locum ratio D. Pauli, nempe periculum ſuperbiæ, & elationis. Confirmatur, quia recenter conuerſi ad fidem, neque in doctrina fidei ſunt ſatis inſtructi, neque experti in rebus Eccleſiaſticis, neque probati in conſtantia fidei; quæ ſunt rationes, ob quas iura prohibent Neophytis Ordinibus ſacris initiari: ergo ſi rationem iuris attendamus, dicendum nobis eſt, quod Neophytus, nec ad minores Ordines ſine diſpenſatione aſcendere queat. Sic tenent Couarr. *in Clement. Si furioſus, part.* 1. *num.* 7. *col.* 2. Nauar. *cap.* 27. *num.* 105. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 4. *n.* 7. Angelus, & Sylueſter, quos citat, & ſequitur Auila *part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 4. *concl.* 1. Hojeda *de incompatibilit. benefic. part.* 1. *cap.* 24. *n.* 3. Campanilis *in diverſor. iuris Canon. Rubr.* 11. *cap.* 7. *n.* 1. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 3. *n.* 8. Hurtad. *diſp.* 2. *de irregularit. diffic.* 19. Gordonus *lib.* 7. *quæſt.* 18. *cap.* 1. §. 1. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 240. Villalob. *tract.* 21. *diffic.* 16. *n.* 2. Burgaſius, & Bero. Diaz apud ipſum Gibalinum *loc. cit.* & alij.

Qvæstio VII.

An ille, qui iam diu ſuſcepit Baptiſmum, & fidem, poſsit ſine diſpenſatione Ordinari?

Reſpondeo, vt quid certum: Poſſe. *Primò*, quia huiuſmodi iam non eſt Neophytus, propriè loquendo. *Secundò*, quia id conſtat ex *cap.* 1. *diſt.* 57. Et ideo ſic ſentiunt omnes. Legantur Nauar. Couar. Henriquez. & Auila *loc. cit.* & alij, inter quos ſolùm eſt difficultas, quandiu cenſeatur aliquis eſſe Neophytus, cui quæſtione ſequenti ſatisfaciemus. Sit ergo

Qvæstio VIII.

Quod temporis ſpatium à ſuſcepto Baptiſmo ſat ſit, vt quis deſinat eſſe Neophytus, ſeu nouus Chriſtianus, & conſequenter deſinat eſſe irregularis, poſsitque ſine diſpenſatione ſacris initiari?

Reſpondent quidam, requiri, & ſat eſſe ſpatium ſaltem decem annorum à ſuſcepto Baptiſmo, vt quis deſinat eſſe Neophytus, & Ordinari poſſit. Ita ſentit Nauar. *cap.* 27. *n.* 105. apud Philibertum, & Gibalinum: ſed certè Nauarrus id non dicit expreſsè, ſed ſolùm longiſſimè (ad ſummum) indicat. Sentit tamen Hurtado *diſp.* 2. *de Irregularit. diff.* 19. *n.* 91. vbi docet, quod poſt decem annos poſt baptiſmum Neophytus non eſt amplius irregularis. Hurtadum ſequitur Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 50. *in fine*; licèt in eadem reſolutione aliud ex parte ſentiat, *vt infra.*

Alij mitius loquentes dicunt, ſufficere, & ſat eſſe lapſum biennij. Ita Romanus *ſing.* 422. Campanilis *loc. cit. cap.* 7. *n.* 4. & 5. Ricciulus *loc. cit. cap.* 10. *n.* 9. Qui mouentur ex *cap. Monaſteriis*, 19 *q.* 3. vbi prohibetur nouitio Religionem ingreſſo, ne intra biennium Ordinetur.

Alij denique mitiſſimè loquentes, tenent ſat eſſe lapſum vnius anni, vt quis deſinat eſſe Neophytus, aut nouus Chriſtianus, ac proinde deſinat eſſe irregularis. Et probant, quia miles nouus dicitur ille, qui anno completo non militauit, ſed exacto militiæ anno, veteranus dicitur, & inter veteranos numeratur, *l. Cui cum vno, §. fin. ff. de re militari.* Et Chriſma dicitur nouum, quod annum non excedit, quo tamen lapſo, fit antiquum, & renouandum, *cap. Literis, de conſecrat. diſt.* 3. Et vinum vetus dicitur poſt annum, *l. Vetus ff. de tritico, vino, & oleo legato.* Et primo anno matrimonij dicitur noua vxor *cap.* 2. 35. *q.* 8. & ibi Gloſſa *verbo Anni coronam.*

Sed probabilius omnium Reſpondeo dicendum, quod nullum certum tempus poſſit definiri ex iure, aut aſſignari, ad iudicandum, quando quis deſinat eſſe Neophytus, & conſequenter auferatur ab eo irregularitas, poſsitque ſine diſpenſatione Ordinari; ſed hoc remitti debeat arbitrio Epiſcopi, qui poteſt eum promouere, ſi poſt aliquam temporis dilationem à die ſuſcepti Baptiſmi iudicat habilem, & idoneum ad Ordines. Quare munus erit Epiſcopi, Neophyti integritatem, fidem, ſcientiam, & experientiam præcognoſcere, & ex circunſtantiis perſonæ, loci, & dignitatis, modo maius, modo minus temporis ſpatium præfigere. Quando enim vita Neophyti talis eſt, qualis bonum decet Sacerdotem; & Neophytis honores appetere ſolennibus, iſte humilis inuenitur, poteſt Ordinari. Sic Philibertus *de Ordine, tractatu primo, parte* 10. *cap.* 2. *num.* 8. Qui & citat Rodriguez *tomo primo, de regular. quæſtione vigeſimaquarta, articulo ſeptimo.* Couarruuiam *in Clementina ſi furioſus, part.* 2. *num.* 20. *concluſ.* 3. Auilam *de Cenſuris, part.* 7. *diſp.* 4. *dubit.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 28. *quæſtione* 2, *num. duodecimo*, & Barboſam *de offic. Epiſcopi part.* 1. *tit.* 2. *gloſſa* 11. *n.* 8. Quibus ego addo Suarium *diſput.* 43. *ſect.* 3. *num.* 6. & 7. Vgolinum *c.* 1. §. 2 *n.* 4. Bonacinam *quæſt.* 2. *de Irregularitate, punct.* 5. *n.* 1. Gordonum *lib.* 7. *q.* 18. *c.* 1. §. 1. Gibalinum *c.* 3. *de Irregularitate, q* 3. *n.* 1. *pag.* 71. Filliucium *tract.* 20. *cap.* 9 *quæſt.* 5. *num.* 240. Dianam *reſol.* 50. *citata.*

Qvæstio

Qvæstio IX.

An ſolus Papa poßit in hac irregularitate diſpenſare.

Reſpondeo dicendum, quod ſolus Pontifex poſſit, vt conſtat ex *cap. Neophytus, diſtinct.* 16. Et docent omnes, præcipuè Nauarr. Auila, & Philibertus *loc. cit.* nec non Gibalinus *loco cit.* Qui ex Suario *citat.* hæc verba affert: quando Epiſcopus iudicat aliquem Neophytum dignum eſſe Sacerdotio, aliiſve Ordinibus, aut Pontifex illum ad Epiſcopatum admittit, vt factum quondam fuiſſe ſcimus in Ambroſio, & aliis, non eſſe propriam diſpenſationem, quia irregularitas, quæ hoc loco eſt, non eſt niſi propter fidei, humanitatis, & honeſtæ vitæ defectum, quem in nouo Chriſtiano ab infidelitate recenter conuerſo, iure merito eſſe ſuſpicatur Eccleſia; quare vbi abeſt ille defectus, abeſt quoque omnis ex eo nata irregularitas. Iudicare igitur Neophytum iis eſſe motibus, ea doctrina, eàque animi modeſtia præditum, vt nullum ſit periculum, ne in laqueum incidat diaboli (quod vnum timebat Paulus) ſi initietur ſacris Ordinibus, non eſt revera cum illo diſpenſare in irregularitate; ſed declarare, ipſum minimè irregularem videri. Si verò revera in eo Neophyto deprehenderetur defectus, quem timet ineſſe Eccleſiæ, & qui paſſim in huiuſmodi hominibus eſſe ſolet, & tamen graues ob cauſas neceſſarium videretur illum nihilominus ad ſacros Ordines promoueri, tunc eſſet vera diſpenſatio in irregularitate, quæ pertineret ad Summum Pontificem, non ad Epiſcopum, aliumve ſuperiorem, cuius eſt tantum probare illum, quem ad Ordines admittit, & videre vtrum aliquo impedimento Canonico teneatur, non tamen cum illo diſpenſare. Huc vſque Gibalinus.

DISPVTATIO XXVI.

De Irregularitate ex variis aliis delictis, & infamia contracta.

Qvæstio Prima.

An Clericus publicè concubinarius, vel fornicarius, ſit irregularis, irregularitate annexa tali crimini.

Affirmat Maiolus *lib.* 5. *de Irregularitate, c.* 37. *n.* 1. & alij apud nonnullos Auctores. Sed hic auctor ibi de irregularitate orta ex infamia loquitur.

Sed, vt certum Reſpondeo: Minimè eſſe irregularem, ſaltem irregularitate annexa per ſe ipſi concubinatui. Quia nulla in iure reperitur talis irregularitas. Sic ferè omnes Doctores, præcipuè infra citandi. Nauar. *c.* 27. *n.* 154. Henriquez *lib.* 13. *c.* 35. *n.* 4 Auila *p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 2.

An autem dictus publicè concubinarius, ſit ipſo iure ſuſpenſus, & ſi celebret, ob violationem cenſuræ fiat irregularis, diximus *p.* 4. *tract.* 4. *de ſuſpenſ. diſp.* 4. §. 1. *q.* 3.

Qvæstio II.

An Clericus publicè Sodomita ſit irregularis ex commiſſione præciſè talis criminis.

Reſpondeo, etiam vt certum, non eſſe irregularem, irregularitate ſaltem huic crimini per ſe annexa. Quia nulla huius criminis irregularitas reperitur expreſſa in iure: ergo præciſè ex illius admiſſione nulla contrahitur irregularitas annexa ſaltem per ſe tali crimini. Sic communiter omnes Doctores.

An verò Clericus publicè Sodomita maneat ipſo iure ſuſpenſus, & ſi celebret, aut exerceat Ordinem, fiat irregularis ob violationem cenſuræ, colliges ex dictis *p.* 4 *tract.* 4. *cit. diſp.* 4. §. 1. *q.* 17. Legantur ibi dicta, & Auctores ibi traditi.

Qvæstio III.

An ſaltem Clericus Concubinarius, aut Sodomita publicus, & notorius, fiat irregularis ratione infamiæ, ante Iudicis ſententiam.

Affirmant aliqui, eo quòd exiſtiment, dicta peccata, & crimina, vbi notoria ſunt, parere infamiam ante Iudicis ſententiam: at ſic eſt, quod omnes infames infamia iuris ſint irregulares: ergò talia crimina revera facient irregularem illa patrantem. Maiorem, in qua poteſt eſſe difficultas, docent Menochius *lib.* 2. *de Iudic. arbitr. caſu* 286. *num.* 20. Anaſt. Platus *in Concil. Brabant, conſil. vltim.* & alij. Et ideo ita docent Maiol. *lib. de Irregularitate, cap.* 43. *num.* 1. Archidiac. *in cap. Infames* 2. *quæſt.* 7. & Speculator *in tit. de diſpenſat.* §. *Iuxta, verſ. Octauò.*

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod dicti Clerici concubinarij, ſeu Sodomitæ, quantumvis publici, minimè maneant irregulares irregularitate contracta ex infamia iuris, ante Iudicis ſententiam. Quia probabilius eſt, quod in prædictis caſibus nulla contrahatur infamia iuris, ſed tantum popularis, ante ſententiam Iudicis; quia nullibi in iure dicitur, quod hæc infamia contrahatur ipſo iure: ergo. Sic Gibalin. *cap.* 5. *de Irregularitate, quæſt.* 4. *conſectar.* 7. vbi *n.* 49. ſic concludit: Habemus igitur, infandum iſtud ſcelus ſodomiticum, neque ex ſe habere annexam irregularitatem, neque ratione infamiæ popularis, quando publicum eſt, niſi per ſententiam Iudicis illius reus fuerit depoſitus, aut infamis declaratus, alioquin vbi ipſum pœnituerit, ſuſceptos Ordines licitè exercebit, & ad alios promouebitur, quamuis incumbat Prælato, illum, qui huiuſmodi infamia laboraret, donec ſe canonicè purgauerit, eiicere. Sic ille. Et antea Nauar. & Henriquez *loc. citat.* quos refert, & ſequitur Auila *part.* 7. *diſput.* 4. *dubit.* 7. *concluſ.* 3.

Qvæstio IV.

An Simoniacus ſit irregularis irregularitate ex ſe crimini ſimoniæ annexa.

Affirmant Maiolus *lib* 5. *de Irregularit. cap.* 25. *num.* 1. per hæc verba: Simoniæ crimen proximè accedit ad hæreſim, quinimò hæreſis dicitur, 7. *quæſt.* 1. *cap. Præſertim.* Iacobat. de Concil. *lib.* 4. *articulo* 4. *titul. de Simoniaco: text. & gloſſa*

in cap. Quicumque, 1. *quæſt.* 1. appellatúrque hæreſis Neophytorum, vt ſcribit Martinus Ordinis Prædicatorum, in Margarita Decreti, *in verb. Neophytus.* Non tamen propriè hæreſis dici poteſt, ſed ſimilitudinariè. S. Thom. 4. *diſtinct.* 25. *art.* 2. Quiſquis igitur, ſiue in ipſo Ordine, ſiue in beneficio hoc crimen commiſerit, amittit executionem ſui Ordinis. S. Thom. *artic.* 2. & conſequenter promoueri non poteſt, cum ſit irregularis, *de Simon. cap. Si quis, & 1. q. 1. cap. Statuimus decretum.* Speculat. *in tit. de diſpenſat. §. Iuxta, verſ. Item Simoniacus.* Hæc Maiolus.

Sed vt certum Reſpondeo: Non eſſe irregularem. Quia nulla eſt impoſita in Iure Simoniæ vitio pœna irregularitatis. Nec obſtat, quod crimen Simoniæ æquiparetur hæreſi, aut Idololatriæ; quia non ob id eaſdem pœnas communes habere debet, præcipuè irregularitatem, quam à iure ferri oportebat. Sic Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 4. *n.* 2. (non 5. vt legi apud Bonacinam) Filliuc. *tract.* 20. *c.* 9. *num.* 247. Reginald. *lib.* 30. *n.* 204. Bonac. *q.* 3. *de Irregularitate, punct.* 7. *num.* 19. Auila *part.* 7. *diſp.* 4 *dub.* 7. *concl.* 6. & 7 Henriq. *lib.* 13. *c.* 35. *n.* 3. Gibalinus *cap.* 3. *de Irregularitate, q.* 3. *dub.* 3. & Gordonus apud ipſum. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 17. *num.* 1. & alij.

QVÆSTIO V.

An ob crimen ſacrilegij fiat quis irregularis.

AFfirmat Maiolus *lib.* 5. *de Irregularitate, à c.* 30. vbi generalem regulam ſtatuit, propter crimen ſacrilegij incurri irregularitatem tali crimini annexam. Et ideò loquendo in particulari, ait propter hæc quatuor ſacrilegia incurri. *Primò*, per venditionem rerum ſacrarum. *Secundò*, per ſacrilegium turpis commixtionis cum Moniali. *Tertiò*, per ſortilegium, aut magiam. Et *Quartò*, per blaſphemiam, & periurium.

Sed vt certum Reſpondeo: Neminem fieri irregularem, ob admiſſionem ſacrilegij. Quia certum eſt, nullam irregularitatem eſſe à Iure impoſitam tali crimini. Vnde nec per illa quatuor ſacrilegia à Maiolo enumerata incurritur irregularitas propria talibus criminibus annexa; quia nulla eſt in iure illis aſſignata, ſed ad ſummum excommunicatio, aut ſuſpenſio, aut depoſitio, quæ pœnæ infligendæ ſunt à Iudice. Sic optimè docet contra Maiolum, & latè probat Suarez *diſp.* 42. *ſect.* 4. *à num.* 3. Filliucius *c.* 9. *cit. q.* 8. *n.* 249. & 250. Bonac. *loc. cit. n.* 28. & *ſequent.* Gibalinus *loc. cit. dub.* 4. *pag.* 360. An autem incurratur irregularitas orta ex infamia, iudicandam ex iam dictis.

QVÆSTIO VI.

An pœnitentia ſolemnis faciat quem irregularem.

AFfirmat cum aliis Saytus *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 19. per hæc verba: Ad hoc caput etiam reuocari poſſunt irregularitates prouenientes ex pœnitentia publica. Qui enim publicam & ſolemnem pœnitentiam ob delicta egerunt, irregulares ſunt, non ſolum vt non promoueantur, ſed etiam vt deponantur, ex *cap. Pœnitentibus, diſtinctione* 39. Sic ille, citans Silueſtrum, S. Anton. Maiolum, & Sebaſtian. Medices. Et *infrà num.* 21. ita ſcribit: Aduertendum eſt, in quibuſdam Eccleſiis ob crimina notoria, vt blaſphemiam, & ſimilia, imponi pœnitentiam quandam, quæ publica & ſolemnis eſſe videretur; ſiquidem ad fores Eccleſiæ in loco eminenti, cum diademate in capite, & cereis in manu accenſis pœnitentes, dum officia diuina celebrantur, toti populo exponuntur, vt proinde huiuſmodi meritò dici poſſint irregulares. Hæc Saytus, quem nouiſſimè ſequitur Philibertus *de Ordine tract.* 1. *part.* 10. *cap.* 5.

Sed clarius & probabilius ſic Reſpondeo. *Primò*, Pœnitentia publica & ſolemnis, quæ olim in principio Quadrageſimæ fieri ſolebat, cum certis cæremoniis, contentis Canone, *in cap. diſtinct.* 50. & tantum imponebatur ab Epiſcopo, verè faciebat pœnitentem irregularem, ita vt nec poſſet promoueri, nec in ſuſceptis miniſtrare. Sic habetur expreſsè *cap. In capite, cit.* Et docent ex illo omnes Doctores, præcipuè nuper adducti, & Bonacina *quæſt.* 3. *de Irregul. punct.* 2. *num.* 3. & Auila *part.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 6. *concluſ.* 1. vbi in fine addit, quod cum hæc pœnitentia modò non ſit in vſu, prædicta irregularitas non habeat locum.

Reſpondeo *Secundò*. Pœnitentia publica, non ſolemnis, quæ modò fieri ſolet, aut poteſt, etiamſi fiat cum prænarratis cæremoniis, non facit pœnitentem irregularem. Quia cum præcitati Canones ſolùm loquantur de pœnitentia publica ſolemni, quæ fiebat in principio Quadrageſimæ, non eſt cur nos illam extendamus ad pœnitentiam publicam, quæ modò fieri poteſt. Sic Auila *loc. cit. concluſ.* 2. citans Silueſtrum, & D. Antoninum, Bonacina *loco citato*, adducens Suarium *diſp.* 42. *ſect.* 2. *num.* 4. & Filliucium *num.* 189. quos immeritò adducere, cum in locis ab eodem allegatis nil de hac quæſtione ſcriptum reliquerint, dicit Philibertus *loco citato.* Sed ipſe immeritò potius hæc in Bonacinam obiicit, cum ad minus Suarez expreſsè noſtram, & Bonacinæ ſententiam teneat loco à Bonacina citato, nempe *diſput.* 42. *ſect.* 1. *num.* 3. qui incipit: *Tertium Sacramentum.* Et *num.* 4. qui incipit: *Nihilominus.* Maiolus *pag. mihi* 686. Tenet etiam nobiſcum Gibalinus *cap.* 5. *de Irregularitate, quæſt. vlt. in fine, pag.* 400. & Pellizzarius *loc. cit. ſect.* 3. *q.* 39. *num.* 152.

QVÆSTIO VII.

An ex defectu bonæ famæ, ſiue rectæ exiſtimationis apud homines, fiat quis inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos.

REſpondeo, vt certum, quod ſic. Quia ex Apoſtolo, qui ad Ordines ſunt prouehendi, *debent habere teſtimonium bonum ab iis, qui foris ſunt.* Ideóque meritò ab Ordinatione repelluntur, *cap. Qui aliquo crimine, diſtinct.* 51. *cap. Teſtes* 2. *quæſt.* 7. *cap. Infames* 6. *quæſt.* 1. Sic omnes. Legantur de hac materia Nauarr. *cap.* 17. *num.* 248. Suarez *diſput.* 48. *ſect.* 1: Saytus *lib.* 7. *cap.* 11. & 12. Auila *lib.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 5. Bonacina *quæſt.* 3. *de Irregularitate, punct.* 1. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 9. Ægidius *diſput.* 18. *dub.* 7. Philibertus *de Ordine tract.* 1. *part.* 10. *cap* 4. Gibalinus *cap.* 5. *q* 4. *pag.* 370. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 3. *ſect.* 3. *quæſt.* 31. *num.* 143. & alij, qui communiter triplicem infamiam aſſignant, nempe iuris, facti, & actus ignominioſæ ex qua oriatur dicta ad Ordines inhabilitas, de quibus ſingulis breuiter agemus. Sic ergo.

Digitized by Google

QVÆSTIO VIII.

An infamia iuris reddat quem irregularem.

RESpondeo dicendum, quod infamia iuris, qua afficitur ille, qui committit aliquod delictum, cui impoſita eſt a Iure Canonico, vel Ciuili (ſi à Iure Canonico non ſit reuocata) pœna infamiæ, verè faciat irregularem, id eſt, inhabilem ad Ordines ſuſcipiendos. Sic tenent omnes DD. ex *cap. Omnes*, 6. q. 1. ibi: *Omnes verò infames eſſe dicimus, quos leges ſaculi infames appellant. Et omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium promoueri non poſſunt.*

Qui autem ſint iſti infames, declarat Stephanus Pontifex *in cap. Infames*, 6 *quaſt.* 1. his verbis: *Infames ſunt apoſtatæ a fide Chriſtiana, Eccleſiaſtica ſtatuta contemnentes, fures, ſacrilegi, capitali crimine irretiti, ſepulchrorum violatores, ſumentes arma aduerſus Eccleſiaſticas partes, inceſtuoſi, homicidæ, periuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, belli deſertores, poſtulantes dignitates, quibus ſunt indigni, auferentes iniuſtè Eccleſiaſticas facultates, calumniatores, accuſatores, deficientes in probationibus, prouocantes animum Principis ad iram contra innocentes, omnes excommunicati expulſi ab Eccleſia pro ſuis ſceleribus. Hi omnes* (ſubdit textus) *ad Ordines promoueri non poſſunt.*

Rurſus, aliæ plures dantur infamiæ iure Canonico. Nam infames ſunt raptores mulierum, ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* In duello pugnantes, adiuuantes, & ſpectantes, *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Reformat.* Hæretici, Schiſmatici, Summo Pontifici inobedientes, *cap. Alieni*, 2. *q.* 7. Impedientes quocumque modo Officium S. Inquiſitionis. Pius V *in quadam Bulla.* Simoniaci, *cap. Sanè*, 15. *q.* 3. Detractores contra pias perſonas, *cap. Si autem* 11. *q.* 3. Monachi procreantes filios, *cap. Impudicas*, 27. *q.* Sodomitæ, *l. Cum vir, C. de Adulteris.* Lenones, *l.* 1. 2. 3 *ff. de iis, qui notantur infamia.* Inceſtuoſi, & illis conſentientes, *cap. Notificamus*, 35. *q.* 6 Proſtituens propriam filiam, vel vxorem: duas vxores ſimul habens: nubens cum muliere intra tempus luctus, vel illam tradens matrimonio, *cap. Euphemium*, 2. *quaſt.* 3. *& cap. vltim. de ſecund. nuptiis.* Item infames ſunt, corrupti ad falſum teſtimonium reddendum, *cap. Si quis conuictus*, 12. *quaſt* 5. Rei læſæ maieſtatis, *l. Quiſquis* 1. *C. ad l. Iuliam Maieſtatis*, famoſum libellum facientes, conſentientes, & inuenientes, ſi non frangant, *cap.* 2. *§. Ob carmen*, 4. *quaſt.* 3. *& cap.* 1. *& vltim.* 5. *quaſt.* 1. Inſtruentes inſidias, vel conſpirantes contra proprium Epiſcopum, & illis conſentientes ſunt infames. Sic Philibertus *tract.* 1. *de Ordine, part.* 10. *cap.* 4. *à num.* 5. Suarez, Sayrus, Bonacina, & alij *ſuprà citati.* Qui notant, omnia ſupradicta crimina parere ſolùm infamiam, quando ſunt publica, vel per iudicis ſententiam, vel per confeſſionem Rei in iudicio.

QVÆSTIO IX.

An infamia facti faciat irregularem.

RESpondeo dicendum, quod etiam infamia facti faciat irregularem. Itaque qui commiſit aliquod ſcelus, cui ipſo iure annexa eſt infamia à lege Eccleſiaſtica, reuera eſt & manet infamis, & ante omnem Iudicis ſententiam irregularis. Sic habetur *in cap. Omnipotens Deus, de Accuſation. & cap. Infames* 6. *quaſt.* 1. quod explicat Gloſſa tam de infamia Iuris, quàm facti, & docent omnes Doctores. Nauar. *cap.* 27. *num.* 204. Henriquez *lib.* 14. *c.* 5. *n.* 3. Auila *p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 5. *concl.* 2. Philibert. *loco cit. n.* 4. ibi: infamia iuris & facti illa eſt, vbi hæc, & illi facto leges infamiæ pœnam imponunt. Gibalin. *c.* 5. *q.* 4. *à n.* 1. Bonacina *q.* 3. *de Irregular punct.* 1. & Villalob. *tract.* 21 *difficult.* 30. *num.* 3. Pellizzar. *loco citat. q.* 33 & alij.

QVÆSTIO X.

An infamia, quæ oritur ex exercitio artis ignominioſæ, faciat etiam irregularem.

RESpondeo, vt certum, facere irregularem, caſu quo ob indecentiam officij vilis, aut artis ignominioſæ habeat perſona illam exercens adnexam aliquam inhabilitatem ad Ordines ex inſtitutione Iuris Canonici, aut Ciuilis, approbata ab illo. Ex quo ſequitur, Hiſtriones, aut Mimos, qui ex officio publicè repræſentationes exercent irregulares eſſe, eo quòd ius eos infamia afficiat, *c. Aliquantos*, *q.* 51. *& c. Definimus* 4. *q.* 1. *& l.* 1. *&* 2. *§ Ait Prætor*, iunctis duabus ſequentibus, *ff. de his, qui notantur infamia, & l. Regia* 4. *tit.* 6 *p.* 7. Et docent Henriq. *lib.* 14. *c.* 5. (non 15. vt leges apud Palaum) *n.* 5. ibi: Et indecentius eſſet Ordinare eum qui fuit publico ſtipendio conductus ad officium infame, vt (addit *in gloſſ. litt. O.*) mimus (ſic lege, non *minus*) ſcenicus, hiſtrio, citharœdus, coraulus, ſaltator, & qui theatralibus ſpectaculis ſunt aſtricti. Sic ille. Ang. *verb. Hiſtrio, n.* 6. Siluester *Ordo* 4. Innocent. *in c. Cum decorem, de vita, & honeſt. Cleric.* quos citat, & ſequitur Auila *p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 5 *corell.* 1. *poſt* 2. *concl.* Palaus *diſp.* 6 *punct.* 20. *n.* 6. Philibertus *de Ordine, tract.* 1. *p.* 10. *c.* 4. *n.* 5. Cornejo *diſp.* 8. *de Irregulari dub. vnic. q.* 3. Gibalinus *c.* 5. *q.* 4. *Propoſitione* 3. *in fine.* Et antea latiùs Maiolus *lib.* 2. *de Irregular. c.* 5. *n.* 17. addens, id eſſe verum, etiamſi dicti Hiſtriones, & alij theatralibus ſpectaculis adſtricti, ſine pretio, aut præmio ludicram hanc artem exerceant. Legatur idem Auctor *lib.* 3. *c.* 1. Aduerte tamen tu, quod prædictorum filij, ſi dictam artem non exerceant, minimè ab Ordinibus excludantur.

QVÆSTIO XI.

An Macellarij, Tabernarij, & huiuſmodi ſint ex infamia officij irregulares.

AFfirmat Maiolus *lib.* 3. *c.* 1. *n.* 6 his verbis: Macellarij quoque, Tabernarij, Balnearij, cloacas emundantes, pelles expurgantes, & quos fullones dicimus, quia viles iudicantur ab Eccleſia, non debent admitti ad Ordines, quinimò promoti, ob has artes deponuntur ex Concil. Viennenſi, & habetur *in dict. Clem.* 1. *de vita, & honeſt. Cler:* & ibidem Gloſſa, quæ expreſſim has artes commemorat. Ita ille. Et loquendo de Macellariis, Philibert. *loc. cit.* Bonacin. *punct.* 1. *cit. n.* 12.

Sed probabiliùs Reſpondeo: Minimè eſſe ex infamia irregulares, quia nullo iure id cauetur. Sic Palaus *diſp* 6 *punct.* 20. *n.* 6. his verbis: Præter ſupradictum officium hiſtrionum, ſeu Scenicorum, alij enumerant officium Carnificum, Macellariorum, Lictorum, & ſimilium, ſed abſque fundamento: nam eſto ſint officia infimæ conditionis, & notæ, nullo tamen iure ſcripto cauetur infames eſſe ea exercentes. Sic ille. Legatur Filliucius *tr.* 19. *c.* 8. *q.* 12. *n.* 230.

QVÆSTIO XII.

An infamia popularis faciat quem irregularem, vel ſaltem inhabilem ad Ordines.

RESpondeo dicendum, quod verè faciat inhabilem ad Ordines ſuſcipiendos, quandiu talis infamia perſeuerat, & per emendationem non tollitur; non tamen propriè, & in rigore faciat irregularem. Pro intelligentia huius reſponſionis notandum eſt, quod infamia popularis eſt illa, quæ ex communi hominum æſtimatione, & ſenſu oritur, nullùmque habet effectum moralem, præter illam obſcuritatem nominis, diminutionem famæ, detrimentum dignitatis, & diſpendium pudoris: ſed quia nullo iuris adminiculo fouetur, nullum effectum legalem habet: & ideo huius infamiæ popularis cognitio non attenditur in iure, quod ſolùm conſiderat ipſam in ordine ad effectus legales, & morales. Quo ſuppoſito.

Dico quod dicta infamia popularis verè prohibet quem à ſuſceptione Ordinum: eo quòd ex edicto generali infames Ordinari non debent: atqui qui in publico aliquo peccato perſeuerant, infames reuera ſunt apud bonos, & vt tales cenſentur ab Eccleſia, vt patet ex Euſebio Papa *epiſt.3. ad Epiſcopos Tuſcia*, & ex Stephano 1. *epiſt. ad Hilarium Epiſcopum*, & ex Fabiano *epiſt.2. ad Epiſcop. Orientales*: ergo.

Quod autem hæc popularis infamia, & conſequenter irregularitas ex illa orta non duret, niſi durante eo peccati publici ſtatu, colligitur ex *cap. Teſtimonium, de teſtib.* vbi donec quis fuerit emendatus, repellitur à teſtimonio, & *cap. ſi duo 35. quaſt. 6.* inceſtuoſi dicuntur effecti infames, donec ab inceſtus facinore deſiſtant. Legantur de hac re Suarez *diſp.48. ſect.2. num.* 8. Filliuc. *tract.19. c.*8. Auila *part.7. diſp.4. dub.5.* Henriq. *lib.14. c.5.* Bonac. *q.3. de Irregularitate, punct.2.* Gibalin. *c.5. de Irregularitate, q.5. n.5. pag.376.* Palaus *diſp.6 punct.20.* Pellizzarius *loc. cit. q.52. n.144.* & alij.

Notanter autem diximus in reſponſione, talem infamiam verè facere inhabilem, *quoad Ordines ſuſcipiendos*; quia infamia ipſa præcisè non impedit exercitium ſuſceptorum, niſi alias crimen tale ſit, vt impediat exercitium ſuſceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale eſt homicidium. Sic Bonac. ex Toleto, & Azorio *loc. cit.* Auila *dub.5. cit. poſt 2. concl. verſ. Dixi praterea*, ex Angelo *verb. Infamia, n.3.* Ægidius *diſp.18. n.37.* Præpoſit. *in 3. part. quaſt.5. de Irregular. n.52.* Gibalin. *loc. cit. verſ. Hos igitur.*

QVÆSTIO XIII.

An irregularitas incurſa ob infamiam Iuris Canonici, vel Ciuilis, ſolùm à Summo Pontifice poſsit auferri.

RESpondeo dicendum, quod irregularitas incurſa ob infamiam Canonici Iuris, ſolùm à Summo Pontifice auferri poteſt. Ratio eſt, quia hæc pœna impóſita eſt ſimpliciter & abſolutè à Conditore Iuris, qui eſt Pontifex: ergo ab eo ſolum relaxari poteſt. Ex quo conſtat, Epiſcopum nullatenus poſſe cum huiuſmodi Infamibus diſpenſare, vt ad Ordines aſcendant. Sic Nauarr. *cap.27. num. mihi* 204. (Henrico, & Auilæ 205.) his verbis: In qua (*id eſt, in Irregularitate*) cum naſcitur ex infamia Iuris, ſolus Papa diſpenſat, iuxta Villadiego *vbi ſupra, col.*50. niſi quando Epiſcopus diſpenſat ſuper delicto ad quod ſua facultas ſe extendit, acceſſoriè infamiam demit, iuxta Gloſſ. ſingul. *cap. Euphemium, §.1.2. quaſt.3.* Sic ille, quem citat & ſequitur Henriquez *lib.14. cap.5. num.4. in fine*, Auila *part.7. diſp.4. dub.5. concl.3.* Bonacin. *quaſt.3. punct.1. num.*6. Palao *diſp.6. punct.* 20. *num.* 13. Philibertus *de Ordine, tract.1. part.10. cap.4. num.*13. Suarez *diſput.48. ſect.2. num.9.* Cornejo *de Irregularitate, diſp.8. dub. vnico, quaſt.4. dict.2.* Qui idem docent loquendo de irregularitate orta ex infamia Iuris Ciuilis, quia in hac, ſaltem directè, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt.

QVÆSTIO XIV.

An irregularitas orta ex infamia indicta à Iure Ciuili, poſsit indirectè auferri à Principe ſaculari, auferendo infamiam ciuilem, in qua fundatur.

NEgandum videtur. Quia irregularitas eſt impedimentum Canonicum, in quo Princeps ſæcularis nullam habet iuriſdictionem: ergo. Ob hæc Maiolus *lib.3. de Irregularitate, cap.1. num.3.* docet, quod quamuis Princeps ſæcularis poſſit auferre infamiam Ciuilem, negat tamen per talem diſpenſationem ceſſare irregularitatem, ſaltem quando fundatur in facto proprio. Et citat pro ſua ſententia Archidiaconum *in cap. Lege, diſt.10. & in cap. Si quis cum militibus 6. q.* 1.

Alij autem contrà abſolutè docent, quod quamuis dicta irregularitas directè tantùm auferri poſſit per diſpenſationem Eccleſiaſticam, ob rationem nuper aſſignatam, indirectè tamen auferri etiam poſſit per ablationem infamiæ, ſeu reſtitutionem famæ, factam à poteſtate Ciuili, nempe à Principe ſæculari. Ratio eſt, quia Princeps ſæcularis directè poteſt auferre infamiam Ciuilem: ergo conſequenter cadet irregularitas in qua fundatur. Ita Bonac. *punct.1. cit. num.6.* citans Suarium, & Fillincium pro ſe.

Sed clarius Reſpondeo dicendum, quod quando huiuſmodi irregularitas fundatur æquè & directè in infamia, tam Iuris Ciuilis, quàm Canonici, vt eſt irregularitas, quæ fundatur in infamia hæreſis, vel vſurariorum & ſimilium, tunc non ſufficiat ablatio infamiæ per Ciuilem poteſtatem, ad tollendam etiam indirectè irregularitatem in illa fundatam: bene tamen quando ſolùm directè fundatur in infamia indicta à Iure Ciuili, & indirectè recepta à Iure Canonico; quia tunc optimè poteſt talem infamiam Princeps ſæcularis directè abolere, & ex conſequenti, & indirectè, auferre irregularitatem. Sic expreſsè Suarez *diſput.48. ſect.2. num.* 10. Filliucius *numero* 224. Auila *part.7. diſputat.4. dub.5. concluſ.3.* & Henriquez apud ipſum. Philibertus *de Ordine, tractat.1. part.10 cap.4. num.15.* Panormitanus, Armilla, Piaſecius, & alij apud ipſum. Cornejo *diſp.8. de Irregularitate, dub. vnico, poſt quaſt.5. verſ. Et ſi inquiras.* Gibalinus *cap.6. de Irregularitate, quaſt.2. conſectar.4. quaſt.*406.

QVÆSTIO XX.

An irregularitas incurſa ob infamiam per Iudicis ſententiam, poſsit ab eodem Iudice auferri.

RESpondeo, Poſſe auferri per eiuſdem Iudicis, aut Superioris ſententiam, per quam reus in priſtinam famam reſtituatur. Quia ablato irregularitatis fundamento adæquato, & totali, qualis eſt illa infamia,

Digitized by Google

infamia,aufertur etiam irregularitaa, quæ in illa fundatur. Sic Cornejo *loc. cit. verſ. Dico tertiò.* Auila *concl.3.cit.* Gibalinus *loc. cit.conſectar.3.* & alij.

Qvæstio XVI.

An irregularitas orta ex infamia iuris tollatur per Baptiſmum.

AFfirmant plures Doctores. Quia per baptiſmum tollitur omnis infamia conſurgens ex delicto; nam infamia ſequitur peccatum: ſed per Baptiſmum aufertur peccatum: ergo per Baptiſmum aufertur infamia: ergo, &c. Ita tenent Syluest. *Baptiſmus 6. quæſt.2.* Angel. *Baptiſmus 7.n.4.* Tabiena *eod. verb.8. quæſt.8.* Maiolus *lib.3.c.1.n.4.* quos citat, & ſequitur Sayrus *lib.7. Theſauri, cap.11.n.11.* Quibus addi poſſunt Bonacina *quæſt.3.de Irregular. punct.1.num.6.* & Gibalinus *c.6. de Irregularitate, quæſt.2.conſectar.2. pag.409.*

Sed probabilius Reſpondeo dicendum, quod minimè tollatur per Baptiſmum. Quia omnis irregularitas eſt Eccleſiaſtica pœna, cum ab Eccleſia ortum habeat: at Eccleſia non iudicat ea, quæ foris ſunt: ergo ante Baptiſmum nulla eſt irregularitas Canonica, quæ Baptiſmo tolli poſſit. Confirmatur,quia per Baptiſmum non tollitur Infamia Ciuilis ex legibus Principum manans: ergo nec infamia Iuris Canonici. Sic docent Suarez *diſp.48. ſect.2. num.11. & 12.* Fillincius *tract.19.cap.8. quæſt.11. num.226. & 227.* Qui contrarium dicunt de infamia proueniente ex delicto, quæ dicitur merè facti, & in hoc ſenſu explicari poſſunt Auctores primæ ſententiæ, quia eorum ratio id ſolùm conuincit. Sic etiam Gaſp. Hurtad. *diſput.1.de Irregularit. n.64.* Philibertus *de Ordine, tract 1. part.10. cap.4. n.16.* Cornejo *de Irregularit. diſp.8. dub.vnico,q.5.* Imò & Pellizzatius *loc.cit.q.38. num.151.*

Qvæstio XVII.

An infamis in vno loco, poſſit ordinari in alio, in quo non eſt infamatus.

NEgat Bonacina *quæſt.3. de Irregularit. punct.1. num.10.* his verbis: Quartò, infamem in vno loco, remanere infamem in omni loco, & ſic non poſſe in vllo Ordines recipere, antequam deleta fuerit infamia. Ita Vgolin. *cap.60.* Ratio eſt, quia alioquin infamis in vno loco migraret ad alium, ibique Ordines ſuſciperet, ſicque fruſtraretur finis legum. Ita ille.

Sed probabiliter certè Reſpondeo dicendum,quod ille, qui in vno loco eſt infamis, licitè poſſit Ordines recipere in alio, in quo non eſt infamatus. Probatur *Primò.* Quia probabile eſt, vt diximus *part.4. tract.2 diſp.15. quæſt.56.* quod excommunicatus denunciatus in vna Prouincia, non eſt neceſſariò vitandus in alio loco,vbi id eſt occultum,etiam ab his, qui rem ſecretò norunt: ergo etiam erit probabile, quod infamis in vno loco, poſſit Ordinari in alio,vbi non eſt infamis.

Secundò. Quia in alio loco, vbi illius infamia eſt occulta, retinet nomen bonum: ergo ibi non eſt infamis: ergo poterit ibi ad Ordines promoueri, ſaltem cum duabus conditionibus: prima, vt infamia illius non ſit facilè peruentura ad locum, in quo ordinatur. Secunda, vt non ſit reuerſurus ad locum in quo famam amiſit. Sic Philibertus *tract.1. de Ordine, part.10. cap.4. in fine.* Cuius ſententiam dico eſſe probabilem loquendo de infamia facti, non Iuris, quia hæc ſemel admiſſa non tollitur niſi per diſpenſationem Pontificis, vt habitum eſt *ſupra quæſt.13.* Legantur dicta à nobis *part.4. cit. diſp.27.q.57.*

Qvæstio XVIII.

An quis ex alieno delicto poſſit reputari infamis, & irregularis deinde.

REſpondeo,vt certum. Poſſe in ſequentibus caſibus. *Primus* ſit in filio rei læſæ maieſtatis, ſeu proditoris Principis, qui infamis efficitur, & conſequenter irregularis, per *l. Quiſquis, C.ad leg Iuliam Maieſt.c. Si quis cum militibus 6.q.1.* Sic Bonac.*q.3. punct.1.n.13.* Philib. *tract.1.de Ordine,part.10 cap.6.* Gibalin *c.5.q.4 propoſitione 3.pag.387.*

Secundò, ſit infamis filius hæretici, necnon nepos ex linea paterna,non ex materna, ex *cap. Quicumque, §.hæretici,de hæretic in 6 & cap.Statutum,el 2.eod.tit. & lib.* vt habitum eſt *ſuprà q.25.*

Tertiò,ſiunt Infames, & conſequenter irregulares, filij illorum, qui manus violentas in Cardinalem iniecerunt, *cap.Felicis* (non *cap.Filius*,vt offendes apud Philibertum) *de Pœnis in 6.*Bonac. Gibalin & Philibert.*loc.cit.*

Quartò,ſiunt infames,& irregulares filij illorum vſque ad ſeptimam generationem, qui officium Sanctæ Inquiſitionis perturbarunt,miniſtros moleſtarunt,&c. Pius V. *in quadam Bulla de hac materia.* Philib. *loc. cit.* de quo etiam habitum eſt *ſuprà.*

Quintò, ſunt etiam infames, & irregulares nati ex inceſtuoſis parentibus, *c.Conſanguineorum 5.q 4.cap. Coniunctiones,35.q.3.* Philibert.*loc.cit.* Hi enim omnes ſunt infames, & irregulares, eo quòd ob grauitatem dictorum criminum parentes puniuntur à iure in ſuis filiis, quamuis innocentibus.

DISPVTATIO XXVII.

De diſpenſatione Irregularitatis, tam in communi, quàm in particulari.

Quia in omnibus & ſingulis ſpeciebus irregularitatis, de earum diſpenſatione diximus; ideo nunc breuiter aliqua in communi, necnon & quæ deſiderari in particulari poſſent,dicemus. Sit ergo.

Qvæstio Prima.

An diſpenſatio irregularitatis habeat determinatam formam.

REſpondeo, vt certum. Quod non: Benè tamen conuenientem, vt eſt hæc: *Diſpenſo tecum in irregularitate, quam contraxiſti, propter talem cauſam.* Sic Henriquez *lib.14. cap.17.n.4.* ita dicens: His verbis aut ſimilibus, quaſi pro forma vtetur: *Diſpenſo tecum in irregularitate, quam contraxiſti propter talem cauſam*: ſed nulla verba ſunt iure determinata, tanquam neceſſaria Forma diſpenſationis huius, aut inhabilitatis ad beneficia,

vel impedimenti matrimonij, aut diſpenſandi in votis: ſed fit diſpenſatio quibuſcumque verbis, quæ ſignificent voluntatem tollendi irregularitatem, vt de abſolutione à cenſuris dictum eſt. Sic Henriquez. Et antea Maiolus *lib.5. de Irregularitate*, c.53. *ſub n.7. verſ. In Epiſcopo autem.* Sotus *diſtinctione* 25. *q.1. art.3.* & Sylueſt. *abſolutio* 6. *n.2.* Auila *etiam part.7. diſp.10. in principio.* Gibalinus *c.6. q.6. fine.* Legantur dicta à nobis *de Cenſur. p.4. tract.1. diſp.11. q. vltima, & tract.2. diſp.17. à q.109.* vbi latè de huiuſmodi materia tractauimus.

Qvæstio II.

An vt diſpenſatio in irregularitate fiat licitè, requiratur aliqua cauſa.

Reſpondeo vt certum. Quod ſic: Tum quia id conſtat ex Tridentino *ſeſſ.23 c.14.* ibi: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Tum etiam: quia diſpenſatio in quacunque lege, ſi fiat ſine cauſa, eſt illicita, vt docent Theologi cum D. Thoma 1.2. *q.97. art.4.* ergo & diſpenſatio in irregularitate. Sic omnes. Legantur Henriq. *loc. cit. n.4. in princip.* Borgaſ. *de Irregul. 2.p. de diſp per totam*, Auila *loc. cit.* Gibalinus *de Irregul. c.6. q.5 n.1.* Suar. *diſp.41 ſect.1.* Filliuc. *tract.20. c.5.* & alij. Legantur etiam dicta à nobis 3. *p. tract.5. diſp.10.* vbi de diſpenſatione in Eccleſiaſtico ieiunio latè egimus.

Qvæstio III.

An etiam vt ſit valida diſpenſatio irregularitatis, quæ fit à Papa, requiratur aliqua cauſa.

Affirmant Ioan. ab Anania *in c. Sicut dignum, §. Inſuper, col.3. n.10. de homicid.* & Cardin. Alexand. *in c. Miror, 50. diſt.* quatenus docent, homicidam volontarium diſpenſatum per Papam ab irregularitate ſine iuſta, & magna cauſa, non eſſe tutum apud Deum. Affirmant & alij DD. loquendo de diſpenſatione in communi, vt Fortunius, Bernard. Hipolytus, Mendoza, & Iaſon, vt vidimus *3. p. tract.5. diſp.10. q.2.*

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo: Non requiri. Vnde ſi diſpenſatio in irregularitate, etiam homicidij voluntarij, fiat à Papa ſine vlla cauſa, erit valida (quamuis illicita) & diſpenſatus in vtroque foro manebit tutus. Ratio eſt: Quia in omnibus, quæ pertinent ad ius humanum, Papa eſt legiſlator, & Dominus: atqui omnis irregularitas eſt iuris humani, *vt ſupra* vidimus: ergo. Sic Villadiego *tract. de Irregul. c.1 n.10. pag. mihi 12 verſ. His igitur*, quem citat, & ſequitur Auila *p.7. diſp.10. dub.1. verſ. Hinc ſequitur*, Suarez *diſp.14 ſect.2. n.2.* & alij quamplures, præcipuè Nauarr. Caiet. Medina, Sanchez, & Bonacina citati à nobis *part.3. loco nuper citato.*

Qvæstio IV.

An Summus Pontifex poſſit in omni irregularitate diſpenſare.

Negarunt olim quidam Auctores, exiſtimantes minimè poſſe Pontificem diſpenſare in irregularitate orta ex bigamia vera, aut ex homicidio voluntario. Quinam autem ſint hi DD. & quodnam eorum fundamentum, diximus *ſupra tract.1. diſp.1. q.4. & tract.2 diſp.6. q.28.*

Sed vt quid certiſſimum Reſpondeo: Poſſe Pontificem in omni irregularitate diſpenſare. Quia certiſſimum eſt, quod omnis irregularitas, etiamſi orta ſit ex bigamia, aut homicidio, inducta ſit iure humano, & Eccleſiaſtico: atqui Pontifex eſt conditor iuris Eccleſiaſtici: ergo in ipſo reſidet poteſtas illud relaxandi. Sic omnes. Legantur Suarez *diſput.41. ſect.1.* Auila *part.7. diſp.10* Bonac. *q.5 de Irregul. punct.1. n.1.* Gibalin. *c.6. q.4. à n.1.* Filliucius *tract.20. c.5. q.5.* & alij citati à nobis locis nuper aſſignatis.

Qvæstio V.

An Epiſcopi, aliiue Prælati inferiores Pontifice, poſſint diſpenſare abſolutè in irregularitatibus.

Reſpondeo, vt certum: Non poſſe, niſi in illis in quibus ius commune tacitè, vel expreſſè diſpenſare concedit. Patet: quia (vt ſæpè eſt habitum) omnes irregularitates à ſolo iure communi ſunt inductæ: ergo ſolùm poſſunt tolli, ab eo, qui diſpenſare poteſt in lege per quam latæ & poſitæ ſunt: atqui Epiſcopi non poſſunt quidquam in abrogando iure communi, niſi in caſibus, in quibus id ipſis permittitur tacitè, vel expreſſè: ergo neque poterunt in irregularitate inducta iure communi diſpenſare, niſi quatenus ab eodem iure communi tacitè, vel expreſſè concedente id ipſis licebit. Sic communis omnium. Legantur Suarez *diſp.41. ſect.2. n.3.* Filliuc. *tract.20. c.5. q.6.* & Gibalinus *c.6. de Irregul. q.4. n.3.* vbi id vt certum benè ſupponit. Solùm ergo reſtat videndum, quid in iure communi ſit permiſſum in hac parte Epiſcopis, & quænam conſequenter irregularitates ab illis auferri poſſint. Pro quo ſit

Qvæstio VI.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in omnibus irregularitatibus procedentibus ex delicto occulto.

Reſpondeo, vt certum: Poſſe Epiſcopum diſpenſare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex quocumque delicto occulto, non deducto ad forum contentioſum, excepta irregularitate proueniente ex homicidio voluntario. Quia id habent ex iure nouo Concilij Trident. *ſeſſ.24. c.6.* Sic omnes DD. Legantur Suarez *diſp.41.* (non 45. vt leges apud Bonacinam) *ſect.2.* Sanchez *lib.2. Summ. cap.11.* Filliucius *tract.39. cap.5. quæſt.6.* Bonacina *quæſt.5. de Irregul. punct.1. n.3.* & egomet *part.4. tract.2. diſp.17. de Abſolut. ab excommunic. à q.41.* vbi latè de hac materia egi.

Qvæstio VII.

An quilibet Epiſcopus poſſit in dictis irregularitatibus, ab occultis delictis prouenientibus diſpenſare.

Reſpondeo: quod non quilibet Epiſcopus, ſed ſolùm ille, qui habet ſubditos, ſeu Diœceſim, in qua Tridentinum Concilium, ſaltem ex parte, receptum ſit. Sic Auctores citati, & alij quos nos adducimus *part.4. diſp.17. cit. quæſt.42.* An verò ſit neceſſum, quod Epiſcopus ſit intra ſuam Diœceſim, vel ſaltem ſubditus, vt poſſit cum iſto in

dictis

dictis irregularitatibus diſpenſare, habes non eſſe neceſſum *loco citato, part.4.quæſt.52.& 55.* Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO VIII.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitatibus dictis cum Religioſis exemptis, caſu quo iſti illis, de licentia ſuorum Prælatorum, ſe ſubiiciant.

NEgant quamplures DD. quos, loquendo de abſolutione à caſibus reſeruatis, citauimus *p.4. tract.2.diſp.27. q.70.*

Sed probabilius Reſpondeo : Poſſe. Quia ad hunc effectum bene poſſunt Religioſi ſe ſubiicere Epiſcopis de licentia ſuorum Prælatorum, vt probauimus *loc.cit.* Et tenet Henriq. *lib.14.de Irregul.c.20.& vltimo, n.5. & vltimo*, ita dicens : At circa Regulares exemptos, qui habitant in Monaſteriis ſuæ Diœceſis, non diſpenſat, aut abſoluit. Poteſt tamen ſi à Prælato ſuo ſubiiciantur Epiſcopo in eum finem, vt diſpenſetur. Quia hi Regulares de iure communi, de ſe ſunt ſubiecti Epiſcopo, in cuius Diœceſi degunt. & quamuis ob priuilegia Epiſcopus in odioſis impediatur vti iuriſdictione in illos, poſſunt ei ſubiici à Prælato in fauorabili cauſa. Hæc Henriquez, quibus verbis fœliciter ſuo operi impoſuit finem. Sic etiam Suarez *diſp.41.ſect.2.n.12.* Filliucius *tract.20. c.5 q.5. n.271.* Reginaldus *lib.30.n.29.* Bonacina *q.5. punct.1. n.4.* Cornejo *loc.cit.q.7.* Rodriguez, Molina, Auila, Zerola, Hurtad. Diana, Baſilius, Merolla, & alij, quos dedimus *4.p.q.70 cit.*

QVÆSTIO IX.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto occulto, deducto ad forum contentioſum, ſi reus in eo non fuit conuictus.

REſpondeo : Poſſe. Quia tunc ceſſat ratio, ob quam crimen dicatur deductum ad forum contentioſum; nam perinde eſt, ac ſi non fuiſſet deductum, & ſic cenſetur occultum. Sic Sanchez, Nauar. Henriq. Auila, Molina, & alij adducti à nobis *p.4. tract.2.diſp.17.q.65.* Legantur etiam Sayr. *lib.7.cap.7. n.14.& c.8.n.7.* Filliuc. *tract.20. c.10. n.109.* Suarez *diſp.41. ſect.2. n.6.* & Bonac. rurſus hîc *punct.1. n.5.* Cornejo *diſp.3.punct.vltimo,q.3.*

QVÆSTIO X.

An item poßit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto deducto ad forum contentioſum, caſu quo delinquens, finito iudicio, punitus fuerit.

NEgat Suarez *diſp.41. ſect.2. n.5.* Bonacina hîc *q.5.punct.1.num.6.* Gutierrez, Garcias, & Rodriguez apud ipſum. Quibus ego ex à nobis relatis *part 4. tract.2. diſp.17. quæſt.56.* addo Palaum *tom.1. tract.4.diſp.4.punct.3.§.1.num.18* Barboſam *de poteſtat. Epiſcopi p.2. alleg.39. n.55.* Sayrum *lib.34.c.17. n.13.* & Bartholom. de Vecchis *in praxi Nomitor. diſp.9.dub.16.*

Ratio eorum eſt, quia Concil. Trident. *ſeſſ.24. cap.6.* concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate proueniente ex delicto, *dummodo non ſit deductum ad forum contentioſum* : at ſic eſt, quod delictum, de quo in quæſtione, verè fuit deductum ad tale forum : ergo.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam poſſe diſpenſare in dicta irregularitate. Quia per diſpenſationem illius non turbatur tribunal Iudicis, quod ſolùm vitare voluit Concilium. Sic Henriquez, Auila, Sanchez, & Reginaldus citati *part 4. q.56. cit.* Quibus nunc addo Hurtadum *de Irregularitate, diſp.2.difficult.20, n.68.* Sebaſtianum à Bononia *tract.2. de elect. part.2. c.4.dub.71. n.13.* & Dianam *part.4. tract.2. reſol.97.* Cornejo *loc.cit.q.4.*

QVÆSTIO XI.

An Epiſcopus poßit dare facultatem alteri, qui cum ipſo diſpenſet in irregularitatibus illi conceßis, ſi contingat, ipſum aliquam earum contrahere.

REſpondeo, vt certum : Poſſe. *Primò*, quia aliàs Epiſcopi eſſent deterioris conditionis, quàm alij Clerici inferiores, quod minimè eſt dicendum. *Secundò*, quia dicta iuriſdictio non eſt contentioſa, ſed gratioſa : ergo bene poteſt Epiſcopus eam committere alteri, v. g. ſuo Confeſſori, vt eam in ipſummet exerceat. Sic communis. Maiolus *lib 2.de Irregularit. c.2.in fine, pag. mihi* 134. Henriq. *lib 7.cap* 28. § 1. *& lib.14.cap.*18.§.3. Palud. *in 4 diſt* 38. *q* 4.*art*,4.*c*.4. Auila *part.7. diſp.10. dub vlt.* Suarez *diſp.41.ſect.2. n.9.* Sanchez *lib.2. Summ.c.11. n.11.* Bonacina *q.5.de Irregul. punct.1. n.8.* Filliucius *tract.20. c.5. n.272. &* 273. vbi addit, & bene, poſſe etiam Epiſcopos non ſolum per alios, ſed etiam per ſeipſos ſecum in dictis irregularitatibus diſpenſare.

QVÆSTIO XII.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitate orta ex defectu lenitatis.

AFfirmant Rodriguez, Couar. Campanil. Vi‍uald. Medina, Barboſa, Nouarin. Plaza, & Hieron. Rodrig. citati à nobis *ſuprà diſp.7.q.133.*

Sed probabilius Reſpondeo : Non poſſe, ob rationem ibi datam. Sic Bannez, Nauar. Martin. de Ledeſma, Philiarcus, Aragon, Saytus, & alij plurimi quæſt. citata adducti. Legantur.

QVÆSTIO XIII.

An ad minus poßit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio iuſto, facto auctoritate publica in bello, aut à Iudice.

AFfirmant Bannez, Campanil. Nouar. Hier. Rodrig. Barboſa, Sà, & alij citati *ſup.diſp.7.q.156.*

Sed probabilius Reſpondeo : Non poſſe, ob fundamentum *loc.cit.* adductum. Sic Gauant. Alaedo, Gutierrez, Cornejo, Molin. Filliuc. Suarez, Hurt. Bonac. Diana, & alij *q.156.* allegati. Legantur.

QVÆSTIO XIV.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitate orta ex voluntaria membri mutilatione occulta.

NEgant plures. Quia irregularitas orta ex mutilatione adhuc occulta, non diſtinguitur ſpeciè

ab illa, quæ oritur ab homicidio voluntario, etiam occulto: atqui in hac minimè poſſunt diſpenſare Epiſcopi, adhuc caſu, quo tale delictum ſit occultum: ergo nec poterunt ab irregularitate procedente à voluntaria membri mutilatione, etiam occulta. Ita docent Henriquez *lib.14.c.9.n.9.lit.Z.* vbi in gloſſa ita concludit. Quare Epiſcopus non magis diſpenſat cum mutilatore, quàm cum homicida. Silueſt *homicida* 1.§.8.*verſ.*1. Hæc ille. Et Sanchez *in Summ.lib.*1. *c.*10.*n.*49. Medina *in Summa lib.*1.*c.*11. §.12. Leo *in Theſaur.fori Eccleſ.p.*4.*c.*8.*n.*89.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate orta ex mutilatione alicuius membri, dummodo ſit occulta Probatur *Primò*. Quia probabilius eſt, quod mutilatio non comprehendatur ſub homicidio voluntario occulto, cuius irregularitatis abſolutio denegatur Epiſcopis in Trident.*ſeſſ.*24. *c.*6. *de Reformat.* ergo optimè poterit Epiſcopus diſpenſare virtute illius decreti in irregularitate occulta. Conſequentia patet. Antecedens verò probatur, tum ex dictis *ſupra diſp.*10.*q.*8 & 9. quia irregularitas mutilationis diuerſa omnino exiſtit ab irregularitate ex homicidio: ergo cum concilium ſolùm exprimat irregularitatem ex homicidio voluntario, quæ maior, & diuerſa eſt, non cenſetur comprehendere ſub illius ratione irregularitatem ex mutilatione, quæ omnino diuerſa, atque minor eſt. Tum etiam, quia reſeruatio, quæ fit Epiſcopis, eſt quid odioſum: ergo ſtrictè eſt interpretanda.

Secundò. Quia ſic declarauit Sac. Cardinal Congregatio, vt diximus *ſuprà diſp.*10 *q.*9.*cit.* vnde hanc ſententiam tenent Auila *p.*7. *diſp.*6. *ſect.*5 *dub.*4 vbi ait, eandem videri tenere etiam Henriq. *lib.*14.*c.*19. *n.*1.*in gloſſa, litt.I,* vbi poſtquam in corpore capitis dixit, quod minor cauſa ſufficiat, vt Epiſcopus diſpenſet cum eo, qui occultè mutilauit, addit in gloſſa rationem huius, dicens: Quia Tridentinum *ſeſſ.*24. *c.*6. *de Reformat.* non excepit expreſsè irregularitatem ex mutilatione, quæ minor eſt, ſed ex ſolo homicidio voluntario. Sic ille. Suarez *etiam diſp.*44. *ſect.*2.*num.*4. Filliucius *tract.*10.*cap.*2.*n.*51. Hurtad. *diſp.*2.*de Irregularitate, difficult.*20. *num.*66. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi,p.*2.*allegat.*36. *n.*49. Diana *p.*1. *tract.*11.*reſol.*12. & *p.*4. *tract.*2. *reſol.*71. Tannerus, Præpoſitus, Gauantus, Nouarius, & alij apud ipſum. Cornejo *diſp.*2. *de Irregularitate, dub. vnico, quæſtione vltima.* Gibalinus *c.*4 *de Irregularitate, q.*1. *num.*9. Villalobos *tract.*21. *difficul.*21. *n.*2. vbi ita ait: *En eſta irregularidad que nace de homicidio voluntario, ſolo el Papa diſpenſa, aunque ſea occulta, como conſta del Concilio Tridentino* ſeſſione 24.c.6. de Reformatione: *Mas eſto no ſe a de eſtender a la mutilacion, aunque en otras coſas ſe compara en Derecho: y aſſi puede el Obiſpo diſpenſar con el que mutilo voluntariamente, ſiendo el delicto occulto, y lo declararon los Cardenales, como refiere MarZilla, y Suarez. La razon es, porque las palabras de Concilio ſe an de interpretar eſtrechamente, por ſer materia de reſeruacion, que es odioſa.* Sic ille. Philibertus *de Ordine, tractatu primo, p.*9.*c.*1.*diffic.*3.*num.*7. Palaus *diſputatione ſexta, punct.*15.§.3.*num.*3. Layman *lib.*3. *ſectione quinta, tractatu tertio, p.*3.*cap.*12.*n.*2. Bauny *tract.*11. *q.* 96. *dicto* 2.*pag.*536.

Qvæstio XV.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate prouenientе ex homicidio caſuali occulto.

NEgat apud Bonacinam Salonius 2.2.*quæſt.*64. *art.*8.*controu.*4.

Sed vt longè multò probabilius, Reſpondeo: Poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio caſuali occulto. Ratio eſt, quia Concil. Trid. *ſeſſ.*24. *cap.*6. *cit.* expreſsè concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij: at homicidium caſuale diſtinguitur ab homicidio voluntario, de quo ibi fit ſermo à Concilio, vt omnes fatentur, & manet latè probatum *ſupra diſp.*16. *à quæſt.*1. ergo. Sic tenent communiter DD. Nauarr. *cap.*27.*n.*140. aliàs 194. & *conſil.*14.*de homicid* Maiol. *lib.*5.*c.*48.§.3.*n.*18. Henriquez *lib.*14.*c.*17.*n.*5. *in fine, & c.*19.*n.*2.*in fine, & n.*3.*in princip.* Couar. Caſtro, Caietan. Perez, Silueſt. Marian. & alij plures apud ipſum. Sayrus *etiam lib.*7. *c.*7. *à n.*9. Auila *part.*7.*diſp.*6. *ſect.*5.*dub.*4. Bonacina *diſp.*7.*q.*4 *punct.vlt n.*13. Filliuc. *tract* 19.*n.*282. Philibert. *loc.cit.n.*9. Diana 1.*part. reſolut.*112. *verſ. Notandum, & part.*4 *tract.*2. *reſol.*72. *verſ. Notandum,* Palao *diſp* 6. *punct.*15.§7. *num.*7. Cornejo *diſp.*3.*de Irregularitate, dub.vlt.* & communis.

Qvæstio XVI.

An deinde poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate prouenientе ex homicidio caſuali publico.

AFfirmant Philibertus *de Ordine tract.*1. *p.*9. *cap.*1. *diff.*3.*à num.*9. Qui id quadruplici ratione probat. *Primò*, quia Tridentinum quantum ad homicidium caſuale nihil innouauit: ex alia parte ante Tridentinum Epiſcopi potiebantur facultate diſpenſandi in irregularitate orta ex homicidio caſuali, etiam publico, *c.Continebatur, & c.Ad audientiam, de Homicid.* ergo.

Secundò, quia eodem modo, eodemque verborum tenore loquitur ibi Concilium de irregularitate orta ex homicidio caſuali, ac de illa, quæ oritur ex homicidio in ſui tutelam: ſed Epiſcopus, ex omnium conſenſu, poteſt in poſteriori irregularitate diſpenſare: ergo etiam in priori.

Tertiò, irregularitas ex homicidio caſuali notorio nullam inducit infamiam, poterit ergo in illa Epiſcopus diſpenſare.

Quartò. Si poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio voluntario ob repentinam rixam, & non facto per inſidias, vt diximus *num. ſequenti*: profectò multò magis poterit diſpenſare in iſta irregularitate orta ex homicidio omnino præter intentionem, ſiue occulto, ſiue notorio Et ideo hanc partem meritò ſecutus eſt Nauar. *conſil.*45. *num.*1. *de Homicid.* Graffius *deciſ. aur.lib.*2.*cap* 62. *num.*10. Henriquez *lib.*14.*cap.*19 §.2. & *in annotat. litt. R*; vbi docet hanc partem eſſe vſu receptam, cui conſentiunt Sayrus *de cenſur.lib.*7.*c.*7.*n.*20. Auila *de Cenſur. p.*7.*diſp.*6.*ſect.*5 *dub.*2.*concl.*3. Hucvſque Philibertus. Sed malè.

Nam in primis nullus Doctorum, quos pro ſe citat, ſuam tenet ſententiam. Nauarrus namque loco ab ipſo allegato, expreſsè loquitur de homicidio voluntario

voluntario, in quo non poſſe diſpenſate Epiſcopum, ad hoc vt homicida aſcendat, ſaltem ad Ordines Sacros, clarè defendit; & clariùs id docet *in Man.c.47. n.240.verſ.Quinto*, vbi abſolutè ait, non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum homicida voluntario ad vllos Ordines.

Henriquez etiam loco à Philiberto citato, ſolùm dicit, quod Epiſcopus cum homicida caſuali culpabili, etiam publico, diſpenſat in vtroque foro: vt miniſtret in minoribus ſuſceptis, & iure antiquo, vt reciperet minores. Sic omninò Henriquez, & clarius oppoſitum docet *loc. cit. in annotat. lit. V.* his verbis: quod verò Couarruu. *n.5.* cum Panormitano ait, reſeruari Papæ diſpenſationem, vt miniſtret in ſacris, intelligit de caſuali publico. Sic ille. Malè igitur citatur à Philiberto pro ſe. Legatur rurſus Henriq. *ibid. in gloſſ. lit. X.*

Deinde Saytus loco à Philiberto citato, contrarium patenter tenet cum Henriquez; ait enim ſic: Addit ſecundò Henriquez, iure antiquo diſpenſare potuiſſe Epiſcopum, vt reciperet minores: & denique tertiò idem Henriq. *lib.14.c.9.§.3. & c.17.§ 5. & in annot.lit.M.& c.19 §.2. & in annot. lit. X.* docet, nouo iure Conc.Trid *ſeſſ.14.de Reform.c.7.& ſeſſ 24. de Reform. c.6.* Epiſcopum in homicidio caſuali in vtroque foro diſpenſare poſſe ad Ordines minores, etiam in caſuali publico; & ſic exponit Nauarr. in *Man.c.28.n.140.verſ.Quartò.* Ad Sacros verò Ordines diſpenſat, ſi homicidium caſuale ſit occultum, *ſeſſ.24.c.6.* Quod verò *ſeſſ.14.c.7. de Reform.* habetur, *Ne ad Sacros diſpenſet*, intelligitur in homicidio caſuali, ſi delictum publicum ſit, id quod, re cõſulta cum Sapientibus, in praxi docet eſſe receptum. Sic Saytus.

Præterea Auila loco eodem à Philiberto citato, nil aliud docet, quàm Henriquez, vt dicunt hæc eius verba: Tertia Concluſio. Ad minores Ordines, & etiam ad beneficium ſimplex poteſt Epiſcopus diſpenſare, etiam poſt Concilium, quamuis homicidium caſuale ſit publicum. Ita Henriq. *c.19.n.3.lit. T.iuncto c.57.de excomm.* Sic Auila. Quorum ſententiam, & non aliam credo tenuiſſe Graffium, quem pro nunc non potui videre.

Igitur vt certum mihi Reſpondeo: Minimè poſſe diſpenſare Epiſcopum cum homicida caſuali publico, vt aſcendat ad Ordines Sacros; benè tamen ad non Sacros, ſeu minores, quod ſolùm probat argumentum primum Philiberti. Hæc Reſponſio probata manet ex nuper adductis. Nec obſtant cætera argumenta in contrarium.

Nam ad ſecundum concedendum eſt antecedens; ſed in vtroque caſu loquitur Concilium de Irregularitate orta ex delicto occulto; vt videbimus *q.18.* Ad tertium, dato antecedenti neganda eſt conſequentia, eo quod Concilium ſolùm concedat Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus procedentibus ex delictis occultis; non igitur poterunt, ſi ex homicidio notorio, aut publico, quamtumuis caſuali procedant. Ad quartum iam dicam ex ipſomet Philiberto, ſolùm probare, poſſe diſpenſare Epiſcopum in dicta irregularitate, ſi oriatur ex homicidio occulto, & non publico. Sit ergo pro veritate hac comprobanda,

QVÆSTIO XVII.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio volito, non ex conſilio, aut matura deliberatione facto, ſed ex repentina ira, vel rixa.

AFfirmat Philibert. *loc. cit. num. 9.* vt vidimus *quæſt. antecedenti*, argumento quarto ab ipſo confecto, quod confirmat, aut ex inuento probat *num.10. ſequenti*, hac ratione deſumpta ex verbis Concilij ſic dicentis: *Cum quis per inſidias, aut per induſtriam occiderit proximum, de altari euelli debet.* Item: *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, &c.* ergo ſi Epiſcopus diſpenſare in hac irregularitate nequeat, Concilium requirit, vt homicidium ſit factum animo deliberato: ergo ſi per ſubitam rixam contingat, Epiſcopus diſpenſare poterit, ſi delictum ſit occultum, & non deductum ad forum contentioſum: vel ſi fuerit deductum, iam ceſſarit ſtrepitus iudicialis. Sic contra Suarez *de cenſ. diſp.44. ſect.1.n.3.* & alios tradit Auil. *de cenſur.d.p.7.diſp 6. ſect.2.dub.1. & ſect.5. dub.5. concluſ.2.* Rodriguez *in Summ.p.1.c.177.n.2.*& nouiſſimè Dian. *Moral.Reſol. p.4.tract. 2. de Irregul. reſol.* 100. Huc vſque Philibertus.

Sed alij DD. abſolutè negant, poſſe Epiſcopum diſpenſare in dicta irregularitate orta ex homicidio volito in repentina rixa: eo quòd exiſtiment, talem irregularitatem eſſe homicidij directe voluntarij, cuius diſpenſatio Soli Papæ eſt reſeruata. Sic Molina, Suarez, & alij relati à nobis ſuprà *diſputat. 10. quæſt.12.*

Sed iuxta ibi dicta, probabiliter certè Reſpondeo: Poſſe Epiſcopum diſpenſare in dicta irregularitate orta ex homicidio volito in repentina rixa, ſeu in ira, dummodò dictum homicidium ſit occultum. *Prima* pars conſtat ex ibi dictis, vbi probauimus, dictum homicidium non eſſe directe voluntarium, ſed reputandum caſuale. Et ideò ſi eſt occultum, optimè poterit Epiſcopus in irregularitate ex illo orta diſpenſare: non verò ſi publicum eſt, & notorium, vt conſtat ex dictis. Et tenet ipſemet Philibertus, vt ex verbis eiuſdem nuper relatis patet. Hoc ipſum, & non aliud, docet Auil. *loc. cit.* à Philiberto, præcipuè *dub.5.concluſ.2.* vbi ita ait: Quod diximus de homicidio volito in ſe ex cauſa defenſionis, idem dicendum eſt de homicidio caſuali, ideſt contingente non ex propoſito, ſed caſu, vt in rixa ſubitò contingenti, quando quis ſucceſſus ira occidit authorem rixæ: in hoc enim ſi fuerit occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare. Ita Henriquez, & Manuel, & Didacus Perez citati *ſect.2. dub.1. ante 3. concluſ.* & Didacus ait, ita ſæpè reſpondiſſe conſultum, poſt Concil. Trident. Hucvſque Auila, & alij. Diana verò, quem citat Philibert. *reſol.* 100. non agit de præſenti quæſtione, ſed de alia, de qua infrà.

QVÆSTIO XVIII.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare in irregularitate procedente ex homicidio volito in ſe, cauſa defenſionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ.

AFfirmat abſolutè Philibertus, vt vidimus *q.16. argumento 1.* facto ab ipſo contra nos.

Sed nos clariùs, eius argumento, & quæſtioni reſpondendo, dicimus, poſſe quidem Epiſcopum in dicta irregularitate diſpenſare, ſi homicidium tale ſit occultum, non ſi notorium, aut publicum. Sic expreſsè Auila *loc.cit.concluſ.1.* Qui id hiſce verbis probat: Nam poſt Trident. *ſeſſ 24. cap.6.* poteſt Epiſcopus diſpenſare in omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepto homicidio voluntario: ſed ibi nomine homicidij voluntarij intelligitur homicidium illicitum volitum in ſe, aliàs quàm defendendo propriam vitam, vt dicit Nauarr. n.240. ergo. Hæc Auila. Sic etiam Dian. *part.4. tract.2.*

tract. 2. *reſol.* 3. Mecer. *de Sacram. in* 3. *part. q.* 24. *dub.* 7. *propoſit.* 1. Banny *de Irregular. tr.* 11. *q.* 59. *dict.* 3. Lay.oan,& Hurtad. apud ipſum.

Quæstio XIX.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio directe voluntario, omnino tamen occulto.

AFfirmat (apud Dianam) Texed. *tom* 2. *libro* 3. *tract.* 3, *num.* 188. vbi docet, poſſe Epiſcopum diſpenſate in irregularitate ex homicidio voluntario omninò occulto orta, dummodò ita ſit occultum, quod non ſit probabile in iudicio, eo quòd nullus alius ſciat id delictum fuiſſe commiſſum, niſi ſolus ipſe homicida. Ratio eſt: quia Concil. Tridentin. non aufert ab Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregulatiate contracta ex homicidio omninò occulto, cuius conſcius nemo ſit, niſi ipſe homicida: ergo ſicut Epiſcopi ante Concilium poterant diſpenſate in prædicta irregularitate, id etiam poſſunt poſt Concilium attento iure communi. Probo conſequentiam, quia in caſu dubio melior eſt conditio poſſidentis: ergo cum lex noua in caſu dubij interpretari debeat, vt in minimo ius commune lædatur, neceſſariò iuxta illud lex noua Concilij eſt interpretanda, dum non conſtet expreſsè de abrogatione priuilegij; abrogatio enim legis antiquioris vitanda eſt. Vnde cum Epiſcopi, attento iure communi, diſpenſare poterant in prædicta irregularitate, attento iure communi, etiam id poſſunt poſt Concilium. Additur etiam, quod Epiſcopi poſſint diſpenſare in irregularitate ex homicidio omninò occulto, eſt res valdè fauorabilis, & ideò clauſula illa Concilij interpretari debet ſi fieri poteſt in fauorem Epiſcoporum. Hæc Texeda relatus à Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſolut.* 41. *verſ. Quoad ſecundum dubium.*

Huius Doctoris ſententiam olim tenuit cum aliis Angelus *verb. Homicidium* 6. *quæſt.* 1. per hæc verba: Panormitanus verò *in cap. Ex tenore, de tempor. ordinat.* tenet, quod ſi eſt omninò occultum, prout occultum diſtinguitur contra probabile, ſic reſpiciendo legem promotionis publicam, non indiget (intellige, *diſpenſatione*:) ſed ſi aſpiciamus ad legem conſcientiæ informatam ex lege poſitiua, ſic indiget diſpenſatione non Papali, ſed Epiſcopali, vt ſatisfaciat conſcientiæ, vt tenet Lauor & Ioan. & ſequitur Archid. 50. *diſtinct. de his*, & videtur tenere etiam Panorm. ne quis conſtituat ſe iudicem in cauſa propria, exiſtimando omninò occultum, quod fortè non eſt, quod nota, quia facit ad multa. Hucvſque Angelus. Cuius ſententiam, etiam poſt Conc. Trid eſſe probabilem, admittit facilè Doctiſſim. Couar. *in Clem. ſi furioſus, parte* 2. §. 3. *num.* 4 *per totum.* & Viualdus *num.* 325. ait hanc opinionem practicari poſſe.

Addo ad roborandam hanc partem, non defuiſſe Doctores aliquos, & doctiſſimos, qui arbitrati fuerint in noſtro caſu, non indigere homicidam dictum diſpenſatione, adhuc Epiſcopali, eo quòd exiſtimauerint per homicidium omninò occultum, & quod probari non poteſt, aliter quam per delinquentis confeſſionem, minimè incurri irregularitatem vllam. Sic tenuit olim Vincentius relatus ab Angelo, & poſtea Alphonſus à Caſtro, vt vidimus ſup. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. vbi eius ſententiam cum Couarr. vbi ſup. Nauarr. Henriquez, & aliis reiecimus, docentes, vt quid certiſſimum, per homicidium voluntarium omninò occultum, & in iudicio improbabile, contrahi irregularitatem. Solum ergo remanet difficultas, an ſit diſpenſabilis non ſolum à Papa, verum etiam ab Epiſcopo, vt volunt Texeda, Ang. Panorm. & alij.

Sed vt mihi ferè certum Reſpondeo: Non poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio directè voluntario, quantumvis omninò ſit occultum, ita vt in iudicio minimè probari poſſit. Quia mihi ferè certum eſt, quod Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de Reform.* & antea *ſeſſ.* 4 *can.* 7. id voluerit, & definierit; nam *can.* 7. citato, apertè ſtatuit, homicidam voluntarium, non eſſe promouendum ad Sacros Ordines, nec ad beneficia, etiamſi homicidium non fuerit in iudicio probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum. Ergo per hunc Canonem videtur Concilium tollere diſpenſationem Epiſcopis. *Confirmatur* hæc ratio. Quia Concilium omninò prohibet Epiſcopis diſpenſare cum homicida voluntario, etiam occulto: atqui in iure occultum dicitur illud, quod probari minimè poteſt: ergo in homicidio illo, quod adhuc in iudicio nequit probari, nequibit Epiſcopus diſpenſare. Minor conſtat ex *cap. Veſtra, de cohabit. Clericor.* & ex quadam declarat. Sacr. Congregat quam ex Garcia *de benef p* 7. *c.* 11. *n.* 46. *&* 47. refert Philibert. *de Ordine, tract.* 1. *part.* 9 *cap.* 1, *difficult.* 1. *num.* 1. & eſt huiuſmodi: *Abſolutus, vel diſpenſatus à proprio Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus teſtibus, quod tamen non fuit notorium, non eſt tutus in conſcientia, quia Concilium vtitur termino occulte, quod propriè loquendo dicitur quod probari non poteſt, cap. Veſtra, de cohabitat. Clericor. At per duos teſtes probari poteſt, & verba Concilij debent intelligi ſecundum proprietatem.* Hæc Sacta Congregatio. Cuius doctrinâ facilis redditur reſponſio fundamento Texedæ. Cuius doctrinam rejicit Diana *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 51. eo quòd contraria ſtylo, & praxi Curiæ Romanæ, necnon communi Doctorum ſenſui comprobetur. Legantur pro hac noſtra reſponſione Sayr. *lib.* 7. *de Cenſur. à n.* 16. *vſque ad* 19. Maiolus, Nauarr. Tabiena, Syineſt. & alij apud ipſum, & Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub* 3.

Quæstio XX.

An ſaltem poßit Epiſcopus diſpenſare cum irregulari ex homicidio voluntario iniuſto occulto ad vſum Ordinum, caſu quo non ſit facilis ad Papam recurſus, & vrgeat neceßitas.

NEgat (apud Henriquez *lib.* 14. *c.* 19. *n.* 2. *in marg. litt. F.* Ludou. Lopez *p.* 2. *c.* 93. Et negabunt conſequenter, qui negant, poſſe Epiſcopum, adhuc in cauſa magnæ neceſſitatis, in impedimentis dirimentibus matrimonij diſpenſare, vt Sotus, Corduba, Vera-Cruz. & Medina.

Sed oppoſitum omnino Reſpondeo dicendum, nempe Epiſcopum poſſe diſpenſare vrgente magna neceſſitate ſcandali, vel alia, & difficili exiſtente recurſu ad Papam, vel propter inopiam homicidæ, vel magnam diſtantiam, vt dictus homicida miniſtret in ſuſceptis Ordinibus. Quia non eſt credibile Summum Pontificem hanc facultatem, ſeu diſpenſationem ſibi reſeruaſſe in tanto animarum periculo: veluti eodem modo de impedimentis dirimentibus matrimonij ab Epiſcopis in prædictis caſibus diſpenſandis diximus cum Sanchez & aliis pluribus 2. *part. tract.* 9. *diſp.* 24. *quæſt.* 7. *&* 8. Et ideo hanc ſententiam ex Henriquez & Silueſtro, docet Auila *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 3. *concl.* 2 *in fine*, vbi ita ait: Credo

tamen

Digitized by Google

tamen cum Henriquez *cap.* 19. *n.*1. *iuncto n.*2. *lit. V.* quod Epiſcopus iure antiquo, & modò poteſt diſpenſare, vt vrgente neceſſitate miniſtret in ſuſceptis ſacris,ſi delictum ſit occultum,& vrgeat ſcandalum,nec ſit facilis recurſus ad Papam : quod probo ex doctrina Silneſtri *verb. Diſpenſatio,n.*15. Hæc Auila,& poſt hos omnes Cornejo *tract.*5. *de Irregularitate*, *q.*6. *diſp.*1. *dub.*4 *quæſt.*4 *pag.mihi* 778. Diana *p.*4. *tract.*2. *reſol.*100. Philibert. Marchin. *de Ordine*, *tract.*1.*p.*9. *c.*1.*diff.*3.*n.*11.*pag.mihi* 141. & alij.

QVÆSTIO XXI.

An in irregularitate ex homicidio voluntario occulto,orta,poſſit diſpenſare Epiſcopus ad ſuſcipiendos minores Ordines.

AFfirmatiuam ſententiam tenere Bartholom. de Medina *in Summ. cap.*11. §. 12. ait Henriquez *lib.*14.*cap.*19 *in marg.litt. E,in fine*,& ex illo Saytus *lib.*7.*cap.*7. *num.*14. his verbis : Et pari ratione deceptus eſt Bart. Medina *lib.*1.*cap.*11. §. 12. vt Henriquez *vbi ſupra* notat , dum dicit Epiſcopum diſpenſare poſſe ad minores , non obſtante Concilio Trid. *ſeſſ.*14. *cap.*7. eo quòd Tridentinum ibi ſolùm ait, *Nullo tempore ad Sacros Ordines promoueri poſſit*, quaſi velit, poſſe ad minores ab Epiſcopo diſpenſari; ſiquidem Concilium paulò poſt ſubdit , *omni Ordine careat* : ergo & Ordinibus minoribus carere debet, cum verè Ordines ſint, & Sacramentum. Huc vſque ex Henriquez Saytus. Sed vterque falsò id imponit Medinæ ; nam hic Auctor *in primis* non loquitur de irregularitate orta ex homicidio voluntario iniuſto de quo nunc in præſentiarum : ſed ex homicidio iuſto,nempe facto auctoritate publica. *Secundò*, id non dicit ex propria ſententia,ſed aliorum (quos nos *ſupra* , *quæſt.*13. citauimus , & antea *diſput.*7. *quæſt.*133. *&* 136.) ergo. Accipe verba Medinæ : *Y muchos Doctores tienen , que puede el Obiſpo diſpenſar en la irregularidad , que nace de homicidio voluntario iuſtamente hecho , como con el Iuez que matò hombres per iuſticia , para ſolas Ordenes menores,y tambien para beneficio.* Hæc Medina,& non amplius, vt imponunt illi dicti Auctores. Igitur ad quæſtionem propoſitam

Reſpondeo , vt certum dicendum , quod nullatenus poſſit Epiſcopus diſpenſare cum irregulari ex homicidio voluntario iniuſto,etiam occulto, vt ſuſcipiat Ordines adhuc minores. Quia certum eſt , quod nec poſſit diſpenſare cum dicto homicida , vt miniſtret in Ordinibus minoribus ſuſceptis , vt mox dicemus: ergo minus multò , vt illos de nouo recipiat. Sic tenent Henriquez,& Saytus *loc. cit.* Couar.*in Clement. Si furioſus,part.*2.§.3.*num.*5. *de homicid.*& alij plures ſaniam citandi. Sententia autem illorum , quos refert Medina loquendo de homicidio iuſto , iam manet vt minus probabilis, & refutata *ſupra q.*13.

QVÆSTIO XXII.

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum dicto homicida voluntario occulto , vt in iam minoribus Ordinibus ſuſceptis adminiſtret.

AFfirmant ante decretum citatum Tridentini, Ioan. Andr. Hoſtienſ. Innoc. Anania , & Cardinal. *in cap.*2. *de Cleric. pugnantib. in duello* , vbi de quodam homicida dicit Pontifex , quod non debet in ſacris Ordinibus miniſtrare : per quod videtur, conceſſa diſpenſatio in Minoribus. Hos Auctores ſequitur poſt Concilium Henriquez *lib.*16. *cap.*19. (non 14. vt leges apud Dianam & Philibertum) *num.*1. vbi expreſse docet , poſſe Epiſcopum diſpenſare cum homicida voluntario occulto ad vſum minorum Ordinum , his verbis : At nunc ex iure antiquo videtur poſſe diſpenſare ad miniſterium minorum. Ita ille *litt. D.* Qui citat in marg. Couarru. *in Clement.Si furioſus, part.*2.§.3. *num.*4. *adiuncto n.*5. *in fine.* Sed malè , quia hic auctor ſolùm circa homicidium caſuale admittit , vt Epiſcopus diſpenſet ad miniſterium minorum. Accipe eius verba : Diſpenſat verò ſolus Papa cum homicida caſuali , vt in Sacris miniſtret , vel ad ſacros Ordines promoueatur , &c. *& infra* : licet tamen Epiſcopo diſpenſare cum quocumque homicida , vt in minoribus iam ſuſceptis poſſit miniſtrare, quemadmodum ex *cap. Ad audientiam* , & *cap. Continebatur , de homicid, & cap.*2.*de Cleric. pugnant.in duello* , notant *in cap.*2. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Innocent. Cardin. & Anania , quorum opinio magis communis eſt, tametſi (*attende Lector*) quoad homicidium voluntarium nullibi probetur: & ita eam in homicidio caſuali tantum admittunt Abbas *in d. cap.*2. Socin. *n.*65. & Felin. *col. vltima*, & ibi quoque Anania *in dict. cap. Ad audientiam.* Cæterum hæc intelligenda ſunt quoad miniſterium Ordinis. Nam quoad beneficium ſimplex obtinendum poteſt cum homicida etiam voluntario Epiſcopus diſpenſare. Huc vſque Couarr. vt videas clarè oppoſitam tandem ſententiam amplecti , vt inſinuat Sayr.*lib.*7.*c.*7.*n.*14.*in fine.*

Quapropter , vt certum mihi Reſpondeo : Non poſſe diſpenſare Epiſcopum cum tali homicida , necdum vt in minoribus Ordinibus ſuſceptis adminiſtret. Quià id apertè conuincitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.*14. *c.*6. & clarius *ſeſſ.*14. *c.*7. *de Reformat.* vbi hæc verba habentur : *Cum etiam , qui per induſtriam occiderit proximum ſuum,& per inſidias , ab altari auellı debeat, qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit , etiamſi crimen id nec ordine iudiciario probatum , nec alia ratione publicum , ſed occultum fuerit , nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſit , nec illi* (attende Lector) *aliqua Eccleſiaſtica beneficia , etiamſi curam non habeant animarum , conferri liceat , ſed omni Ordine,ac beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat.* Hæc verba Concilij , fidelius à nobis , quam à Philiberto , & ab Auila , aliiſque , relata.

Ex quibus verbis,præcipuè ex illis: *Sed omni Ordine , & beneficio, ac officio Eccleſiaſtico perpetuò careat* , apertè conuincitur , quod opinio Henrici ſit falſa , cum vſus minorum Ordinum ſit officium Eccleſiaſticum : ergo. Vnde hanc noſtram opinionem vt veriſſimam tenent Nauarrus , Maiolus, Valentia; Aragon , Toletus , Vinaldus , & alij , quos ſequitur Saytus *lib.*7.*c.*7.*n.*14. quamuis malè pro hac parte referat etiam Henriq. Sic etiam Auila *p.*7.*diſp.*6.*dub.*3: *conc.*2. Couar.*loc.cit.* Cornejo *de Irregul. q.*6. *diſp.*1. *dub.*4.*art.*2 *pag.mihi* 778.Diana *p.*4.*tract.*2.*reſol.*100: *verſ. Notandum eſt.* Philibert.*de Ordine tract.*1.*p.*9: *c.*1.*diff.*3.*n.*3 *pag.*140. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare cum homicida voluntario occulto , ad obtinendum ſimplex beneficium,

AFfirmat Henriquez *lib.*15.*cap.*51.) non 1. vt leges apud Philibertum) *num.*1. *initio* , his verbis : Quidam putant, Concil. Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*7. auferre Epiſcopo poteſtatem diſpendi cum hoc

hoc homicida ab beneficium ſimplex. Quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege Concilij Generalis. At ſanè Concil. Trident. ſolùm ait, non liceat conferre; nempe abſque diſpenſatione, quam tamen Epiſcopus nunc, vt olim iure antiquo, dare poteſt. Nam lex generalis, etiam poſterior, limitatur per legem ſpecialem, & Conc. Trid. *ſeſſ.14. de Reform. cap.7.* ſolum vetat, quando delictum eſt publicum. Huc vſque Henriquez. Qui *in marg. lit. D.* citat pro ſe Couarruu. *in Clem. ſi furioſus, part. 2. §. 3. num. 6.* & benè, vt vidimus quæſt. anteced. qui hoc probat ex *cap. 2. de Clerico pugn. in duello*, & affert pro ſua ſententia Socin. Felin. Ioan. Staphil. & Anaoiam. Citat etiam Henriquez Syluestrum *homicid. 3. §. 7. verſ. cum Panormitano.* Angelum *homicid. 5. §. 6.* Medin. *lib. 1. instruct. c. 13. §. 12.* & multos alios. Sed ex his licèt Siluester id doceat *loc. cit.* non *verſ. Cum Panormitano*, ſed verſu: *Sextò Epiſcopus.* Et Angelus *loc. cit.* non §. *ſexto*, ſed 4. *verſ. vtrum Epiſcopus*, Medina tamen non loquitur de homicida directè voluntario, ſed de indirecto. Ait enim ſic: *Aunque bien puede el Obiſpo diſpenſar con el homicida indirecto voluntario, para beneficio, y aun para retener el curado ya auido, y aun para alcanſarle de nueuo.* Sic Medina.

Sed etiam mihi vt certum Reſpondeo: Iam poſt Concilium Tridentinum non poſſe Epiſcopum cum homicida voluntario occulto ad obtinendum beneficium, adhuc ſimplex, diſpenſare. Quia clarè id vetat Concilium Epiſcopis, illis verbis: *Nec illis aliquando beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat.* Et ideò hanc partem vt veriſſimam tenent Auila, Saytus, Cornejo, Diana, & Philibertus locis ſupra allegatis.

Qvæstio XXIV.

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum homicida voluntario occulto, ad retinendum beneficium, ſaltem ſimplex.

AFfirmant Henriquez *lib. 13. c. 57. n. 1.* vbi *lit. G.* citat Angelum, Sylueſtrum, & Medinam. Sed ex his Medina ſolum loquitur, vt ſuprà vidimus, de homicida indirectè voluntario. Affirmant cum eò alij, & præcipue Philibertus vbi ſuprà *n. 3.* his verbis: Benè verum eſt, quod licèt Concilium prohibuerit homicidis collationem noui beneficij, non tamen vetauit Epiſcopis diſpenſare cum iſtis ad ſimplex beneficium retinendum, vel etiam ad retinendum Curatum, dummodò per alium illud exerceat: quidquid oppoſitum quoad retinendum Curatum dicat Barboſ. *alleg. 39. n. 61. verſ. An autem, de offic. Epiſcopi.* Sed immeritò, quia Concilium de ſola collatione noui beneficij loquitur, nec vllo modo diſtinguit de retentione beneficij ſimplicis, vel Parochialis. Hæc philibertus.

Sed probabilius multò Reſpondeo: Nec poſſe diſpenſare ad retinendum beneficium, adhuc ſimplex. Quia, vt ſuprà eſt habitum, non poteſt Epiſcopus diſpenſare cum homicida voluntario occulto, vt adhuc in Ordinibus minoribus iam ſuſceptis miniſtret; ergo nec ſimiliter poterit in hoc quod retineat beneficium obtentum, illoque perfruatur. Patet, quia iiſdem verbis vtrumque vetat Concilium: *Sed omni* (inquiens) *Ordine, & beneficio Eccleſiaſtico careat.*

Qvæstio XXV.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occulta hæreſi exteriori.

NEgant, vt vidimus, ſup. *diſp. 24. dub. 24.* Maiol. Suar. & Bonac.

Sed probabilius iterum Reſpondeo: Poſſe. Quia id eis conceſſum videtur à Tridentino. Sic Sanchez, Philibert. Filliuc. Garc. Dian. Boſſ. Vgol. & Viuald. vbi ſuprà.

Qvæstio XXVI.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio caſuali patrato à Medicis, vel Chirurgis, &c.

REſpondeo: Poſſe. Quia poteſt in omni irregularitate orta ex homicidio caſuali occulto, vt ſupra ſæpè diximus. Sic cum Sayro, & aliis diximus ſupra *diſp. 9. quæſt. 38.*

Qvæstio XXVII.

In quibus aliis caſibus poteſt, iuxta noſtram doctrinam, Epiſcopus diſpenſare in irregularitatibus ex homicidio occulto caſuali ortis.

REſpondeo: quod poſſit in irregularitate ortà ex homicidio caſuali facto occultè in bello iniuſto; ſecus ex homicidio omninò voluntario, vt habitum eſt ſupra *diſp. 8. quæſt. 16.*

Deinde poteſt in irregularitate orta ex occiſione occulta fœtus animati, indirectè volita, vt diximus ſup. *diſp. 11. q. 21.* ſecus ſi directa, & omninò voluntaria extitiſſet, ibid. Sic Bauny *tract. 11. q. 59. dict. 1.* vbi ait: Quare diſpenſare cum iis Epiſcopi poterunt, qui cum imprudenter, & incautè mulierem grauidam pulſaſſent, ei fœtus abigendi cauſam præbuere. Cum iis item qui cùm ſeruo imperaſſent, hoſti plagas vt aliquas imponeret (hoc tantum) eum tamen è medio iratus ſuſtulit. Similiter & cum eo, qui cum in publicum proceſſiſſet, ne hoſti pauidus videretur, aut irridendi ſui, ſi domo pedem non efferret, populo materiam daret, repentè inter eum, & illum, exorta rixa, ne eius manu caderet, ſua illum occidit. Ratio eſt, quod eiuſmodi homicidia non ſunt ſimpliciter, & perfectè voluntaria, ſed ex caſuali, voluntarioque mixta, ſecund. D Thom. *2. 2. q. 64. art. 8.* ergo cum ſunt occulta, in indiſpenſabilibus non ſunt cenſenda; cum ſub exceptione voluntarij homicidij, cuius à Tridentino fit mentio, non ſint contenta. Nauarr. *c. 27. n. 140.* Huc vſque doctus, & elegans Bauny.

Rurſus poteſt diſpenſare in irregularitatibus aliis ortis ex homicidio quocumque occulto, indirectè & caſualiter orto, quocumque euentu, aut caſu eueniat, vt ex nuper dictis conſtat.

Qvæstio XXVIII.

In quibus aliis caſibus poteſt Epiſcopus in irregularitatibus aliis diſpenſare.

REſpondeo: quod in multis. Nam *Primò* poteſt diſpenſare cum illo, qui linguam Latinam parum callet, vt diximus ſup. *diſp. 1. q. 3. & 5.*

Secundò

Secundò, cum quocumque illegitimo ad Ordines minores, & ad beneficium ſimplex, etiamſi huic annexum ſit curatum, ſup. *diſp.* 3. *quaſt.* 50. & 51. Imò & ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, *quaſtione* 55.

Tertiò, poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex Bigamia ſimilitudinaria, ſup. *diſput.* 6. *quaſt.* 36.

Quartò, poteſt diſpenſare in irregularitate ex reiteratione ſecreta Baptiſmi, ſuprà *diſputatione* 18. *quaſtione* 19.

Quintò, poteſt in irregularitate illius, qui exercuit Ordines, quos non habet, ſi hoc fuit occultum delictum, ſup. *diſp.* 20. *q.* 31.

QVÆSTIO XXIX.

An dentur aliquæ aliæ irregularitates, etiam ex delicto occulto prouenientes, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt.

RESpondeo, quod dantur. Nam *Primò* non poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate ex vitio corporis proueniente, vt diximus ſup. *diſp.* 5. *quaſt.* 83. & 84.

Secundò, non poteſt diſpenſare cum illegitimo ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, vt habitum eſt ſup. *diſp.* 36. *q.* 54.

Tertiò, non poteſt diſpenſare in irregularitate ex defectu natalium, etiam ex occulto delicto parentum orta, vt contra nonnullos diximus *diſput.* 3. *quaſt.* 57.

Quartò, non poteſt diſpenſare cum illegitimo Ordinato in ſacris (mala, vel bona fide,) vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, ſup. *diſp.* 3 *q.* 57. & 58.

Quintò, non poteſt diſpenſare in irregularitate orta ex Bigamia propria, aut interpretatiua ad Ordines adhuc minores ſuſcipiendos, ſup. *diſp.* 6. *q.* 30. 31. & 32.

Sextò, non poteſt diſpenſare in irregularitate proueniente ex iteratione publica Baptiſmi, *diſp.* 18. *quaſt.* 18.

Septimò, non poteſt diſpenſare in irregularitate Neophytorum, vt habitum eſt *diſp.* 25. *q.* 9.

QVÆSTIO XXX.

In quibus irregularitatibus poſſunt Prælati regulares iuxta doctrinam hucuſque datam diſpenſare.

RESpondeo: Dicendum, quod *Primò* poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex vitio, aut defectu corporis; dummodò vitium non ſit ita fœdum, vt ex eo ſcandalum oriri formidetur, ſup. *diſp.* 5. *q.* 85.

Secundò, poſſunt diſpenſare cum ſubdito, qui caret pede, & ambular cum pede ligneo, vt ſic Miſſam celebret, *loc. cit.* *q.* 86.

Tertiò, poſſunt diſpenſare cum ſubdito, qui caret oculo Canonis, vt Miſſam celebret, caſu tamen ſolùm quo dictus ſubditus oculo dextro ſine deformitate Canonem legere poſſit. *diſp.* 5. *q.* 87.

Quartò, poſſunt diſpenſare cum ſuo ſubdito Sacerdote, qui habet manus tremulas, vt Miſſam in occulto ad minus celebret, ſupr. *diſputatione* 5. *quaſt.* 88.

Quintò poſſunt Generales, aut Prouinciales diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis ad Prælationes, & dignitates Ordinis habendas, *diſp.* 3. *q* 74. & 75. & *ſeqq.*

Sextò, poſſunt diſpenſare cum ſuis Religioſis in irregularitate orta ex Bigamia, tam vera, quàm interpretatiua, *diſp.* 6. *q.* 39.

Septimò poſſunt diſpenſare cum ſuis Religioſis in irregularitate ex defectu lenitatis contracta, *diſp.* 7. *q.* 5. *q.* 134.

Octauò, poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitate procedente ex homicidio iuſto facto à Iudice, aut in bello, ibid. *q.* 137.

Nonò, poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex abortu, hoc eſt, ex occiſione fœtus animati occulta, *diſp.* 11. *q.* 19. imò & à publica, ibid. *q.* 20.

Decimò, diſpenſant in homicidio caſuali occulto, vt docet cum pluribus Sayr. *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 24. imò & publico, vt iam dicam.

QVÆSTIO XXXI.

An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio caſuali, etiam publica.

NEgandum videtur. Quia Epiſcopi ſolùm poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio caſuali occulto: ergo id ad ſummum, & non amplius poterunt Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum. Ideò hanc partem tenent Arag. 2. 2. *q.* 64 *art.* 8. & *fin.* & ibi Sal. *controuerſ.* 4. *in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe etiam in irregularitate orta ex homicidio caſuali publico, in qua non poſſunt Epiſcopi. Quia in hac diſpenſandi materia maiorem facultatem (ex ſingulari Pontificum erga Regulares beneficentia) quàm Epiſcopi, habent Et ideò diſpenſare poſſunt cum ſuis ſubditis in dicta irregularitate, etiamſi Epiſcopi nequeant. Sic ſentiunt Vecch. *in prax. nouit. diſp.* 9 *dub.* 18. *n.* 6. Sebaſt. à Bonon. *tr de elect* *p.* 2. *c.* 4. *dub* 71. *n.* 14. Quos citat, & ſequitur Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *reſol.* 72. (non 83. vt leges apud eius Summam) *verſ. Notandum eſt* Sie etiam cum aliis Villal. *tom.* 3. *tr.* 21. *diff.* 9 *n.* 17. per hæc verba: *Si el homicidio fuere puramente caſual, ò hecho en propria defenſion, pueden diſpenſar los Pralados, aunque ſea publico, como dize el P. F. Manuel Rodriguez art.* 13. *y el P. Portel in dubiis Reg. verb. diſpenſatio, n.* 9. *y tienen vna conceſſion los Prelados de S. Geronimo, para que pueda diſpenſar en el homicidio, quando no es cierto hauerlo cometido, ò mandado.* Hæc Villalob. Et antea Saytus *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 24.

QVÆSTIO XXXII.

An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario modo occulto.

NEgant Molin. *tom.* 4. *de Iuſt. tract.* 3. *diſp.* 70. *num.* 12. *col. mihi* 940. vbi ſic ait: Noſter Generalis diſpenſare nobiſcum poteſt in irregularitate ex mutilatione, vt conſtat *ex compend. priuileg. Minorum, verb. diſpenſatio,* § 21. Quin & per communicationem priuilegiorum Fratrum D. Benedicti Hiſpaniarum, diſpenſari in conſcientiæ foro nobiſcum poterat in irregularitate ex homicidio, modò notorium non eſſet, vt patet ex eodem Compendio

R. P. Leand. de Irregularit. Y

dio, ex eodem verbo, §. 24. Dixi, *diſpenſari poterat*; quoniam ſi homicidium ſit voluntarium, eſto ſit occultum, ſtatuit Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* vt in eo diſpenſetur ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Priuilegia autem omnia Regularium reuocata ſunt, quatenus cum diſpenſationibus Concilij Tridentini pugnauerint, eaque de cauſa Prælati Religioſorum, neque in conſcientiæ foro diſpenſare hodie poſſunt, vt homicida voluntarius Ordinem aliquem Sacrum ſuſcipiat, & fortè in eo priuilegio non continebatur (ſic lege, non *non continuabitur*, vt leges apud Dianam.) Hæc Molina. Pro cuius ſententia citat Diana *parte tertia, tract.* 2. *reſolutione quadrageſimaquinta*, Peyrinum *in priuileg. Minimor. tom* 1. *conſtit.* 2. *Iulij II.* §. 29. *num.* 103. & 104. & Laymanum *in Theolog. morali, lib.* 2. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 9. *num.* 7. Sed primum non omnino benè: nam *num.* 103. ſolùm id negat loquendo de irregularitate orta ex homicidio omnino voluntario facto per aſſaſſinium, vel proditoriè, & ſanguine frigido, quantumuis ſit occultum; cum oppoſitum teneat *num.* 104. ſequenti, loquendo de irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto facto ex rixa. Secundum verò Auctorem citat Baunius pro oppoſito. Sed quis meliùs, difficile eſt cognitu. Nam in principio expreſsè negat Layman hanc facultatem Prælatis Regularibus: ſed in fine ſic concludit: Verumtamen Mendicantes ſpeciale priuilegium habent à Martino V. conceſſum diſpenſandi cum ſuis ſuper irregularitate ex homicidio non notorio, apud Rodriguez *cit. quaſt.* 24. *artic.* 12. Sic Layman, cuius vltimo dicto ſtandum videtur. Negat etiam Lezana (apud Dianam *part.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 38.) *tom.* 1. *Summ. cap.* 18. *num.* 44.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario occulto. Quia probabilius eſt, quod Priuilegia quæ ad id habent dicti Prælati, minimè ſint reuocata. Sic ſentiunt Compend. Mendicant. *verb. Diſpenſatio*, §. 24. Corduba *in Commentar. ad eundem* §. Miranda *tom.* 2. *quaſt.* 8. (non 80 vt leges apud Baunium) *artic.* 10. *concluſ.* 2. Qui hac ratione noſtram ſententiam probat: Quia ex homicidio omnino occulto, vel nulla contrahitur irregularitas, vel ſaltem ea non eſt reſeruata Papæ, ſed Epiſcopis: ergo ſicut Epiſcopus diſpenſare poteſt cum ſibi ſubditis, ita & Prælatus Regularis iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habens cum ſuis. Sic ille. Cuius ſententia quamuis nobis placeat, minimè tamen ratio, qua illam probat: quia (vt ſuprà eſt habitum) certum eſt, quod ex homicidio directè voluntario, etiam omnino occulto oriatur irregularitas, & quod Epiſcopus non valeat in irregularitate orta ex tali homicidio diſpenſare cum ſuis. Poſſunt igitur Prælati Regulares cum ſuis diſpenſare in dicta irregularitate; quia ad id habent priuilegia; non, quia Epiſcopi poſſunt. Tenent rurſus noſtram ſententiam Portel *in dub. Regul. verb. Abortus, n.* 10. & *verb. Diſpenſare, n.* 8. Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 1. *cap* 6. *dub.* 19. Rodriguez *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 12. Sigiſmund. à Bunonia *tract. de elect. p.* 2. *cap.* 4. *dub.* 71. *num.* 1. quos pro hac parte refert Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 40. vbi non audet hanc approbare ſententiam, & ideo illam iudicio aliorum remittit. Sed certè poſſet illam approbare; nam præter tot, tantoſque relatos Doctores, illam nouiſſimè tenent Baunius *tract.* 11. *de Cenſur. quaſt* 58. *pag.* 534. *verſ. Quintò diſpenſant*, Baſſæus *verb. Irregularit.* 11. *num.* 9. Crouſers *ad cap. Regul. S. Franc. lect.* 12. & alij. Citat etiam Baſſeus pro hac opinione Sayrum *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 14. ſed malè, quia ibi nec verbum de hac re dicit: bene tamen *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 24. vbi ſolum id concedit loquendo de homicidio caſuali, de quo ibi agit. Tenet verò Palaus *diſp.* 6. *punct.* 15. §. 3. *in fine*, per hæc verba: Prælatis verò Ordinum Mendicantium comparatione ſuorum ſubditorum conceſſa eſt facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus in foro conſcientiæ, modò procedant ex delicto quod notorium non ſit, vt conſtat ex Compend. Socier. Iesv, *verb. Diſpenſatio*, § 5. & 6. Sic ille. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 9. *n.* 19. vbi poſt relatam quandam conceſſionem Martini V. conceſſam Benedictinis, ſic ait: *De ſuerte que conforme a eſta conceſſion pueden los Prelados, aunque ſean Conuentuales, diſpenſar con ſus ſubditos en el fuero de la conciencia, en la irregularidad que nace de homicidio voluntario, i mutilacion, ò truncacion de miembro, i enorme efuſion de ſangre, ſiendo occulto, mas no ſi es publico.* Sic Villalubos. Deinde P. Candidus, Magiſter S. Palatij, *tom.* 2. (non 1. vt citat Diana) *diſquiſit.* 24 *artic.* 61. *dubit.* 8. vbi ita ſcribit: Prælati Regulares poſſunt diſpenſare, ſecundum eorum priuilegia, cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij, occulti tamen: nam Martinus V conceſſit, quod Prior Monaſterij ſancti Benedicti Valliſoleti, in foro conſcientiæ poſſit abſoluere Monachos ab omni excommunicationis ſententia, etiamſi talis eſſet, quam Ipſe Summus Pontifex reſeruare conſueuit; *& cum eis ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi eos reſeruat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, valeat diſpenſare, dum tamen aliquid horum criminum non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum.* Ita Martinus V. vi præcedentis priuilegij Martini IV. in quo communicant Religiones Ordinum Mendicantium, & nonſolum Generales, & Prouinciales, ſed etiam præpoſiti, & Priores locales poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ ſuper omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen: nam communicatio priuilegiorum ſic intelligitur, quod ea, quæ conceduntur Magiſtro Generali vnius Ordinis, cenſeantur communicata Generalibus aliorum: & quæ conceduntur Prouincialibus, & Prioribus, cenſeantur communicata ſimiliter Prælatis Prouincialibus, & Prioribus, vt tradit Ioan. de la Cruz *lib.* 2. *de communicatione priuileg. cap.* 4. *dub. vnico, concluſ.* 2. ſed prædictum priuilegium fuit conceſſum à Martino V. Priori Monaſterij ſancti Benedicti Valliſoleti, extenſum poſtea, & communicatum omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum, vt notauit Collector priuilegiorum Mendicantium, *verbo Abſolutio ordinaria quoad fratres*, §. 40. ergo Priores locales Ordinum Mendicantium communicant in ſupradicto priuilegio: poterunt igitur cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ diſpenſare ſuper omni irregularitate etiam contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen.

Contra præcedentes aſſertiones non obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſione* 24. *capite ſexto, de Reformatione*, vbi prohibet, quod non poſſint Prælati diſpenſare in irregularitate prouenient e ex homicidio voluntario. Nam licèt non poſſint ex facultate Concilij Tridentini; poſſunt tamen virtute priuilegij Martini V. conceſſi Benedictinis; & virtute priuilegij conceſſi Prædicatoribus. Priuilegium enim conceſſum nullo modo abrogatur, niſi fiat de illo ſpecialis mentio, & abrogatio: at in decreto Concilij Tridentini nulla eſt facta priuilegiorum mentio, & abrogatio: poterunt ergo Prælati Regulares virtute alterius priuilegij Martini V. & Iulij II. diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario. Hæc omnia Candidus, vt refert Diana *part.* 13. *tract.* 13. *reſol.*

reſol. 38. Coi adhætet Hieronymus Garcia *in Politica Regular. tom.* 1. *tract.* 6. *diffic.* 1. *dub.* 1. *n.* 7. Quibus ego addo ex Ordine Prædicatorum, Magiſtrum Antonium de Hinojoſa *in Directorio Deciſionum Regularium, verb. diſpenſatio, fol.* 184. Cuius verba infra teferemus, & ex Societate IESV Pellizzariom *tom.* 2. *Manual. Regul tract.* 9. *c.* 5. *ſect.* 4. *quæſt.* 13. *numer.* 125. *verſ. Dixi, ſtando in iure communi, & quæſtion.* 24. *n.* 140.

QVÆSTIO XXXIII.

An Prælati Regulares poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio directè voluntario, etiam publico.

NEgant in primis (à fortiori) omnes Auctores nuper pro prima ſententia adducti: necnon & alij, vt vidimus, pro ſecunda noſtra relati, docentes, minimè poſſe Prælatos Regulares diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate ex homicidio publico contracta. Quia aut ad id non habent priuilegium, aut ſi illud habueriot, iam nuoc ſit reuocatum.

Sed probabiliter certè Reſpondeo: Poſſe Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, etiam publico. Quia probabile eſt, ad id habere priuilegium minimè reuocatum. Nam Paulus III. conceſſit Benedictinis Valliſoleti, *vt ſingulis annis prima die Luna Quadrageſimæ poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, quauis occaſione, vel cauſa contracta.* Refert Rodriguez in Bullario *fol.* 817. In qua conceſſion obſeruant Hieronymus Rodriguez *in Compend qq. Regular. reſol.* 16. *n.* 14. *& reſol.* 52. *num.* 25. & Laurentius Portel *in addit. ad dubia Regular. verb. diſpenſare, n.* 5. quod Summus Pontifex oon limitat, ſi ſit homicidij volontatij, neque caſualis; nec limitat, ſi ſit delictum occultum, vel publicum, quæ ſolent excipi in priuilegiis; ſed abſolutè, & in communi ait, *quauis occaſione, vel cauſa contracta:* ergo planè ſequitur, poſſe Prælatos Regulares tali conceſſione, ſicuti iacet, ſineque limitatiooe vti, & vigore illius ſuus ſubditos ab omni irregularitate abſoluere. Patet, quia vbi nec lex, nec Princeps diſtinguit, nec nos diſtioguere debemus. Et ideo hanc amplectuntur ſententiam dicti Hieronymus, & Laurentius *loc. cit.* Quam tandem videtur amplecti Baunius *tr.* 11. *de Cenſuris, q.* 58. *in fine, pag.* 535. necnon Machado, vt clarè conſtat ex verbis eiuſdem, relatis à nobis *ſupra diſp.* 6. *quæſt.* 39.

His addo Magiſtrum Antonium de Hinojoſa in ſuo directorio, *loco ſupra citato*, vbi ita ait: Diſpenſare etiam poſſunt prædicti Prælati (*nempe, Generalis, vel Prouincialis, vel Conuentualis*) cum eiſdem fratribus, etiam non ſibi ſubditis, ad ſuum tamen declinantibus territorium, ſuper irregularitate contracta ex homicidio caſuali, non voluntario: imò cum Apoſtolica conceſſio expreſsè dicat, quod in irregularitatibus, etiam ad Sedem Apoſtolicam pertinentibus, diſpenſare poſſint abſque ſpecifica reſtrictione; abſolutè concedi videtur irregularitas in genere ad Sedem Apoſtolicam quomodolibet pertineos, etiamſi ex homicidio voluntario proueniat: quia beneficium Principis eſt in ſui ſolius præiudicium, dummodo ad iudicium contentioſum non fuerit deductum. Sic conceſſit prædictis Prælatis Eugenius IV. vt habetur in libro veteri conſtitutionum, edito à Magiſtro Ordinis Bandello in priuilegiis indultis Congregationi Franciæ. Quoddam verò reſtrictiuum, quod in fine prædictæ conceſſionis appoſitum eſt, ſcilicet, *dummodo ex malitia non fuerit perpetrata*, ſic intelligendum venit, qood ex confidentia huius priuilegij, tanquam ex motiuo præcipuo, non prouenerit delicti perpetratio. Sic enim ſolet Papa ſuas limitare conceſſiones: aliàs omnino prædicta clauſula totam deſuper conceſſiooem abrogaret. Idem prorſus ab eodem Eugenio IV. conceſſum eſt ampliſſimum priuilegium Priori Benedictino Valliſoletano, cuius nos communionem habemos, &c. Et *infra*: Prædictum priuilegium maximè notandum eſt, quoniam excedit plurimum conceſſionem Martini V. factam eidem Priori S. Benedicti ſuper omni irregularitate diſpenſandi, etiam quam ſibi conſueuit Papa reſeruare, morte ſcilicet, & membrorum truncatione, &c. Hæc Hinojoſa. Ex cuius vltimis verbis (quidquid poſtea ipſe limitet) clarè conſtat ſentire, poſſe Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis vi priuilegij Eugenij IV. in irregularitate orta ex homicidio voluntario publico. Idemque meo videri, ſentit Pellizzarius *loco citato, quæſt.* 13. *n.* 122. vbi ita ait: Dixi *ſtando in iure communi*: quia Paulus III. in Bulla à à Rodrig. relata *in ſuo Bullario,* 10. *in Ordine*, quæ incipit, *Exponi nobis*, conceſſit PP. Benedictinis Valliſoleti, vt quouis anno, prima die Lunæ Quadrageſimæ, ſi ſint Prælati, poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper quibuſvis irregularitatibus pro tempore quauis occaſione, vel cauſa contractis, quod indultum cum ſit generale, videtur comprehendere omnes irregularitates, adeóque irregularitatem ex homicidio voluntario, ac irregularitatem ex bigamia: qui enim dicit totum, nihil excludit, & lex fauorabilis generaliter loquens, generaliter debet intelligi. Sic Pellizarius.

Confirmo hanc noſtram ſententiam ex doctrina communiter à contrariis admiſſa. Nam ideo dicunt, filium illegitimum, etiam occultum, eſſe irregularem, quia iura abſolutè decernunt, illegitimos eſſe irregulares, nihil diſtinguendo inter occultum, & notorium, & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Nunc ego, ſi igitur in pœnalibus, vbi odia reſtringi debent, valet dictum argumentum, à fortiori valebit in fauorabilibus, vbi fauores ſunt ampliandi. Valeat ergo in noſtro caſu, & fortius valeat hoc argumentum: Pontifices in enarratis priuilegiis abſolutè concedunt Prælatis Regularibus, quod poſſint diſpenſare cum ſubditis in omni irregularitate, etiam homicidij, nihil diſtinguendo inter occultum & publicum, vt ſuprà eſt habitum: ergo nec nos diſtinguere debemus: ergo concedere adſtringimur, quod facultas ad diſpenſandum in omni homicidio, intelligi debeat de homicidio tam occulto, quàm publico. Legatur Pellizzarius *tract.* 7. *c.* 5. *ſect.* 2. *q.* 21. *num.* 71.

QVÆSTIO XXXIV.

In quibus Irregularitatibus poßit Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare.

REſpondeo: Quod poteſt *in primis* diſpenſare in irregularitate orta ex defectu natalium, hoc eſt, cum illegitimo habito ex matrimonio irrito propter impedimentum affinitatis fornicatiæ in primo, vel ſecundo gradu, iuxta doctrinam *ſupra diſp.* 3. *quæſt.* 80. traditam.

Secundò, poteſt diſpenſare in irregularitate Bigamiæ ſimilitudinariæ, & eius, quæ oritur ex delicto; non verò interpretatiuæ, quæ ex delicto non

Digitized by Google

manat, iuxta dicta à nobis ſupr. *diſp. 6. quaſt.* 40. Legantur.

Tertiò, poteſt diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis contracta, vt habitum eſt ſup. *diſp. 7. quaſt.* 135.

Quartò poteſt diſpenſare in irregularitate contracta à Medicis, Chirurgis, & Infirmariis ex homicidio caſuali, vt diximus *diſp. 9 q. vltima.*

Quintò, poteſt diſpenſare in omni irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, aut iniuſtæ mutilationis, vt docent Rodriguez *in addit.* §. 13. *anm.* 2. Diana *prima parte, tractatu* 11. *reſolut.* 112.

Sextò, taodem poteſt diſpenſate ſuper quacumque irregularitate, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio directè voluntario, ſimonia, apoſtaſia à fide, hæreſi, aut mala Ordinum ſuſceptione. Legantur Diana *prima parte, tract.* 11. *Reſol.* 110. 111. 111. 113. 114. *&* 115. & Bard. *in Bull. Cruc. tract.* 2. *de facultate Commiſſarij, à cap.* 1.

QVÆSTIO XXXV.

An irregularitas, quæ ſine peccato incurritur, poßit per Bullam Cruciatæ diſpenſari?

RESpondeo, vt certum: Non poſſe. Quia certum eſt apud omnes, talem irregularitatem rationem cenſuræ (cum ratione pœnæ careat,) minimè habere: ergo per Bullam minimè auferri poteſt, cum illa ſolùm concedat, à cenſuris, & à pœnis ſoluere. Itaque certam eſt, quod virtute Bullæ nequit abſolui quis ab irregularitate incurſa ex licita hominis occiſione, Bigamia, aut ex natalium, vel corporis defectu. Sic docent Auil. *part. 7. diſp. 10. dub* 4. *in principio*, Cornejo *tract. 5. de cenſ. in genere, diſp.* 1. *dubit.* 2. *diffic.* 2. *pag. mihi.* 521. Legantur Dianæ *prima parte, tract.* 11. *Reſol.* 27. *& p.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 81. Bardus *in Bull. Cruc. parte* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *ſect.* 4. *n.* 30. vbi id vt certum ſupponit.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſaltem irregularitas, quæ ex delicto prouenit, poßit per Bullam Cruciatæ diſpenſari?

AFfirmant plures Doctores. *Primò*: Quia irregularitas proueniens ex mero delicto, & quæ eſt pura pœna peccati, verè, & propriè eſt cenſura: atqui in Bulla Cruciatæ datur facultas abſoluendi ab excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, & quibuſvis aliis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis: ergo.

Secundò. Quia huiuſmodi irregularitas, quæ ex peccato, vel delicto incurritur, dato quod non ſit cenſura, ſaltem eſt pœna Eccleſiaſtica: at omnes Bullæ dicunt, quod ſuſcipiens illam poſſit abſolui ab omnibus cenſuris; & aliquæ etiam dicunt, quod poſſit abſolui à pœnis Eccleſiaſticis, vt patet in Bulla Pij IV. *anno* 1561. ergo qui illam ſuſcepit, verè poteſt abſolui à ſuo Confeſſario ab omnibus irregularitatibus contractis ex delicto. Ita ſentiunt communiter Thomiſtæ, Canus, & Orellana, quos citat, & ſequitur Veg. *in ſpecul. Curat. tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 323. *& in Summ. tom.* 2. *cap.* 15. *caſu* 8. Salon. Arag. & Bañez 2. 2. *quaſt.* 64. *art.* 8. Medin. 1. 2. *quaſt.* 98. *art.* 4. *& in Summ. cap.* 11. §. 9. *pag.* 50. vbi addit, *Que eſta ſententia ſe entiende, quando la Irregularidad ſe incurre ſolamente por peccado; porque ſi vno matò, ò mutilò miembro injuſtamente, es irregular, no ſolamente por el pecado que cometiò, ſino tambien por la ſignificacion, ò indecentia que ay en el que derramò ſangre (aunque fuera juſtamente) para adminiſtrar en el Sacramento del Altar de Chriſto, cordero inmaculado: y aſſi eſte no puede ſer abſuelto deſta irregularidad por virtud de la Bulla.* Sic Medina. Cum qua limitatione hanc ſententiam docuerat antea Sotus, citatus ab ipſo Medin. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. nec oppoſitum tenet *lib* 5. *de Iuſtit. q.* 1. *art.* 4. vt malè putat Rodrig. *tom* 2 *qq. Regul. q.* 20. *art.* 17. apud Auil. & Gibalin. vbi infrà. Nuñus *in* 3. *p. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. *vltim.* Petr. Ledeſm. *in Sum. tom.* 1. *tract. de cenſur. cap* 1 *concl* 3. Cordub. *in Summ q.* 27. *&* 144. *& lib* 5. *quaſtionarij. q.* 43 *dub.* 4. Fernand. *in Examin. Theolog moral. p.* 3. *cap.* 9. § 14. *anm.* 1. Conrad *in reſponſ. Caſuum conſc. p.* 1. *q* 355. Ludouic. Carbon. *de legib. lib* 8. *diſp.* 3. Carrill. *in Itinerario Ordinand. ſect.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. Gutierr. *in qq. Canon. c.* 37 *n.* 6. Nald. *verb. Irregularitas, num.* 25. Sal. *de legib. diſp.* 15. *ſect.* 1. *concl.* 2. *a.* 16. Cornejo *in* 3. *p. diſp.* 1. *de cenſur. in genere, dub.* 2. *diff.* 2. *verſ. Ad ſecundum dico.* Gibalinus latè *de Irregul. cap.* 6. *q.* 5. *& vltima, per totam*, vbi iuſtè conqueritur de Sac. Palatij Magiſtro, eo quòd in Indice librorum expurgatorio hanc ſententiam expunxerit, & damnarit in Emmanuele Sà, cum eam ſui Thomiſtæ, vt vidimus, magno conſenſu ſequantur. Et quidem hanc ſententiam eſſe probabilem, & ſine ſcrupulo quem ſequi illam poſſe, clarè dicit, ex eadem Dominicana familia doctus Ioan. de la Cruz *in director. conſc. part.* 2. *tract. de Irregul. dub.* 25. *concl.* 1. Quod ipſum antea aſſerit Rodrig. *in Bull. Cruciata*, §. 9. *anm.* 29. licèt *in qq. Regularib.* & in Summa conſtanter docuiſſet contrarium. Et vrgente neceſſitate, eam amplecti fas eſſe, propter eius probabilitatem, fatentur Henriq. Auil. Villalob. & Dian. *parte* 1. *tract.* 11. *de Bulla Cruciata, reſol.* 27. (non 17. vt leges apud ipſummet Dianam vbi ſuprà, & Gibalinum) *& part.* 4. *tract.* 2. *de Irregularit. quaſt.* 81. ſequentia dicens: Sed ego ibi (*hoc eſt prima parte, loco citato*,) affirmatiuam ſententiam probabilem eſſe dixi, & præter Doctores, quos adduxi, tenet etiam hanc ſententiam nouiſſimè Cornejo *in tertia parte D. Thomæ, tract.* 5. *de cenſur. in genere, diſp.* 1. *dub.* 2. *diff.* 2. Dicendum eſt igitur, per Bullam tolli non poſſe eam irregularitatem, quæ eſt pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis, & repræſentationis contrahitur, qualis eſt Bigamia, homicidium iuſtum, & illegitimitas. Neque tolli poſſe eam irregularitatem, quæ ſimul eſt pœna, & inhabilitas, qualis eſt illa, quæ contrahitur ex homicidio iniuſto voluntario, vel mutilatione: ſolùm ergo per Bullam tolli poteſt irregularitas, quæ eſt pura pœna peccati. Et ideò Cornejo *loco citato, tractata quinte de Irregularitat. diſputatione quinta, dubitatione prima, quaſtione* 12. docet, irregularitatem ex iteratione Baptiſmi poſſe tolli per Bullam Cruciatæ in foro conſcientiæ, & quando delictum eſt occultum; quia cum impoſita ſit propter culpam, & non propter ſignificationem, habet rationem cenſuræ, & pœnæ Eccleſiaſticæ, à quibus abſolui poteſt per Bullam Cruciatæ. Item *diſputatione 6. quaſt. vltim.* docet, per Bullam tolli etiam poſſe irregularitatem incurſam ex violatione cenſurarum, vt ſi aliquis ſit ſuſpenſus, excommunicatus, &c. Vnde *diſputatione* 16. aſſerit, quod ſi quis ante ætatem ordinatus eſt, & celebrauit virtute Bullæ Cruciatæ, poteſt obtinere diſpenſationem ab irregularitate incurſa, eo quod irregularitas hæc cenſura ſit, & pœna Eccleſiaſtica. Et tandem *diſp.* 7. *dub.* 2. *quaſt.* 2. docet, poſſe tolli per Bullam Cruciatæ irregularitatem,

quam

Digitized by Google

qnam quis incurrit miniſtrando in Ordine, quem non habet; quia talis irregularitas habet rationem cenſuræ. Et pro confirmatione ſupradictorum, ne prætermittas videte meipſum *vbi ſuprà*. Vnde ex dictis io dicta reſolutione apparet, non benè Turrianum *in ſelectis diſput. centur. 2. conſur. Theolog. dub.* 19. aſſerere hanc ſententiam eſſe improbabilem, quam communiter eſſe receptam in Schola D. Thomæ aſſerit Ioan. de la Croa citatus *in dicta reſolutione*. Huc vſque Diana, qui vt vides, licèt dicat contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, hanc tamen in re ſequitur.

Negant tamen contrà plures etiam Doctores: *Primò*. Quia irregularitas non eſt cenſura propriè & in rigore, vt cum communi diximus *part. 4. tractatu 1. diſp. 1. quaſt. 3. & 4.* ergo non includitur ſub nomine cenſuræ appoſito in noſtra Bulla Cruciatæ: ergo virtute illius non poteſt quis ab irregularitate abſolui.

Secundò. Quia irregularitas, etiamſi impoſita ſit ob aliquod delictum, & peccatum, nec habet rationem cenſuræ, vt vbi ſuprà, *quaſtione quarta* diximus, nec propriè, & in rigore rationem pœnæ, vt *loco citato* docuimus: ergo non poteſt quis abſolui, aut diſpenſari ab illa, virtute Buellæ concedentia eam habenti vt abſoluatur à cenſuris, & à pœnis Eccleſiaſticis.

Tertiò. Quia ſecundum ſtylum Romanæ Curiæ, nunquam cenſetur concedi facultas diſpenſandi in irregularitate, niſi de hac fiat expreſſa mentio, vt teſtantur Nauar. Henriquez. & Anton. Gomez apud Auilam vt infrà: at in Bulla Cruciatæ non fit expreſſa mentio de Irregularitate: ergo virtute illius non poteſt diſpenſari ab illa. Sic ſentiunt Nauarr. *capite 17. numero.* 194. *&* 250. *& libro 1. conſil.* 35. *de temper. Ordinand. & conſil.* 66. *de ſentent. excommunicat. ad 1. quaſt.* Henriquez *libro ſeptimo, capite* 13. *numero* 6. *& libro* 14. *capite* 17. *numero* 4. *litt. L*, vbi ita: In Bulla Cruciatæ, & Iubileis, per verbum abſolutionis ab omni ni cenſura, & ab aliis pœnis Eccleſiaſticis ex illa reſultantibus, quidam aiunt concedi diſpenſationem illius irregularitatis, quæ eſt pœna. Qua ſententia licebit vti in praxi, cogente neceſſitate, ſi longè diſtet Epiſcopus, nam & verbo abſolutionis fieri poſſet diſpenſatio. At probabilius eſt, in Bulla non concedi per verbum abſolutio; nam diſpenſatio eſt res maior, & difficilior quàm abſolutio. Sic ille, citans pro ſe Nauarrum *loco citat.* Maiolum, Perez, Rodriguez, Bartholom. de Ledeſma, & Sotum (ſed hunc malè, vt ſuprà notauimus.) Tenent etiam hanc partem Auila *part. 7. diſputatione* 10. *dubit.* 4. vbi citat Villadiego, Lopezium, & Martinum de Ledeſma. Molina *de Iuſtitia, tom. 4. tractatu 3. diſputatione* 80. Suarez *tomo 5. in tertiam partem, diſputatione 1. ſect. 2. numero 5. & 9. & diſputatione 40. ſectione 3. num. 3.* vbi ait oppoſitam ſententiam eſſe falſam, nec rationi, nec iuri, neque authoritati Doctorum, neque praxi Romanæ conſentaneam. Tolet. *lib. 1. cap. 85. num. 7.* Fillitic. *tom. 5. tract. 31. cap. 1. numer. 9.* Reginal. *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 3. ſect. 3. num.* 24. Sanch. *in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 17. numero 43.* Mirand. *tom. 2. quaſt. 33. art. 11. concluſ. 3.* Ægid. Trullench *in expoſit. Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 17. num. 5.* Villalob. *in Summ. tom. 5. tractatu 16. dub. 2. num. 2. & tract. 28. diff. 8. num. 23.* Acoſta, Pariſius, Zerola, Llamas, Beia, Zechius, Graffius, & alij, quos citat, & ſequitur Dian. *1. p. tract. 11. de Bulla, Reſolut. 27. & part. 4. tract. 2. de Irregularit. Reſol.* 81. Quibus addi poſſunt Baſſeus *verb. Irregularitas* 11. *num.* 11. Baid. *in Bull. Cruc. loc. cit. num.* 35. Luyſius Turrianus *in ſelect. centur. 2. dub.* 29. dicens, oppoſitam ſententiam eſſe improbabilem.

Sed ego clarius ſic Reſpondeo: *Primò*, probabilius longè eſt, quod nunc minimè poſſit quis abſolui, ſeu diſpenſari virtute Bullæ cruciatæ, in irregularitate etiam contracta ex aliquo delicto, & peccato. Probatur, quia in Bulla Cruciatæ, quæ hodie promulgatur, ſolùm datur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, omiſſis aliis verbis in Bullis antiquioribus appoſitis: atqui longè probabilius eſt, quod nulla irregularitas ſit cenſura: ergo nulla irregularitas nunc tolli poteſt virtute Bullæ. Conſequentia eſt legitima. Minor conſtat ex à nobis dictis *part. 4. tract. 1. diſp. 1. quaſt. 3. & 4.* Maior verò ex ipſomet textu Bullæ, qui ſic ſe habet: *Et ab eo quorumcunque peccatorum, & cenſurarum (etiam Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla cœna Domini reſeruatorum, & reſeruatarum) plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, nec reſeruatarum, toties quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem mediante ſalutari pœnitentia, ſecundum culparum exigentiam obtinere, &c.* Sic Bullæ textus.

Sed obiicies, ex dictis à nobis *part. 4. diſp. 1. cir. quaſt.* 8. quod, licèt irregularitas non ſit propriè, & in rigore cenſura; eſt tamen impropriè, aut reductiuè talis: ergo comprehendi poteſt nomine cenſurarum in Bulla appoſito, & conſequenter vigore illius abſolui, aut diſpenſari. Patet, quia verè in materia fauorabili verſamur.

Reſpondeo tamen negando conſequentiam. Quia licèt verum ſit, quod irregularitas huiuſmodi latiſſimè, & impropriè loquendo, dici, ac nominari cenſura poſſit; non tamen inde benè infertur, quod dum in Bulla, aut in aliis priuilegiis Pontificiis conceditur facultas abſoluendi à cenſuris, nomen cenſuræ ſit ampliandum, & extendendum ad alias pœnas, ſeu Eccleſiaſtica impedimenta, quæ contineri poſſunt ſub nomine cenſuræ latiſſimè acceptæ, etiamſi priuilegium ſit fauorabile. Quia ex hoc magnum ſequeretur inconueniens; nam poſſet quis eodem modo dicere, nomen cenſuræ ampliandum eſſe ad Depoſitionem, & Degradationem, & Ceſſationem à diuinis, quod nemo dixit. Et quamuis priuilegium ſit fauorabile, non ideò ſunt extendenda eius verba vltra ſignificationem naturalem & ciuilem, niſi aliqua neceſſitas cogat ad amplianda verba vltra ciuilem ſignificationem; quia alioqui ſemper ob fauorem priuilegij poſſemus extendere verba ad caſus improprios, & ideò nihil in legum fauorabilium diſpoſitione haberemus firmum & conſtans, quod eſſet inconueniens. Sic reſpondet dictæ obiectioni Baid. *loc. cit. num.* 39. vnde hanc concluſionem non ſolùm omnes Authores ſecundæ ſententiæ nuper relatæ, verùm etiam alij, qui negant irregularitatem eſſe cenſuram, fateri libenter debent.

Reſpondeo *Secundò*. Adhuc probabilius multò exiſtimo, nec olim potuiſſe aliquam irregularitatem auferri virtute Bullæ Cruciatæ, etiamſi in hac concedebatur Confeſſariis facultas abſoluendi à cenſuris, & à pœnis. Ratio eſt, quia irregularitas nec eſt cenſura, nec pœna, propriè, & in rigore loquendo, vt vbi ſuprà *diximus*: ergo etiamſi olim in Bulla concederetur Confeſſariis facultas abſoluendi à cenſuris, & à pœnis, non inde ſequitur, potuiſſe abſoluere aut diſpenſare in aliqua irregularitate. Per pœnas igitur in illis Bullis, aut in aliis ſimilibus appoſitas, intelliguntur vel pœnæ iniunctæ à Confeſſario, vel ab ipſomet pœnitente ſibi impoſitæ; vel illæ, quæ inueniuntur in Sacris Canonibus

pœnitentialibus, per quas fideles arcentur, v. g. ab vſu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ intra aliqood tempus, vel à receptione aliorum Sacramentorum, vt teſtantur Nauar. *c.27.n.*254. Henriq. *c.*13.*n.*6.*cit.* Auila *diſp.* 10.*dub.*4.*cit.* & ex illis Bard, *in Bull.part.*2.*c.*7.*ſect.*4. *in fine.*

Reſpondeo tamen *Tertiò.* Opinio affirmatiua minimè eſt improbabilis, vt vult Luyſius: tum quia non eſt improbabile irregularitatem eſſe cenſuram: ergo neque erit quod in Bulla nomine cenſuratum comprehendatur. Tum etiam, quia ſaltem per principia extrinſeca nullus negare poteſt probabilem eſſe, vt bene aduertit Bardus *loc. cit. num.* 35. Tum denique, quia probabiliter reſpondent contrarij argumentis, quæ in contrarium fiunt, vt faciunt Diana, & Gibalinus *loc.cit.* ergo.

Qvæstio XXXVII.

An in diſpenſatione irregularitatis debeat quis neceſſariò, cùm diſpenſationem vnius impetrat, alias ſimul manifeſtare?

Affirmant aliqui, quorum ſententia probari poteſt ex dictis à nobis 2.*part.tract.*9.*de Matrim. diſp.*24.*q.* 35. vbi docuimus, longè probabilius eſſe, debere quem neceſſariò in petitione diſpenſationis alicuius impedimenti, reliqua quæ habet impedimenta ſimul manifeſtare, aliàs ſubreptitiam fore diſpenſationem: ergo ſimiliter in noſtro caſu, cum quis diſpenſationem alicuius irregularitatis impetrare intendit, debet ſimul alias irregularitates à ſe contractas manifeſtare. Ita tenent Baſilius *lib.* 8. *de Matrim.cap.*17.*n.*24.

Sed clarius, ac probabilius Reſpondeo: non debere neceſſariò quem manifeſtare ſimul omnes irregularitates, quas habet, cum impetrat diſpenſationem alicuius; niſi caſu, quo vna irregularitas non poſſit ſine alia explicari. Ratio eſt, quia neque ex iure, neque ex ſtylo id habetur: ergo tale onus ſine cauſa non eſt cuipiam imponendum. Nec obſtat argumentum contrarium, quia illi reſpondendum eſt, praxim, & conſuetudinem eſſe contrariam in impetratione diſpenſationis alicuius impedimenti matrimonii, & ideo illi eſt ſtandum Sic tenent Suarez *lib.*6.*de legibus*, c. 24. *circa finem*, quem citat, & ſequitur Palaus *tom.*1.*tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 16.§. 4. *n.*16.*verſ.Suarez verò.* Perez *de Matr.diſp.*46 *ſect.*5. *n.*7. Quem ſolum citat, & ſequitur Diana *p.*8. *tract.*3. *de diſpenſat. reſol.* 37.

Qvæstio XXXVIII.

An qui contraxit irregularitatem ex occiſione alicuius Presbyteri, aut alterius Clerici, teneatur manifeſtare, ſe Presbyterum, ſeu Clericum occidiſſe; an verò ſufficiat dicere, ſe hominem occidiſſe?

Affirmant, teneri manifeſtare, ſe Clericum occidiſſe, aliàs diſpenſationem irregularitatis eſſe inualidam, non pauci Doctores. Quorum fundamentum eſt, quia iura iubent exprimi delicti grauitatem, ex qua oritur irregularitas: at delictum eſt ſacrilegium: ergo debet explicari, & exprimi. Ita tenent Suarez *loc. cit. num.* 12. Nauar. *lib.*1. *conſil. de reſcript. conſil.*18 *num. vnico, in* 2. *editione.* Rodriguez *in Summ.tom.*2.*cap.*279.*n.*10.*concl.*5. Auila *part.* 7.*diſp.*10.*dub.*?.*dicto* 2. vbi ita ait: Qui voluntariè occidit presbyterum, & in petenda diſpenſatione ſolùm dicit ſe occidiſſe hominem, non manet tutus, nec diſpenſatio eſt valida. Ita Nauar. *lib.*5.*conſil.conſ.* 4.*de homicid.* Probatur, quia iura iubent exprimi delictum, ex quo orta eſt irregularitas, & delictum erat presbytericidium, quod eſt grauiſſimè qualificatum: ergo. Huc vſque Auila. Naldus *etiam in Summ.verb. Irregularis.* Perez *de Matrim. diſp.*46 *ſect.*4.*num.*7. Gordonus *in Summ.lib* 2.*quæſt.*15.*cap.*6.*num.*19.

Sed probabilius Reſpondeo: Non teneri quem neceſſariò manifeſtare, ſe occidiſſe Presbyterum, aut Clericum; ſed ſufficere illi, ſi dicat, ſe occidiſſe quemdam virum. Quia ad irregularitatem contrahendam omnino extrinſecum eſt, & per accidens, fuiſſe Presbyterum, aut Clericum occiſum.

Probatur *Primò.* Quia nullo iure, aut conſuetudine, ſiue ſtylo Curiæ præſcribitur, vt exprimatur talis circunſtantia. Et meritò, quia licèt occiſio Presbyteri, aut alterius inferioris Clerici; ſit maius peccatum ratione ſacrilegij, non tamen facit irregularitatem ſpecie diſtinctam.

Secundò. Quia irregularitas homicidij impoſita eſt, non iam ob delicti grauitatem (ſiquidem multò grauioribus delictis, vt blaſphemiæ, periurio, &c. non eſt impoſita) quàm ob perfectæ lenitatis defectum imponitur: at hic defectus in quacunque hominis occiſione æqualiter requiritur: ergo fuiſſe Presbyterum, aut quemcunque alium hominem interfectum, qualitas eſt omnino extrinſeca, nihil ad irregularitatem pertinens. Sic omnino Sanchez *de Matrim.lib.*8.*diſp.*21.*n.*22. Baſilius *de Matrim.lib.*8. *c.*15.§.4.*n.*24. Salas *de legib.diſp.*20.*ſect.*15.*num.*122. Layman *tract.*4.*c.* 32.*num.* 21. Sanctarell. *variar.reſol. part.*1.*q.*62.*n.*2. Molina *tom.*4.*de Iuſtit.tract.*3.*diſp.*19. *n.*9. Porrel. *tom.* 2.*reſponſ.moral.caſu* 49.*n.*49. Merola *tom.*2.*diſp.*4.*cap.*6.*n.*360. Texeda *tom.*1.*lib.*3. *n.*187. quos omnes refert, & ſequitur Diana 1.*part.tract.*10. *de legib.reſolut.* 38. & *part.* 8. *tract.* 3. *de diſpenſat. reſolut.* 51. Quibus addo Caſtrum Palaum *tom.* 2. *tract.*3 *de diſpenſat.legis*, *diſp.*6. *punct.*16. § 4 *n.*16. *verſ. Suarez verò*, & Bonacinam *tom.* 2. *diſp.*1. *de diſpenſatione*, *q.*1.*punct.*5.*n.*20. & *punct.* 9. *n.*1.

Qvæstio XXXIX.

An qui pluries in excommunicatione celebrauit, teneatur in petenda irregularitatis diſpenſatione exprimere numerum Miſſarum celebratarum?

Affirmare videtur Rodriguez *in Summa*, *c.* 182. *concluſ.* 2. quatenus generaliter docet, quod ſi in petitione diſpenſationis non exprimit quis numerum omnium delictorum, diſpenſatio erit ſubreptitia.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Non teneri. Sic Nauar. *conſil.* 3. *de Raptorib. num.* 6. vbi ita ait: In diſpenſatione irregularitatis incurſæ ab excommunicato, qui frequenter celebrauit in excommunicatione, non oportet exprimere multas illas vices, quibus ſic malè celebrauit: neque illegitimus tenetur exprimere celebrationes, quas fecit manens illegitimus, in impetratione irregularitatis, quam patitur ob illegitimitatem; neque alij irregulares, qui celebrarunt in irregularitate, ſed ſatis eſt exprimere irregularitatem illam ſolam; cuius dicti nouam rationem vſque ad nos à nemine redditam reddimus *in Manual.Confeſſ cap.*27. *numero* 194. & ita ſufficeret ad valorem diſpenſationis ſuper irregularitate ob raptum contracta, exprimere, quod fecit raptum, non exprimendo vices, quibus rapuit; quando ſaltem circa vnam

ſolam

ſolam frequenter raptum commiſit. Sic Doctus Nauar.ibi.Et *in addit.c.27.cit.n.32.* vbi allegat ſtylum Curiæ.Sic etiam Henriq.*lib.12.c.10 n.3. in fine*, his verbis: Dum irregularitas contrahitur ex eo, quod excommunicatus ſæpius celebrauit,ſatis eſt ſemel diſpenſari in vna irregularitate: quia ex actionibus vnius ſpeciei in vno ſubiecto accidens fit moraliter vnum numero. Et *lib.13.de excommunic.c.30. n. 2. in gloſſa litt.M.* (non *num.3.litt.F.* vt legi apud Auilam) ita dicens: Qui in eadem excommunicatione ſæpè celebrauit, ſatis eſt in petitione diſpenſationis exprimere ſe irregularem, quia excommunicatus celebrauit. Et *lib. 14. cap. 7. n. 5.* (non 3. vt offendes apud Dianam) ita ſcribens: Qui cenſura ligatus celebrauit ſæpius, aut ſæpè cum denunciato in crimine criminoſo participauit, incurrit irregularitatem ex variis titulis grauiorem, & dum imperrat diſpenſationem, ſatis eſt, vt ſimpliciter diſpenſetur in irregularitate contracta ex eo quod excommunicatus celebrauit; nec oportet de ſingulis vicibus fieri expreſſam mentionem, aut in abſolutione, ac diſpenſatione exprimere, *toties quoties incurriſti.* Sic Henriquez. Quem citat & ſequitur Auila *part.7.diſp.10. dub.8.*Sanch.*lib.8.de Matrimon.diſp.24.* (non 14.vt inuenies apud Dianam) *n.7.*Zerola *in praxi, 2.part. verb.Irregularitas,§.12. ad finem*, Garcia *part. 8 de Benefic.cap.4.n.80.*Caſtro Palaus *n.16. cit.* & Diana *part.8.tract.3.de diſpenſat.reſol.58.*Bonac. *q. vlt. & punct.vlt.de irregular.n.1.verſ. Tertiò.*

QVÆSTIO XL.

An qui ter, vel quater contraxit nuptias, teneatur id exprimere in petitione diſpenſationis ſuper irregularitate ex bigamia contracta.

RESpondeo, vt ferè certum: Non teneri exprimere, vt latè diximus *ſupra diſp.6.de Irregul. orta ex Bigamia,q.41.*vbi *q.42.* ſcribimus, neceſſarium omnino in petitione diſpenſationis explicare ſpecies bigamiæ; & à fortiori, ſi duplici bigamia eſt ligatus,*quæſt.43.*Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XLI.

An qui committit plura homicidia; contrahat diuerſas numero irregularitates in diſpenſatione explicandas.

AFfirmant Suarez *de legibus lib.6.cap. 24. n.12.* & nouiſſimè Perez *de Matrimon. diſp.46. ſect. 5.n.7.*vbi ita ait: Qui plura homicidia commiſit, ſi vno tantum narrato,velit diſpenſationem vnius irregularitatis obtinere,nihil faciet: quia tametſi illæ irregularitates ſint numero diuerſæ, moraliter tamen quaſi efficiunt vnam grauiorem,ita vt vna earum non ſatis explicetur ſine alia. Ita ille.

Negat verò expreſsè contra Suarium, Palaus *tom.1.tract.3.diſp.6.punct.16.§.4. n.16. verſ. Suarez verò*,ſic dicens: Denique non caret probabilitate, contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium committas: quia cùm irregularitas ſit inhabilitas per modum habitus,non potes amplius ex eadem cauſa inhabilitari, neque vna cauſa ſuper aliam operari. Sic tradit Henriq.*lib.2.c.10.§.3.& lib.14.c.7. §.3.(dic 5.)*Thomas Sanches *lib.8.diſp.14.* (*dic* 24.) *n.7.*Auila *diſp* 10. (*p.7.*) *dub.*8.Hæc Palaus.Et ex illo Diana *p.8.tract 3.reſol.58.* Sed an bene citentur pro hac ſententia Henr.& Auila, colliges ex dictis *ſuprà diſp.21. q.31.*

Ego igitur clarius,& probabilius Reſpondeo dicendum,*Primò.* Qui committit plura homicidia per diuerſas actiones, non ſolum phyſicè, ſed & moraliter diſtinctas, verè contrahit diuerſas numero irregularitates, vt bene probant Auctores primæ ſententiæ, & conſtat ex à nobis dictis *ſupr.diſp.21.q.31. & 1.p. tract.5.diſp 8 §.3. q.22.*

Reſpondeo *Secundò.* Qui commiſit plura homicidia moraliter diſtincta, ac proinde contraxit plures diſtinctas numero irregularitates, nihil officit quin poſſit vnius irregularitatis diſpenſationem obtinere, non enarrata altera. Quia in hoc nulla apparet probabilis implicatio, vt benè probat Palaus *loc. cit.* & conſtat ex doctrina à nobis tradita *p.4.tract.1. de excommunicat.*

Reſpondeo *Tertiò.* Qui contraxit plures irregularitates numero diuerſas, propter numero diuerſa à ſe commiſſa homicidia, ſufficit ſi in diſpenſatione obtinenda dicat, & explicet in communi, ſe contraxiſſe irregularitatem ob diuerſa à ſe patrata homicidia: ſicut ſufficit ei,qui contraxit plures numero irregularitates, eo quod excommunicatus pluries celebrauit, dicere, & explanare ſe irregularem eſſe ob multiplicem in excommunicatione celebrationem. Sic ſentiunt quidam iuniores, & conſtat ex dictis à nobis ſæpè.

QVÆSTIO XLII.

An qui vnico ictu plures occidit homines, plures irregularitates incurrat.

AFfirmant Nauarrus, Vgolinus,Saytus, Alterius, Diana,Zerola, & Fagundez relati à nobis *1. p. tract.5.diſp.8.§.3.q.22.*

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Non incurrere niſi vnicam irregularitatem. Quia in eo caſu vnum tantum committit peccatum: ergo & vnicam irregularitatem tantum admittit. Sic Suarez, & Bonacina relati à nobis *vbi ſupra*,& alij. Et colligitur ex dictis *q.antecedenti,& part.4.tract.1.diſp.3.à q.36.*

TRACTATVS TERTIVS.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

TRACTANT de hac materia ex profeſſo, præcipuè Nauarrus *in Manual. cap. 27. num* 188. *&* 189. Couarr. *in cap. Alma mater, part.* 2. §. 2. *à num.* 1. *&* §. 4. *num.* 7. Henriquez *lib.* 13. (non 3. vt leges apud Auilam, & Villalobos) *cap.* 52. 53. *&* 54. Suares *de Cenſuris, diſp.* 39. Auila *part.* 6. *de Cenſuris.* Sayrus *lib.* 5. *Theſauri, à c.* 17. Sotus *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 2. Medina *in Summ. lib.* 1. *c.* 11. §. 14. vbi refert reſolutionem quandam Salmanticenſis Academiæ datam anno 1556. in decem capita diſtributam. Filliucius *tract.* 18. *à cap.* 7. *num.* 149. Alterius *tom.* 2. *de Interdicto, à fol.* 308. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 6. Ægidius *diſp.* 17. *dub.* 1. Layman. *lib.* 1. *Summ. tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 6. Luyſius de Torres *de Cenſur. lib* 7. *diſp.* 56. Hurtad. *de Cenſur tract. de ceſſat. à diuinis.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 36. Caſtro Palao *de Cenſur. diſp.* 5. *punct.* 9. Villalobos *tom.* 1. *Summ. tract.* 20. *à difficult.* 1. Pellizzarius *tom.* 2. *Man. Regul tract.* 7. *cap.* 4. *ſect.* 3.

DISPVTATIO PRIMA.

De Natura & Eſſentia Ceſſationis à Diuinis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vnde dicatur, Ceſſatio à Diuinis.

RESPONDEO, quod ita nuncupetur, quia toto tempore, quo durat, Miniſtri Eccleſiæ ceſſant à publica celebratione Diuinorum Officiorum, & adminiſtratione quorumdam Sacramentorum. Vnde congruè dici etiam ſolet, *ſuſpenſio quædam*, iuxta illud Pſalmi 136. *In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra:* ſic enim erat ceſſatio à diuinis Officiis. Sic Filliucius *tract.* 18. *cit. c.* 7. *q.* 1. *n.* 149. Bonac. *diſp.* 6. *cit. punct.* 1. *n.* 1. Palao *diſp.* 5. *cit. punct.* 9. §. 1. *n.* 1. Luyſius *diſp.* 56. *cit. dub.* 1. & alij.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Ceſſatio à Diuinis.

RESpondeo dicendum, quod ceſſatio à diuinis, ſecundum aliquos Doctores, ſic definitur: *Eſt ſuſpenſio Organorum diuinæ laudis in aliquem locum decreta.* Sic definiunt ceſſationem Couarruu. *in c. Alma mater, part.* 2. §. 2. Innocent. & alij multi, quos ſequuntur Henriq. *lib.* 13. *c.* 52. *n.* 1. Auila *part.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. deducentes dictam definitionem ex *cap. Irrefragabili*, §. *Cæterum, de offic. Ordinarij*, & *c. Si Canonici*, & *c. Quamuis, eod. tit. in* 6.

Secundùm alios verò Doctores, ceſſatio eſt *omnimoda deſiſtentia à diuinis officiis, & ab adminiſtratione quorumdam Sacramentorum, & ſepultura laicorum.* Sic Henriq. *loc. cit.* Alterius *etiam diſp.* 2. *de Interdicto, c.* 1. *verſ. Hac definitio*, & alij apud Bonacinam *loc. cit. n.* 2. Et licèt hæc definitio ſit optima, non tamen eſt formalis, quia deſumpta eſt ab effectu huius quaſi pœnæ.

Melius igitur ſic formaliter definiri poteſt: *Ceſſatio à Diuinis eſt ſimplex prohibitio Eccleſiaſtica, qua Clerici, ſeu miniſtri Eccleſiæ prohibentur perſoluere publicè diuina officia, miniſtrare aliqua Sacramenta, & ſepelire laicos in loco ſacro.* Sic Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 1. *n.* 1. *&* 15. Bonac. *n.* 2. *cit.* & in verbis eiſdem, vel parum varians, Filliuc. *loc. cit. n.* 150 Palaus *punct.* 9. *cit.* §. 1. *n.* 1. & alij communiter.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit Ceſſatio à Diuinis.

RESpondeo, quod duplex. Alia eſt generalis, & alia ſpecialis, vel particularis. Generalis eſt, qua prohibentur diuina in loco vniuerſali, vel generali, vt in Regno, Ciuitate, terra, oppido, villa, &c. Et de hac loquitur *Clement.* 1. *de ſent. excommunic.* Specialis, vel particularis eſt, qua prohibentur diuina in loco particulari, vt in vna, vel pluribus Eccleſiis, vt in ſimili diximus *de interdicto part.* 4. *tract.* 5. *diſp.* 1. *à q.* 4. *& ſequent.* Sic omnes DD. Legantur Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 1. Henriq. *lib.* 13. *c.* 52. *n.* 1. *litt.* K. Auila *p.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 2. Alterius *diſp.* 1. *de Interdicto*, *cap.* 1. *col.* 5. Bonac *diſp.* 6 *punct.* 2. *n.* 3. Palaus *loc. cit. n.* 3. & alij *ſupra citati.*

QVÆSTIO IV.

An Ceſſatio à diuinis ſit vera, & propria cenſura, diſtincta ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto?

AFfimant Sotus, Couarruuias. Petr. Ledeſma, & Petr. Cornejo, citati à nobis *part 4.tract.2.de Cenſur.diſp.1.quæſt.3. & 7.* Quibus nunc a ldo Molinam *tract. 3. de Inſt. diſp.* 80. Quorum fundamentum eſt, quod Ceſſationi verè conuenit definitio cenſuræ; cum ſit pœna Eccleſiaſtica, qua priuatur Clericus functionibus ſpiritualibus, vt ex nuper dictis conſtat: ergo.

Sed longè probabilius, longeque verius Reſpondeo, Ceſſationem à diuinis nullo modo eſſe veram, & propriam cenſuram, ſaltem diſtinctam ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto. Quia id clarè colligitur ex *cap Quærenti, de verb.ſignificat.* vbi interrogatus Innocent. III. de numero cenſurarum Eccleſiaſticarum, reſpondit eſſe tres, nempe excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum: ergo apertè definiuit, ceſſationem à diuinis non eſſe cenſuram, ſaltem diſtinctam; tunc enim, vt minimum eſſent quatuor. Sic tenent communiter DD. tam Canoniſtæ, quàm Theologi, quos lato calamo citauimus *part.4 tract.1.diſp.1.quæſt.3.& 7.*

QVÆSTIO V.

An Ceſſatio à diuinis, ſit ſpecies interdicti, & forma quadam illius?

AFfirmant nonnulli Doctores, exiſtimantes, idem eſſe ceſſationem à diuinis, & interdictum generale: & conſequenter ceſſationem eſſe cenſuram, ſed non diſtinctam ab interdicto. Ita ſentire Couar. & Henriquez ait Alterius *diſp.2.de Interdict. cap.1.col.4.* his verbis: Quare decepti ſunt quidam Doctores, vt Couarr. *in cap. Alma, part.*2 §.4.*n.7. verſ.Quintò*, & alij, quos ipſe citat, & Henriquez *lib.13.c.52.n.1.in Annot.* dicentes, idem eſſe, ceſſationem, & interdictum generale. Ita ille. Sed malè profectò citat Alterius pro hac parte dictos Auctores. Nam in primis Couarrn. *loc.cit.* ſolum citat pro illa Ioan. *in Summa Confeſſor.lib.3.tit.33 quæſt.*21. Archidiacon. *in cap.Si Canonici, de offic. Ordinarij, lib.6.* necnon Gonſaluum à Villadiego *de Irregular. cap.de interdicto,col.3* & Paludanum *in 4.diſtinct.18. q.8.art.3.principali verſ. Sed verius*, ipſe verò Couar. oppoſitum clarè docet ſtatim, *verſ. Quartò conſtat*, ita dicens: Ex quibus mihi ſatis euidenter apparet, hanc vltimam opinionem (*contrariam nempe relata*) iure veriorem eſſe; cui parum obſtant, quæ priori loco in contrarium adducta fuere: cum ceſſatio à diuinis rationem diſtinctam habeat ab interdicto, propter omnimodam, quam inducit, ſuſpenſionem Organorum Eccleſiaſticorum: & quia iure Pontificio manifeſtum eſt in hac ſpecie diſcrimen inter ceſſationem, & interdictum, auct. ult.text. *d.cap. Si Canonici, §. Si autem, de offic.Ordin.iſto libro.* Hæc Couar.

Rurſus, Henriquez oppoſitam etiam tenet ſententiam, vt dicunt eius verba: ſunt autem hæc: Quidam putant ceſſationem eſſe idem quod antiquum interdictum, quod falſum eſt, ſic *loc.cit.* ab Alterio, *num.* 1. Quod & repetit *in Annot. litt. H.* vbi etiam citat pro ſe Couarruuiam, & bene, vt vidimus.

Longè ergo probabilius Reſpondeo dicendum, quod ceſſatio à diuinis nec ſit interdictum, nec ſpecies interdicti. Probatur ratione aſſignata à Couarruuia: nam ceſſatio à diuinis eſt pura negatio, & deſiſtentia diuinorum officiorum, vt patet ex definitione *ſupra quæſt.2.* tradita: ergo diſtinguitur omnino ab interdictio: quod amplius conſtabit ex infra dicendis. Sic Couar. Henriquez, Alterius ſupra citati, & communis, vt vidimus *part.4.loc.cit.*

QVÆSTIO VI.

Quibus in rebus differat ceſſatio ab interdicto?

REſpondeo. Quod in quinque præcipuè. *Primò*, quod ceſſatio non inducit irregularitatem; interdictum inducit, ſi violetur. *Secundò*, quod illa non eſt cenſura, nec propriè habet rationem pœnæ, nec directè fertur ad aliquod delictum puniendum. *Tertiò*, ceſſatio nullas vnquam perſonas ſecundum ſe afficit, ſed ſolum prohibet in certo loco diuina celebrari: interdictum verò, etiam ſecundum ſe, aliquando afficit perſonas. *Quartò*, ceſſatio nunquam incurritur in iure ipſo facto, ſed ſolùm fertur comminatoriè; interdictum verò incurritur ipſo facto. *Quintò* denique, priuilegium audiendi Miſſam tempore interdicti, non extenditur ad eam audiendam pro tempore ceſſationis. Sic omnino Pellizzarius *tom.1. Manual. Regul. tract.7. cap.4.ſect.3. q.2. num.49.* & conſtat ex à nobis *ſupra part. 4. loc. cit.* dictis, & infra dicendis. Legantur Sayrus *lib. 5. cap.17.n.3.& 4* Alterius *diſput.2.de interdict.c.1. col. 5.& c.2.per totum, & cap. 8. col.2.* Bonacina *diſp.6. punct.2.n.4.* Suar. *diſp.39.ſect.1.* & alij.

QVÆSTIO VII.

An violans ceſſationum particularem, irregularitatem incurrat?

AFfirmabunt qui cenſent, ceſſationem non differre ab interdicto: ſunt autem, quos ſupra *quæſt.5.* vidimus.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Non incurrere. Quia longè multò probabilius eſt, ceſſationem differre omnino ab interdicto, præcipuè particulari, vt ſupra eſt habitam. Sic communis ſententia, vt fatetur Alterius, his verbis: Interdictum ita afficit locum, vt qui in eo celebrat in caſu, & modo non conceſſu, incurrat irregularitatem, ſed ceſſatio non patit hunc effectum. Si enim quis celebrat in loco, in quo à diuinis officiis ceſſatur, non efficitur irregularis, licèt peccet violando præceptum Superioris, quæ differentia ab omnibus admittitur quoad ceſſationem particularem, Silueſt. *Interdictum* 1.§.5. *& verbo Ceſſatio*, §. 5. vbi ex ſententia omnium affirmat, quod ſi ceſſatio eſt particularis, celebrans in tali loco non efficitur irregularis, quamuis eſſet Eccleſia Matrix, &c. Sic Alterius *diſp.2. de Interdict. cap.2. col.2.verſ. Quartò*, & penes ipſum Abbas, Hoſtienſ. Sotus, D. Antonin. Nauar. Couar. Valent. Tolet. & alij Sic & Suarez *diſp.39.ſect.1.n.8.* dicens, hanc ſententiam eſſe communem Canoniſtarum.

QVÆSTIO VIII.

An ſaltem qui violat ceſſationem generalem, celebrando tempore illius, incurrat irregularitatem?

AFfirmat aliqui Canoniſtæ: eo quòd *in Clement.1.de ſentent. excommunic.* æquiparat Pontifex ceſſationem generalem interdicto generali

quoad

quoad violationem vtriuſque, ibi: *Quod etiam in interdictis, & ceſſationibus à diuinis, indictis per Prouinciale Concilium, &c. volumus obſeruari*: at qui celebrat tempore Interdicti incurrit irregularitatem: ergo & qui celebrat tempore ceſſationis generalis. Ita Ioan. Andr. Innoc. Anchar. Franc. *in c. Si Canonici*, *cit.* B. Anton. *tract. de Cenſur. cap.* 89. *&* 3. *p. tit.* 16. *cap.* 1. Maiul. *lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 11. Angel. *verb. Ceſſatio*, *in principio*, & alij.

Sed longè probabiliùs Reſpondeo, Nec hunc incurrere irregularitatem, celebrando tempore ceſſationis generalis. *Primo*, quia non violat cenſuram, vt conſtat ex dictis. *Secundò*, quia nunquam incurritur irregularitas, niſi in caſibus à iure expreſſis: at nullibi in iure indicitur irregularitas celebranti tempore ceſſationis generalis, vel ſpecialis: ergo. Sic tenet communis Doctorum, vt teſtatur Couar. *in cap. Alma, part.* 2. *§.* 2. *num.* 3. *verſ. Ad queſtionem.* Legatur Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 2. *à num.* 9. qui optimè ſatisfacit fundamento contrariorum. Alterius *diſp.* 2. *de Interdict. cap.* 2. *col.* 2. *verſ. Nonnulli tamen.* Saytus *lib.* 5. *cap.* 17. *n.* 8. Bonacina *n.* 4. & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 20. *diff.* 1. *n.* 5. *&* 6.

DISPVTATIO II.

De cauſa efficienti, formali, materiali, & finali ceſſationis.

QVÆSTIO PRIMA.

An ceſſatio à diuinis incurratur aliquando ipſo iure?

RESPONDEO, vt certum: Non incurri. Quia certum eſt nullam ceſſationem generalem, aut ſpecialem, latam eſſe ab ipſo iure, propter aliquod crimen, ſed tantum conceditur in illo facultas, vt eam Iodex imponere valeat, quando cauſa iuſta, & rationabilis vrgeat. Sic tenet communis omnium ſententia. Abbas *in cap. Dilecto, de appellat. num.* 18. Silueſt. *verb. Interdictum* 1. §. 5. *in fine.* Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 2. §. 2. *n.* 1. Sotus *diſtinct.* 22. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 1. Tolet. *lib.* 1. *Summ. cap.* 56. *verſ. Secundò.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 52. *n.* 1. *& cap.* 54. *n.* 1. Quos omnes citat, & ſequitur Alterius *diſp.* 2. *de interdict. c.* 7. *in principio.* His addo Saytum *lib.* 5. *c.* 18. *n.* 1. Pellizzatium *tom.* 2. *Man. regul. tract.* 7. *cap.* 4. *ſect.* 3. *q.* 2. *n.* 94. Cuius verba habes *ſupra diſp.* 1. *q.* 6. Legantur Auctores ibi citati.

QVÆSTIO II.

An Pontifex poßit ferre ceſſationem à diuinis in vniuerſa Eccleſia?

NEgant aliqui apud Suarez, eo quòd hoc videatur eſſe contra ius diuinum, quod videtur obligare, vt ſaltem alicubi offeratur quotidie in Eccleſia ſacrificium. Huic ſententiæ videtur adhærere Alterius *diſp.* 2. *cit. cap.* 6. *col.* 1.

Sed melius multò Reſpondeo, cum ipſo Suario, poſſe, abſolutè loquendo. Quia non video (ait Suarius) vbi dictum ius diuinum latum ſit. Et ideo de abſoluta potentia Summi Pontificis non exiſtimo hoc repugnare, ſi cauſa ſubeſſet, credo tamen moraliter ſubeſſe, non poſſe & ideo talis ceſſatio, ſicut hactenus nunquam lata eſt, ita neque expediet vnquam. Sic ille *diſp.* 39 *ſect.* 3. *n.* 1.

QVÆSTIO III.

An ſolus Pontifex poßit ponere ceſſationem poſt interdictum?

AFfirmare videtur Nauar. *cap.* 27. *num.* 189. *verſ. Roganti verò*, ex eo quod ſolus Papa coarctare poteſt diſpoſitionem *cap. Alma mater*, vbi conceditur tempore interdicti vſus Sacramentorum, & celebratio diuinorum officiorum, cum quibuſdam moderationibus: quæ cum prohibeantur tempore ceſſationis, ſequitur correctio, & reſtrictio dictæ diſpoſitionis, quam facere ſolus Pontifex poteſt.

Sed oppoſitum Reſpondeo dicendum: Non ſolum Pontificem, ſed etiam Epiſcopum poſſe ponere ceſſationem etiam poſt indictum interdictum. Quia hoc non excedit ordinariam poteſtatem Epiſcopi, etiam iure antiquo, & nullibi eſt ſublata: & ita habet vſus. Nec hoc eſt prohibitum Epiſcopo per diſpoſitionem dicti Capituli *Alma*: nam ibi ſolùm agitur de interdicto, & quæ in dicto decreto ſtatuta ſunt de interdicto, à ſolo Summo Pontifice coarctari, aut reſtringi poſſunt: ſed ceſſatio eſt nouum vinculum diſtinctum ab interdicto, *vt ſuprà* eſt habitum, & ideo ponere ceſſationem poſt interditum, non eſt coarctare decretum dicti *cap. Alma*, edictum de interdicto; ſed eſt nouum vinculum adiicere, quod licet cuique Epiſcopo. Sic Alterius *diſp.* 2. *de Interdict. c.* 7. *col.* 2. *verſ. Hinc ſequitur.* Suar. *diſp.* 39. *ſect.* 3. *n.* 2. *v. De efficiente.* Luyſius *lib.* 7. *diſp.* 36. *dub.* 8. & alij.

QVÆSTIO IV.

An non ſolum Epiſcopi, ſed etiam omnes alij qui poſſunt interdictum ferre, poßint & ceſſationem?

REſpondeo tanquam certum: Poſſe. Quia par eſt iſtorum ratio. Vnde Pontifex in primis, Legatus eius, & Nuncius, necnon Epiſcopi, & alij Prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt ceſſationem ferre. Poſſunt rurſus ceſſationem ponere Capitulum Canonicorum, Sede vacante (imò & viuente Epiſcopo, ſi ad id habet commiſſionem ab illo, aut hoc ius ſibi acquiſierit ex conſuetudine, vel priuilegio) *vt infra*, & Concilium Prouinciale, aut Diœceſanum. Sic communiter omnes. Leguntur Couarr. *in c. Alma, part.* 2. §. 2. *n.* 6. Henriquez *lib.* 13. *c.* 54. *n.* 1. Sotus *diſtinct.* 22. *q.* 3. *art.* 2. Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 3. *n.* 2. *&* 3. Alterius *diſput.* 2. *de Interdict. cap.* 7. Bonacina *diſp.* 6. *punct.* 2. *n.* 1. Saytus *lib.* 5. *cap.* 18. *à n.* 2. & alij citati à nobis *part.* 4. *tract.* 5. *de Interdicto, diſp.* 2. *q.* 1. *& ſequent.* Necnon *tract.* 1. *de Cenſuris in comm. diſp.* 2. *à quæſt.* 8.

QVÆSTIO V.

An poßint ceſſationem ferre, qui ad id habent priuilegium, aut conſuetudinem?

REſpondeo, vt certum: Poſſe. Quia id colligitur clarè ex *cap. Si Canonici, de Offic. Ordinarij in* 6. vbi dicitur, quod Canonici in aliquibus Eccleſiis ex conſuetudine, vel priuilegio habent poteſtatem ceſſandi: ſic Gloſſa ibi *in Summa*, *& verb. Conſuetudine, & verb. Aliàs.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 54. *num.* 1.

Suarez

Digitized by Google

Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 3. *num.* 3. Auila *part.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Alterius *cap.* 7. *cit. col.* 3. *verſ. Dico* 3. Sayrus *lib.* 5. *c.* 18. *n.* 13. Bonacina *punct.* 2. *eu* Hurtad. *de cenſuris, tract. de ceſſat. n.* 59. & omnes.

QVÆSTIO VI.

An ceſſatio, quæ indicitur ab Ordinario loci comprehendat Regulares.

AFfirmare tenentur omnes qui affirmant ceſſationem eſſe propriè cenſuram, aut quandam ſpeciem interdicti, quos ſupra citatos habes.

Sed probabilius Reſpondeo: Quod non. Sic Pellizzarius *tom.* 2. *Man. regul. tract.* 7. *cap.* 4. *ſect.* 3. *quæſt.* 5. *num.* 57. his verbis: Moneo hîc tantum, præceptum quo Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12 *de Regular.* mandatur Religioſis, vt in propriis Eccleſiis ſeruent, & publicari faciant cenſuras, & interdicta, etiam ab Ordinariis Prælatis promulgata, id ipſis præcipientibus: non extendi ad ceſſationem: cum iuxta dicta ceſſatio non ſit cenſura, nec interdictum; & alioqui verba interpretanda ſunt ſtrictiſſimè, quandocunque agitur de pœna. Sic ille. Et antea Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 2. *in fine.*

QVÆSTIO VII.

An ad indicendam ceſſationem ſint à iure præfixa, & determinata verba?

REſpondeo, vt certum: quod non. Ideoque ſufficiunt quæcumque verba declarantia mentem ſuperioris mandantis, vt in Regno, Ciuitate, villa, aut alio loco ſileant omnia diuina officia. Solent autem ſuperiores vti huiuſmodi forma: *Nos ob talem cauſam, hanc Ciuitatem, vel villam, aut Eccleſiam abſtinere, aut ceſſare à diuinis Officiis præcipimus.* Sic Alterius *diſp.* 2. *de Interdict. cap.* 6. *col.* 3. *verſ. Quoad verò.* Bonac. *diſp.* 6 *punct.* 2. *n.* 2. Sayrus *lib.* 5. *c.* 18. *n.* 11.

QVÆSTIO VIII.

An materia, ob quam imponenda eſt ceſſatio, ſit iniuria illata Eccleſiæ, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ.

REſpondeo affirmatiuè. Sic enim apertè colligitur ex *Clement.* 1. *de ſentent. excommunic.* vbi Clemens V. appellat ceſſationem, vnicum lumen ad repellendas iniurias Eccleſiæ factas: *Quia ipſo hoc vnico lumine ad repellendas iniurias eis factas priuare nolumus, nec debemus.* Sic Pontifex. Legatur Alterius *cap.* 6. *cit. in principio.*

QVÆSTIO IX.

An pro quacumque leui iniuria Eccleſiæ illata, poſſit validè, ceſſatio imponi?

REſpondeo, tanquam certum, quod non. Sed debet eſſe grauiſſima iniuria, & offenſa Eccleſiæ facta. Quia pœna debet proportionari culpæ: at pœna ceſſationis eſt grauiſſima: ergo talem debet præſupponere culpam. Sic docent omnes Doctores communiter ex *cap. Irrefragabili.* §. *Cæterum, de Offic. Ordin.* ibi: *Cæterum ſi Canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa, maximè in contemptum Epiſcopi, ceſſauerint à diuinis, Epiſcopus ſi voluerit, nihilo minus celebret in Eccleſia Cathedrali.* Sic textus. Et ſic ſentit Gloſſa *in cap. Si Canonici, de Offic. Ordinarii in* 6. (non *in d.* §. *Cæterum, cit.* vt citat Alterius) *verb. Cauſa*, vbi notat, non poſſe imponi ceſſationem pro leui iniuria, his verbis: Non enim pro penſione ſubtracta, vel minima offenſa fiet ceſſatio: ſed propter grauem iniuriam, purà ſi fiunt ſtatuta contra libertatem (*Eccleſiaſticam, intellige*) imponuntur Talliæ, vel Collectæ Clericis: detinetur Clericus, vel Canonicus per ſæcularem brachium, vel his ſimilia, quæ (*addit Gloſſa ex ſententia Archidiaconi*) diſcernenda ſunt arbitrio boni viri, id eſt, Iudicis. Hæc Gloſſa. Et ex illa Alterius *diſp.* 2. *de Interd. c.* 6 *col.* 1. Anchar. Sotus, Silueſt. Toletus, & Henriquez apud ipſum.

QVÆSTIO X.

An vt ceſſatio legitimè imponatur, requiratur quod cauſa, ob quam imponitur, ſit notoria, & manifeſta.

REſpondeo, vt certum: Requiri. Conſtat hoc ex verbis nuper adductis, ex *cap. Irrefragabili.* Cuius deciſionis eſt ratio: quia ceſſatio eſt valdè publica, & in publicum grauamen Eccleſiæ: ergo requiritur, vt manifeſtam contineat cauſam. Sic omnes Doctores nuper citati, addens, id adeò verum eſſe, vt non poſſit contrarium conſuetudine aliqua præſcribi: quia talis conſuetudo eſſet valdè oneroſa Eccleſiæ, & ideo non haberet vim ad obligandum. Legantur etiã Bonacina *diſp.* 6. *punct.* 2. *n* 3. Auila *part.* 6 *diſp.* 2. *dub.* 2. ibi. *Tertia*, quod offenſa propter quam ponitur ceſſatio ſit notoria, & manifeſta, ſcilicet manifeſtis, & euidentibus rationibus demonſtrata, & non tantum probabilibus. Villalob. *tract.* 20. *diffic.* 3. *n.* 3. Suarez *diſp.* 39. *ſect.* 3. *n.* 7. & alij.

An autem iſta cauſa ceſſationis debeat eſſe ita notoria, & publica, vt non indigeat examine, & probatione; an verò ſatis ſit, vt per probationem reddatur nota, & manifeſta, diſſidium eſt inter Doctores: docent alij, hoc ſecundum ſufficere; alij è contra id negant; omnes certè probabiliter. Legatur Alterius *loc. cit. col.* 2. *verſ Difficultatem tamen.* Palao *diſp.* 5. *punct* 9. §. 3. *num* 2. vbi docet, quod delictum, ob quod imponenda eſt ceſſatio, debet eſſe notorium, & manifeſtum notorietate facti, vt eius ſcandalo poſſit ceſſatione occurri.

QVÆSTIO XI.

An antequam ceſſatio imponatur, debeat neceſſariò cauſa ceſſationis exprimi inſtrumento publico, vel patentibus literis ſigillo munitis: necnon, quod tale inſtrumentum, vel literæ tradantur ei, contra quem ceſſatio intenditur?

REſpondeo, vt certum: Vtrumque requiri, ſaltem vt ceſſatio ſit iuſtè lata, & vt Iudex pœnas à iure præſcriptas non admittat. Sic docent communiter DD. ex *cap. Si Canonici, de Offic. Ordinarij in* 6. vbi, has duas conditiones eſſe præmittendas, Pontifex his verbis exprimit: *Si Canonici,* &c. *antequam ad ceſſationem huiuſmodi quoquomodo procedant, inſtrumento publico, vel patentibus literis ſigillorum ſuorum, aut alterius authentici munimine roboratas, ceſſationis ipſius cauſas exprimant; & illud, vel illas ei contra quem ceſſare intendunt, aſſignent.* Sic Gregorius X. Et ex illo Suarez *num.* 7. *cit.* Alter. *diſp.* 2 *de Interdict. cap* 6. *col.* 3. *verſ Prima conditio.* Auila *part.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 52. *num.* 3.

numer. 3. Filliucius *tractat.* 18. *cap.* 7. *quæſt.* 4. *num.* 159. Villalob. & Palao *loco citato*, & alij omnes aduocantes, has duas conditiones conuenire omni ceſſationi, à quocumque Iudice feratur, & eſſe ſimiles illis, quæ præſcribuntur ſeruandæ in cenſuris ferendis, *cap.* 1. *de ſentent. excommunic. lib.* 6. & ideo ſeruandas eſſe etiam ab Ordinariis Iudicibus ponentibus ceſſationem.

Difficultas tamen eſt inter prædictos Doctores, an præfatæ duæ conditiones ita ſint neceſſariæ, vt ſi non præmittantur, nulla ac irrita ſit ceſſatio impoſita. In hac difficultate

Alterius loco nuper citato docet, non videri ſibi has conditiones ita eſſentiales, vt ſi prætermittantur, ceſſatio reddatur nulla, ſed tantum iniuſta, quia nullum legitur verbum *in d. cap. Si Canonici*, quod declaret, ob effectum harum conditionum ceſſationem eſſe irritam, ſed ſolum eſſe iniuſtè latam, & Iudicem incurrere pœnam ibi præſcriptam, ibi: *Scituri, quod ſi hoc prætermiſſo ceſſauerint*, &c. Sic ille. Cuius ſententiæ ex parte adhæſerunt Suarez *diſputat.* 30. *ſect.* 3. *n.* 8. & 11. & Ægidius *diſp.* 17. *dub.* 7. *num.* 90. docentes, id eſſe verum caſu, quo ceſſatio imponatur à Capitulo, non verò ſi imponatur à Prælato. Legatur Suar. *n.* 13.

Sed probabilius Reſpondeo, ex defectu cuiuſcunque conditionis ex duabus ſuperius enumeratis, inualidam ac irritam eſſe ceſſationem, ſiue impoſitam à Capitulo, in quo conueniunt Suarez & Ægidius, ſiue impoſitam à Prælato, in quo diſſentiunt. Probat his verbis Palao. Quia Doctores plerumque conueniunt, ſupradictas conditiones communes eſſe omnibus ceſſationibus, ſiue impoſitis à Capitulo, ſiue à Prælato: at *in c. Quamnis, de Offic. Ordinarij in* 6. *in fine*, dicitur, parte ceſſante, & ſupraſcripta (ſcilicet quæ in illo capite continentur, & quæ lata erant *in c. Si Canonici, eodem tit. & lib. & in c. Irrefragabili, de Offic. Ordinarij*, quæque *in d. cap. quamnis*, renouantur) non ſeruante, non ſeruetur ceſſatio. Si igitur non eſt ſeruanda ceſſatio, illis conditionibus in eius impoſitione non ſeruatis: ergo illæ conditiones ſunt pro valore ceſſationis requiſitæ. Sic ille *diſp.* 5. *punct.* 9. §. 3. *n.* 3. Et antea Auila *p.* 6. *tr.* 2. *dub.* 2. *verſ. Circa has conditiones*, & *verſ. Secundò notandum eſt.* Saytus *lib.* 5. *c.* 18. & penes ipſum Ang. *verb. Ceſſatio, n.* 3. *fine.* Silueſt. *eodem verb. quæſt.* 1. *in fine*, qui pro hac ſententia referunt Ioan. Monachum, & Goffred. *in cap. Si Canonici, citato.*

Qvæstio XII.

An vt ceſſatio ſit, non ſolum iuſta, ſed & valida, ſit neceſſum, vt ille contra quem imponitur, moneatur, & requiratur, an velit ante ceſſationem emendare offenſam, & illam compenſare.

Reſpondeo, vt certum: Eſſe omnino neceſſarium. Quia ſic præſcribitur *in c. Quamnis, de Offic. Ordinarij, in* 6. vbi Gloſſa id docet *in Summa, cap. & verb. Quamnis*, his verbis: Canonici qui à diuinis ceſſare poſſunt, cum ceſſare voluerint, vocabunt abſentes, ſicut ſi immineret electio facienda, cum quibus de ceſſatione deliberabunt: & ſi deliberant ceſſare, requirent prius eum contra quem ceſſant, vt irrogantem offenſam emendet: quod ſi fecerit, non ceſſabunt, alioquin ceſſare poterunt. Sic Gloſſa. Et tenent omnes DD. communiter, præcipuè nuper citati, necnon & Suarez, & Alterius, docentes neceſſarium eſſe, vt ſufficiens monitio præcedat ante ceſſationem ſimpliciter ad eius validitatem, ſicuti in omni cenſura.

Qvæstio XIII.

An vt ceſſatio indicta à Capitulo ſit licita, & valida, requiratur quod ad eam indicendam vocentur omnes de Capitulo, etiam abſentes, & de cauſa ceſſandi diligenter tractetur, ac tandem deliberetur per ſuffragia per maiorem partem Capituli.

Reſpondeo, vt certum: Has omnes tres conditiones requiri, vt ceſſatio, quæ à Capitulo indicitur, fiat licitè, & validè. Sic tenent communiter DD. ex *c. Quamnis*, nuper citato, Angel. & Sylueſter *ſupra adducti.* Saytus *lib.* 5. *c.* 18. *n.* 14. Auila *p.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 2. Palaus *diſp.* 5. *punct.* 9 §. 3. *n.* 5. Villalob. *tract.* 20. *diff.* 3. *n.* 3. *fine*, Alterius *diſp.* 2. *de interdict. cap.* 6. *col.* 4. Suarez *diſp.* 39 *ſect.* 3 & alij Notantes primò, quod ſi contingat in præaſſignato caſu, quod vna pars Capituli concludat eſſe ceſſandum; alia verò, non eſſe ceſſandum, ita vt ſit indifferens, indici non poſſit ceſſatio. Secundò notant, quod prædictæ tres conditiones non habent locum in ceſſatione, quæ fertur ab Epiſcopo, vel ab eius Vicario, aut alio Ordinario Iudice, vt conſtat, quia tunc cùm ceſſatio ab vna tantùm perſona imponatur, non requiritur conuocatio, aut conſultatio plurium.

Qvæstio XIV.

An poſita ceſſatione, niſi partes infra menſem in concordiam venerint, teneatur vtraque pars, nempe tam ceſſans, quàm ille, contra quem ceſſatur, iter arripere per ſeipſum, vel procuratorem, ad Sedem Apoſtolicam, & ſe præſentare Pontifici, vt cognita cauſa remedium adhibeat.

Reſpondeo, vt certum: Teneri. Quia ſic definitum fuit *in c. Quamnis, de Offic. Ordinarij in* 6. à Bonifacio VIII. Et ideo ita docent omnes Doctores. Legantur Henriq. *lib.* 13. *c.* 52. *n.* 2. Suar. *diſp.* 39. *ſect.* 3. *n.* 13. Auila *p.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 2. Saytus *lib.* 5. *c.* 18. *n.* 15. *verſ. Decima eſt.* Alterius *diſp.* 2. *de Interd. c.* 6. *col.* 5. *verſ. Decima*, Palaus *diſp.* 5. *punct.* 9 §. 3. *n.* 4.

Sed circa hanc conditionem ſit *dubium Primum.* An ſi imponens ceſſationem non arripiat intra menſem, *iter ad Pontificem, ſit obligatio ſeruandæ ceſſationis poſt menſem?* Affirmat non obſcurè Henriquez *lib.* 13. *c.* 52. *n.* 2. fine, dum hæc ait: Quare ſi pars ceſſans non arripiat iter, quidam aiunt non eſſe ſeruandam ceſſationem. Silueſt. *(addit in margine)* §. 2. quod tamen Soto reprobat. Sic ille.

Sed vt certum Reſpondeo, cum communi omnium: Non eſſe obligationem. Quia tunc ceſſatio ipſo iure tollitur, vt conſtat ex *dicto cap. Quamnis*, vbi *in fine* ſic dicit Pontifex: *Parte inſuper à diuinis ceſſante, ſupra ſcripta tam in ceſſando, quàm in venendo, ſine mittendo ad Sedem Apoſtolicam, non ſeruante, non ſeruetur ceſſatio, ſed ea non obſtante, vt prius in ipſa Eccleſia celebretur.* Sic ille. Et omnes cum illo. Legantur Suarez *diſput.* 39. *ſect.* 3. *num.* 14. qui bene aduertit, quod ad hoc vt ceſſatio in præſenti caſu tollatur, neceſſum ſit, vt conſtet euidenter, partem ceſſantem fuiſſe in mora culpabili, quia dum id non conſtat, retinet ius ſuum. Palaus *loc. cit. num.* 4. Auila, Bonacina, Alterius,

&

& alij *vbi ſuprà*, imò & Sotus *diſt.22.quæſt.3.art. 2. verſ. Decimò*.

DVBIVM II. An etiam eſſet obligatio ſeruandæ ceſſationis, ſi pars contra quam ceſſatur, nolit intra menſem iter arripere?

Reſpondeo, vt certum: Non ceſſare. *Primò*. Quia textus (vt vidimus) ſolum facit mentionem partis ceſſantis. *Secundò*, quia irrationabile videtur, quod propter contumaciam partis, contra quam ceſſatur, debeat Eccleſia priuari iure ceſſandi. Sic communis ſententia, quam ſequuntur Auila *part.6 diſp.3.dub.2. verſ Sed circa conditionem*, vbi falsò dicit, quod falsò citet Henriquez Sotum pro parte contraria. Nam Henriquez (vt nuper vidimus) ſolùm citat Sotum pro contrario, loquendo de parte ceſſante, non verò loquendo de parte, contra quam ceſſatur. Alterius *c.6.cit.col.6.verſ.Quartò notandum*. Saytus *lib.5.c.18. n.17.* vbi citat pro hac parte Silueſtrum *verb. Ceſſat. q.2.*& Sotum *diſtinct. 22.q.3. art.2. poſt conclnſ.3.§. Hinc autem quidam*. Suarez *diſp.39.sect.3.n.14.* Palaus *diſp.5. punct.9.§.3.n.4.* & alij.

DVBIVM III. An qui ceſſationem tulit, poſſit tranſacto menſe, & poſt ſuſceptum iter ad Summum Pontificem, tollere ceſſationem, ſi partes ad inuicem conueniant?

Negarunt nonnulli Iuriſtæ Salmanticenſes apud Sotum *vbi infra*: quorum fundamentum fuit, quod in hoc euentu iam videtur deuoluta cauſa ad Summum Pontificem, cum *in cap. Quamuis, citat.* ſolùm concedatur tempus vnius menſis, vt concordia fiat inter partes, & ceſſatio tollatur: ergo tranſacto eo tempore, non poteſt tolli ceſſatio, inconſulto Papa.

Sed multò probabilius Reſpondeo: Poſſe ceſſationem tollere. Quia nullo iure id prohibetur. Sic ex Soto docet Alterius hæc dicens: Tamen probabilior; eſt contraria opinio (*noſtra videlicet*,) quam tenuit Dom. Sotus *in 4. ſentent diſtinct. 22. quæſt.3. artic.2.* dicens, quocumque tempore poſſe fieri concordiam, & tolli ceſſationem. Nam intentio Papæ *in d.cap. Quamuis*, fuit prouidere bono Eccleſiæ, auferendo ceſſationem, etiamſi partes inter ſe non conuenirent: ergo mens ipſius fuit, vt in quocumque tempore partes ad concordiam conuenirent, tolleretur ceſſatio. Accedit, quod ceſſatio poteſt auferri ab eo, à quo eſt impoſita, etiamſi cauſa perſeueret. Sic ille, omnino ex Suario (quem non citat) *sect 3 cit. n.12.* & Auila *dub.2.citat.verſ.Sed circa conditionem*. Henriquez *lib.13.cap.52.n.2.in fine*, ita ſcribens: Quidam ſine cauſa putant, quod ſi partes poſt menſem componant litem, non poteſt ceſſatio tolli ante iuſſum Papæ. Sic ille. Bonacina *diſp.6. punct.2. n.4.in noua edit.* Palaus *diſp.5.punct.9.§.3.num.4.* Qui tamen malè citat Sotum, & Alterium pro oppoſita parte, vt conſtat ex dictis. Saytus *lib.5.cap.18.num. 19.* & Toletus *lib.1.cap.23.* apud ipſum.

DVBIVM IV. An etiam tranſacto menſe, teneantur partes iter arripere, & ſe Summo Pontifici præſentare.

Reſpondeo, vt certum: Teneri. Sic colligit Gloſſa ex *cap. Quamuis, cit.verb. Iter arripiant*, & tenent Auila *loc. cit. verſ. Sed circa*. Alterius *cap. 6. citat. col.6.verſ.Poſtulabit quis*, & apud ipſos Archidiac. Gemin.& Hoſtienſ.

QVÆSTIO XV.

Quænam ſit cauſa finalis ceſſationis.

RESpondeo dicendum, quod cauſa finalis ceſſationis eſt duplex, proxima videlicet, & remota. Finis proximus eſt idem, quod effectus eius, nempe ſilentium diuinorum officiorum, &c. de quo *R. P. Leand. de Irregularit.* ſtatim? Finis verò remotus, ſed principaliter intentus ab Eccleſia, & à Prælato, qui ceſſationem fert, eſt reſipiſcentia, & emendatio illius, cuius cauſa lata eſt ceſſatio. Sic communis. Suarez *diſp.39 sect.3.* Sotus *diſt.22.quæſt.2.art.2.concl.2.* Filliucius *tract. 18. n.147.* Bonacina *diſp.6 punct.2. n.5.* Alterius *diſp. 2. de Interd.cap.7.fine*, & alij.

DISPVTATIO III.

De effectibus ceſſationis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quotuplex ſit effectus ceſſationis.

RESPONDEO cum communi, quod triplex, nempe deſiſtentia à diuinis officiis publicè recitandis: Priuatio aliquorum Sacramentorum, ac ſepulturæ ſacræ. Sic Suares *diſp.39.de Cenſuris, sect.2.per totam*. Alterius *diſp.2.de Interd.à c.3.pag.313.* Filliucius *tract.18.c.7. q.5.* Bonacina *de Cenſuris. diſp. 6. punct. 3.* Saytus *lib.5.c.19.* Auila *part.6.diſp.1.a dub 3.* Palaus *diſp.5. de Cenſuris, punct.9. §.2.* Luyſius *lib. 7 de Cenſuris, diſp.56.dubit. 2.* Villalobos *tract.20.difficult.2.* Henriquez *lib.13.cap.53.* & alij.

QVÆSTIO II.

An Summus Pontifex poßit imponere ceſſationem partialem, hoc eſt, quoad vnicum tantum effectum, & non quoad omnes.

RESpondeo, vt quid certum: Poſſe. Quia Pontifex eſt ſupra ius commune. Sic, vt quid certum, ſupponunt, Suarez *diſp.39.sect. 2.num. 25. & sect.4.num.4* Henriquez *lib.13.cap.54. num. 2.* Saytus *lib 5.cap.18.num. 7.* Auila *part.6. diſp.3. dub. vltimo*, Bonacina *diſp.6.punct.3.num. 8.* Palaus *punct.9. cit.§.2.num.2.* & alij.

QVÆSTIO III.

An etiam Epiſcopus, aut alius Iudex inferior Papa, poßit imponere dictam ceſſationem partialem.

NEgat Auila *loc.cit.* his verbis: Nullus tamen inferior Papæ poteſt ſuſpendere quoad vnum effectum, & relinquere illam in ſuo vigore, quoad alios effectus: nam ceſſatio habet ſuos effectus connexos, ſicut excommunicatio. Prætereà, nam tempore ceſſationis nullum permittitur diuinum officium, *cap. Non eſt vobis, de ſponſalib.* Sic Auila. Et antea Henriquez *cap.54.cit.num 2.* Saytus *lib.5.cap.18.n.7.* Bonac.*diſp.6. punct.3. n. 8.* quos citat, & ſequitur Palaus *n.2.cit.*

Sed æquè probabiliter Reſpondeo dicendum, quod non ſolùm Summus Pontifex, ſed etiam Prælatus inferior poſſit imponere dictam ceſſationem partialem, ſeu poſſit (quod idem eſt) ſuſpendere ceſſationem quoad aliquos effectus tantum, & quod ad alios vim habeat, & ſeruari debeat.

Probatur, quia hoc non repugnat eſſentiæ ipſius

 ceſſationis

ceſſationis : quia nullibi in iure habetur quod ceſſatio debeat habere omnes illos effectus, vt ſi Prælato placuerit, non poſſit ſuſtineri quoad aliquos effectus, & ſuſpendere illam quoad alios. Confirmatur exemplo interdicti. Nam poteſt Epiſcopus interdicere aliquem partialiter, hoc eſt ab officio, verbi gratia Sacerdotali, quin interdicat illum ab officio prædicandi, vt diximus *part.4.tract.5. de Interdicto, diſput.3.quæſt.* 2. ergo à fortiori poterit ceſſare aliquem partialiter. Sic tenent Suarez *diſp. 39. ſect.* 2. *n.15.& ſect.4.n.* 4. & Alterius *diſp.* 2. *de Interdicto, cap.9.in fine.* Qui benè reſpondet ad *cap. Non eſt vobis, de ſponſalib.* dicendo, quod ibi explicatur ratio ceſſationis generalis, quæ iure ordinario vetat celebrationem omnium diuinorum officiorum : non tamen prohibetur Prælatis, vt ex legitima cauſa non valeant eius effectus limitare, & ſuſpendere. Filliucius *etiam tractat.*18.*c.*7. (non 9. vt leges apud Palaum) *q.6.n.*172. & *q.* 10. *n.* 187. Luyſius *lib.7. de Cenſuris, in fine, verſ. Addit Pater Suarez*, Villalob. *tract.*20.*difficult.* 5. *n.*4. & 5. Debent rurſus tenere hanc ſententiam omnes qui exiſtimant ceſſationem eſſe ſpeciem quandam interdicti, quos retulimus *ſuprà diſp.*1. *quæſt.*5.

§. I.

De primo effectu ceſſationis, qui eſt *Priuatio à Diuinis Officiis.*

QVÆSTIO IV.

An tempore ceſſationis particularis licitum ſit celebrare diuina officia publicè.

RESpondeo, vt certum : Minimè eſſe licitum. Sic docet Bonacina *diſp. 6.punct.* 3. *num* 1. ita ſcribens : Primus effectus eſt, vt tempore ceſſationis, tàm generalis, quàm particularis abſtineatur à Diuinis Officiis publicè recitandis, vt ab Horis Canonicis publicè perſoluendis ; à celebratione Miſſæ, &c. etiamſi ſeruetur moderatio *cap. Alma mater.* De particulari ceſſatione res clara eſt ; quia ſicut non licet diuina officia celebrare tempore interdicti particularis, cum dicta moderatione, ita neque licet in ceſſatione particulari. Ita Nauarrus *n.*189.Suar.*diſp.*39. *ſect.*2. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 53. Sayrus *lib.*5. *c.* 19. & alij communiter. Hæc Bonac. Et bene in tradenda hac doctrina ; ſed non in citandis iis Auctoribus, cùm vix vnus Nauarrus illam de particulari ceſſatione expreſsè tradat : Tradit tamen Auila *part.6. diſput.*1 *dub.*5.*verſ. Pro reſolutione.*

QVÆSTIO V.

An ſaltem tempore ceſſationis generalis, liceat diuina celebrare publicè, cum moderatione cap. Alma mater.

AFfirmant plures docentes, quod priuilegium *in dicto cap. Alma*, nempe quod poſſint Clerici diuina officia in loco interdicto celebrare, ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, & campanis non pulſatis, extendatur ad ceſsationem generalem. *Primò.* Quia (inquiunt) interdictum generale, & ceſſatio generalis æquiparantur, quantum ad celebrationem diuinorum officiorum, vt conſtat ex *Clement.* 1. *de ſentent. excommunic.* ergo ſi tempore interdicti generalis licitum eſt celebrare publicè diuina, cum moderatione *d. capitis*, etiam erit licitum, cum eiſdem moderationibus, tempore ceſſationis generalis.

Secundò. Quia rationes, quæ mouerunt Pontificem ad concedendum *in cap. Alma mater*, quod tempore generalis interdicti celebrarentur officia diuina, cum moderationibus eiuſdem capitis, habent locum in ceſſatione generali : ergo etiam habet locum eadem conceſſio. Conſequentia patet. Antecedens verò probatur. Nam rationes, quæ ad dicta mouerunt Pontificem, fuere (vt conſtat ex ipſomet *cap. Alma*) ne fidelium deuotio tepeſceret, & ne hæreſes pullularent ; at hæ rationes æquè in ceſſatione à Diuinis procedunt : ergo. Sic tenent Nauarrus *cap.27.num.*189. Archidiacon. *cap. Si Canonici, de offic. Ordinarij, in 6.* Palud. *in 4. diſtinct.*18. *quæſt.*8. *artic.3.principio, num.* 38. Ioan. de Friburgo *Sum. Confeſſ.lib.3 tit.*33. *quæſt.* 221. Villadiego *de Irregularit. vbi de Irregularit. ob violationem interdicti,§. Dictum eſt,*& *cap.5.de Interdict.n.*15. *verſ. Prædicta tamen.*

Sed probabilius Reſpondeo : Non licere. *Primò.* Quia (vt ſupra eſt habitum) ceſſatio à diuinis non comprehenditur ſub Interdicto, ſed omnino diſtinguitur ab illo : ergo nec comprehendi debet ſub eius priuilegio.

Secundò. Quia vt conſtat ex *cap. Si Canonici, §. Si autem, de Offic. Ordinarij, in 6.* qui eſt cauſa ceſſationis à diuinis, obligantur ſoluere diſtributiones Clericis, quas non ſunt lucrati, propter ceſſationem : at hæc obligatio non haberet locum, ſi officia celebrarentur cum moderatione *cap. Alma*, tempore ceſſationis, nam Canonici ſi vellent, poſſent, & deberent intereſſe diuinis, ſicut tempore interdicti : ergo.

Ad primum argumentum partis oppoſitæ negandum eſt, quod *in dicta Clement.* æquiparentur interdictum generale, & ceſſatio generalis, quantum ad officia diuina ; ſed ſolùm quantum ad hoc, quod ſicut Religioſi non ſeruantes interdictum incurrunt excommunicationem, ſic etiam non ſeruantes ceſſationem.

Ad ſecundum negandum eſt etiam antecedens. Quia minimè militant eædem rationes in ceſſatione, ac in interdicto, vt priuilegium conceſſum huic, ad illam extendatur. Nam ceſſatio à diuinis rariſſimè imponitur, & ob vrgentiſſimam cauſam, & tentatis aliis pluribus remediis, & durat regulariter loquendo, minus quàm interdictum. Sic tenent communiter Doctores, & in primis grauiſſima Congregatio Doctorum Salmanticenſium habita *anno* 1556. vt refert Medina *in Summa, libro primo, capite vndecimo*, §. 14. *fol.* 58. his verbis : *Y para que ſe entienda lo que es licito, à illicito hazer en el tiempo que ay ceſſation à diuinis, ſe pone aqui vna determinacion de todos los hombres Doctos de la Vniuerſidad de Salamanca, que hauiendolo conſultado, determinaron lo ſiguiente. La Primero, que eſtando la dicha ceſſacion, los oficios diuinos no ſe pueden celebrar en la Ciudad donde la ay, y que en todas la Igleſias ceſſen del todo.* Sic Medina, Couarruuias *etiam ſecunda parte*, §.4.*numero ſeptimo.* Henriquez *libro decimotertio, capite quinquageſimo tertio, numero primo & ſecundo.* Gutierrez *libro primo, Canon quæſtionum, capite decimo, numero ſexto.* Sanchez *libro ſeptimo, de Matrimon. diſputatione octaua, numero decimoquarto*, & penes ipſum, Curiel, Margallo, Ludouic. Lopez, & Man. Rodriguez, Suarez *diſput.* 39. *ſect.* 2. *n.* 7. Auila *part.6.diſp.* 1. *dub.* 3. *verſ. Secunda opinio.* Ægidius *diſp.*17.*dub.*7.*n.*85. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 6 *punct.* 1. *num.*4.*verſ. Tertio, & punct.*4.*num.*1.*verſ. De generali ceſſatione.*

Digitized by Google

ceſſatione, Layman *lib.1. Summ tract.5. part.4. cap.6. num.2.* Hurtad. *de Ceſſatione, difficult. 2. n. 58.* Palaus *diſp.5. num.9. §.2. n.6.* Saytus *lib.5. Theſauri, cap.19. num.2.* Viualdus *tract. de Ceſſat. num.6. pag mihi 261.* Alterius *dip.2. de Interd. c.3 col.3. verſ. Huic quæſtioni* Luyſius *lib.7. de Cenſuris, diſp. 56. dub. 7.* Filliuc. *tract. 18. c.7. q.6. n.168.* Villalobos *tr.20. diffic.2. n.4.* & communis.

Qvæstio VI.

An ſaltem tempore ceſſationis generalis ſit licitum celebrare officia diuina publicè in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumpt. B. Mariæ Virginis; ſicut eſt licitum celebrare tempore Interdicti localis generalis.

NEgat abſolutè Bonacina *diſp.6. punct.3. n. 1. cit.* his verbis: Quare non licet tempore ceſſationis celebrare Diuina Officia in feſtiuitate Natiuitatis, Paſchæ, & Pentecoſtes, ſicut licitum eſt ea celebrare tempore Interdicti localis generalis: Nam *in cap. Alma mater*, ſermo eſt de tempore Interdicti, non verò de tempore ceſſationis; nec aliter vſu, aut conſenſu Doctorum receptum eſt. Ita Suarez *num.13.* Auila *dub.6.* Coninch. *diſp. 17. dub.7. n.85.* Filliuc. *quæſt.5. n. 168. & 170* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. n. 75.* & alij apud Saytum *cap. 19. num. 6.* & Henriquez *loco cit.* contra nonnullos alios apud præcitatos Doctores. Hæc Bonacina. Sed an bene in citandis omnibus his Auctoribus pro ſe, infra patebit. Citat etiam Saytus pro hac parte Viualdum *tract. de Ceſſatione, num.6.* Sed malè, vt dicam. Poteſt tamen pro hac ſententia citari Vaſquez apud Luyſium, qui illum ſequi videtur *lib. 7. diſputatione 56. dubit. 3.*

Sed clarius, & diſtinctius Reſpondeo *Primò*: Spectato iuris rigore, non eſt licitum tempore ceſſationis generalis celebrare publicè diuina officia in præaſſignatis feſtiuitatibus Natiuitatis, Paſchæ, &c. iuxta Capitulum *Alma mater.* Quia reuera in illo nihil conceditur pro tempore ceſſationis, vt bene probat Bonacina. Cui conſonant omnes Doctores ab ipſo citati, & eſt communis.

Reſpondeo tamen *Secundò*: Non ſpectato Iuris rigore, ſed ſpectata æquitate, vſu, & conſuetudine, & ſapientum Doctorum auctoritate, licitum omnino eſt celebrare publicè diuina officia tempore ceſſationis generalis, in illis quatuor feſtiuitatibus, *in cap. Alma*, aſſignatis, & aliis poſterius additis, ſicut eſt licitum celebrare tempore Interdicti generalis. Sic tenet in primis Henriquez (citatus pro ſe à Bonac.) *libro decimotertio, capite quinquageſimotertio, in corp. litt. V*, vbi ita ait: In feſtis, quibus, vt *capite quadrageſimoſeptimo, §.1.* dicitur, ipſo iure ſuſpenditur Interdictum, ſuſpendenda eſt ceſſatio generalis, non tam ex conceſſione *cap. Alma* (quod nihil concedit pro tempore ceſſationis) quàm quia conſuetudo cum Sapientum auctoritate ita amplè interpretatur: atque ita in his feſtis licent cum publica ſolemnitate Miſſæ, & alia officia diuina, & ſepultura; non tamen Sacramenta, niſi quæ licent tempore Interdicti.. Hæc ibi Henriquez. Qui in gloſſa *litt. V.* addit, hanc ſententiam fuiſſe practicatam Salmanticæ anno Domini 1584. conſultis Doctoribus, tum Theologis, tum Iuriſtis illius Academiæ. Sic etiam ex ipſomet Henrico, tenet, ac docet Auila *dub. 6.* à Bonacina pro ſe allegato, *verſ. Concluſio.* Tenet etiam Saytus *num. 6.* (ab ipſumet Bonacina adductus) ex eodemmet Henrico, & Couarruuias *in cap. Alma mater, part.2. § 5. n.3. verſ. Quartò.* Imò Suarez *loc. cit.* noſtræ fauet ſententiæ; ait enim, in rigore Iuris primam noſtram concluſionem eſſe veram, vbi tamen contraria conſuetudo recepta fuerit, poſſe in praxi teneri ſecundam. Et eodem modo loquitur Coninch. Tenent deinde hanc noſtram ſecundam concluſionem Sanchez *d. lib.7. diſp.8. n.18.* & penes illum Couarruuias, Gutierrez, Lopez, & Manuel. Layman *etiam lib. 1. tract. 5. part 4. cap. 6. num. 3.* Palaus *diſp. 5. punct. 9. §. 2. num. 8.* Villalobos *tom. 1. tract. 20 difficult. 1. n. 5.* (vbi citat Suarium pro hac parte) *& difficult. 8. verſ. Haſe de aduertir.* Alterius *diſp. 2. de Interdict. cap. 3. col. 10. verſ. Dubitatur tertiò.* Viualdus etiam (citatus à Sayro pro contratio) *n.9.* vbi his verbis difficultati propoſitæ reſponſum præbet: Reſpondeo, quod quamuis *num. 30* ex *cap. Non eſt, de ſponſal. cap. Irrefragabilis, §. Cæterùm, de Offic. Ordin.* & aliis, ex Couarr. *2. parte, §.5. num. 3.* & aliis, probet non eſſe ſuſpendendam ceſſationem in indictis feſtis: ipſe tamen *num. 53.* contrarium bene probat, vbi ait ſic fuiſſe Salmanticæ determinatum in facti contingentia anno 1584. Sic ille.

Qvæstio VII.

An non ſolum tempore ceſſationis generalis, ſed etiam ſpecialis, licitum ſit celebrare publicè in præfatis feſtis.

REſpondeo, vt certum: quod non. Ratio eſt, quia *cap. Alma mater*, quoad hoc priuilegium de illis quatuor feſtiuitatibus non habet locum in Interdicto particulari, vt conſtat ex à nobis *tract. de Interd diſp 4 q.5.* dictis: ergo multò minùs habebit locum in ceſſatione particulari. Sic Auila *part. 6. diſp. 1 dub. 6. in fine.* Alterius *loco nuper citato.*

Qvæstio VIII.

An tempore ceſſationis teneantur Clerici priuatim Horas Canonicas dicere, ſi ad id aliàs teneantur.

REſpondeo, vt certum: Teneri. Quia officia dicta, quæ priuatim recitantur à Clericis, quoad effectum ceſſationis non reputantur inter officia publica. Rurſus, quia Clerici per nullam Cenſuram eximuntur ab obligatione recitandi horas priuatim: ergo multo minùs per ceſſationem, quæ non eſt cenſura. Sic vt certum ſupponunt omnes: legatur Alterius *diſp. 2. de Interdict. cap. 3. col. 2. verſ. Animaduertendum eſt.* Viuald. *tract. de Ceſſat. num. 13. pag. mihi. 263.* Villadiego, Montemaior, & Campos apud ipſum. Bonacina *punct. 3. cit. num. 3.*

Qvæstio IX.

An etiam tempore ceſſationis ſit licitum vt terni ſimul Horas Canonicas, intra Eccleſiam adhuc recitent.

NEgat Viualdus *loc. cit. num. 14.* hæc dicendo: Nec poterunt bini tunc recitare Horas, niſi habeant priuilegium *cap. Quod in te, de Pœnitent. & Remiſſ* Couarruuias *in cap. Alma, 2. part. §.4. num.7. verſ. Ne tamen.* Nauar. *cap. 27. num. 129.*

Campos *n.*90. Hæc Vioaldus. Sed certè nec Nauatr. nec Couarruuias *loc.cit.* tenent ſententiam Viualdi, potius pro contraria citantur ab Henriquez *vbi infra* Tenent tamen Villadiego *de Irregul.c.*5.*de Interdict. n.*15.*verſ.Sed ſalua correctione.* Senatus ille Salmanticenſ c.3.quem citat, & ſequitur Medina *lib.*1 *Summ. c.*11.§.14.ibi : *Lo tercero, que quanto al rezar las horas, que las rezen ſolos y no de dos, excepto los priuilegiados.* Et loquendo de recitatione intra Eccleſiam, Filliuc. *vbi infra,num.* 167.

Sed probabilius Reſpondeo : Eſſe licitum, binos, vel ternos ſimul, non ſolum extra Eccleſiam, verum etiam intra, voce ſubmiſſa, ſine cantu, &c. Horas Canonicas recitare. Quia (ait Henriquez) ita priuatim dicere ſolet laicus, nec ita videtur pertinere ad publicum officium, vt cantus in Choro. Sic ille *lib.*13.*cap* 53.(non 35. vt leges apud Saytom) *n.*2 *in fine.* Qui *in litt. N.* citat Hoſtienſ. Ploue, Perez, Margallo, Nauattum, Couarr. & alios. Sic etiam Suarez *diſp.*39.*ſect.*2 *n.*14. Auila *part.*6 *diſp.*1. *dubit.* 4.*verſ. Sed inquires.* Saytus *lib.*5.*c.*19.*n.*4 Alterius *diſ.* 2. *de Interdict. c.*3.*col.*2. *verſ. Quæret quis* (ex Suario, quem non citat) Bonac. *diſp.*6.*punct.*3. *n.*3. *verſ. Addo cum Henriquez.* Et (loquendo de recitatione extra Eccleſiam (Filliuc. *tract.*18 *c.*7. *quæſt* 6.*n.*171.

Qvæstio X.

An tempore ceſſationis ſit licitum pulſare campanas ad diuina officia.

RESpondeo, vt quid certum : Quod non. Conſtat clariſſimè. Quia ſi diuina officia ſint prohibita tempore ceſſationis, conſequenter cenſetur prohibita Campanarum pulſatio. Quod apertius colligitur ex dictis *tract.*5.*de Interdicto, diſp.*4 *q.*22. Sic omnes.

Qvæstio XI.

An ſaltem ſit licitum tempore ceſſationis pulſare campanas ad Concionem, Orationem Angelicam, & ad alia, quæ non ſunt officia diuina.

RESpondeo : Eſſe licitum (ſicuti eſſe diximus tempore Interdicti) niſi aliàs contrarium conſuetudine receptum ſit. Quia id nullo iure eſt vetitum. Ideoque pulſari poſſunt campanæ *ad Concionem, ad ſalutationem Angelicam, ad celebrandum aduentum Regis, aut Prælati, ad comitandam Eucharistiam, cum ad infirmos defertur, ad oſtendendas Sanctorum Reliquias,* &c. Sic Suarez *diſp.*39. *ſect.*2. *n.*17. Alterius *diſp.*2.*c.*3.*dub.*4 *pag.*319. Filliucius *n.*173. Bonacina *loc.cit.n.*2. Henriquez *c.*53.*n.*3. & alij citati à nobis *tract.*5.*de Interdict.diſp.*4.*q.* 24.

Qvæstio XII.

An tempore ceſſationis licitum ſit laicis audire Miſſam, aut alia officia diuina.

AFfirmandum videtur, eo quòd in definitione ceſſationis (vt vidimus *diſp.*1 *q.*2.) ſolùm fit mentio de Clericis, ſeu Miniſtris Eccleſiæ, non de laicis : ergo ſuper illos tantũ cadit ceſſatio, ſeu eius præceptũ.

Sed vt certum Reſpondeo : Non eſſe laicis licitum, niſi aliàs habeant priuilegium. Quia certum eſt, quod ceſſationis præceptum, tam Clericos, quàm laicos comprehendat. Nam licèt hæc ceſſatio (ait Alterius) dicatur priuatio Miniſtrorum Eccleſiæ, non tamen ſolùm præcipitur Miniſtris, ne celebrent, & recitent diuina officia ; ſed vetitum quoque eſt ipſis laicis, ne ea audiant, etiamſi in tali loco, cui decreta eſt ceſſatio, diuina officia celebrentur à Miniſtris Eccleſiæ : licèt enim hæc ceſſatio directè, & principaliter præcipiatur Miniſtris Eccleſiæ ; tamen conſequenter, & ſecundariò deriuatur etiam ad laicos, tanquam ad eos, qui audiunt ; nam ſi prohibetur celebratio, interdicitur etiam celebrationis participatio, quod eſt veluti quoddam acceſſorium ad celebrationem. Tum etiam, quia illa ceſſatio ſimpliciter ponitur pro toto populo, ſed ſignificatur ſpecialiter in Miniſtris, quia ad illos pertinet hoc miniſterium, & illis ceſſantibus, oportet alios ceſſare. Quod ſi illi tanquam contumaces, & inobedientes nolint ceſſare, tranſgrediuntur præceptum Eccleſiæ, & incurrunt pœnas iuris ; & nihilominus laici tenentur eos vitare in diuinis, & non intereſſe officiis, non ſolùm quia debent non conſentire, ſeu cooperari ſuo modo aliorum peccato, & iniquitati, ſed etiam per ſe : quia ipſi comprehenduntur ſub præcepto prohibitionis. Quare ſi aliquis Sacerdos ex priuilegio celebret tempore ceſſationis, alij non gaudentes vllo priuilegio, non poſſunt Sacrificio eius intereſſe, vt conſtat ex communi conſuetudine Eccleſiæ. Sic Alterius *diſp.*2 *de Interdict cap.* 3. *col.* 1. omnino ex Suario (quem non citat) *diſp.*39. *ſect.* 2.*n.*1. Filliucius *n.*166. Bonacina *diſp.*6. *punct.*3. *n.*4. & alij.

Qvæstio XIII.

An qui habent priuilegium audiendi Miſſam ceſſationis tempore, teneantur eam audire diebus feſtis.

NEgat Auila *part.*6.*diſp.*1.*dub.*7.& antea *part.*5. *tract.de Interdicto, diſput.* 4. *ſect.* 2. *dubit.* 6. Quod negabunt etiam Victoria, Cano, Llamas, Diana, Ægidius, citati à nobis *part.*4.*tract.*5.*de Interdicto, diſp.*5.*quæſt.*42. & antea *part.*3.*tract.*2. *de auditione Miſſæ, diſp.* 2. *q.* 7. Quibus addo Alterium *loc. cit.cap.*3.*in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo : Teneri. Quia poſſunt, dum vrget : ergo tenentur. Sic Suar. Nauarr. Sotus, Henriq. Ledeſma, Rodrig. Azor, Reginald. Nuñus, Bonac. & alij innumeri citati à nobis *vbi ſupra.*

Qvæstio XIV.

An tempore ceſſationis ſit licitum celebrare Miſſam ſemel in hebdomada, ad renouandam Euchariſtiam.

RESpondeo, vt certum, Eſſe licitum celebrare ſemel in hebdomada, cum vno ſaltem miniſtro, ne ſpecies putreſiant. Sic omnes. Et præcipuè Doctores Salmanticenſes ſecundo ſuo decreto, quod vt refert Medina *in Summa, cap.*11. §. 14. ſic ſe habet : *Lo ſegundo, que ſe podra celebrar en la Igleſia, para renouar el Santiſſimo Sacramento, de ocho en ocho dias, ſolo el Sacerdote con vn miniſtro ſecretamẽte.* Quod decretum habet verum loquendo de Interdicto, ſiue ſpeciali, ſiue generali, vt notat Saytus *lib.* 5. *cap.*19.*n.* 3. Sic item Bonac. *diſp.*6.*punct.*3.*n.*5. Palaus

*diſp.*5.

Digitized by Google

diſput.5.punct.9.§.2.n.9. his verbis : In omnium tamen ſententia fatendum eſt, tempore ceſſationis licitum eſſe celebrare in qualibet Eccleſia, ſemel in hebdomada pro renouanda Euchariſtia, ne ſpecies Sacramentales putreſiant, neve infirmi ſine Viatico decedant, quæ fuerunt rationes, ob quas in ſpeciali interdicto hoc permiſſum eſt, iuxta *c. Permittimus, de ſentent. excommunic.* Sic ille Et antea Henriq. *lib.13.c.53. n.2.* Nauarrus *c.27.n.173.* Suarez *diſp.39. ſect.2. n.19.* Auila *p.6.diſp.1.dubit.4.concl.2.* Alterius *diſp.2 de Interdic.c.4.col.2.verſ.& primò dicendum eſt*, omnino ex Suario non citato. Villalobos *tract.20.n.12.difficult.3.* & omnes.

Qvæstio V.

An non ſolùm ſemel in hebdomada, verùm etiam quotidie poßit tempore ceſſationis fieri Sacrum, ſi opus ſit conferri Viaticum, & non ſit Euchariſtia.

RESpondeo : Poſſe, quia hæc ſufficiens eſt cauſa, vt Sacerdos non ſolùm poſſit, ſed debeat celebrare ad conferendum Viaticum infirmo in extremo mortis articulo, ſeu periculo conſtituto, etiam tempore ceſſationis. Nam in hoc caſu concurrunt duo præcepta, diuinum communicandi in articulo mortis, & humanum prohibens ſacrificare hoc tempore : ergo illud primum eſt præferendum. Si dicas illud præceptum diuinum obligare infirmum exiſtentem in illa neceſſitate ad communicandum, non verò Sacerdotem, qui propter illum communicandum celebraturus eſt. Reſpondeo, quod in hoc caſu teneatur Sacerdos naturali iure charitatis ſubuenire proximo in articulo mortis laboranti, miniſtrando ei Viaticum, ſi commodè poteſt, nec eſt probabile Summum Pontificem voluiſſe prohibere Sacerdoti, ne ſacrificet tempore ceſſationis, tali neceſſitate occurrente ac ſubueniendum proximo. Sic Suarez *loco cit. n.20.* Alterius ex illo *loc.cit.* & Villalobos *n.11.* Bonac. *punct.3.n.6.* & Palaus. Qui notant, cauendum eſſe, ne hoc in fraudem ceſſationis fiat ; ideoque in Miſſa, quæ ſemel in hebdomada permittitur, conſeruandæ ſunt omnes formulæ, quæ pro tota hebdomada neceſſariæ intelliguntur.

Qvæstio XVI.

An Sacerdoti celebranti in enarratis diebus tantum poßit vnicus Miniſter aßiſtere.

AFfirmant Salmanticenſes, Medina, Villalobos, & Bonacina *ſupra q.14.*adducti. Quia vnus ſufficit : ergo.

Sed æquè probabiliter Reſpondeo : Etiam duos poſſe aſſiſtere miniſtros. Quia Soterus Papa *in cap. Hoc quoque, de conſecrat. diſtinct.1.* iuſſit in Miſſis adeſſe ſaltem duos, quibus Sacerdos dicat *Dominus vobiſcum.* Sic Henriq. *lib.13.c.53.n.2.litt.H.* & ex illo Auila *part.6.diſp.1.dub.4. concl.2.* Sayrus *lib.5. c.19. n.1.* Palaus *diſp.5.punct.9.§.2.n.9.* & alij. Legantur dicta à nobis *2.p.tr.8.diſp.7.q.51.* vbi decretum Soteri explicauimus.

§. II.

De ſecundo ceſſationis effectu, qui eſt, *Priuatio Sacramentorum.*

Qvæstio XVII.

An tempore ceſſationis generalis licitum ſit conferre Sacramentum Baptiſmi paruulis.

REſpondeo, vt certum, Eſſe licitum. Quia ſic habetur *in c. Non eſt vobis, de ſponſalibus.* Cuius verba ſunt : *Nulla diuina officia, præter Baptiſmum paruulorum, & Pœnitentiam morientium, celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Hæc verba textus, fidelius quàm à Palao relata. Ratio huius deciſionis eſt, quia hæc duo Sacramenta ſunt neceſſaria ad ſalutem fidelium : & ita meritò nullo tempore negantur ab Eccleſia. Sic omnes Doctores. Legantur Couarr. *in c. Alma mater, p.2.§.4. n.7. verſ. Vtcumque tamen ſit* Henriq. *lib.3.c.13.n.1.& 4.* Sayrus *lib.5. c.19. n.7.* Suarez *diſp 39 ſect 2.n.18.* (non 14. vt leges apud Palaum) Auila *p.6.diſp.1.dub 9.* (non 6. vt leges apud Palaum) Bonac. *diſp.6 punct.3 n.7.* Layman *lib.3.tr.5. p.4.c.6.n.3.* Palaus *diſp.5.punct 9.§.2.n.11.* Alter. *diſp. 2 de Interdicto, c.4* Filliuc. *tr.18. c.7. à q.7.* Villalob. *tract.20.diſp 3 à n.8* & Doctores Salamanticenſ. *decreto 4.* apud Medinam *loc. cit.*

Qvæstio XVIII.

An etiam tempore ceſſationis ſit licitum Sacramentum Baptiſmi miniſtrare adultis.

NEgandum videtur, quia *in c. Non eſt vobis*, nuper citato, ſolum (vt vidimus) permittitur Baptiſmus paruulorum: ergo alius tacitè negatur. Propter hoc argumentum hanc partem eſſe probabilem innuunt Suarez, & Alterius *vbi infrà.*

Sed multò probabilius Reſpondeo : Etiam eſſe licitum, Baptiſmum conferre adultis, ceſſationis tempore. Quia (inquit Suarez) propter periculum vitæ hoc Sacramentum reputatur neceſſarium, vt dicitur *in c. Quoniam, de ſentent. excommunic. in 6.* & propterea paruulis quolibet conuenienti tempore poteſt dari tempore ceſſationis : ergo eadem ratione dandum erit adultis. Confirmatur hæc ratio, eo quòd *in d. cap. Non eſt vobis, ſupra adducto,* non nominatur *Baptiſmus paruulorum*, quia Solis paruulis, eo tempore dandus ſit, ſed quia iuxta morem Eccleſiæ in pueritia adminiſtrandus ſit, ita vt licèt adultus baptizetur, illud poſſit dici Baptiſmus paruuli, non facto, ſed iure. Sic ille *diſp.39.ſect.2.n.12.* Alterius (ex ipſo non citato) *diſp.2 c.4.col.4 verſ. De Baptiſmo paruulorum.* Auila *loc.cit* Henriq. *loco cit.litt.E.* Filliuc. *n.175.* Villalob. *n.8.* & alij communiter.

Qvæstio XIX.

An item ſit licitum tempore ceſſationis conferre Confirmationem.

NEgatiuam partem poteſt ſuſtinere quis, eo quòd *in dicto cap. Non eſt vobis*, tantum no

minatur Baptiſmus paruulorum , & Pœnitentia morientium : ergo.

Sed probabilius Reſpondeo : Etiam eſſe licitum conferre huiuſmodi Sacramentum ceſſationis tempore. Ratio eſt , quia confirmatio eſt perfectio quædam , & complementum Baptiſmi : ergo conceſſo Baptiſmo , conſequenter concedi videtur Confirmatio. Sic Doctores Salmaticenſ. *decreto* 4. apud Medinam *loc. cit.* vbi ita ait : *Lo* 4. *quanto al Baptiſmo, que ſe puede dar a los niños y a mayores con ſolẽnidad, y Catechiſmo , y Chriſma , y olio neceſſario , como en tiempo , que no ay entredicho , ni ceſſacion, y lo miſmo del Sacramento de la Confirmacion.* Sic illi. Henriquez *lib.*13.*c.*33.*n.*4 *litt. F.* Suar. *diſp.*39.*ſect.*2.*n* 4. Alterius *col.*4.*cit.verſ. Tertiò* Couarr. *in c. Alma, p.*2. §.4. *n.*7. *verſ. Vtcumque tamen ſit.* Sayr. *lib.*5.*c.*19.*n.*7. Auila *p.*6. *diſp.*1.*dub.*9.*concl.*2. Bonac. *diſp.*6. *punct.*3. *n.*3. Palaus *diſp.*5 *punct.*9.§.2. *n.*11. Filliuc. *loc. cit. num.*176. & Communis.

QVÆSTIO XX.

An in prædictis caſibus licitum ſit adminiſtrare Baptiſmum cum ſolemnitate ſolita.

NEgatiuam partem probabit quis , quia in prædicto textu ſolùm videtur concedi tempore ceſſationis Baptiſmus , quia eſt omnino neceſſariua homini : atqui ſola ſubſtantia Baptiſmi eſt abſolutè neceſſaria, nam ceremoniæ, & ſolemnitates adhibentur ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo non poterit Baptiſmoa tunc cum ſolemnitate celebrari. Pro hac ſententia citat Bonacina *vbi infra* Filliucium *tract.*18.*n.*177. & Reginaldum *n.*81. Sed ad minus primum malè , vt ſtatim patebit.

Vnde longè probabilius Reſpondeo , licitum eſſe adminiſtrare Baptiſmum tempore ceſſationis , cum omni ſoldmnitate. Ratio eſt , quia *in cap. Non eſt vobis , de ſponſalib.* abſolutè , & ſimpliciter conceditur Baptiſmus , vt conſtat ex eius verbis relatis *ſupra q.*17. atqui quoties ius de Baptiſmo abſolutè loquitur, intelligitur de Baptiſmo ſolemni ritu adminiſtrato, quia per ſe loquendo, non debet aliter adminiſtrari: ergo.

Ad fundamentum contrarium dicendum eſt, quod in prædicto textu non ſolùm conceditur , quod eſt homini neceſſarium , ſed etiam quod decet ipſum Sacramentum ; non enim hoc minus neceſſarium eſt. Sic optimè Suarez *loc. cit. n.*23. Alterius *colum.*4.*verſ. Poſtulabit quis.* Filliucius pro contraria parte citatus, vbi ita ait : Dices , an poſſit hoc Sacramentum eo tempore conferri cum ſolemnitate ? Reſpondeo affirmatiuè : Ius enim abſolutè de illo loquitur , & per ſe loquendo , ita debet adminiſtrari , ob decentiam Sacramenti. Sic ille *num* 175. Henriquez etiam *lib.*13. *cap.*33. *num.*4. his verbis : Tempore ceſſationis licet tam paruulis , quàm adultis , etiam ſanis, conferre Sacramentum Baptiſmi , & confirmationis publicè , & cum ſolemni ritu , ſine quo Eccleſia præcipit non miniſtrari. Sic ille. Et ex illo Auila *loc. cit.* & Sayr. *num.*7. Legantur dicta à nobis *part* 4. *tractatu quinto de Interdicto, diſp.*5.*q.*1.& 5.

QVÆSTIO XXI.

An ſi ceſſatio permaneat in hebdomada ſancta, ſit licitum Epiſcopo conſecrare Chriſma, & benedicere oleum.

REſpondeo , vt certum : Eſſe licitum. Quia hæc ſunt omnino neceſſaria pro ſolemnitata Baptiſmi , & adminiſtratione Confirmationis. Sic Henriquez *n.*4.*cit.* Auila *p.*6.*diſp.*1.*dub.*9. *concl.*3. Sayr. *n.*7. *cit.* Nauar. *c.*27.*n.*178. Suarez *diſp.*39.*ſect.*2. *num.*23. Bonac. *diſp* 6. *punct.*3.*n.*3. Palaus *diſp.*5.*punct.*9.§.2. *n.*11. Villalob. *tract.*20.*diff.*2.*n.*8.

QVÆSTIO XXII.

An tempore ceſſationis ſit licitum miniſtrare Pænitentiam omnibus infirmis.

REſpondeo , vt certum , eſſe non ſolùm licitum, ſed omnino debitum , miniſtrare infirmis Sacramentum Pœnitentiæ tempore ceſſationis. Quia ſic conceſſum eſt à iure, vt vidimus *ſupra q.*17. & meritò quidem , propter neceſſitatem huius Sacramenti. Sic omnes.

QVÆSTIO XXIII.

An non ſolum infirmis, verum etiam ſanis poſſit miniſtrari Pœnitentia, ceſſationis tempore.

NEgatiuam partem eſſe veriorem , attento rigore iuris , aiunt Suarez *diſp.*39.*ſect.*2.*punct.*26. & Filliuc. *tr.*18.*c.*7.*q.*7.*n.*177. & alij : eo quòd *in c. Non eſt,* ſolùm excipitur Pœnitentia morientium.

Affirmat contrà Couar. *in cap Alma, p.*2. §.4. *n.*7. *verſ. Vtcumque tamen ſit* , exiſtimans , etiam attento iure *c. Alma mater* , dicendum eſſe , poſſe etiam miniſtrari ſanis.

Sed ego Reſpondeo dicendum, quod attento rigore iuris, minimè poſſit tempore ceſſationis miniſtrari Pœnitentia ſanis , ſed ſolùm morientibus, aut in articulo , ſeu periculo mortis conſtitutis , vt bene probant Auctores primæ ſententiæ : at verò , attenta conſuetudine recepta , & tolerata ab Eccleſia , dico quod non ſolum morientibus , ſed etiam ſanis poſſit omnino licitè miniſtrari. Sic ſentiunt communiter Doctores , qui hanc ſecundam noſtræ reſponſionis partem probant, eo quòd, cùm difficile ſit adultum contritione iuſtificari , non eſt credendum , voluiſſe piam matrem Eccleſiam ſuos fideles hoc tam ſalutari remedio , & ad iuſtificationem ita neceſſario priuare. Sic Doctores Salmanticenſ. *decreto* 3. vt refert Medina *lib.*1.*c.*11.§.14.*pag.*58. Henriq. *lib.*13.*c.*33.*n.*4. Auila *p.*6.*diſp.*1. *dub* 9. *concl.*2. Sayr. *lib.*5. *c.*19. *n.*8. Bonac. *diſp.*6.*punct.*3.*n.*5. Ægid. *diſp.*17. *dub.*7. *n.*82. Palaus *diſp.*3.*punct.*9.§.2.*n.*11. Alterius *diſp.*2. *cit.c.*4. *in fine*, Villalob. *tract.*20. *diff.*2.*n.*9. ſic dicens : *Del Sacramento de la Penitencia eſta expreſſo en Derecho, que ſe puede adminiſtrar a los que eſtan en peligro de muerte : pero tambien puede adminiſtrarſe a los ſanos, que anſi lo reſoluiò la vniverſidad de Salamanca, y lo tienen Couarruu. Enriquez. Auila y Suarez, el qual dize, que aunque* in rigore iuris , *la parte negatiua es verdadera , ſeria de tener la afirmatiua , por hauer coſtumbre fundada en autoridad de Varones doctos , y tolerada por los Prelados.* Sic Villalubos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

An tempore Ceſſationis poſſit dari infirmis Eucharistia?

RESpondeo, vt certum: Poſſe dari infirmis ſolùm per modum viatici. Sic Auil. *dub. 9. concl.* 2. ibi: Et Sacramentum Euchariſtiæ tantum infirmis per modum viatici, quia intelligitur nomine *Pœnitentiæ morientium*, vt habetur *c. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.* Et poteſt deferri publicè cum campanula, recitando priuatas orationes, non tamen diuinum officium; & in reditu poteſt oſtendi populo: nam hæc ſolemnitas pertinet ad reuerentiam huius Sacramenti. Hæc Auila. Suarez etiam *diſp. 39. ſect. 2. n.* 18. Henriquez *lib. 13. c. 53. num* 4. Senatus Salmanticenſ. apud illum, & Medinam *decreto* 6. ibi: *Lo ſexto quanto a la Euchariſtia, que ſe puede dar ſolo a los enfermos, y ſe puede lleuar con ſolennidad, y tañer campanilla, conque no rezen officios diuinos.* Sayr. *lib. 5. c. 19. n. 9.* Bonac. *diſp. 6. punct. 3. n. 5.* Alter. *diſp. 2. de Interdict. c. 4. column.* 2. Filliuc. *tract. 18. c. 7. q. 7. n.* 174. Villalob. *tract. 20. diff. 2. n.* 10. & 13. Palaus *diſp. 5. punct. 9. §. 2. n.* 11. Legantur dicta à nobis *diſp. 5. de Interdict. q.* 26.

QVÆSTIO XXV.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis poſſit conferri tempore Ceſſationis, non habenti priuilegium.

RESpondeo, vt certum: Non poſſe. Quia ſi non poteſt conferri tempore interdicti, vt diximus *p. 4. diſp. 5. cit. q.* 35. multò minus poterit conferri tempore ceſſationis à diuinis. Sic communis. Sayrus *lib. 5. c. 19. n.* 10. ex Senatu Salmanticenſ. ita ſcribens: Septimum decretum dictæ vniuerſitatis eſt, quod non poteſt dari alicui Sacramentum Extremæ Vnctionis. Quod intelligitur, etiam Clericis Presbyteris ſine expreſſo priuilegio, vt nec licuit, nec licet nunc tempore interdicti. Dixi, *ſine expreſſo priuilegio*; nam Religioſi habent priuilegium recipiendi, vt ſignificant Tabien. *verb. Interdictum* 5. §. *de Vnctione*, Henriq. *lib. 13. c. 45. §. 4. & c. 47. §. 4. in annot. in litt. T. & c. 53. in annot. in lit. M.* & inſinuat Nauarr. *in Man. c. 27. n.* 179. Sic Sayrus. Suar. *diſp. 39. ſect. 2. n.* 27. Alter. *c. 4. cit. in fine.* Auila, Bonacina, Palaus, & alij *loc. cit.*

QVÆSTIO XXVI.

An ſaltem poſſit dari Extrema Vnctio tempore Ceſſationis, illi moribundo, qui nec Euchariſtiæ, nec Pœnitentiæ Sacramentum, poteſt recipere.

NEgant, & à fortiori, Petr. Ledeſm. Ludouic. de S. Ioan. & alij citati à nobis, loquendo de interdicto, *p. 4. loc. cit. q.* 36.

Sed probabilius Reſpondeo: Tunc poſſe. Ratio eſt, quia in hoc caſu poteſt hoc Sacramentum miniſtrari interdicti tempore: ergo & ceſſationis: nam in hoc caſu eadem currit ratio à nobis, & ab aliis pluribus Doctoribus *loco citato* aſſignata. Legantur ibi dicta.

QVÆSTIO XXVII.

An Sacramentum Ordinis poſſit miniſtrari, aut conferri tempore Ceſſationis.

RESpondeo, vt certum: Non poſſe. Tum quia nulla eſt neceſſitas conferendi hoc Sacramentum. Tum quia ſi eſt certum, quod non poteſt conferri tempore interdicti, vt diximus *p. 4. diſp. 5. cit. q.* 27. à fortiori certum erit, non poſſe conferri tempore ceſſationis: niſi aliàs magna vrgeret neceſſitas Ordinandi Miniſtros Eccleſiaſticos, iuxta dicta à nobis *loc. cit. q.* 32. & tenet Sayr. *lib. 5. c. 19 n.* 10. per hæc verba: Addit Henriquez *in dicto c.* 53. nec Ordinem conferri poſſe tempore ceſſationis à diuinis: & eſt communis, cùm nulla neceſſitas ſit conferendi hoc Sacramentum, maximè hoc tempore, quo à diuinis ceſſatur, niſi in caſu neceſſitatis, quando deficerent Sacerdotes, qui Sacramenta neceſſaria hoc tempore miniſtrarent. Sic ille. Villalob. *loc. cit. n.* 8. *in fine*, vbi notat, *Que del Sacramento del Orden no haze memoria la reſolucion fecha en Salamanca, que ſupone como coſa llana, que no ſe puede adminiſtrar en eſte tiempo.* Sic ille. Legantur Suarez, Auil. Bonac. & alij *loc. cit.*

QVÆSTIO XXVIII.

An tempore Ceſſationis, non ſolùm validè, verum etiam licitè poſſit contrahi Matrimonium.

AFfirmant plures, inter quos nouiſſimè Palaus, his verbis: Deinde Matrimonium abſque ſolemnitate nuptiali contrahi poteſt; nam eſtò Sacramentum ſit, quia tamen fundatur in humano contractu, nec vi ceſſationis, ſicut neque ex interdicto, prohibetur. Docet Sayr. *lib. 5. cap. 19. num.* 12. Henriq. *cap. 53. num.* 4. Suar. *diſp. 39. ſect. 2. num.* 27. Hæc Palaus *diſp. 5. punct. 9. §. 2. num.* 11. (Sed ex his authoribus, quos affert, oppoſitum ſentit Suarez, vt conſtabit infra.) Eandem ſententiam tenuit Senatus Salmanticenſis, quem ſequuti ſunt Medina *lib. 1. Summ. cap. 11. §. 14. verſ. Lo nono*, Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp.* 8. *num.* 3. & penes illum Sà, Vega, Cañedo, Rodrig. & Lopez, Villalob. etiam *tract. 10. diff. 2. num.* 14.

Sed æquè probabiliter Reſpondeo: Non poſſe licitè: quamuis validè, certum ſit poſſe. Hæc ſecunda pars eſt certa apud omnes: cum omnes vt certum ſentiant, poſſe tempore interdicti validè matrimonium contrahi, vt diximus *part. 4. tract. 5. diſp. 5. quæſt.* 33.

Prima verò pars probatur ex ibidem dictis, & *part. 2. tract. 9. diſput. 23. §. 2. quæſt.* 2. Quia tempore interdicti non poteſt licitè contrahi matrimonium: ergo nec ceſſationis tempore: Patet conſequentia, nam vt benè Suarez (loco à Palao citato) de matrimonio, quoad ſubſtantiam idem dicendum eſt de tempore ceſſationis, quod de tempore interdicti, non quia ceſſatio ſub interdicto includatur, quod ſemper negamus; ſed quia in vtraque prohibitione æquale dubium eſt, an matrimonium priuatim, & ſine ſolemnitate Eccleſiaſtica, & benedictione contractum ſequatur quoad hoc naturam Sacramenti, vel humani contractus: & ideò videnda ſunt ſuperiùs dicta, & hic applicanda. Hæc Suarez. Ex cuius doctrina, & eadem ab ipſo tradita *de interdicto, diſp. 33. ſect. 1. num.* 51. conſtat, hanc noſtram tenuiſſe. Illumque ſequuntur Bonac. *diſp. 6. punct. 3. num.* 8.

*num.*8. Alter. vbi ſup.*diſp.*2.*cap.*4. *ad finem*, & alij citati à nobis 2.*&* 4 *parte*, vbi ſuprà.

---

§. III.

De tertio ceſſationis effectu, qui eſt *Priuatio Eccleſiaſtica Sepultura.*

QVÆSTIO XXIX.

An tempore ceſſationis poſsint ſepeliri fidelium corpora cum recitatione officiorum diuinorum, & aliis ſolemnitatibus Eccleſiaſticis.

RESpondeo, tanquam certum: Non poſſe. Quia (vt ſuprà eſt habitum) ceſſatio abſolutè prohibet omnia Eccleſiaſtica officia. Atqui officium defunctorum, & aliæ Preces, & Pſalmi, qui decantari ſolent, dum corpora ſepeliuntur fidelium, verè ſunt, & computantur inter diuina officia: ergo. Sic vt certum ſupponunt omnes. Legantur Suar. *diſp.*39. *ſect.*2.*n.*18. Alter. *diſp.*2. *de Interd.c.*5.Bonac. *diſp.*6. *punct.*3.*n.*8. Ægid.*diſp.*17.*dub.*7.*n.*84. Palaus *diſp.*5. *punct.*9.§.2. *in fine*,& alij penes ipſos.

QVÆSTIO XXX.

An tempore ceſſationis licitum ſit ſepelire cadauera fidelium omnium in loco Sacro, abſque vllo diuino officio, aut ſolemnitate ſolita.

AFfirmant plures Doctores, inter quos nouiſſimè Palaus *loc. cit.* hæc dicens: Verùm ſi ceſſatio per ſe ſumatur, valde probabile cenſeo, hunc effectum non habere, quia ſepultura Eccleſiaſtica, vt ſuperius dixi, ſub officiis diuinis non comprehenditur: at ceſſationi ſolùm diuinorum priuatio, vt effectus annectitur,*ex cap. Non, de ſponſal.* nec vllibi cautum eſt, hanc ſepulturæ priuationem illi comuenire. Non igitur aſſerenda eſt, ideoque poſſunt ſpectato iuris rigore, non ſolum Clerici (de quibus ferè omnes Doctores conueniunt) ſed etiam laici, tempore ceſſationis in cœmeterio, vel Eccleſia ſepeliri, abſque diuinorum officiorum ſolemnitate, vti tradit Suar. *diſp.*39.*ſect.*2.*n.*34. Coninch. *diſp.*17. *dub.*7. *num.*84. Bonac. *tom.*1.*diſp.*6. *punct.*3. *num* 8. Paul.Laym.*lib.*1.*tract.*5.*part.*4. *num.*3. *verſ. Denique.* Hæc Palaus. Cuius ſententiam eſſe à principio intrinſeco probabiliorem ſentit Villalob. *diff.*2.*in fine.* Alij contrà reſpondent: Non eſſe licitum ſepelire tempore ceſſationis cadauera laicorum in loco ſacro, Quia plura ſunt, quæ prohibentur tempore ceſſationis, iure antiquo, quàm tempore interdicti, vt ex dictis conſtat: atqui tempore interdicti vetita eſt Eccleſiaſtica ſepultura laicis: ergo à fortiori erit vetita illis tempore ceſſationis. Sic Senatus Salmanticenſ. quem ſequuntur Henriq. *lib.*13.*cap.*53.*n.*4. vbi *lit. C.* addit, id eſſe verum, quamuis laicus haberet Bullam, aut priuilegium ſepulturæ pro tempore interdicti. Medin.& Couarruu. apud Henriq.Nauarr.c.17. *num.*588.Syluest. Tabien. Angel.& alij *verb.Ceſſatio.* Alter. *diſp.*2.*c.*5.*cit.column.*4.*verſ.Sed nihilominus.*

Sed ego clariùs Reſpondeo: Dicendum, quod attento rigore iuris, verior ſit prima ſententia; attenta verò praxi,& conſuetudine,ſecunda: & ideò dico, han eſſe omninò ſequendam. Id, & non aliud indicant, & volunt Authores primæ ſententiæ. Imò & ſecundæ. Legatur Villalob. *loc.cit.*

QVÆSTIO XXXI.

An non ſolum laici, verum etiam Clerici priuentur tempore ceſſationis Eccleſiaſtica ſepultura.

AFfirmant aliqui DD. quos ſuppreſſis nominibus refert Alter. *loc. cit. column.*2. *verſ.Quantum ad ſecundum.* Quia quod Clericis permittitur tempore interdicti, per *cap. Quod in te,de Pœnit.& Remiſſ.* non poteſt trahi ad ceſſationem, cum longè inter ſe diuerſa ſint interdictum, & ceſſatio: ergo ex eo, quod tempore interdicti conceſſa ſit Clericis ſepultura, non infertur, quod ſit etiam conceſſa tempore ceſſationis.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Minimè priuari Clericos tempore ceſſationis Eccleſiaſtica ſepultura, dummodò hæc illis tradatur cum ſilentio, & abſque officio funerali. Quia probabilius longè eſt, quod priuilegium conceſſum Clericis tempore interdicti extendatur ad ceſſationem. Quoniam praxis, & conſuetudo interpretata eſt ſic dictum Capitulum, *Quod in te.* Sic cum aliis docet Bonac. his verbis: Clerici verò ex benigna interpretatione non priuantur ſepultura, modò ſepeliantur ſine diuinis officis, iuxta opinionem multorum doctorum apud Auil.*diſp.*1.*dub.*10. quibus adde Suarez *num.*31. *& ſequent.* Filliuc. *num.*108. *& ſequent.* quamuis in rigore non conſter, in iure hoc conceſſum eſſe Clericis, ſicut eſt conceſſum tempore interdicti,vt benè ait Suar.*diſp.*39.*ſect.*1.*n.*19.Coninchus *diſp.*17.*dub.*1. *n.*84.Filliuc.*n.*481. Hæc Bonac. *diſp.*6. *punct. vltimo, num.*8. Alterius, & Palaus vbi ſuprà. Legantur dicta à nobis *part.*4.*tract.*5.*diſp.*6.*quaſt.*7.*& ſequent.*

QVÆSTIO XXXII.

An omnes Clerici, etiam prima tonſura,ſepeliri poſsint in loco ſacro, modo dicto,tempore ceſſationis.

RESpondeo: Dicendum, poſſe. Quia omnes prædicti poſſunt ſepeliri in loco Sacro tempore interdicti, etiam ſpecialis, vt diximus *part.*4. *loc. cit. quaſt.*12. ergo & tempore ceſſationis etiam ſpecialis. Sic Henriquez *lib.*13. *cap.*53. *num.*5. Alterius *tom.*2. *diſp.*2.*de Interdict.*c.6.*column.*4.*verſ.Sed nihilominus.*

QVÆSTIO XXXIII.

An tempore ceſſationis, poſsint ſepeliri Clerici, non ſolum in cœmeterio, ſed etiam in ipſa Eccleſia.

NEgabunt Hurtadus, & Luyſius, ſiquidem negarunt, poſſe tempore interdicti Clericos ſepeliri in Eccleſia, ſed tantum in cœmeterio, vt vidimus *part.*4.*tract.*5.*diſp.*6.*quaſt.*8.

Sed probabilius Reſpondeo: Poſſe etiam in Eccleſia ſepeliri. Quia probabilius eſt, poſſe in ea ſepeliri tempore interdicti,vt cum Auila,Henriq. Suar. Alter.Filliuc. Bauny,Bonac. & Palao docuimus *loc. cit.* Sic ipſi. Legantur Alter. *diſp.*2. *de Interdict.* c.6. *col.*4.*cit.verſ.Sed poſtularet quis.*

DISPVTATIO IV.

De Pœnis tranſgredientibus Ceſſationem impoſitis.

QVÆSTIO PRIMA.

An violans ceſſationem peccatum mortale admittat.

RESPONDEO, tanquam quid certum: Admittere, ratione inobedientiæ in re graui. Sic omnes, inter quos Palaus ſic loquens: Nemini eſt dubium, graue peccatum commiſſurum, qui ceſſationem celebratione diuinorum officiorum, adminiſtratione, vel receptione Sacramentorum violaret: quia violat legem Eccleſiaſticam ob grauiſſimam cauſam impoſitam. Sic Palaus *diſp.*3.*punct.*9.§ 4.*n.*1. Legantur Suar.*diſp.*39.*ſect.*2.*n.*36. Alter. *diſp.*2. *de Interd.c.*8. Bonac.*diſp.*6.*punct.*3.*n.*9. & alij.

QVÆSTIO II.

An religioſi exempti incurrant excommunicationem non ſeruando ceſſationem generalem quæ ab Eccleſia Matrice, vel Parochiali ſeruatur.

RESpondeo, tanquam certum: Incurrere, quia illa contra eos fertur *in Clem.* 1. *de ſent. excommun.* per hæc verba: *Religioſi quicumque, tam exempti, quàm non exempti, cuiuſcumque Ordinis, & conditionis exiſtant, cum Cathedralem, vel Matricem, ſeu Parochialem loci Eccleſiam, illas viderint, ſeu ſciuerint obſeruare, &c. inuiolabiliter conſeruent, alioquin non ſeruantes excommunicationis ſententiæ ſubiacere hoc ipſo volumus.* Et quamuis hæc verba referantur ad violantes interdictum, tamen Pontifex eandem pœnam extendit ad violantes ceſſationem, ibi: *In ceſſationibus verò generalibus, &c. idem intelligimus obſeruandum.* Sic textus. Et ex illo omnes. Lege me ipſum *part.* 4. *tract.*5.*diſp.*8.*q.*20. & 21.

QVÆSTIO III.

An ſi religioſi Mendicantes violent ceſſationem dictam excommunicationem incurrant.

NEgant nonnulli DD. exiſtimantes, quod Mendicantes, dum violant ceſſationem generalem, minimè excommunicationem incurrant, quia ex ſpeciali priuilegio eximuntur. Ita Sylu. *verb. Ceſſatio* 1.*q.*5.*in fin.* Henriq.*lib.*13.*c.*53.*n.*3.*lit. Q, &* *c.*54.*n.*3.*lite.S*, & ex illo Sayr.*lib.*5.*c.*17.*n.*11. & Auil.*p.*6.*diſp.*3. *dub.*2. *concl.*2. Quorum ſententiam refert Alter.*diſp.*2.*cit.c.*8.*col.*3.*verſ. Sextò notandū*, & tranſit. Sed an id velit Henriq. dubito: imò credo aliam eius mentem fuiſſe, nempe quod regulares ex ſpeciali priuilegio eximantur ab obſeruatione ceſſationis, modo infrà *q.* 5. explicando: Non quod ſi illam violant, excommunicationem euadant; nam ad id non habent priuilegium.

Sed ego, quia dictum priuilegium ignoro, Reſpondeo dicendum, incurrere dictam excommunicationem, ſi violent ceſſationem; cum abſolutè omnibus Religioſis cuiuſcumque Ordinis, & conditionis ſint, ceſſationem generalem violantibus impoſita ſit dicta excommunicationis pœna. Sic innuit clarè Palaus *diſp.*5.*punct.*9.§.4.*n.*3.*in fin.*

QVÆSTIO IV.

An Religioſi violantes ceſſationem ſpecialem, etiam excommunicationem incurrant.

REſpondeo tanquam certum: Non incurrere, quia dicta Clementina, in qua fertur excommunicatio, ſolum loquitur de ceſſatione generali. Sic omnes ſuprà citati, præcipue Altarius, vbi *colum.* 2. ita ait: Tertiò notandum eſt, hanc pœnam per Religioſos incurri, quando violant ceſſationem generalem, vt patet ex textu: *In ceſſationibus verò generalibus*: vbi Gloſſa notat ſpeciales ceſſationes ſeruari ſolùm debere in Eccleſiis, in quibus ſunt indictæ, *cap. Dilectis de appell. &c.* Sic ille.

QVÆSTIO V.

An Priuilegia regularibus conceſſa quoad obſeruantiam interdicti locum habeant in ceſſatione.

NEgant plures Doctores, quia vt ſuprà eſt habitum, interdictum, & ceſſatio ſunt diuerſa, nec vnum aliud continet: ergo priuilegium conceſſum Regularibus pro tempore interdicti, non poteſt habere locum pro tempore ceſſationis. Confirmatur ex à nobis dictis *p.*4. *tr.* 5. *q. vlt.* nam priuilegium Bullæ pro tempore interdicti conceſſum non extenditur ad tempus ceſſationis à diuinis: ergo nec priuilegium conceſſum Religioſis. Sic tenent communiter DD. Legantur à nobis ſuprà adducti.

Alij contra affirmant. Moueri poſſunt vel quia priuilegia latè interpretanda ſunt: vel quia ceſſatio ſpecies quædam ſit interdicti. Ita docet nouiſſimè Pellizzar.*tom.*2. *Man. regul. tract.*7.*c.*4. *ſect.*3. *q.* 12. *num.* 106.

Sed ego clarius Reſpondeo: Dicendum *Primò*, Priuilegia conceſſa Regularibus, quoad obſeruantiam interdicti ex ſe minimè habent vigorem, nec extenduntur ad ceſſationem. Hæc reſponſio conuincitur ratione pro prima ſententia facta.

Reſpondeo *Secundo*. Regulares ex ſpeciali priuilegio, & indulto poſſunt tempore ceſſationis eodem modo ſe habere in celebratione diuinorum, ſicuti ſe habent tempore interdicti, quia id illis ſpecificè conceſſum eſt, vt teſtatur Henric. de Villal. his verbis: *En tiempo de ceſſacion* à diuinis, *nos hauemos de auer en nueſtras caſas de la miſma manera que en tiempo de Entredicho, por vna conceſſion de Leon X. hecha a nueſtros Religioſos, que dize aſſi:* Leo X. declarauit, & conceſſit eiſdem Fratribus Minoribus, quod in forma obſeruationis nulla ſit differentia inter ceſſationem à diuinis, & interdictum quodcumque. *Por loqual los Frailes y Monjas, Profeſſos, y Nouicios, Conuerſos, y Donados, pueden celebrar, y recibir los Sacramentos, y rezar el officio diuino en comunidad, en tiempo de ceſſacion* à diuinis, *cerradas las puertas, y à vos baxa, conforme a la moderacion del Capitulo* Alma mater. *Mas a ſe de aduertir, que en eſte tiempo no podemos admitir los Clerigos, à que diegan Miſſa en nueſtra caſa, como lo*

lo aduierte el P. Fr. Manuel Rodriguez in Sorſo, porque eſte priuilegio ſolo es para los Religioſos. Hæc Villalobos *tract.20.diff.6.num.7 & 8* Et ante illum Henriquez *lib.13.c.53.n.3.* ita ſcribens : Epiſcopus, & quidam Regulares ex priuilegiu iuri inſerto poſſunt Miſſam ſecretò, & Horas dicere cum alio, ſeruandum tamen eſt, vt non niſi tres ſimul adſint, & ſeruetur moderatio *c. Alma mater.* Quidam Regulares habent à Pontifice maius priuilegium, vt illis tempore ceſſationis idem liceat, quod licet tempore interdicti. Quod quidam extendunt, vt tempore ceſſationis monaſterium admittere poſſit externos Sacerdotes, vt celebrent in ſua Eccleſia. Sic ille. Legatur in Gloſſa *lit. Q. R. & S.*

QVÆSTIO VI.

An etiam laici violantes ceſſationem, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant.

AFfirmatiuam ſententiam obſcurè innuit Sayr. *lib.5.c.19.n.20.*

Sed vt certum Reſpondeo : Non incurrere. Quia dicta pœna ſolum eſt impoſita Religioſis ceſſationem generalem violantibus, vt conſtat ex verbis Clement. relatis ſupra *q.2.* Sic Palaus *diſp.5.punct.9 §.4 n.3.* Ita ſcribens : Quoad pœnas attinet, nulla eſt laicis violantibus ceſſationem ipſo iure impoſita, ſed arbitrio Iudicis puniri debent. Sic ille.

QVÆSTIO VII.

An ille, ob cuius cauſam lata eſt ceſſatio, teneatur ad aliquam reſtitutionem.

1 REſpondeo, vt certum : Teneri. Quia ſuo delicto cenſentur cauſa efficax iniuſta omnium damnorum, quæ Clerici, qui coacti fuerunt ceſſationem ſeruare, paſſi ſunt. Sic communiter DD. vt teſtatur Sayr. *lib.5.c.19.n.19.* ita dicens: Quoad dantes cauſam iuſtæ ceſſationis, communis eſt Doctorum opinio, quod qui dederunt cauſam iuſtæ ceſſationis, poſt monitionem tenentur ad omnia damna, & intereſſe Clericis, & Canonicis illios Eccleſiæ, in qua ceſſatum eſt, & ad aliquam ſatisfactionem æſtimandam arbitrio ſuperioris, ſcilicet Papæ, & in diuini cultus augmentum conuertendam, ex *cap. Si Canonici, de Offic. Ordin. lib.6.* Summ. Aſtenſ. *p.2.lib.7.tit.16.art.8.* Angel. *verb. Ceſſatio, n.2.* Sylu. *verb. eod. q.3.* Sot. *4.diſt.22 q.3.art.2. verſ. Tenentur præterea.* Tolet. *lib.1.c.23.verſ Septimò,* Henriq. *lib.13.c.52.§.3.in fin.* Anton. Cucch. *lib.4. tit.13.* Hæc Sayrus. Legantur præter hos Doctores, Suarez *diſp.34.ſect.3.n.16.* Aoil. *p.6.diſp.2.dub.3.concl.3.* Filliuc. *n.182.* Bonac. *diſp.6.punct.3.n.11.*

QVÆSTIO VIII.

A quonam Superiori poteſt auferri ceſſatio.

REſpondeo breuiſſimè, quod poſſit auferri ab eo, qui eam tulit ; à ſucceſſore eius, aut ſuperiore, aut alio habente facultatem delegatam, vt patet ex dictis *de Interd. p.4.* Legantur Authores citati.

TRACTATVS QVARTVS.

DE DEGRADATIONE, ET DEPOSITIONE.

DISPVTATIO VNICA.

De Degradatione.

QVÆSTIO PRIMA.

An Degradatio, & depoſitio ſint propriè cenſuræ.

AFFIRMANT Petr. Ledeſma, & Petr.Coroejo, vt vidimus *p.4.tract.1.diſp.1.q.5.& 6.*

Sed longè probabilius Reſpondeo: Non eſſe verè, & propriè cenſuras. Quia propriè non ſunt pœnæ, vt diximus *loco citato.* Sic communis tenet opinio, vt habes *locis citatis.*

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit degradatio.

REſpondeo, dicendum, quod eſt duplex, Verbalis, videlicet, & Realis, ſeu actualis. *Degradatio verbalis* (quæ etiam depoſitio vocatur) *eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, ſine ſpe illud amplius conſequendi, retento tamen priuilegio Clericali.*

Degradatio verò realis, ſeu actualis, *eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica priuatur omni officio, & beneficio, & priuilegio Clericali in perpetuū, ſine ſpe ea iterum conſequendi, cum quadam ſolemnitate, & ablatis veſtibus Clericalibus, &c.* Sic communis. Legantur Suar. *de cenſur.diſp.* 30. Alter. *diſp.2.de ſuſpenſ.* Sayr. *lib.5.Theſaur.c.20.* Henriq. *lib.13.c.55.* Auil. *p.4.diſp.vnic.* Bonac. *de cenſur.diſp.4.punct.vnic.* Ægid. *diſp.16.de cenſ.* Filliuc. *tr.18.c.8.* Palaus *de cenſ.diſp.4. punct.vlt.* Villalob. *tom.1.tr.18. diff.13.* Pelliz. *tom.2. Man.Regul.tr.7.c.5.ſect.4.à n.121.*

QVÆSTIO III.

In quibus differant Degradatio verbalis, & realis, ſeu actualis.

REſpondeo: Dicendum, quod in multis. *Primò* enim differunt in hoc, quod degradatio verbalis poteſt ferri in abſentem incorrigibilem, ſeu contumacem, realis verò minimè; nam hæc præſentiam requirit, *ex c.Nouitius, de verb. ſignific.* & conſtabit ex aliis differentiis mox aſſignandis.

Secundò differunt, quod verbabiliter depoſitus non traditur Curiæ ſæculari: benè tamen degradatus realiter. Et tunc Iudex qui degradatum Curiæ ſæculari tradit, debet declarare talem eſſe illius Curiæ, præſente Iudice ſæculari, intercedendo pro eo, quod non moriatur, *ex c.Nouimus*, citato.

Tertiò differunt, quòd degradatio realis priuat priuilegio Clericali; non verò degradatio verbalis, vt conſtat ex definitionibus *q.2.*tradiutis.

Quartò differunt, quod degradatio realis, ſeu actualis, fit cum maiori prorſus ſolemnitate, nempe aſſiſtentibus duodecim Abbatibus infulatis, id eſt, cum priuilegio mitræ, & baculi, vel aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis. Et degradandus indutus veſtibus ſacris, & portans inſtrumenta ſacra pertinentia ad illum Ordinem, à quo degradatur, deducitur ad præſentiam Epiſcopi, à quo gradatim publicè exuitur, & priuatur, ac tandem capillis tondetur, prolatis quibuſdam verbis terrorem incutientibus. Sic omnes *ex c.2. de Pœnis. in 6.* vbi dicitur, in ablatione vltimi veſtimenti proferendum eſſe ita: *Auctoritate Dei omnipotentis, &c. auferimus tibi habitum Clericalem, & exuimus te omni Ordine, beneficio, ac priuilegio Clericali.* Legantur Suar. Alter. Auil. Bonac. & alij *ſup. cit.* & ea, quæ dicemus infra, *q.vlt.*

QVÆSTIO IV.

An percutiens degradatum realiter, aut actualiter, vel depoſitum incorrigibilem, incurrat excommunicationem Canonis, Si quis ſuadente.

REſpondeo, tanquam certum: Non incurrere. Quia degradatio realis aufert à degradato priuilegium Clericale, & priuilegium fori; & ideò ſic degradatus poteſt à Iudice ſæculari capi, & puniri. Conſtat ex tertia differentia ſuprà adducta. Et tenent omnes DD. Legantur citati.

QVÆSTIO V.

An ſaltem incurrat dictam cenſuram, qui degradatum ſolùm verbaliter percutit.

NEgat adhuc apud Filliuc. Syluest. *verb. Degradatio*, eo quòd putet, etiam degradatum verbaliter

liter tantum,ſpoliatum eſſe priuilegio Clericali. Sed certè Silueſter oppoſitum clarè tenet *loc.cit. n.*8. vt eius verba demonſtrant. Sunt autem hæc: Sextò quæritur, vtrum degradatus perdat Clericale priuilegium,vt percuti & iudicari poſſit per laicum.Et dico quantum ad primum, quod fuerunt opiniones, ſed placet opinio Gloſſæ *in d.c. Degradatio*, quod non incidit in Canonem *ſi quis ſuadente*,17.*q*.4. ſi quis percutit Clericum degradatum actualiter: ſecus (*attende Lector*) ſi verbaliter tantum. Quod ſecundum Panormit.*in c.Ad abolendam, de heret.* limita, niſi poſt verbalem ſequatur incorrigibilitas, quia tunc etiam perdit priuilegium, &c. Sic Silueſt.

Vt certum ergo Reſpondeo,incurrere dictam Canonis cenſuram illum,qui degradatum ſolum verbaliter percutit(niſi id poſt eius incorrigibilitatem,vt diximus,faciat.) Quia vt ſupra eſt habitum,degradatus, ſeu depoſitus ſolùm verbaliter, fruitur adhuc priuilegio Canonis, imo & fori: ergo qui illum percutit excommunicationem incurrere eſt neceſſum. Sic omnes. Legantur Suarez *diſp*.30.*ſect*.2.*n*.7. Filliuc.*tr*.18. *c*.8.*q*.3.*n*.193.Bonac.*diſp*.4.*punct.vnico,n*.3.Auila *p*.4. *diſp.vnica, dub*.1.

QVÆSTIO VI.

An Comes magiſtri triremis (*Hiſpanè*, Comitre de galera) *percutiens Clericum degradatum ſolùm verbaliter, & damnatum ad triremes, excommunicationem Canonis incurrat.*

RESpondeo: quod non incurrat, ſi percutiat illum, ſicut percutit cæteros remigantes. Ratio eſt,quia tunc fungitur ſuo munere. Deinde quia Clericus damnatus ad triremes, cenſetur damnatus ad pœnas, & onera conſequentia.Secus eſt dicendum,ſi percutiat illum ob alias cauſas,quia tunc incurret dictam excommunicationem, ſicuti alius quilibet, qui rixando cum illo, percuteret. Sic Auila, & Bonacina *loco cit*.Villalobos *tract*.18.*diffic*.12.*n*.6.

QVÆSTIO VII.

An Sacerdos realiter degradatus validè conſecrare poſſit.

RESpondeo,tanquam certum: Poſſe validè, quia per degradationem non amittit Sacerdos characterem Ordinis, cum ſit indelebilis:ergo nec poteſtatem conſecrandi. Sic omnes. D.Th.3.*p.q*.83. *art*.3. Auila *p*.4.*diſp.vnica,dub*.1. *concl*.5. Bonacina *loc. cit. n*.5.Saytus *lib*.5.*c*.22.*n*.25.Palud. Sotus, Henriq.Toledo,Viualdus, & alij penes ipſum.Villalob.*diffic*.12. *cit.n*.3.ibi: *Se aduierta que la Igleſia no puede borrar el caracter del Orden vna vez impreſſo: mas quita para ſiempre al Sacerdote el poder vſar legitimamente del; y eſto es degradar al Clerigo, que es como deſordenarle, ò deponerle del Orden: de ſuerte, que aunque diria verdadera Miſſa ſi la quiſieſſe dezir, y el Obiſpo degradado haria verdaderos Ordenes, pecarian grauiſſimamente en hazerlo,como dize Archidiacono,y la comun, y quedaria ſuſpenſo el que recibieſſe Ordenes de eſte tal.* Sic Villalobos. Lege me ipſum *p*.2.*tract*.8.*diſp*.2.*q*.2.

QVÆSTIO VIII.

An degradatus realiter, ſi in ſacris ſit conſtitutus,teneatur recitare Horas Canonicas.

NEgatiuam ſententiam tenere Toletum, ait Saytus hiſce verbis: Vnde ſequitur,falſum eſſe,quod Tolet. *lib*.1.*inſtr. c*.17. docet contra omnes Summiſtas, & Theologos,degradatum non teneri ad Horas Canonicas recitandas, ea ratione perſuaſus,quia recitatio hæc non eſt de iure diuino,ſed à Papa;& ideo cum ſic degradatus ſit extra forum Papæ, non videtur teneri amplius. Ad dictum *c. Dolentes*, reſpondet loqui ſolùm de his, qui vſum Clericalem habent. Hæc Toletus apud Saytum *lib* 5.*c.vltimo, n*.27. Sed certè apud meum Toletum nihil inueni de hac re tractari *in d.c*.17.& oppoſitum expreſsè ſentit *c*.50. *vt infra*. Vnde

Vt quid certum Reſpondeo: teneri ad recitandas Horas. Ratio eſt,quia text.*in c. Dolentes,de celebrat. Miſſar.* omnibus initiatis Sacris horas recitare præcipit: atqui degradatos adhuc retinet characterem Ordinis:ergo.Sic in primis Toletus *lib*.1.*c*.50.*n*.1. *in impreſſ. Lugdun.* hæc dicens: Degradatio igitur ab his omnibus priuat,ſed conſequenter,quia priuat Ordine,cui hæc omnia innituntur:tenetur tamen Horas Canonicas recitare, vt affirmat communis ſententia, quam ſequitur Silueſt.*verb. Degradatio*: & probatur ex *c.Dolentes, de celebr. Miſſar.* vbi omnibus Ordinatis iniungitur id onus: propter delictum autem, quamuis Ordinatus degradetur, non tamen efficitur melioris conditionis,vt ab onere ſoluatur.Hæc Toletus.Cuius ſententiam tenent Silueſt. Angel. Tabiena, Viualdus,Couarruuias,Cenedo, Valentia, Sotus, Nauarrus,& alij,quos adducit,& ſequitur Saytus *loc. cit.* Quibus addi poſſunt Auila *p*. 4. *diſp. vnica, dub*.1. *concl*.2.Filliucius *tr*.18.*c*.8.*q*.2.*n*.191.Bonac. *diſp*. 4. *punct.vnico,n*.5.vbi citat Toletum pro hac parte.Couar.*lib*.3.*variar.reſol.c*.53.*n*.8. *verſ. Duodecimò*, & communis.

QVÆSTIO IX.

An degradato,aut depoſito verbaliter à beneficio aſſignanda ſint expenſa ne egeat?

RESpondeo: eſſe aſſignandas,quia hic cùm gaudeat Clericali priuilegio, debet de illo curare Eccleſia, ne egeat, & pereat. Sic Flin.Panormitan. & alij quos citat,& ſequitur Auila *part*.4.*diſp.vnica, dub*.1. *concl*.3.

QVÆSTIO X.

An item aſſignanda ſint expenſæ degradato realiter, & ſolemniter ex Eccleſiæ redditibus.

RESpondeo,vt ferè certum,quod non, quia cùm hic ſit extra forum Eccleſiaſticum, iam Eccleſia non curat amplius de ipſo in hac parte. Sic Felinus *in cap.Ex parte,de Accuſat.* quem citat, & ſequitur Couar. *loc.citat*.Auila *loco citat*. Et hanc ſententiam eſſe veram ex rigore iuſtitiæ,planè ſentit Viualdus, quem citat,& ſequitur Saytus *lib* 5.*num. vltimo*. Addunt tamen poſſe ex pietate, & per modum eleemoſynæ neceſſaria ad victum miniſtrari,

Bonacina

Bonacina *loc. cit. num.* 7. qui tamen malè citat Sayrum, & Auilam pro parte oppoſita.

QVÆSTIO XI.

An realiter, ſeu actualiter degradatus, poſſit validè contrahere Matrimonium?

RESpondeo, vt certum: Non poſſe, ſi in ſacris ſit conſtitutus. Quia adhuc retinet Ordinem Sacrum, & votum caſtitatis illi annexum. Sic omnes, Summa Aſtenſ. 2. *p. lib.* 7. *tit.* 17. *art.* 4. *quæſt.* 4. Suar. *diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 2. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 8. *q.* 2. *n.* 191. Sayr. *lib.* 5. *cap. vltimo, num.* 26. Bonacina *diſp.* 4. *punct. vnico, num.* 5. & alij.

QVÆSTIO XII.

Quænam ſunt crimina, ob quæ infligi ſolet verbalis degradatio?

RESpondeo: Dicendum, quod ſunt adulterium, concubinatus diu continuatus, & notorius, poſt monitionem, ſimonia notoria, ſtuprum, furtum, periurium, homicidium, & alia huiuſmodi, de quibus videndi ſunt Nauarr. *cap.* 27. *n.* 248. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 55. *n.* 5. Auila *loc. cit. dub.* 3. *concl.* 3. Molina *tom.* 4. *diſp.* 49. *tract.* 3. *n.* 14. Bonac. *diſp.* 4. *punct. vnico, n.* 6. Pellizz. *tom.* 2. *Man. Regul. tract.* 7. *cap.* 5. *ſect.* 4. *num.* 124.

QVÆSTIO XIII.

Quænam ſunt crimina, quæ realem, ſiue actualem degradationem merentur?

RESpondeo, Eſſe ſequentia: Homicidium qualificatum, crimen hæreſis, Sodomia ſæpius exercita, falſatio litterarum Pontificis, contumelia, vel iniuria in proprium Epiſcopum, & ſimilia. De quibus conſule Molinam, Sayrum, & alios nuper adductos.

QVÆSTIO XIV.

An degradatio Presbyteri pertineat ad Epiſcopum proprium?

RESpondeo, vt quid certum: Pertinere ad proprium Epiſcopum, vel ad eius Vicarium generalem, poſt Tridentin. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *de Reform.* & non ad alium inferiorem, vt ait Henriq. *lib.* 13. *c.* 55. *num.* 2. (non *cap.* 43. *n.* 5. vt citat Bonac.) Sic etiam Auila *part.* 4. *dub.* 1. *concl.* 3. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 22. *n.* 6. Bonac. *diſp.* 4. *punct. vnico, num.* 9. Pellizz. *vbi ſup. num.* 125. & alij.

QVÆSTIO XV.

An degradatio Epiſcopi pertineat ad Papam?

RESpondeo affirmatiuè. Sic omnes. Quia ſic determinatur à iure, vt teſtatur Palaus his verbis: Hanc degradationem comparatione Epiſcoporum ſolus Summ. Pontifex præſtare poteſt, vti probat textus *in cap. Accuſatus, cap. Quamuis, quæſt.* 6. & notauit Panormitan. *cap. Graue nimis, de Præbend. num.* 4. *cap. Non poteſt, num.* 5. *de ſentent. & re iudic.* Cognitio cauſæ debet fieri per Metropolitanum, conuenientibus Epiſcopis totius Prouinciæ, qui ad minus debent eſſe duodecim vltra Metropolitanum, vt aduertit idem Panormitan. *in d. cap. Non poteſt.* Henriquez *libro* 15. (lege 13.) *cap.* 55. *num.* 2. Auila *part.* 5. *diſp. vnica. dub.* 4. *concl.* 1. Hæc Palaus *diſp.* 4. *de cenſur. punct. vltimo, num.* 7.

QVÆSTIO XVI.

An Prælati Regulares poſſint degradare verbaliter ſuos ſubditos, ſicuti Epiſcopus ſuos?

NEgant communiter DD. dicentes, nullum alium ſuperiorem, præter Summ. Pontificem, poſſe in Religioſos exemptos ſententiam degradationis ferre, niſi aliàs ex conſuetudine, vel priuilegio peculiari eorum Prælato regulari ea poteſtas competat. Ita Nauarr. *lib.* 5. *Conſil. conſil.* 58. *de Regularib. num.* 3. Bonacin. *loc. cit. num.* 8. Pellizzar. *num.* 125. *cit.* & Palaus *num.* 7. & alij, qui tamen non explicant, an de facto dicti Prælati tali priuilegio gaudeant: vnde

Clariùs Reſpondeo: Poſſe Prælatos degradare verbaliter ſuos ſubditos, ſicuti Epiſcopus ſuos degradare poteſt: non ex vi, & rigore iuris, ſed ex ſpeciali priuilegio. Quia Prælati Regulares poſſunt ex priuilegio in ſuos ſubditos quidquid Epiſcopi in ſuos poſſunt, vt habetur *in compend. Societ. Ieſu, verb. Prælatus*, §. 3. atqui Epiſcopi poſſunt degradare verbaliter ſuos ſubditos: ergo & Prælati Regulares. Sic docet Auila *part.* 4. *diſp. vnica; dub.* 1. *concluſ.* 2.

QVÆSTIO XVII.

An degradatum actualiter, & realiter poſſit Epiſcopus in ſuum priſtinum ſtatum reſtituere?

RESpondeo: non poſſe, ſi iuſtè fuit degradatus; benè tamen ſi iniuſtè fuit. Sic Palao, his verbis: Degradatum iuſtè nullus alius præter Pontificem reſtituit. Tum quia degradatio ſemper fit ob maiora crimina adulterio: tum, quia à gradu, & ſtatu Clericali omninò, & irremiſſibiliter iure ordinario dejicitur degradatus. Atque ita colligitur ex *cap. Si lapſis, & cap. Qui ſemel,* 50. *diſt.* & notauit Bonac. ex communi ſententia *diſp.* 4. *punct. vnico, num.* 1. Dixi, *iuſtè*: nam ſi iniuſtè quis degradatus fuerit, ipſi qui prædictam ſententiam tulit, competit emendare: cum autem non ſolus Epiſcopus, ſed alij Epiſcopi, ſeu Abbates, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſententiam degradationis tulerint, per ipſos emendatio facienda eſt. Colligitur *Ex cap. Epiſcopus,* 11. *quæſt.* 3. vt per quas cauſas degradatio nata eſt, per eaſdem diſſoluatur. Non caret probabilitate, quod docuit Speculator *in tit. de Accuſat.* Alterius *tom.* 2. *diſp.* 2. *cap.* 9. ſub finem, ſolum Epiſcopum ſententiam degradationis iniquè factam reuocare, & emendare poſſe: quia eius muneris eſt, ſubditum iniuſtè grauatum defendere, & iniuriam ei irrogatam depellere. Huc vſque Palaus *diſp.* 4. *de cenſur. punct. vltimo, numero vlt.* Legantur Suar. *diſp.* 30. *ſect.* 5. *num.* 22. & Pelliz. *loc. cit. num.* 126.

QVÆSTIO XVIII.

Qua forma, & modo fieri debet degradatio realis, & actualis?

RESpondeo cum Sayro, quod duobus. Vno modo iuxta *c. Degradatio, de Pœnis lib.* 6. quando

ſcilicet Iudex laicus non adeſt, ſed tamen cum quadam ſolemnitate fit ab Eccleſiaſtico Iudice, in hunc modum: Clericus degradandus indutus ſacris veſtibus, & manibus tenens vas, aut inſtrumentum, vel ornamentum ad ſuum Ordinem ſpectans, ac ſi in ſuo officio deberet ſolenniter miniſtrare, adducitur ad præſentiam Epiſcopi, & auferuntur illi omnia data in ordinatione, incipiendo ab vltimo gradatim vſque ad veſtem datam in prima tonſura: deinde tondetur, vel raditur caput illius, ne tonſuræ, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem. Et poteſt Epiſcopus in degradatione huiuſmodi, verbis aliquibus vti ad terrorem, illis oppoſitis, quæ in collatione Ordinum prolata ſunt, dicendo Preſbytero hæc, vel ſimilia verba, in remotione planetæ: *Auferimus tibi veſtem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali priuamus.* Sicque in remotione reliquorum inſignium ſimilibus verbis vtens. In ablatione verò vltimi, quod in collatione Ordinum fuit primum, infrà ſcripto, vel alio ſimili modo, pronunciet, ſiue dicat: *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, & degradamus, & exnimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio Clericali.*

Alio modo fit degradatio actualis, præſente videlicet Iudice laico, itavt Iudex Eccleſiaſticus coram eo militem ſceleſtum inſigniis propriis Ordinum exutum, tradat conſequenter Iudici ſæculari, cum proteſtatione, quod recipiat eum in forum ſuum: Debet tamen efficaciter intercedere pro eo, ne capitalem pœnam in eum exerceat, &c. Sic Sayrus *lib. 5. cap. 22. num. 13.* & alij penes ipſum.

TRACTATUS QUINTUS
DE VIOLATIONE,
SEU POLLUTIONE
ECCLESIÆ.

DE hac materia tractant Sylueſt. *verb. conſecratio 2. num. 5.* & ibi Angel. Tabiena, & Armilla. D. Thom. *tertia parte, quæſtione 83. articulo 3. ad 2.* Sotus *diſtinct. 13. quæſtione 2. articulo 3.* vbi Richard. Scot. & Palud. *quæſtione 2. articulo 3.* Corduba *libro 2. quæſtione 35.* Maiolus *lib. 3. de Irregularit. capite 23. numero 10.* Nauarrus *capite 27. à numero 251.* Pater Henriquez *libro 9. capite 27. §. 5. & ſequentibus, & libro 13. capite 51. numero 5.* Auil. *part. 5. diſputatione 7. per totam.* Sayr. *libro 5. capite 16.* Suarez *tom. 3. in tertiam partem, diſputatione 81. ſectione 4.* Alterius *diſputatione 3. de Interdict. pag. 333.* Bonacina *quæſtione 4. de Matrim. punct. vltim.* Villalobos *tractatu 8. de Miſſa, diff. 24.* Philibert Marchin. *de Ordin. tract. 3. de Sacrif. Miſſæ, part. 3. cap. 10.*

DISPUTATIO PRIMA.
De Modis quibus Eccleſia violatur.

QVÆSTIO PRIMA.
An Eccleſia violatio imponatur ſolùm à Iure, an etiam ab homine?

RESPONDEO, vt certum: Solummodò imponi à jure, non ab homine. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 51. num. 5.* Auil. *part. 5. diſp. 7. dub. 1.* & communis.

QVÆSTIO II.
Quot ſunt caſus quibus Eccleſia polluitur, & violatur?

REſpondeo: Quod ſex. *Primò* namque violatur per homicidium voluntarium iniurioſum, *cap. Propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſ. diſtinct. 1. Secundò,* per voluntariam ſanguinis effuſionem, *cap. Si Eccleſia, de conſecr. diſtinct. 1. Tertiò,* per voluntariam ſeminis effuſionem, *cap. Is qui, de ſentent. excommunicat. in 6. & cap. Vnico, de conſecrat. eodem libro. Quartò,* per ſepulturam in ea excommunicati non tolerati, *cap. Conſuluiſti, de conſecrat. Eccleſiæ. Quintò,* per ſepulturam in ea Pagani, aut cuiuſuis infidelis, *cap. Eccleſia 1. & 2. de conſecrat. diſtinct. 1. Sextò* tandem per deſtructionem, aut combuſtionem omnium, vel maioris partis parietum Eccleſiæ ſimul. Sic communiter Doctores, cum quibus ſingillatim de prædictis caſibus breuiter agemus: ſit ergo

§. I.

De violatione Eccleſiæ per homicidium in ea patratum.

QVÆSTIO III.

An violetur Eccleſia per homicidium in ea factum in defenſionem propria vitæ?

RΕſpondeo, vt certum: Quod non violetur, quia tale homicidium non eſt iniurioſum, quod requirit Ius, vt habitum eſt *quæſt.* 1. Sic omnes. Legantur Sayr. *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 14. Angel. Tabien. Syluest. Victor. & Viuald. apud illum. Auil. *part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Bonac. *quæſt.* 4. *de Matrim. punct. vlt. num.* 10. Alter. *diſp.* 3. *de Interd. cap.* 1. *column.* 2. Philibert. *tract.* 3. *de Sacrif. Miſſæ, part.* 3. *cap.* 10. *num.* 7. & alij.

QVÆSTIO IV.

An ſi quis ob Fidei Catholicæ, Eccleſiæve defenſionem in Eccleſia occidatur, tunc Eccleſia maneat polluta?

NEgant aliqui, eo quòd in tali caſu Eccleſia martyris ſanguine, & morte potius conſecrari, quàm violari videatur. Et ideò ita ſentiunt Panormitan. *in cap. Significaſti, num.* 2. *de Adult.* & Summa Confeſſ. *lib.* 3. *tit.* 14. *quæſt.* 153.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Manere pollutam. Quia quamuis paſſiua effuſione ſanguinis martyris honoretur, & ſanctificetur Eccleſia, *cap. Quamuis, diſt.* 24. ex iniqua tamen, & actiua effuſione polluitur, & magis iniuriatur, ſecundum illud: *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit*: & ideò Eccleſia reconcilianda eſt, non tamen lauandus locus, vbi ſanguis eſt effuſus. Sic Gloſſ. *in cap. Vnica, de conſecrat. Eccleſ. lib.* 6. *verb. Sanguinis.* Archidiac. ibid. Armilla *verb. Conſecr. num.* 5. Syluest. *conſecr.* 2. *num.* 5. Viuald. *tract. de Interd. num.* 65. *pag. mihi* 182. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 14. ex Nauarr. *cap.* 27. *num.* 256. *verſ. Aut mortis.* Auila *concl.* 2. *cit. in fine.* Philibertus, Alterius, Bonac. *loc. cit.* & communis.

QVÆSTIO V.

An homicidium cauſatum ab ictu furioſi, vel amentis, vel pueri iudicio carentis, Eccleſiam polluat, & violet?

REſpondeo, vt certum: Quod non. Quia tale homicidium nec eſt iniurioſum, nec voluntarium, quod iura ad effectum violandi Eccleſiam requirunt. Sic Collectarius *in cap. fin. de delict. pueror.* quem citat, & ſequitur Nauarr. *cap.* 27. *num.* 256. *verſ. Dixi, iniurioſè.* Archidiac. Couarr. Syluest. & Armilla, quos citat, & ſequitur Viuald. *num.* 61. *pag. mihi* 227. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 13. ibi: Neque ſufficit, ſi quis furioſus in amentia ſe ipſum, aut alium ibi interficiat, quia non eſt homicidium mortale, vbi deeſt voluntas: argum. *Clement. Si furioſus, de homicid.* ſecus tamen ſi quis ſuæ mentis compos ſeipſum, vel alium in Eccleſia animo irato occidat, ſi ſit publicum. Sic Sayrus, Philibert. Auila, Alterius, & Bonacin. *loc. cit.* Et Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 6. & communis.

QVÆSTIO VI.

An ob homicidium omninò caſuale violetur Eccleſia?

REſpondeo, vt certum: Non violari. Quia huiuſmodi homicidium nec eſt voluntarium, nec iniurioſum. Sic Nauarr. *capite* 27. *num.* 257. ibi: Dixi, *iniurioſè*, quia non ſufficit naturalis effuſio per nares, aut per os, aut quæ caſu fit, lapſu, vel offendiculo, aut ictu lapidis, aut tegulæ per ſe deſcendentis. Gloſſa *d. cap.* 1. *recepta.* Sic ille. Auila *part.* 5. *diſputatione* 7. *dubitatione* 1. *concluſ.* 2. Sayrus *libro* 5. *capite* 16. *numero* 13. Viualdus *numero* 59. & penes illum Syluest. Angel. & Armill. *verb. Conſecratio.* Alterius *diſp.* 3. *de Interd. cap.* 1. *column.* 2. & omnes.

QVÆSTIO VII.

An ſi quis exiſtens intra Eccleſiam, telo, lapide, aut alio inſtrumento occidat quem exiſtentem extra Eccleſiam, maneat tunc polluta Eccleſia?

AFfirmauit quidam Prælatus grauis, vt refert Viualdus vbi infrà.

Sed vt certum Reſpondeo: Non manere pollutam. Quia non conſummatur actio externa occiſionis in loco Sacro, ſed extra illum: nam quamuis à loco Sacro progrediatur, non eſt tamen intra illum facta. Sic omnes, Viuald. *tract. de Interdict. numero* 67. *pag. mihi* 128. ex Nauarro *capite* 27. *numero* 256. *verſ. Aut mortis.* Philibertus *loc. cit. capite* 10. *numero* 7. Auila *concluſ.* 2. *cit.* Sayrus *lib.* 5. *capite* 16. *numero* 16. ex Ledeſma, & aliis. De quo caſu iam etiam egimus *prima parte, tract.* 5. *diſp.* 8, §. 4. *quæſt.* 8.

QVÆSTIO VIII.

An ſaltem maneat Eccleſia polluta, ſi quis exiſtens extra Eccleſiam, aliquem intra illam manentem ſcienter occidat?

REſpondeo, vt certum: Tunc manere pollutam, ac violatam. Quia per talem occiſionem grauis iniuria Eccleſiæ irrogata fuit. Sic tenent omnes Doctores, præcipuè Nauarrus, Viualdus, Sayrus, & alij ſuper citati, & nos *prima parte, loco ſupr.* allegato.

QVÆSTIO IX.

An polluatur Eccleſia ex eo quod Iudex ſuſpendat in ea aliquem?

NEgandum videtur: eo quòd tale homicidium non videatur iniurioſum.

Sed vt certum Reſpondeo: Pollui, & violari. Quia licèt tali actione non fiat iniuria ei, qui ſuſpenditur, cum id mereatur, fit tamen iniuria loco Sacro, quod ſufficit. Sic Alterius *diſputatione tertia de Interdicto, capite primo, columna ſecunda, in fine.* Philibertus *de Ordine, tractatu tertio, parte tertia, capite decimo, numero ſeptimo,* & alij.

QVÆSTIO X.

An item maneat Eccleſia polluta, ſi Iudex ſuſpendat hominem ſuper tectum Eccleſiæ, aut ſubter eam in ſpecu, aut in pariete exteriori eiuſdem?

RESpondeo, cum communi: Tunc non manere pollutam, eo quòd tale homicidium non fiat intra Eccleſiam; & Canones de homicidio intra Eccleſiam patrato loquantur. Sic Nauarr. *cap.* 27. *num.* 256. *verſ. Dixi intra*, & apud illum Archidiac. & Gloſſa. Sayr. *loc. cit. num.* 14. ibi: Similiter, ſi quis ſuprà tectum Eccleſiæ occidatur, aut ſub Eccleſia, non violatur Eccleſia, quia verè non eſt factum homicidium intra Eccleſiam, ſed extra. Sic ille ex Summa, Aſtenſi, Angelo, Syluestro, Tabiena, & aliis. Philibertus, & Alterius *ſupr. citat.* Auila *part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Villalob. *tract.* 8. *diff.* 24. *num.* 1. & alij.

QVÆSTIO XI.

An polluatur Eccleſia caſu, quo mors alicui intra eam, abſque ſanguinis effuſione, inferatur?

RESpondeo, vt quid certum: Pollui. Quia talis mors verum homicidium eſt, & dicitur. Sic Gloſſ. *in cap. vnico, de conſecrat. Eccleſ. in* 6. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 156. *verſ. Aut mortu.* Viuald. *de Interdict. num.* 66. ita dicens: Ex ſupra dictis *numero* 57. patet, quod ſi mors aliquo modo alicui intra Eccleſiam, abſque ſanguinis effuſione inferatur, erit Eccleſia polluta, vt quando aliquis ibidem ſuffocatur, fune ſuſpenditur, veneno, vel alio maleficio, interficitur. Sic ille. Saytus *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 12. ex Palud. Syluest. Tabiena, Philiarcho, Graffio, & aliis. Alterius *cap.* 1. *cit. columna* 2. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. Auila *concl.* 2. *cit.* & omnes.

QVÆSTIO XII.

An ſi quis intra Eccleſiam lethaliter percutiatur, ſine vulnere tamen, & ſanguinis effuſione, & extra Eccleſiam moriatur, Eccleſia violetur?

NEgant plures DD. Quia in hoc caſu, nec interuenit in Eccleſia effuſio ſanguinis, nec homicidium, cum ſequatur extra locum Sacrum: ergo nullo ex capite violata manet Eccleſia. Ita Suarez *tom.* 3. *de Sacram. diſp.* 81. *ſect.* 4. Cuius opinionem probabilem vocat Fagund. *de quinque Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 13. quamuis ipſe contrarium ſectetur. Alter. *diſp.* 3. *de Interd. cap.* 1. *col.* 2. *verſ. Sex autem*, ibi: Si quis percutiat alium in Eccleſia, ſine vulnere, & ſine ſanguinis effuſione, & ſit percuſſio ſufficiens ad occidendum, propter violentam contuſionem, non erit violata Eccleſia donec homicidium ſit conſummatum in ipſa Eccleſia. Si enim mors ſequeretur extra Eccleſiam, revera non diceretur homicidium commiſſum in Eccleſia. Ita Alterius, & Villalob. *loc. cit. num.* 1.

Sed probabilius Reſpondeo: Violari Eccleſiam. Quia licèt verum ſit, quod mors ſequatur extra Eccleſiam; tamen efficax cauſa illius intra Eccleſiam fuit conſummata, quod ſufficit ad Eccleſiæ violationem, cùm illa actio fuerit Eccleſiæ iniurioſa, & mortem per ſe inferens. Sic Philibertus *de Ordine, tractatu* 3. *parte* 5. *capite* 10. *numero* 7. ex Nauarro *capite* 27. *num.* 256. *verſ. Aut datur cauſa.* Fagundez *loc. cit.* Sayrus *libro* 5. *capite* 16. *numero* 15. ibi: Vnde ſi quis in Eccleſia lethaliter percutiatur, & extra Eccleſiam moriatur: Eccleſia violatur; quia verè in Eccleſia factum eſt homicidium. Sic ille. Auila *part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 1. *concluſ.* 2. *verſ. Non tamen ſufficit.* Viuald. *num.* 64. & alij.

QVÆSTIO XIII.

An ſi quis ſe ipſum voluntariè interficiat, aut percutiat, ita vt effundatur in Eccleſia ſanguis, maneat ipſa violata?

RESpondeo, vt certum: Manere. Quia eadem ratio militat in homicidio alieno, quàm in proprio, & in effuſione proprij ſanguinis, ac alieni. Quia quamuis actio facta ab eodem non poſſit dici propriè iniurioſa reſpectu ſui ipſius; tamen reſpectu Dei, & Eccleſiæ dicitur iniqua, & iniurioſa. Sic Alterius *diſputatione* 5. *de Interdicto, cap.* 1. *colum.* 3. *verſ. Quæritur tertiò.* Auila *concluſ.* 2. *cit. verſ. Præterea.* Sayrus *lib.* 5. *cap.* 16. *numero* 13. *in fine.*

QVÆSTIO XIV.

An ſi quis extra Eccleſiam percuſſus, fugiens ad Eccleſiam, multum ſanguinem effundat, ibique moriatur, tunc Eccleſia ſit violata?

RESpondeo: Quod non. Quia homicidium huiuſmodi minimè eſt in Eccleſia factum. Sic Sayrus *loc. cit. num.* 14. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 256. *verſ. Aut datur cauſa.* Alterius *colum.* 3. *cit. verſ. Secundò polluitur.*

---

§. II.

De violatione Eccleſiæ per voluntariam ſanguinis effuſionem.

QVÆSTIO XV.

An per quamcunque ſanguinis effuſionem intra Eccleſiam factam, etiamſi non ſit voluntaria, aut iniurioſa, polluatur, & violetur Eccleſia?

AFfirmandum videtur, eo quòd in iure non expreſsè ſtatuitur, quod effuſio debeat eſſe iniurioſa, aut voluntaria: ergo quælibet ſufficiet. Antecedens conſtat; nam *cap. Eccleſiis, diſt.* 68. *& de conſecrat. diſt.* 1. ſic dicitur: *Eccleſiis ſemel conſecratis Deo, non iterum debet conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſcumque ſemine fuerint pollutæ.* Sic textus ex Concilio Nicæno deſumptus.

Sed vt certum Reſpondeo: Non per quamcunque effuſionem ſanguinis factam intra Eccleſiam, hanc violari, pollui ve; ſed per effuſionem ſanguinis voluntariam, & iniurioſam. Quia licèt verum ſit, quod id non expreſsè caueatur in iure; tamen ita explicatur communiter ab omnibus Doctoribus. Sic namque Nauarrus *cap.* 27.

cap.27. num.256. Sot. *diſt.23. quaſt.2. art.3.* Sylueſt. *verb.conſecratio 2.quaſt.5. verſ. Secundus caſus, & v.interdictum* 4.§.3. Henriq. *lib.9.cap.27. num.5.* Vivald.*de interdict. num.54.* Sayr. *lib.5. cap.16. numero* 2. & penes illum Palud. Angel. Tabien.D.Antoninus, Graſſius, Zerola, Victoria, & alij. Avila etiam *part. 5. diſp.7. dub.1. concluſ.2.* Alter. *diſp.3. de Interdict. cap.1. column. 3. verſ. Secundò polluitur.* Philibertus *tract.3. de Ordine, part.3. cap.10. numero* 8. & Villalob. *tract.* 8. *diff. 24. num.2.* Ex hoc colligentes, quod neque naturalis effuſio ſanguinis è naribus, aut ex ore, aut ob aliquem euentum fortuitum, putà ob caſum, aut lapſum lapidis de Eccleſia cadentis, &c. violet Eccleſiam.

QVÆSTIO XVI.

An ex quavis modica effuſione ſanguinis iniurioſa, & voluntaria, facta intra Eccleſiam, hac maneat violata, ac polluta?

AFfirmat Caſtro *de lege pœnali lib.2. cap.7. corollar.* 2. docens ex qualibet minima ſanguinis effuſione Eccleſiam violari: non verò ſi vna, aut altera gutta effundatur. Ab huius authoris ſententia non multùm diſtat Ægid. *in tertia parte, quaſt.* 83. *art.3. dub.1. num.227.* quatenus dicit, ad violandam Eccleſiam non ſufficere duas, vel tres guttas elici.

Sed vt quid certum Reſpondeo: Non manere violatam, nec pollutam ex modica effuſione ſanguinis, ſed ex abundanti, & magna: nam effuſio, in iuribus citatis, abundantiam ſignificat. Sic communiter DD. Gloſſ. *in cap. vnico, de conſecr. Eccleſ. in* 6. Abb. *in cap.Propoſuiſti,de conſecr.Eccleſ. n.3.* Azor. *prima parte, lib. 10. cap.26. quaſt.13.* Suarez *tom.3.diſp.81. ſect.4.num.2.* Reginald. *tom.2.lib.29. cap.29. num.181.* Auil. *part.5. diſp.7. dub.1. concluſ.2.* Fagund. *lib. 3. cap.14. num.19.* quos omnes refert ac ſequitur Dian. *part.6.tract.6.Reſol.25.verſ. Notandum eſt*, vbi ſententiam Caſtri falſam appellat. His addo Sayr. *lib.5.cap.16.num.2.* & Toletum apud ipſum. Nauarr. *cap.27. num.256.* Alter. *diſp.3. de Interd. cap. 2. column. 4. verſ. Quaritur quintò*, dicentem, pro comperto haberi apud omnes, non violari Eccleſiam, ſi parum ſanguinis defluat. Philibert. *tract.3.cit. part.3. cap.10. num.8.* Viuald. *de Interd. num.49.* & me ipſum tandem 1.*part. tract.5. diſp.8. §.4. quaſt.7.*

QVÆSTIO XVII.

An polluatur Eccleſia, quando in rixa puerorum, aut aliorum, magna ſanguinis quantitas è naribus in illa effunditur?

AFfirmatiuam ſententiam probare quis poteſt: quia tunc violatur Eccleſia, quando percuſſio eſt peccaminoſa, & lethalis, & cum illa conjungitur copioſa ſanguinis effuſio: atqui hæc omnia reperiuntur in caſu noſtræ quæſtionis: ergo. Propter hanc rationem ita ſentit Syluius *in tertia parte, quaſt. 83. art. 3. poſt concluſ. §. Quaritur*, & etiam loquendo de pueris, non de maioribus, Ægidius *in tertia parte, quaſt.83.art.3.dub.1.num.* 228. ibi: Aut quando parui pueri ex ſubita rixa excutiunt ſibi cruorem ex naribus, quia iniuria parua eſt. Vide Nauarr. *cap.27. num.* 256. & Syluestrum *ſupr.* Imò Victoria de Eucharistia *num.99.* abſolutè negat per ſimilem percuſſionem Eccleſiam pollui,

quia non eſt grauis læſio. Sed ſi deliberatè inter maiores fiat, non auſim hoc certò aſſerere. Sic Ægidius. Huic Doctori fauent Sot. *diſt. 3. quaſt. 2. art. 3. ad argum. dicto* 4. quem citant, & ſequuntur Auil. *concluſ.2.cit.*& Alter.*cap.1. cit. column. 4. verſ. Quaritur quintò*; quatenus ſolùm dicunt, quod non polluatur Eccleſia, quando in rixa puerorum effunditur ſanguis è naribus. Quibus verbis videntur indicare, ſecus eſſe dicendum, ſi effunderetur in rixa maiorum. Sed quidquid hi Doctores velint:

Ego, abſolutè loquendo de omnibus, æquè probabiliter Reſpondeo: Dicendum, quod minimè polluatur Eccleſia in prædicto caſu. Sic tenet Philibertus Marchin. *de Ordine,tract.3.part.3. cap.* 10. (non 11. vt offendes apud Dianam, *num.* 8. ita dicens: Tertiò excipitur effuſio ſanguinis etiam lethifera, ſeu grauis, & in magna quantitate, quæ de naſo proflueret, pugno, alapa, & ſimilibus: quia naſus eſt organum ſanguinis facilè ab hac parte fluentis, vt poſt alios dixit Graffius *deciſ.aurear.lib.2. cap.48.n.25.* Hæc Philibertus: Quem ſimul cum Sà *verb.Eccleſ.num.13.in fine*, Fagundio *part.1.de pracept.Eccleſ.lib.3.cap.14.num.7.& part.2.lib.4. cap.4. n.*18.citat,& ſequitur Dian. *part.6.tract.6. Reſol.24.* vbi ait, hanc ſententiam abſolutè eſſe tenendam, & non quoad pueros tantùm rixantes in Eccleſia. His authoribus addo ego Sayr. *lib.5. cap. 16. num. 2. in fin.* vbi citat Graff.Victor.Sot.Zerol.Thom.Panorm. & Syluanum,Caſtrum Palaum *tom.2.tract.11.diſp.1. punct.1.num.1.*ibi:Item neque percuſſionem narium, etiamſi multus ſanguis effluat; quia non eſt grauis percuſſio, neque inſignis iniuria, & ex naribus facilè copia ſanguinis effluit. Sà *v. Eccleſ.num.13.* & Fagundez, &c.

QVÆSTIO XVIII.

An polluatur Eccleſia effuſione ſanguinis per iniuriam facta homini mortuo in Eccleſia ipſa exiſtenti?

AFfirmant quidam Doctores, exiſtimantes pollutam manere Eccleſiam caſu, quo ante illam quis fuiſſet occiſus, & dum adhuc calidus eſſet intra eam illatus, credens inimicus eſſe adhuc viuum, vulnus graue ei intulerit, ex quo copioſa ſanguinis effuſio emanauit. Ita Durandus *in Ration. diuinor. officior. lib.1. cap.6. num.41.* Ioan. Bachon *in 4. diſtinct.* 10. *quaſt.2. art. 3.* & Sà *verb. Eccleſia*; *numero* 13. vbi ita ait: Polluitur Eccleſia effuſione ſanguinis per iniuriam, quæ ſit peccatum mortale, factam etiam homine mortuo in Eccleſia ipſa exiſtente. Hæc Sa.

Sed probabilius Reſpondeo: Non pollui, in caſu poſito, Eccleſiam. Quia Eccleſia non violatur effuſione ſanguinis hominis mortui,ſed viui. Nam iura, dum in violatione Eccleſiæ requirunt effuſionem ſanguinis, intelligi debent de principali analogato, id eſt, ſanguinis hominis viui. Sic Henriquez *lib.9. cap.27. num.5. in principio*, vbi ita ait: In Eccleſia celebrare non licet, ſi vno ex his modis ſit violata, ſeu polluta. *Primò* per effuſionem ſanguinis hominis viuentis, ſi modò iniurioſa ſit intra Templum, & in magna quantitate. Sic ille. Et Fagundez *lib. 3. cap.14. num.14. & 15.* quos citat, & ſequitur Diana *part. 6. tract 6. reſolut. 25.* Sic expreſſè Sayrus *libro 5. capite 16. numero 7.* per hæc verba: Debet etiam effuſio hæc eſſe *hominis viuentis*; vnde ſi quis ante Eccleſiam occiſus, mox intra Eccleſiam inferatur, occiſor verò, aut alius, mortuum eſſe non credens, corpori adhuc

calido plagam infligat, ex qua ſanguis fluit, non polluitur Eccleſia, vt colligi poteſt ex Henriquez, *vbi ſupra*; quidquid contrarium putat Bachon *cit.* Hæc Saytus.

QVÆSTIO XIX.

An effuſio ſanguinis animalium inducat violationem Eccleſiæ?

RESpondeo, vt certum: Quod non. Quia debet eſſe effuſio ſanguinis hominis, vt communiter explicantes Iura docent Doctores. Gloſſa *in cap. vnico, de conſecrat. in 6. verbo, Sanguinis.* Nauarrus *cap. 27. numero 256. verſ. Humanus.* Viualdus *de Interdicto, numero* 58. Saytus *loc. citat. num.* 6. & omnes.

QVÆSTIO XX.

An menſtrua mulierum in Eccleſia fluentia ipſam violent?

AFfirmant quidam antiqui Doctores, vt refert Viuald. *loc. cit. num.* 60.

Sed vt certum Reſpondeo: Non violare. Quia dicta ſanguinis effuſio eſt naturalis, nec iniurioſa eſt Eccleſiæ: ergo per illam non redditur hæc violata. Sic Viualdus *loc. cit.* & conſtat eſſe communem, ex dictis.

QVÆSTIO XXI.

An effuſio ſanguinis copioſa ex ludo, aut ioco cauſata, Eccleſiam violet?

RESpondeo: Non violare. Quia per præfatam ſanguinis effuſionem nulla grauis iniuria Eccleſiæ infertur: igitur ſi non eſt iniurioſa, non poteſt violationem cauſare. Addo, quod ad hoc quod effuſio violationem inducat, debet ita iniurioſè fieri, vt ſit mortalis culpa. Sic communiter Nauarrus *cap. 17. num. 256. verb. Dixi iniurioſè.* Saytus *lib. 5. cap. 16. numero* 4. Philibertus *tract. 3. de Ordine, part. 3. cap. 10. num.* 8. Villalobos *tract.* 8. *difficult. 24. numero* 2. ita dicens: *Lo ſegundo ſe viola la Igleſia por derramamiento de ſangre, que en ella ſe haga, conforme à Derecho, que aſſi ſe entienden eſtos textos, aunque no dizen expreſamente, que ha de ſer iniurioſa a voluntario, y no baſtaria que ſe hizieſe de burla, ò a caſo*, &c. Sic ille.

QVÆSTIO XXII.

An violet Eccleſiam percuſſio grauis, facta pugno, alapa, virga, aut baculo intra Eccleſiam, ſi ex illa nec vulnus, nec mors, nec ſanguis oriatur?

AFfirmant Graffius, & Fagundex citati à nobis *1. part. tract. 5. disp. 8. §. 4. quæſt.* 6.

Sed probabilius iretum Reſpondeo: Non violare Eccleſiam, licèt aliàs talis actio ſit lethalis. Quia iura ſolum loquuntur de occiſione, aut de vulnere cum effuſione ſanguinis: ergo. Sic Lugo, Philibertus, & Nauarrus citati à nobis *vbi ſuprà.*

QVÆSTIO XXIII.

An polluat Eccleſiam Chirurgus, qui dum vulnus curat in Eccleſia, aut venam incidit, copioſè ſanguinem fundit?

RESpondeo, vt certum: Quod non, quia talis effuſio ſanguinis nec eſt iniurioſa Eccleſiæ, nec culpata. Sic Henriquez *lib. 9. cap. 27. num.* 5. Auila *part. 5. diſp. 7. dub. 1. concluſ.* 2. ibi: Dicitur *iniurioſè*, quia ſi effuſio non ſit iniurioſa, non polluit, vt ſi fiat ex lapide cadente, vel à furioſo, vel à Chirurgo, vel à ſe iuſtè defendendo. Sic ille. Alterius *cap. 1. cit. col. 4. verſ. Quæritur quintò.*

QVÆSTIO XXIV.

An violet Eccleſiam Iudex, ſi intra illam ferat ſententiam mortis, aut ſanguinis in aliquem?

RESpondeo, vt certum: Non violare, ſi non intra Eccleſiam, ſed extra illam mors, aut ſanguinis effuſio facta eſt. Hæc reſponſio conſtat ex dictis, & tenent illam Nauar. *num. 256. cit. verſ. Dixi, naturalis.* Alterius *diſp. 3. de Interdict. cap. 1. col. 3. quæſito* 2. & omnes.

---

§. III.

De violatione Eccleſiæ per humani ſeminis effuſionem in ea.

QVÆSTIO XXV.

An pollutio facta in ſomnis in Eccleſia polluat ipſam.

AFfirmat Angelus *verb. Conſecratio Eccleſ. n.* 6. (non 9. vt offendes apud Nauarrum, & Viualdum.) ibi: Et intelligunt quidam de omni effuſione ſeminis crimmoſa. Secus de effuſione, quæ fit in ſomnis, & ea quæ fit in Matrimonio, cauſa procreandæ prolis, & huiuſmodi. Contrarium tamen tenetur communiter, vt patet in Gloſſa *d. cap. Vnico*, & quod ibi notat, vt habeat locum in omni pollutione humana. Et hoc magis conſonat textui *in cap. Eccleſiis, de conſecr.* & hoc tene. Hæc Angelus.

Sed, vt certum Reſpondeo: Non polluere Eccleſiã. Quia non eſt voluntaria, licet aliquando indirectè poſſit eſſe in ſua cauſa, & ideo non poteſt dici humana, & iniurioſa Eccleſiæ. Sic Nauar. *cap. 27. n.* 257. Qui & dicit ſic tenere Gloſſam communiter receptam, *in d. cap. Eccleſiis.* Henriquex *lib. 9. cap. 27. n. 5. in corp. & in annot. litt. Q.* & errore Typographi, *p.* (non *m*, vt citat Alterius) & apud illum Silueſter, & communis. Viuald. *de Interd. n.* 71. Auila *p. 5. diſp. 7. dub. 1. verſ. Secundus eſt.* Alterius *cap. 1. cit. col. 4. verſ. Tertiò violatur Eccleſia.* Philibertus *tract. 3. de Ordine, p. 3. cap. 10. n.* 9. Saytus *lib. 5. cap. 16. n.* 21. & apud illum Palud. Aſtenſ. Tabiena, Silueſt. Alphonſ. à Caſtro, Ioan. Bachon. & omnes.

QVÆSTIO XXVI.

An ſaltem violetur Eccleſia per pollutionem, quam Confeſſarius inuitus patitur audiendo confeſſiones?

AFfirmabit, & à fortiori, Angelus *vbi ſupra.*

Sed, vt certum Reſpondeo: Nec per hanc pollutionem

pollutionem violari Eccleſiam : eo quòd nec ſit voluntaria,nec iniurioſa Eccleſiæ. Sic Auila *loc.cit.* ibi: Non tamen ſufficit pollutio facta in ſomnis , licèt ſit indirectè voluntaria : vnde à fortiori, non violat pollutio , quam Confeſſarius inuitus patitur audiendo confeſſiones. Sic Auila. Alterius *loc cit.*

QVÆSTIO XXVII.

An per quamcunque illicitam ſeminis humani effuſionem factam intra Eccleſiam, hac polluatur , & violetur?

RESpondeo, vt quid certum : Pollui, ac violari, vt conſtat ex Iuribus ſuprà allegatis. Sic Nauarr. *c.27.n.157.* ita ſcribens : Secundus caſus eſt,quando in Eccleſia ſemen humanum voluntariè effunditur. Dixi, *Humanum* ; quia cæterorum animalium ad id non pertinet. Gloſſa *in d.c.1.verb.Humanum :* & quia ſatis eſt,vt ſit cuiuſlibet hominis, ſiue fœminæ,viri, Clerici,laici,fidelis, ſiue infidelis ; & quod effundatur iuxta,contra,aut extra curſum naturalem,text. *in d.c.Eccleſiis,verb.Cuiuſque,* & Specul. *vbi ſupra,tit. de dedicat.Eccleſ.col.*30. Hæc meus Nauarrus. Et ex illo Auila,& Alterius *loc. cit.* Viuald.*num.*70.Philibert. *loc.cit.* Saytus *lib.5.cap.16.num.*18. & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An ad violandam Eccleſiam ſufficiat habere in illa voluntariam pollutionem , in parua quantitate , vnius videlicet , vel alterius guttæ?

AFfirmat Alterius *diſp.3.de Interd. c.1. col.4. in fine,* vbi præmiſſa opinione contraria , ita ait: Sed hæc opinio mihi non probatur,& oppoſitum videtur probabilius , nempe ex quacumque ſeminis effuſione , cum conditionibus præſcriptis pollui Eccleſiam,& non eſſe neceſſariam copiam,& quantitatem, ſicut dictum eſt de ſanguinis effuſione. *Primò* quia ſolus Syluester *verb. Conſecratio 2.§.5. verſ. Tertius caſus,* citans Aſtenſ. requirit effuſionem magnam ſeminis. Alij poſtulant hanc quantitatem in violatione Eccleſiæ ob ſanguinis effuſionem, de ſemine nihil dicunt , quoad magnam , vel modicam quantitatem : & re vera magis conſideranda eſt voluntaria emiſſio ſeminis in tali loco ſacro, quàm copia ; & quod dicit Siluester , modicam humectationem non polluere Eccleſiam , verum eſt : quia talis humectatio non dicitur effuſio ſeminis. Ita ille. Et antea Saytus *lib.5.cap.16.num.21. in fine.*

Sed probabilius Reſpondeo : Minimè ſufficere ad violandam Eccleſiam, habere in illa quem voluntariam pollutionem in parua quantitate , nempe vnius, vel alterius guttæ ſeminalis ; ſed neceſſariò requiri vt ſeminis effuſio ſit in ſufficienti quantitate.

Probatur. Quia ius eodem modo loquitur de violatione Eccleſiæ,ob ſanguinis effuſionem , quàm od effuſionem humani ſeminis: atqui vt Eccleſia ob effuſionem ſanguinis maneat violata , non ſufficit effuſio ſanguinis in modica quantitate , ſed neceſſariò magnam requirit,eo quod effuſio magnam quantitatem ſignificet, *vt ſupra* eſt habitum : ergo etiam hanc eandem requirit , vt ob effuſionem ſeminis violata maneat. Maior, in qua poteſt eſſe difficultas, conſtat ex textu *in cap.Is qui,de ſent.excommun.in 6. & in cap.Vnico,de conſecr. Eccleſ. eod.lib.*ibi: *ſi Eccleſiam pollui ſanguinis, aut ſeminis effuſione contingat:* ergo,&c.Sic Suarez *tom.3.in 3.p.diſp.81.ſect.4. verſ.Tertio violatur* , vbi id probat ex eo,quod licet illa parua gutta ex parte interioris voluntatis ſit peccatum mortale intemperantiæ , tamen ratione exterioris iniuriæ loci ſacri non eſt res adeo grauis , neque iniuria conſummata, præſertim quia in hac parua & modica quantitate non poteſt vocari effuſio.Sic ille.Et Philibertus *de Ordine, tract.3.part.3. cap.*10. *num.*9. Petr.de Ledeſma,& Graffius,quos adduximus 1.*part. tract.5. diſp.*8. §. 4. *quæſt.7. &* 10 Ægidius *in 3. part. quæſt.83. art.3. dub.1.num.*226. ibi : Notent autem Doctores, ex verbo *effuſio*, debere eſſe copioſam ; nec ſufficere emiſſionem vnius, aut alterius guttæ. Bonacina *quæſt.4. de Matrim. punct.vltimo, num.*19. & penes illum Gambarupta, Filliucius,Nuñus, & alij.

QVÆSTIO XXIX.

An per copulam matrimonialem exercitam in Eccleſia,hac polluatur, & violetur?

NEgant Vaſquez , Baſilius , Hurtado, Lopezius, & Sà , & alij citati à nobis 1. *part. tractat.5. diſp.8. quæſt.*14. *& part.* 2. *tract.9. diſp.25.* §. 4. *quæſt.*30.

Affirmant è contrà Palud. D.Anton. Caiet Armilla , Toledo , Graffius, & Valeuria , vt videbis *vbi ſupra.*

Sed probabilius Reſpondeo : Pollui , ac violari Eccleſiam per dictam coniugalem copulam ; niſi aliàs ex iuſta cauſa exerceatur , vt quando diu ſunt in Eccleſia incluſi. Quia in hoc caſu non vult Eccleſia obligare coniuges ad abſtinendum à coniugali copula. Sanch. Leſſius , Fagundez , Suarius , Ledeſma , Megala , Tannerus , Diana , Lugo, Candidus, Navarr. Henriq. Palao, Geſualdus, Baunius, & Trullench cum aliis , quos citauimus 1. *&* 2. *parte , vbi ſupra.*

QVÆSTIO XXX.

An vt Eccleſia maneat polluta, ſatis ſit , vt effuſio illicita ſeminis fiat in locis Eccleſiæ ipſi adhærentibus.

REſpondeo : Non eſſe ſatis ; nam neceſſariò requiritur , vt effuſio ſeminis fiat intra Eccleſiam ipſam. Vnde effuſio ſeminis facta ſupra tectum Eccleſiæ , aut ſub Eccleſia,aut in turri , aut in cubiculis Eccleſiæ coniunctis , nullo modo violat Eccleſiam, ſicut dictum eſt de effuſione ſanguinis *ſuprà* , quia eſt eadem ratio. Sic omnes Doctores, inter quos nouiſſimè Palaus ſic ait : Nomine Eccleſiæ ad hunc effectum intelligo ſolùm illud ſpatium , quod eſt à pauimento Eccleſiæ vſque ad tectum , & à ſumma ara vſque ad parietem oppoſitum. Sic Sanchez *n.*23. & Baſilius *num.*3. Quapropter ſi aliquæ ex his actionibus fiant ſupra Eccleſiæ tectum , vel infra pauimentum Eccleſiæ , diuinis officiis , aut fidelium ſepulturæ non deputatum , non dicitur fieri in loco ſacro. Idem eſt ſi extra limen Eccleſiæ fiat : quia limen eſt terminus loci ſacri,aut initium profani. Similiter ſi in turri,vbi cymbala pulſantur,aut in Sacriſtia,aut in cellulis Eccleſiæ adhærentibus : quia hæc non dicuntur locus ſacer ad hunc effectum,vtpote quæ cum Eccleſia vnum corpus non componunt. Idem exiſtimat dicendum Baſil.de Leon *d.cap.*10.*num.*3. de cellulis in quibus mulierum confeſſiones audiuntur, non ſolum ea parte,qua Confeſſarius adſtat,ſed etiam ex illa parte qua fœminæ ingrediuntur,quia non videntur cum Eccleſia vnum corpus conſtituere , ſed quaſi ab ea ſeparari. Idem dicit de cellulis, ſeu tribunis ex quibus Principes Sacrum audiunt. Sed certè,

ſi intra parietes Eccleſiæ, & concauum illius omnes hæ cellulæ inſint, vt ferè ſemper ita ſit, communis, & vera ſententia docet, loca ſacra eſſe, & delicta ibidem commiſſa Eccleſiam polluere. Sic ille, ex Sanchez *diſp.* 15. *num.* 32.

QVÆSTIO XXXI.

An vt effuſio ſanguinis, aut ſeminis violet Eccleſiam, opus ſit, vt hæc in Eccleſia pauimentum cadant.

RESpondeo, tanquam certum: Non eſſe opus. Quia ſufficit quod effuſio ſanguinis, aut ſeminis fiat intra Eccleſiam: quamuis hæc non cadant in terram, eo quòd recipiantur in aliquo vaſe, veſte, &c. Sic Avila *part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 1. *concluſ.* 2. *verſ. Intra Eccleſiam.* Saytus *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 8. ita dicens: Si quis intra Eccleſiam vulneratus antequam ad terram ſanguis decurreret, vtputà, quia in ſcutella colligitur, exiret; nihilominus quia intra Eccleſiam effuſionis ſanguinis cauſa facta eſt, polluitur Eccleſia, & reconciliatione indiget. Gloſſa *in dicto cap. vnico, in verbo Sanguinis, de conſecrat. Eccleſ.* lib. 6. Paludan. Bachon, Sylveſt. Summ. Confeſſor. *quæſt.* 152. Iacob. Graffius *num.* 23. Vivaldus *num.* 63. *&* 64. &c. Sic ille. Alter. *diſp.* 3. *de Interdicto, cap.* 1. *col.* 3. *verſ. Secundò* [illegible]*luitur*, & omnes.

QVÆSTIO XXXII.

An per homicidium, vel effuſionem ſanguinis, aut ſeminis, aut alias actiones, quibus polluitur Eccleſia, occultè factas, violetur Eccleſia, ita vt reconciliatione indigeat?

RESpondeo, tanquam certum: Non violari Eccleſiam per dicta crimina occulta, ita vt reconciliatione indigeat. *Primò*: Quia Eccleſia non judicat de occultis: ergo quando violatio eſt omnino occulta, non eſt opus reconciliare Eccleſiam. Imo non eſſet conueniens, eo quod, vt Eccleſia reconciliaretur, detegerentur occulta crimina.

Secundò. Quia purificatio templi eſt actus publicus, & manifeſtus: ergo ſupponit delictum publicum, & manifeſtum: nam publicè purificatur ad publicum ſcandalum, & publicam injuriam Eccleſiæ factam tollendam. Igitur vt Eccleſia indigeat reconciliatione, opus eſt, quod delictum ſit publicum, vel per ſententiam Iudicis, vel propter facti euidentiam, vel per legitimam teſtium depoſitionem in judicio factam, vel per confeſſionem partium, &c. Sic communiter omnes, præcipuè citati à nobis 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 8. §. 4. *quæſt.* 9. qui ſunt Vaſquez, Sotus, Rodriguez, Baſilius, Hurtado, & Naldus: necnon Suarez, Sanchez, Diana, Candidus, Trullench, Lugo, Philibertus, Pert. Ledeſma, Caramuel, Baſſæus, & alii ibi adducti. Quibus nunc ſpecialiter addo Avilam *part.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 3. & penes illum Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 251. & Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali, cap. vltim. poſt* 3. *concluſ.* Alterius *diſp.* 3. *de interdicto, cap.* 1. *column.* 4. *verſ. Secundò dubitari ſolet*, & Villalobos *tract.* 8. *difficult.* 23. *num.* 5.

§. IV.

De violatione Eccleſiæ per ſepulturam in ea excommunicati, infidelis, vel Pagani.

QVÆSTIO XXXIII.

An Eccleſia violetur ex eo quod in ea ſepeliatur aliquis hæreticus, vel excommunicatus non toleratus?

RESpondeo, tanquam certum: Violari, ac proinde reconciliari debere. Quia ita habetur *in cap. Conſuluiſti, de Conſecrat. Eccleſ.* ibi: *Cœmeteria in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingat, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolenniter benedicta.* Sic textus: ergo multo magis habet hæc deciſio locum in Eccleſiis, cùm cœmeterium ſit acceſſorium ad Eccleſiam, *cap. Is qui, de ſentent. excomm. in* 6. & tale corpus excommunicati eſt extra Eccleſiam projiciendum, ſi ab aliis diſcerni queat, vt definitum fuit ab Innocent. III. *in cap. Sacris, de ſepultur.* Sic omnes Doctores, præcipuè Nauarrus, Suar. Auila, Alterius, & alij. Legantur dicta à nobis *part.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 8. *à quæſt.* 3.

QVÆSTIO XXXIV.

An item violetur Eccleſia, ſi in ea excommunicatus toleratus, ſeu non vitandus, ſepeliatur?

AFfirmandum videtur. Quia graues Doctores affirmant, peccare mortaliter illos, qui excommunicatos toleratos in loco ſacro ſepeliunt, vt vidimus *part.* 4. *loc. cit. quæſt.* 4. ergo non alia ratione, niſi quia violatur per horum ſepulturam Eccleſia.

Sed oppoſitum omnino cum communi Reſpondeo dicendum, quod minimè violetur Eccleſia, eo quòd in ea excommunicatus toleratus ſepeliatur. Quia poſt Concilium Conſtant. nec leuiter peccant ſepelientes in loco ſacro excommunicatum toleratum; quia poſt dictum Concilium, ſolùm excommunicatum non toleratum, hoc eſt, nominatim denunciatum, aut publicum percuſſorem Clerici, tenemur vitare, nec poſſumus in loco ſacro ſepelire, vt latè probauimus *part.* 4. *q.* 4. *cit.* Et quidem quod per ſepulturam excommunicati tolerati non violetur Eccleſia, tenent communiter Doctores, Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. *litt. V.* & penes illum Nauarrus, Sylueſt. Tabiena, Auila *part.* 5. *diſput.* 2. *verſ. Tertius eſt.* Alterius *diſp.* 3. *cit. cap.* 1. *col.* 3. *verſ. Quæ concluſio.* Philibertus *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 10. Villalobos *tract.* 8. *diff.* 14. *num.* 7. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. & communis.

QVÆSTIO XXXV.

An maneat polluta Eccleſia, ſi per Epiſcopum nominatim excommunicatum reconcilietur, conſecretur, aut benedicatur?

AFfirmant communiter Doctores. Quia, ſi ſepultura corporis excommunicati nominatim polluit Eccleſiam, in qua eſt ſepultum, multò magis polluet conſecratio facta per manus Epiſcopi nominatim excommunicati. Ita tenent Abbas in

cap.

cap. Conſuluiſti, num. 3. de conſecrat. Eccleſ. Nauarr. *cap. 27. num. 258. verſ. Quintus.* Syluest. *conſecrat. 2. §. 3. in fine, verſ. Quintus eſt.* Henriq. *lib. 9. cap. 27. num. 5. in fine,* quamuis hic Auctor ſolum in ſententia aliorum loqui videatur: Ioan. Andr. D. Anton. Tabiena, & Toletus, quos omnes citat & ſequitur Alterius *diſp. 3. de Interdict. cap. 2. col. 12. verſ. Omnes Auctores,* dicens omnes, tam veteres, quàm recentiores (excepto vno Suario, *vbi infra*) in hac ſententia conuenire, & ideo oppoſitam non carere aliqua temeritatis nota, indubitanter affirmat. Saytus *lib. 5. cap. 16. num. 27.* Bonacina *quæſt. 4. de Matrimon. num. 20.* Auila *loc. cit. verſ. Quartus eſt.*

Sed certè probabiliter Reſpondeo: Non manere pollutam. Quia in toto Iure Canonico, nulla fit talis pollutionis, aut violationis mentio: ergo non poteſt ipſo iure incurri. Sic ſentit, & latè probat Doctiſſim. Pater Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. tat. 81. ſect. 4. verſ. Quartò violatur,* & poſt illum Fagundez *de quinque Eccleſ. præcept. lib. 13. cap. 14. num. 50.* Philibertus *de Ordine, tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 11. in fine,* Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 9.* Ægidius *in 3. part. quæſt. 83. art. 3. dub. 1. num. 132.* vbi ita ait: Ex hoc autem caſu multi inferunt, Eccleſiam pollui, ſi conſecretur ab Epiſcopo excommunicato; ſed ſine vllo textu. Cum tamen eiuſmodi pœnæ, & quaſi cenſuræ non incurrantur, niſi iure expreſſum ſit: præſertim cum Eccleſiam pollui, ſupponat eam eſſe conſecratam: dum autem eam Epiſcopus conſecrat, nondum poteſt dici conſecrata; & conſequenter non poteſt dici pollui per illum actum. Hæc Ægidius.

QVÆSTIO XXXVI.

An polluatur Eccleſia per ſepulturam in ea Pagani, aut infidelis cuiuſlibet?

Reſpondeo, vt certum: Pollui, ac violari. Quia ſic habetur *in cap. Eccleſiam, el 1. quæſt. 2. de Conſecrat. diſtinct. 1.* Sic omnes. Hoſtienſ. Angel. Syluest. Ledeſma, Viualdus, Toletus, Henriquez, Nauarrus, & alij, quos affert, & ſequitur Saytus *loc. cit. num. 23.* Suarez *diſputatione 81. cit. ſect. 4. verſ. Quintò violatur.* Alterius *diſp. 3. cit. cap. 1. verſ. Quintò polluitur.* Auila, & Philibertus *loc. cit.* & omnes. Qui id intelligunt etiam loquendo de infante, aut puero filio infidelium, aut Gentilium. Legatur Saytus mox citandus.

QVÆSTIO XXXVII.

An ſi filius fidelis moriatur ante Baptiſmum, & ſepeliatur in Eccleſia, hæc maneat polluta?

Negat Paludan. *in 4 diſtinctione 18. quæſtione 8. articulo 1. concluſ. 6.* Quia licèt puer iſte non ſit fidelis, non eſt tamen propriè gentilis, vel infidelis, cùm ſit filius hominis fidelis, & Chriſtiani. Paludanum ſequitur Saytus *lib. 5. cap. 16. num. 25. verſ. Addit etiam Paludanus.*

Sed vt certum Reſpondeo: Manere pollutam. Quia talis puer verè eſt infidelis, ſaltem negatiuè, quamuis ſit filius fidelis; nam verè decedit ſine baptiſmo in actu, & in voto. Sic Alterius *loc. cit. verſ. Sed poſtulabit quis.* Philibertus *tractatu tertio de Ordine, parte tertia, cap. 10. numero duodecimo,* & communis.

QVÆSTIO XXXVIII.

An etiam maneat polluta Eccleſia, ſi puer mortuus in vtero matris fidelis ſimul cum illa ſepeliatur?

Reſpondo, vt certum: tunc manere pollutam. Quia quamuis fœtus ille non ſit baptizatus, atque ita non poſſit ſepeliri in Eccleſia, ſi ſeparatus eſſet ab vtero matris; tamen incluſus in ventre ſepeliri poteſt, eo quòd vt pars matris reputatur *cap. Si qua, de Conſecrat. diſtinct. 4.* & ita Gloſſa vltima *in cap. Eccleſiam, el 1. de Conſecrat. diſtinct. 1.* Syluest. Paludan. Suarez, & alij, quos citat, & ſequitur Alter. *diſp. 1. de Interdicto, cap. 1. col. 16. verſ. Addo vnum.* Philibert. *num. 12. cit.* Auila *part. 7. diſput. 7. dub. 1. concluſ. 2. verſ. Tertium eſt.* Sayr. *loc. cit.* Qui addunt, vſu receptum eſſe, vt in dicto caſu mater aperiatur, & extrahatur fœtus, vt baptizetur, qui ſi careat vita, ſepeliendus eſt extra locum ſacrum.

QVÆSTIO XXXIX.

An caſu, quo mater moriatur prægnans, & poſt mortem, ex negligentia, non aperiatur, ſed ſepulturæ tradatur cum fœtu viuente in vtero, qui poſtea moriatur; tunc maneat violata Eccleſia?

Reſpondeo: Manere Eccleſiam violatam, ratione homicidij infantis in eadem Eccleſia conſummati. Sic Suarez *tom. 3. diſp. 81. ſect. 4. verſ. Quintò violatur.* Alterius ex illo, *loco citato,* & Philibertus. Secus (ait Alterius ex Suario) eſt dicendum, ſi qui occideret fœtum in vtero extra Eccleſiam poſt obitum matris, & deinde traderetur ſepulturæ cadauer matris cum filio intra ventrem; nam tunc non pollueretur Eccleſia, neque ex cauſa homicidij, neque propter ſepulturam.

QVÆSTIO XL.

An ſi Catechumenus in Eccleſia ſepeliatur, illa remaneat polluta?

Reſpondeo dicendum, quod licèt Catechumenus non debeat ſepeliri in loco ſacro, cùm careat Baptiſmo, per quem quis ſit particeps Sacramentorum, & priuilegiorum Eccleſiæ; tamen ſi de facto ſepeliatur, non ideo polluatur Eccleſia. Quia iura ſolum loquuntur de Pagano, & infideli: atqui Catechumenus non eſt infidelis, cum habeat Baptiſmum flaminis: ergo. Sic communis. Saytus *lib. 5. c. 16. n. 14.* Alterius *loc. cit. verſ. Sed poſtulabit quis,* & alij.

De violatione Eccleſiæ ex deſtructione parietum ipſius.

QVÆSTIO XLI.

An ex deſtructione, vel combuſtione omnium ſimul Eccleſiæ parietum maneat Eccleſia violata?

Reſpondeo dicendum: Quod in hoc euentu Eccleſia potius dicenda eſt deſtructa, quàm violata. Unde quando de nouo inſtauratur, non reconciliatur Eccleſia, quæ inſtaurata eſt, ſed denuò conſecratur.

ctatur. Sicque intelligendi ſunt DD. qui dicunt ea deſtructione Eccleſiæ parietum manere ipſam violatam, reconciliationeque indigere. Legatur Alter. *diſp.3.de Interdicto,cap.1.verſ.Sexta cauſa.*

QVÆSTIO XLII.

An quando Eccleſiæ parietes ſucceſſiuè decidunt, & ſucceſſiuè reparantur, tunc Eccleſia indigeat noua conſecratione?

AFfirmant Innocent.*in Rubr.de conſecr.Eccleſ.*& Abbas *in cap.Propoſuiſti,eod.tit.* Ratio eſt, quia Eccleſia quæ paulatim reficitur, non eſt eadem quæ antea erat,ſed alia, cùm prima deſtructa fuerit,& noua ædificata: ergo conſecrationis forma, quæ impreſſa erat in prioribus parietibus, illis deſtructis, conſecratio periit: ergo Eccleſia noua, quæ non eſt eadem numero cum priori, eſt conſecranda.

Sed probabilius Reſpondeo: Non indigere noua conſecratione. Ratio eſt, quia conſecratio eſt indelebilis, manente eadem re, & ſubiecto: atqui illud, quod ſucceſſiuè, & per partes reparatur, eſt eadem res: ergo. Minor conſtat exemplis: nam eadem nauis dicitur, & eſt, etiamſi paulatim reficiatur; idem homo, etiamſi eius partea aſſiduè corrumpantur per calorem, & generentur de nouo aliæ ea cibo aſſumpto, & hæ conuertantur in totum hominem,qui antea erat: ergo cùm eodem modo per partes inſtauratur Eccleſia antiqua, remanet eadem Eccleſia, ac proinde conſecratio non deletur. Sic Syluest.*verb.Conſecratio 2.§.4.verſ.Tertius eſt.* Hoſtienſ. Palud. D. Anton. Summ. Confeſſor. & Peſant. quoa adducit, & ſequitur Alter.*c.27.num.258. verſ. Sextus*, ibi: Sed contrarium verius videtur, vt docuimus *in d.cap. Eccleſiis,nota* 3. Henr. *lib.9.c.27. num.5. in Gloſſa litt. T.* Auila *part.5. diſp.7. dub.1. verſ. Quintus caſus.* Viuald. *de Interdict.verſ.Sextus, num.* 77.

QVÆSTIO XLIII.

An violatio habeat locum in omni Eccleſia conſecrata, aut benedicta?

NEgauit Gloſſa *in cap. Eccleſia, de immunitate Eccleſ.verb. Celebrantur*, quatenus docuit quod Eccleſia non conſecrata, licèt ſit ab Epiſopo benedicta, minimè gaudeat priuilegio immunitatis Eccleſiæ, & conſequenter nec pollui propter cauſas enumeratas, ſi aliàs in dicta Eccleſia diuina officia non fuerint celebrata. Probat ſuam ſententiam ex verbis eiuſdem textus: *In qua diuina myſteria celebrantur:* ergo ex diſpoſitione illius, vt Eccleſia non conſecrata gaudeat immunitate, requiritur, vt in ea diuina officia celebrentur. Sic Gloſſa, quam aliqui moderni ſequuti ſunt.

Sed longè multò probabilius Reſpondeo dicendum, quod violatio non ſolùm habeat locum in Eccleſia conſecrata,vt omnes concedunt; verùm etiam in benedicta ab Epiſcopo, aut ab alio auctoritate ejuſdem, etiamſi in iſta myſteria ſacra minimè celebrata fuerint. Quia longè probabilius eſt, quod ad hoc,quod Eccleſia gaudeat immunitate Eccleſiaſtica, ſufficit, quod dedicata ſit Deo auctoritate Epiſcopi, cum poſtea non poſſit ad humanos vſus redire, *cap. Ad hoc, de Relig. domib.* Sic tenent Gloſſa *in cap. Si Eccleſia,de conſecr. Eccleſ.verb.Non conſecrata.* Abb. *in cap.Eccleſia,de immunit.Eccleſ.num.5.* qui id probat ex eod. textu: *Quia obſequiis diuinis dedicata, nullis eſt temerariis vſibus profananda.* Sic etiam Soto *in 4.diſt.13.q.2.art.3. ad 2.& diſt.32.q.1.art.3.* Nauarr. *cap.27.num.156.verb.Dixi, Eccleſiam.* Henriq. *lib. 9. cap. 27. num.5. in princip. 1.p. Inſtit.mor. lib.10. cap.6. q.14.* Cordub. *in Sum.q.12.* Auil.*p 5. diſp.7.dub.* 2. quos omnes refert, & ſequitur Alter. *diſp. 3. de Interdicto, cap. 2. col.1.* Villalob.*tract.8. diff.14. num.6.* ex Suario *diſp. 82. cit. ſect.4.* Palaus *tom.2.tract.11.punct.1.num* 2. Qui ex Azorio Baſilio., & Sanchez addit, quod ſi contingat eſſe aliquam Eccleſiam alicuius Monaſterij. vel Hoſpitalis, nec ab Epiſcopo conſecratam,nec benedictam,ſi tamen ſit ab ipſo publicè ad diuina celebranda deputata, tunc reputanda ſit locus ſacer, & tunc in eo habebit locum violationis pœna, eo quòd dicta auctoritatiua deputatio benedictioni æquiualet.

QVÆSTIO XLIV.

An violatâ Eccleſiâ, cenſeatur etiam violatum cæmeterium illi contiguum?

REſpondeo, vt quid certum: Cenſeri violatum cœmeterium illi contiguum. *Primo*, quia ſic habetur expreſsè in *cap. Vnico, de conſecrat. Eccleſ.in 6. Secundò*: Quia interdicta Eccleſia, eſt etiam interdictum cœmeterium illi contiguum,vt ex *cap. Si ciuitas,de ſentent.excommun.* diximus *p.4. tract. 5. de Interd.diſp.1.q.15.* ergo ſimiliter in noſtro caſu, violata Eccleſia, violatum erit cœmeterium contiguum. Sic omnes DD. Legantur Henriquex *lib. 9. cap.27. num.5.litt.N.* Nauar. *cap. 27. num.* 253. Auila *p. 5. diſp.7.dub.2.concl.2.* Alterius *diſp.3.de Interd. cap.2. col. 2. quæſit.* 3. Viualdus *de Interd. num.* 78. & alij citati à nobis *de Interdict. vbi ſupra*, vbi explicauimus, quid ſit, & quod debeat dici cœmeterium contiguum.

QVÆSTIO XLV.

An etiamè contra, polluto cæmeterio, cenſeatur polluta Eccleſia illi contigua?

REſpondeo, tanquam quid certum: Quod non. Tum quia id conſtat ex *cap. Vnico, de conſecrat. cit.* tum etiam quia aliàs minus dignum traheret ad ſe magis dignum. Sic Henriq. *num.5. cit.* ibi: Violato cœmeterio, licet contiguum ſit, non ideo polluitur Eccleſia: bene tamen è contrario. Sic ille. Viualdus *loc.cit.num.79.&* 80. Auila,Nauar. Alterius *ſuprà citati*, & omnes.

QVÆSTIO XLVI.

An ſi duo cæmeteria ita ſint ſibi vnita, vt inter ea ſolus ſit medius paries, in quo ſit porta, per quam tranſeatur de vno in aliud, vtrum vno eorum polluto, cenſeatur pollutum alterum?

REſpondeo, vt certum: quod non. Quia reuera ſunt duo cœmeteria, & vnum non eſt annexum alteri; cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, ſed ambo ſint annexa Eccleſiæ. Sic ex *cap. Vnico citato*, docent omnes. Syluest. *verb. Cœmeterium,* §.3. Alter. *diſp. 3. cap. 2. col. 3. verſ.Poſtulabis quis.* Auila *dubio 2. concl. 2. in fine.* Viuald. *num.*81.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLVII.

An ſaltem maneant polluta duo dicta cœmeteria, ſi in medio porta poſita inter illa fiat humani ſanguinis, vel ſeminis effuſio?

RESpondeo dicendum, quod ſi porta dicta poſita in muro, aut pariete, vni cœmeterio eſt vicinior, tunc illud ſolum cœmetetium pollutum habetur: Si verò porta ſit in medio eorum, illud ſolum pro polluto iudicatur, cuius cauſa paries, & porta facta eſt, eo quòd ſit illius acceſſio. Si tandem dubium ſit cuius cauſa paries ſit extructus, tunc vtrumque cœmeterium cenſetur violatum; quia præſumitur paries factus, non acceſſoriè, ſed ad diuideodum duo cœmeteria, vt innuit textus *in c. vnico, cit.* Sic Gemm. Anchar. Francus, & Silueſt. quos citat, & ſequitur Alterius *diſp. 3. de Interd. cap. 2. col. 3. verſ. Sed quid dicendum.* Auila *dub. 2. cit. concl. 3.*

QVÆSTIO XLVIII.

An ſi ſanguis, vel ſemen effundatur in porta Eccleſiæ, tunc maneat violata?

REſpondeo: Manere quidem violatam, ſi effundatur in parte interiori intra clauſuram oſtij, verſus Eccleſiam; minimè verò ſi effundatur in parte exteriori, quia tunc cenſetur facta effuſio extra Eccleſiam. Sic Bart. *in l. 1. de Cloacis.* Alterius *loc. cit. verſ. Eodem modo.* Auila *loc. cit. concl. 4.*

QVÆSTIO XLIX.

An Eccleſia polluatur propter furtum, vel rapinam in ea commiſſam?

AFfirmatiuam partem eſſe probabilem innuit Alterius *loc. cit. verſ. Tertiò quæritur,* eo quòd Speculator *tit. de conſec. Eccleſia,* §. 1. & Ioan. Selva *de benef. part. 1. quæſt. 5. num. 101.* dicant alicubi eſſe vſu receptum, vt pro polluta habeatur.

Sed vt mihi certum Reſpondeo: Minimè Eccleſiam per dicta crimina pollui. Quia nullus eſt textus in iure, qui id velit. Sic Alterius *loc. cit.*

QVÆSTIO L.

An Eccleſia per violationem amittat priuilegia immunitatis?

REſpondeo, quod non. Quia Eccleſia per interdictum non amittit privilegia immunitatis, vt latè probat Alter. ex Abbate, Goffr. & Vincent. ergo nec perdet ea propter violationem. Sic Alter. *diſp. 3. de Interd. c. 2. col. 4. quæſit. 4.* Pilibert. *tract. 3. p. 3. c. 10. n. 17.* Azor. *p. 2. lib. 8. q. 2.* Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 16. num. 5.*

DISPUTATIO II.

De peccatis, & pœnis impoſitis his qui in Eccleſia violata celebrant.

QVÆSTIO PRIMA.

An ſit peccatum mortale celebrare Miſſam, vel officia diuina in Eccleſia violata publicè?

RESPONDEO, tanquam certum: Eſſe peccatum mortale ex genere ſuo celebrare Miſſam, aut alia officia diuina, aut ſepelire mortuum in Eccleſia publicè violata, ſecus verò in Eccleſia violata occultè, quia in hac licitè celebrari poteſt.

Prima pars huius reſponſionis deſumitur ex *cap. Eccleſiam, de conſecr. diſt. 1. & ex cap. Propoſuiſti, cap. Conſuluiſti, cap. fin. de conſecr. Eccleſ. & cap. vnico, eod. tit. in 6.* vbi cautum eſt, nullum ſepeliri in Eccleſia violata poſſe. Sic Nauar. *cap. 25. num. 83.* Henriquez *lib. 9. c. 27. n. 5. in princip. & lib. 13. c. 51. n. 5. in princip.* ita ſcribens: Pollutio, ſeu violatio Eccleſiæ in eo eſt ſimilis interdicto loci, quod in Eccleſia benedicta prohibentur ſub mortali celebrari Miſſæ, & alia officia diuina, ſi illius violatio ſit publica. Sic ille. Toletus *in Summ. lib. 5. cap. 8. verſ. Quinta cauſa.* Silueſt. Palud. Angelus, Tabiena, Ricard. Sotus, Abbas, & Angelicus Doctor D. Thomas, quos citat, & ſequitur Alterius *diſp. 3. de Int. t. l. cap. 3. col. 1.* Auila *part. 5. diſp. 7. concl. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 26. n. 29.*

Secunda verò pars conſtat ex ſupradictis *diſput. 1. quæſt. 32.* vbi probauimus, non violari Eccleſiam per occulta crimina, ſed publica: ergo dum nondum eſt Eccleſia publicè violata, licitè poſſunt in ea celebrari diuina. Sic Auila *loc. cit.* vbi ex Navarro aduertit, poſſe contingere, quod effuſio ſanguinis, vel ſeminis facta ab hinc octo diebus, hodie incipiat impedire, & non antea, quia hodie publicatur. Henriquez *loco cit.* Sotus, & Caſtro, & alij communiter, quos ſequitur Alterius *loc. cit. col. 3. verſ. Notandum eſt.*

QVÆSTIO II.

An caſu, quo poſt celebrationem Miſſæ publicetur Eccleſiæ violatio occulta, ſit tunc neceſſarium Eccleſiam reconciliare?

NEgant tunc reconciliandam eſſe neceſſariò Eccleſiam, plures Doctores. Quia, inquiunt, præſentia corporis Chriſti dum in dicta Eccleſia Miſſa celebratur, reputanda eſt pro ſufficienti conſecratione. Sic Dian. *2. p. tr. 14. de celebr. Miſſar. reſol. 69. & p. 5. tr. 13. reſol. 60.* & præcipuè *p. 6. tr. 6. reſol. 28.* vbi pro ſe citat Auilam *p. 5. diſp. 7. dub. 3. concl. 1. verſ. Sed quid.* Sà *v. Eccleſia, n. 19.* Henriquez *lib. 9. c. 27. n. 5. in gloſſ. litt. L. & n. 6. in gloſſa, litt. I.* Perſicum *de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 6. num. 61.* Naldum *v. Eccleſia, num. 24.* & Zerolam *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Pollutio Eccleſiæ, nor. 5.* Quibus adde Alterium *diſp. 3. cap. 3. col. 3. verſ. Sed occurrit.*

Sed oppoſitum omnino iterum Reſpondeo dicendum, nempe, quod ſit neceſſarium Eccleſiam tunc conſecrare; quia minimè eſt cenſenda conſecrata ex eo quod, ſiue bona, ſiue mala fide quis Miſſam in ea celebrarit. Concluſio hæc conſtat ex dictis *part. 2, tract. 7. diſput. 7. quæſt. 31.* illámque docent Lugo *de Euchariſt. diſput. 20. num. 62. & 92.* Philibert. *de Ordine, tract. 3. part. 3. cap. 13. num. 3.* (non 9. vt apud me offendes *loc. cit.*) Nauar. Azor, Dicaſtillo, & alij citati à nobis *vbi ſupra, part. 2.* Quibus adde Sayrum *part. 5. c. 16. num. 11.* dicentem oppoſitam ſententiam eſſe contra communem DD. conſenſum, & omnino falſam, & in praxi non tutam. Nec Henriquez oppoſitum expreſſè tuetur, cum ſolùm referat, & tranſeat.

QVÆSTIO III.

Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, quando ipſo celebrante, Eccleſia polluitur?

REſpondeo cum communi dicendum, quod ſi pollutio Eccleſiæ accidat poſt Canonem inchoatum, tunc debet Miſſam abſoluere, quia tunc jam ſacrificium reputatur inchoatum, & ſic jure diuino perfici eſt neceſſum. Si verò Eccleſiæ pollutio accidat

Digitized by Google

accidat ante Canonis inceptionem, tunc Sacerdos debet ceſſare, & omittere Miſſam, donec Eccleſia reconcilietur. Sic Suarez *tom.3.diſp.81.ſect.4.* Nuño, Reginald.& Ægidius; quos citat,& ſequitur Bonacina *quæſt.4.de Matrim.punct. vltimo,num.24.verſ. Si quæras.* Alterius *diſp.3. cit. cap. in fine.*

QVÆSTIO IV.

An celebrans in Eccleſia publicè violata irregularitatem incurrat?

AFfirmauit ſolus Hoſtienſ. *in c.finali, de conſecr. Eccleſia.*

Sed vt certiſſimum Reſpondeo: Non incurrere. Quia ſic expreſsè determinatur *in cap. Is qui,de ſent. excomm. lib.6.* his verbis: *Is qui in Eccleſia ſanguinis,vel ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus maiori excommunicatione nodatis ſcienter celebrare præſumit,licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen cum id non ſit expreſſum in iure, laqueum non incurrit.* Sic textus.Et ex illo ſic omnes. Nauar. *c.25. n.83.* Sotus *diſt.13.q.2.art.3.ad 2.* Henriq. *lib.9.c.27. n.7.* Azor. *tom.2.lib.9.c.5.quæſt.vlt.* Tolet. *lib.5.cap.8. verſ. Quinta cauſa.* Silueſt.Gem. & Franc.quos citat, & ſequitur Alterius *diſp.3.de Interd.cap.3.col.3.verſ. Venio.* Auila *p.5.diſp.7.dub.3.concl.3.* Bonacin. *loc.cit. n.26.* Dian. *p.6.tract.6.reſol.28.verſ. Notandum eſt.*

QVÆSTIO V.

An ſaltem incurrat ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, qui in Eccleſia publicè violata celebrat?

AFfirmat prædictum ſic celebrantem incurrere ipſo facto ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi poſt talem ſuſpenſionem denuò celebrat, vel actum ſui Ordinis exerceat, incurrere irregularitatem, Lapus, quem ſequuntur apud Alterium, Tabiena, Angel. Silueſt. & Gemin. Quibus addit Diana *loc.cit.* Naldum *verb. Eccleſia,n.15.* Nauarr. *cap.25. n.94.* & Graffium *1.conſil.lib.3.conſ.2.n.21.de conſecrat.Eccleſiæ.* Ita etiam Azor apud Bonacinam *2.part. lib.10. cap.26.* Viuald. *num.81.*

Sed longè multò probabilius Reſpondeo: Nec incurrere ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & ex conſequenti neque mediatè, nec immediatè fieri irregularem,quamuis poſtea denuò in loco violato celebret. Ratio eſt, quia talis ſuſpenſionis pœna minimè reperitur in iure impoſita contra violantes Eccleſiæ violationem: atqui ſuſpenſio non incurritur niſi ſit in iure expreſſa: ergo. Sic communiter DD. Henriq. *lib.9.c.27.n.7.in gloſſ.litt.M,* quem citat, & ſequitur Auila *loc.cit.concl.3.* Suarez *tom.3.in 3.part. diſp.81.ſect.4.in fine,* Azor. *2.tom.lib.9.c.5.q.6.* quos affert, ac ſectatur Alterius *c.3.cit.verſ. Nonnulli.* Sà *verb. Eccleſia,n.21.* Palud.Layman,& Fagundez,quos refert ac amplectitur Diana *part.6. tract.6. reſol.28.* Bonacina *num.26. cit.* Sayrus *lib.5. cap.16. num.29.* & alij plures penes ipſum.

QVÆSTIO VI.

An in factis, in quibus iure ſuſpenditur interdictum loci, liceat in loco publicè violato celebrare?

REſpondeo: Non licere. Quia dictum priuilegium conceſſum loco interdicto,non debet extendi ad locum publicè violatum.Sic Villadiego *c.5. de interd. n.11. col.mihi 73.* vbi ita ait: Aduerte tamen,quod prædictà celebratio non eſt permiſſa cùm Eccleſia ſeminis,vel ſanguinis effuſione eſt polluta. Pro eo facit notab. gloſſa *in cap. Ex tuarum, de priuileg.* Ex quo ſequitur, quod durante tali pollutione, etiam in illis feſtiuitatibus exceptis, non debet celebrari. Sic ille. Qui citat, & ſequitur Henriquez *lib.13. c.41. n.5. in fine.* Auila *p.5.diſp.7.dub.3. concluſ.3. in fine.* Sayrus *lib.5. cap.16. num.30.*

QVÆSTIO VII.

An poſſit Epiſcopus impertiri licentiam, vt in Eccleſia violata (ſi vrgeat neceſſitas) diuina ante reconciliationem celebrentur?

NEgandum videtur. Quia prohibitio celebrandi in Eccleſia publicè violata oritur ex diſpoſitione Iuris Canonici, cuius auctor eſt Pontifex: ergo ſuper dicta conſtitutione nequit Epiſcopus diſpenſare, quia inferior non habet poteſtatem in lege ſuperioris.

Sed probabilius longè Reſpondeo: Poſſe Epiſcopum dictam licentiam impartiri, ſi vrgeat grauis neceſſitas,aliàs non. Primum probatur. Quia licet prohibitio præfata ſit Iuris Canonici à Papa conditi; tamen ab eodem iure permiſſum videtur Epiſcopo, vt poſſit hac in re diſpenſare,eo quòd *in cap. Miſſarum, diſt.1.& in c. Hic eſt,de conſec.diſt.1.* abſolutè dicitur, Miſſam celebrari poſſe loco ab Epiſcopo deſtinato: ergo ſub hac generali conceſſione comprehenditur etiam Eccleſia violata, ſi Epiſcopus mandaverit, vel permiſerit, vt in ea celebrari poſſit. *Secunda* verò pars conſtat clarius. Quia diſpenſatio in lege communi magnam requirit neceſſitatem. Hanc reſponſionem abſolutè docet D.Thom. *p.3.q.83.art.3. ad 2.* Sot. *in 4.diſt.13.q.2.art.3.ad 2.* Henriq. *lib.14.c.51. n.5.* Auila *diſp.7.cit.dub.3.concl.2.* Alterius *diſp.3.cit. c.3.col.2.verſ. Sed non caret.* Villalob. *tract.8.diff.24. n.13.* ſic loquens: *Aduiertan los DD. con S. Thomas que ſe podria dezir Miſſa en la tal Igleſia* (ſcilicet violata) *con licencia del Obiſpo,antes que ſe reconcilie. Lo vno, porque puede dar el Obiſpo licencia para que celebren en lugar no conſagrado,i aſſi la podria dar por eſto. Lo otro porque ſe colige del Derecho, donde ſe dize,que ſe puede celebrar donde el Obiſpo permitiere. Y añade Soto que para eſta diſpenſacion ſe requiere cauſa graue, y tanta podria ſer la neceſſidad, que no pudiendo hauer comodamente la licencia del Obiſpo,ſe pudieſſe hazer ſin ella. Y por eſte camino ſe eſcuſan los que en las tierras Septentrionales dizen Miſſa donde eſtan enterrados los herejes: ò porque la neceſſidad es tanta, que no la puden dezir en otra parte, ò porque los Obiſpos lo veen, y lo conſienten, que eſto es dar licencia, como dize* Suarez tom.3. diſp.81. ſect.4. *Y tambien ſe eſcuſan quando no eſtan los tales herejes denunciados,* &c. Sic ille.

DISPUTATIO III.

De Miniſtro, à quo reconcilianda eſt Eccleſia violata.

QVÆSTIO PRIMA.

An ſi Eccleſia polluta erat conſecrata ab Epiſcopo, ab ipſo ſolùm reconciliari poſſit?

RESPONDEO, tanquam certum: Quod ſolùm à proprio Epiſcopo reconciliari poſſit, vel ab alio Antiſtite ex eius conſenſu: non verò à ſimplici Sacerdote, *vt infrà.* Sic habetur

habetur expreſsè *in cap. Aqua, de Conſecrat. Eccleſ.* vbi ita dicitur: *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus: per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obſtante conſuetudine* Prouinciæ Bracharenſ. Quæ dicenda eſt potius corruptela. Sic Greg. Nonus. Et omnes cum illo. Legantur Henriq. *lib. 9. cap. 27. num. 6.* Auila *p. 5. diſp. 7. dub. 4. concl. 2.* Alterius (qui non fideliter refert verba Gregorij) *diſput. 3. de Interdict. cap. 4.* Sayrus *lib. 5. cap. 16. num. 32.* & alij.

QVÆSTIO II.

An Epiſcopus poſſit committere ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ?

AFfirmant Victoria *in Summ. quæſt. 99.* Sà *verb. Eccleſia, n. 20.* & Syluius *in 3. part.* D. Thom. *quæſt. 83. art. 3.*

Sed Reſpondeo vt certum: Non poſſe. Quia ſic habetur *in d. cap. Aqua, de conſecr. Eccleſ.* (non *de celebrat. Miſſarum*, vt offendes apud Auilam) vt nuper vidimus. Vbi rationem reddit Pontifex, inquiens: Quia licèt Epiſcopus committere valeat quæ iuriſdictionis exiſtunt: *quæ Ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.* Sic Pontifex, & communis. Legantur Henriquez, Alter. Sayr. *vbi ſupra.* Auila *loc. cit. concl. 3.* Filliuc. *tom. 1. tract. 5. c. 4. n. 118.* Graffius, Nuñus, & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 2. tract. 15. reſol. 6. & p. 4. tract. 4. reſol. 91.*

QVÆSTIO III.

An ſaltem Summus Pontifex poſſit delegare ſimplici Presbytero reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ?

REſpondeo, tanquam certum: Poſſe. Quia Pontifex per apicem poteſtatis Pontificalis, quem tenet tanquam vniuerſalis Vicarius Chriſti, poteſt ſolus committere ſimplici Sacerdoti circa Corporis Chriſti myſterium, quædam quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis Pontificalis, vt benedicere Corporalia, & ornamenta Miſſæ. Sic omnes. Legantur Henriquez *lib. 9. cap. 27. n. 6. litt.* Z. vbi citat Silueſtrum, Armillam, Tabien. Abbat. & Caſtrum, Sotus *etiam in 4. diſt. 13. q. 2. art. 3.* Alterius *diſp. 3. de Interd. cap. 4. col. 2.* Diana 2. *& 4. part. loc. cit.* vbi de facto hanc poteſtatem reconciliandi Eccleſias conſecratas conceſſiſſe Leon. Minoritis clarè fatentur, & patebit amplius ex mox dicendis.

QVÆSTIO IV.

An Superiores Regulares poſſint reconciliare eorum Eccleſias conſecratas, virtute ſuorum indultorum?

AFfirmant aliqui Doctores, Poſſe quidem reconciliare dictas Eccleſias, dummodo id faciant cum aqua (cui vinum ſimul & cinis admiſcetur) per Epiſcopum benedicta, aliàs non. Ita B. Anton. *3. part. tit. 12. cap. 6. §. 5.* & Sylueſt. *v. Conſecratio 2. §. 8.*

Sed ego abſolutè Reſpondeo: Poſſe Superiores Regulares virtute ſuorum priuilegiorum reconciliare ſuas Eccleſias poſt conſecrationem pollutas, cum aqua vel per Epiſcopum benedicta, vel per ipſum Prælatum Regularem, ſi Epiſcopus diſtet per duas dietas, hoc eſt, per quadraginta milliaria, aut (*hiſpanè*) per quatuordecim leucas (Dieta enim viginti milliaria, ſeu ſeptem leucas continet, apud Henriquez *infra.*) Quia ſic conceſſum fuit à Leone X. Prælatis Ordinum Minorum, vt habetur *in Compend. Mendic. verb. Benedicere, §. 14.* Sic nouiſſimè ſentit Philib. *de Ordine, tract. 5. part. 3. cap. 10. num. 15.* per hæc verba: Si Eccleſia polluta ſit regularis, & Epiſcopus per duas Dietas longè abeſſet, tunc ex conceſſione Leonis X. facta Mendicantibus, poterunt Superiores illius Ordinis, & reliqui communicantes in eorum priuilegiis, prædictam Eccleſiam pollutam aqua per ipſos benedicta reconciliare. Quod ego ſemel feci Ticini in Eccleſia polluta Sanctæ Mariæ Coronatæ, polluta per quoddam homicidium: & dum poſt factum multos haberem Curiæ Epiſcopalis aduerſarios, viſis, & inſpectis noſtris priuilegiis, omnes ſiluerunt: ſiquidem talis conceſſionis teſtes locupletiſſimi ſunt Ioan. Baptiſta Confectius *in Summa priuileg. Mendic. tit. 10. cap. 5.* Greg. Sayrus *de Cenſur. cap. 10.* (lege *16. ſup. cit.*) *n. 31.* Hugolin. *de offic. Epiſcopi, cap. 29. §. 7.* Auguſt. Barboſa *de offic. Epiſcopi alleg. 28. n. 64. part. 2.* Henriq. *lib. 9. de Miſſa, cap. 27. num. 6. litt. D.* Rodrig. *de Regular. tom. 1. q. 19. artic. 6. & tom. 2. de priuileg. Regular fol. mihi* 228. Huc vſque Philibertus Marchinus. Sic item vltra hos Auctores, tenent Nouarius *in Sum. Bullar. tit. de pollutione Eccleſiar. n. 7.* Graffius *conſil. 2. de conſec. Eccleſ. num. 18.* quos refert, nec reprobat Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 19. in fine.* Alter. *diſp. 3. de Interd. c. 4. col. 2.* Auila *part. 5. diſp. 7. dub. 4. concl. 3. in fine.* Villalob. *tract. 8. diff. 24. num. 14.*

QVÆSTIO V.

An ſi Eccleſia, quæ eſt polluta, non erat conſecrata, ſed ſolum benedicta, poſſit reconciliari per ſimplicem Sacerdotem?

NEgatiuam ſententiam tenere Toletum, ait Diana, per hæc verba: Adde, quod Eccleſia ſi ſit benedicta, poteſt reconciliari per quemcunque ſimplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi, contra Toletum. Huc vſque Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 91.* Sed certè Toletus oppoſitum expreſsè docet, vt patebit *infrà.* Vnde

Vt quid certum Reſpondeo: Poſſe reconciliari per quemcunque ſimplicem Sacerdotem. Quia ſic colligitur ex *cap. Si Eccleſia, de conſecrat. Eccleſ.* vbi Sic Gregor. Nonus ait: *Si Eccleſia non conſecrata cuiuſcumque fuerit ſeminis, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur, ne diuina laudis organa ſuſpendantur.* Sic textus, ſuper quem Gloſſa *in verb. Lauetur,* ſic quærit: Sed per quem debet lauari? Videtur quod per Epiſcopum tantum, *ſup. cap. proximo.* In hoc caſu ſatis credo, quod per ſimplicem Sacerdotem poſſit lauari: quia ſi intellexiſſet Papa, quod per Epiſcopum deberet lauari, illud dixiſſet, ſicut dixit in proximo capitulo præcedenti: cùm Papa in vtroque capitulo ſcribat eidem; & quia dixit, *aqua exorizata lauetur,* quæ fit per ſimplicem Sacerdotem, & non cum aqua benedicta cum vino, & cinere, cum qua reconciliatur Eccleſia conſecrata. Hæc Gloſſa. Et cum illa communiter omnes. In primis Toletus citatus à Diana pro parte oppoſita, per hæc verba: Cum autem tantum eſt Eccleſia benedicta, & non conſecrata, reconciliatio fieri poteſt per Sacerdotem cum aqua ab Epiſcopo benedicta. Sic Toletus *lib. 5. cap. 8. num. 15. in fine.* Aſtenſ. Syluest. Tabiena, & Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. ad 2.* & Graffius *lib. 2. decis. cap. 4. num. 10.* quos citat, & ſequitur Sayrus *lib. 5. cap. 16. num. 32.* notantes, quod ob hanc cauſam ſoleant Eccleſiæ conſultò non conſecrari, ſed benedici, ne ſcilicet dum violantur ex-

pectandus ſit Epiſcopus. Diana *loc. cit.* Auila, Homobonus, Henriquez, Tamburinus, & alij apud ipſum.

QVÆSTIO VI.

An vt ſimplex Sacerdos poſſit reconciliare Eccleſias benedictas violatas, requiratur licentia Epiſcopi?

AFfirmant aliqui, inter quos eſt Bonacina *quæſt. vltima de Matrim. punct. vltimo, num.* 27. ſic dicens: Reſpondeo Eccleſiam pollutam poſſe per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliari à ſimplici Sacerdote, ſi Eccleſia non erat conſecrata. Expedit tamen, inquit Henriquez, obtinere licentiam ab Epiſcopo, vel eius Vicario generali: Imò ipſe cenſeo neceſſarium eſſe petere facultatem, & licentiam ab Epiſcopo, vel eius Vicario generali, ſicut vſus indicare videtur in noſtra Diœceſi. Hæc Bonacina.

Sed probabilius Reſpondeo: Non requirere licentiam Epiſcopi, cum illam habeat à iure. Patet ex textu *in cap. Eccleſias*, nuper adducto, illis verbis: *Protinus lauetur*, quod non exprimeretur, ſi oporteret licentiam Epiſcopi expectare, vt Bonacina vult, vel aquam ab eo ſacratam, vel benedictam deferre, vt voluit Toletus. Sic communis. Auila *part. 5. diſp. 7. dub. 4. concl. 1.* qui citat Henriquez *lib. 9. cap. 27. n. 6.* & certè meliùs quàm Bonacina pro ſua ſententia, ait enim ſic: Polluta Eccleſia, ſi tantum erat benedicta, reconciliatur per Sacerdotem. Expediretque licentiam ab Epiſcopo, aut generali eius Vicario haberi, ſi id facile ſit, ſed non eſt neceſſaria. Sic Henriq. Alterius *etiam diſp. 3. cap. 4. col. 3.* Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 91.* Tamburinus, Præpoſitus, & Portel penes illum. Villalobos *tract. 8. diff. 34. num. 23.* ita dicens: *Si diziendo Miſſa ſe violaſe la Igleſia eſtando commençado lo Canon, tiene obligacion el Sacerdote à acabar ſin interrumpir, como dize el Miſſal: mas ſi no eſtà commençado el Canon, ì la Igleſia no eſtà mas que benedita, puedo el ſimple Sacerdote reconciliarla, ſegun Derecho: loqual ſe haze con aſperſion de agua benedita, ì otras breues ceremonias, que pone el Ceremonial Romano: mas ſi eſta conſagrada, ha de dezir la Miſſa, porque ſolo el Obiſpo, ò otro con ſu licencia la puede reconciliar.* Sic ibi *num. 23. & n. 24. ſequenti.*

QVÆSTIO VII.

An reconciliata Eccleſià violata, maneat reconciliatum Cæmeterium contiguum?

REſpondeo vt certum: Manere. Quia Cœmeterium eſt acceſſorium ad Eccleſiam, & acceſſorium ſequitur naturam principalis: non è contra, quapropter reconciliato Cœmeterio violato, non manet reconciliata violata Eccleſia. Sic communis, Angel. *verb. Conſecratio Cœmetrij, in fine*, & Gemin. *cap. Vnico, de conſecrat. Eccleſ. in 6.* quos ſequuntur Auila *diſp. 7. cit. in fine*, & Alterius *diſp. 3. de Interd. etiam in fine.*

QVÆSTIO VIII.

Quonam modo reconcilianda eſt Eccleſia polluta, quia in ea ſepultus fuerit aliquis infidelis, vel Paganus, vel excommunicatus vitandus?

REſpondeo ex dictis, quod debet exhumari corpus, ſi diſcerni poſſit ab aliis, & præterea ſi ſepulta ſunt corpora infidelium, radendi ſunt parietes, ſi Eccleſia ſit benedicta, & non conſecrata; nam ſi raderentur parietes Eccleſiæ conſecratæ, neceſſariò eſſet conſecranda. Modus autem radendi parietes eſt illos dealbare, vt ait Gloſſa *in dict. cap. Eccleſiam.* Sic ex communi Auila, & Alterius *locis citatis.* Qui addunt, quod quando reconcilianda eſt Eccleſia violata propter effuſionem ſanguinis alicuius Martyris, tunc non eſt lauandus locus ſanguinis.

Et hæc de violatione Eccleſiæ, ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis, Beatiſſimæque Virginis Mariæ, & SS. Ioannis, & Fœlicis Patriarcharum Ordinis ejuſdem SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Volumine de Irregularitate, continentur.

Prior numerus paginam notat, poſterior quæſtionem.

A

Abbas.

AN Abbates ſæculares poſſint diſpenſare, ſicuti diſpenſant Epiſcopi, in Bigamia. 71.38

An irregulares maneant Abbates, qui ex priuilegio conferunt Ordines minores, ſi conferant illos quando excommunicati exiſtunt. 218.7

Abortus.

An qui occidit fœtum animatum in vtero matris, aut (quod idem eſt) cauſam dedit Abortionis illius, ſit irregularis. 77.15

An ſit irregularis conſulens Abortum fœtus animati, ſi poſtea, reuocato conſilio, non poſſit fœminam ad id perſuaſam, remouere ab abortu procurando. 534.47

An fiat irregularis, qui ſciens mulierem, quæ ex ipſo concepit, Abortum fœtus animati procurare, tacet & non impedit. 148.91

An ſit licitum procurare Abortum fœtus nondum animati, ad tuendam famam, vel honorem alicuius puellæ prægnantis. 551.1

An ſaltem ſit licitum procurare directè Abortum (quando aliud non ſuppetit remedium) pro ſalute matris, ſi fœtus nondum ſit animatus. 151.2

An ad minus ſit licitum in præfatis caſibus, procurare indirectè Abortum fœtus nondum animati, ſumendo aliquod remedium, quod directè tendat ad ſanitatem, & vitam matris tuendam. 151.3

An qui cauſat Abortum fœtus inanimati, ſit irregularis. 153.8

An ſaltem ſit irregularis, qui Abortum animatum cauſat. 153.9

An qui aborſum cauſauit, ſit irregularis, caſo quo ſit dubium, an fœtus ſit animatus. 154.10
Vide *Fœtus.*

An in dubio, an fœtus ſit maſculus, vel fœmina, præſumi debeat maſculus, & iuxta dicta reputari irregularis, qui cauſauit Abortum, ſi hoc fecit poſt quadrageſimum diem à conceptione. 154.11

An qui cauſam dedit Aborſui fœtus inanimati, maneat irregularis, ſi mater inde pereat. 154.12

An ſaltans obſcœnè cum muliere prægnante, ſit irregularis, ſi ex hoc ſequatur Abortus fœtus animati. 154.13

An ſit irregularis Monachus, aut Clericus ludens, etiam modeſtè, cum muliere grauida, ſi inde Aborſus animatus contingat. 155.14

An maneant irregulares iuuenes, qui laſciuientes, crepitu alicuius veſicæ, fœminæ prægnanti illudunt, & abortire faciunt. 155.15

An adulter, qui fecit intrare prægnantem per loca periculoſa, vt per tectum, aut feneſtram domus, & illa mortua eſt, vel abortiuit, maneat irregularis. 155.17

An iuuenes, qui ex ludo rumpunt veſicas turgidas, maneant irregulares, ſi illarum fragore, & crepitu faciant fœminam Abortire. 591.24

Abſcindere.

An abſcindens alteri pedem, manum, aurem, linguamve, aut eruens oculum, fiat irregularis. 598.4.

An abſcindens alteri vnum, aut duos digitos pedis, vel manus, maneat irregularis. 198.5

An ſaltem maneret irregularis, qui alteri abſcinderet digitos, quibus Sacra Euchariſtia contrectatur, nempe pollicem, & indicem. 198.6
Vide *Mutilatio.*

An item eſſet irregularis, qui abſcinderet membrum omninò aridum, & mortuum. 202.22

Abſolutio.

An ſaltem validè Abſoluat irregularis non denunciatus, & toleratus. 9.9

An Clericus non Sacerdos fiat irregularis ſacramentaliter aliquem abſoluens. 211.9

Abſtemius.

An Abſtemius (id eſt, qui guſtare vinum nequit abſque periculo vomitus) ſit irregularis. 25.36

An Pontifex poſſit cum Abſtemio diſpenſare, vt ad Sacerdotium promoueatur. 25.37

Accuſatio, Accuſator.

An accuſans aliquem in cauſa criminali, criminaliter petendo vindictam, fiat irregularis, ſecuta accuſati morte, vel mutilatione. 82.41

An qui de crimine leui, nec morte, nec mutilatione digno, Reum Accuſaret, maneret irregularis, caſu quo Iudex iniuſtè eum morti traderet. 82.42

An fiat irregularis Accuſans Reum de crimine leui, ſi Reus detentus in carcere, propter delicta ab aliis accuſatoribus cumulata, puniatur morte. 82.44

An Accuſans aliquem in cauſa criminali, petendo vindictam, fiat irregularis (ſecuta deformatione) ſi proteſtetur, ſe non intendere, vt accuſatus pœnam mortis, vel ſanguinis ſubeat. 83.45

An excuſetur ab irregularitate Clericus, aut alius

qui accuſant aliquem de crimine digno morte, non criminaliter, ſed ciuiliter, hoc eſt, non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem ſibi debitam. 83.46

An Clericus, vel alius qui iuſtè Accuſans, proteſtationem ficto animo facit, & interius deſiderat vindictam, & ſanguinem accuſati, irregularitatem contrahat. 83.47

An proteſtatio excuſet ab irregularitate illum qui Accuſat aliquem pro recuperatione damni ſibi illati, ſi hoc reparari alia via poſſit. 85.54

An ſicut poteſt Clericus, vel alius abſque metu irregularitatis, cum proteſtatione Accuſare reum de iniuria ſibi, aut rebus ſuis illata, ita poſſit accuſare de iniuria, vel damno illato ſuis propinquis, & cognatis. 85.55

An irregularitatem fugiat, qui Accuſat reum de damno illato cognatis, vel conſanguineis intra quartum gradum. 86.56

An etiam vitet irregularitatem, qui Accuſat præmiſſa proteſtatione, reum de iniuria, vel damno illato ſubditis, vel famulis, aut domeſticis accuſantis. 86.57 Vide *Proteſtatio*.

An ſaltem vitabit irregularitatem, qui non Accuſat de iniuria iam extraneis illata, ſed inferenda. 86.59

An Clericus qui accuſatus in cauſa ſanguinis, defendendo ſe petit, vt Accuſator, qui in probatione defecit, puniatur pœna mortis, aut mutilationis, maneat irregularis, ſequuta morte. 88.65

An etiam poſſit quis licitè occidere Accuſatorem, vel teſtem, qui bona fide de crimine morte digno illum accuſat, aut falsò teſtificatur. 165.29

Actus.

An ad incurrendam irregularitatem requiratur, vt Actus per quem incurritur, ſit non ſolùm exterior, ſed etiam completus, & conſummatus. 3.11

Adminiſtratio.

An obligatio ad ratiocinia, hoc eſt, ad rationem reddendam alicuius Adminiſtrationis à Republica acceptæ, inducat irregularatitatem. 59.7

An etiam hac irregularitate obſtringantur Iudices, Aduocati, Tabelliones, Depoſitarij publici, Theſaurarij, & huiuſmodi. 5.98

An etiam afficiantur hac irregularitate, qui Adminiſtrant bona temporalia Eccleſiarum, 59.9

An ſaltem ligentur huiuſmodi irregularitate, qui Adminiſtrationem gerunt perſonarum miſerabilium, aut pauperum, viduarum, pupillorum, aut cauſarum piarum. 59.10

An fiant irregulares qui obligati ſunt ad reddendam rationem ex aliquo contractu, vt ex mutuo, conducto, depoſito, promiſſione, aut quouis alio nullam Adminiſtrationem continente. 59.11.

An qui irregulares ſunt ob ſupradictas Adminiſtrationes, poſſint ad Ordines aſcendere, caſu quo adminiſtrationes deponant, etiamſi rationem illarum non reddiderint. 60.13

Adulter, Adulterium.

An etiam dictam irregularitatem contrahat vir, qui ignorans coniugis Adulterium, illum carnaliter cognouit. 65.19

An Adulter fiat irregularis caſu, quo maritus occidat vxorem propter adulterium. 166.31

An ſaltem fiat irregularis Adulter, qui inuentus à marito in fragranti delicto, vt ſe tueatur contra ipſum maritum in ſe inuadentem, illum occidit, ne ipſa occidatur. 166.32

Adultus.

An ſaltem, Adultus Baptizatus ab hæretico fiat irregularis. 107.2

Aduocatus.

An teſtes, & Aduocati euadant irregularitatem, ſi præmittant proteſtationem, ſicuti Accuſator euadit, quando hoc facit petendo ſatisfactionem pro iniuria ſibi, ſuiſve parentibus, &c. illata. 89.70

An ſit irregularis Aduocatus, ſi reus contra quem aduocat, occidatur, vel mutiletur. 91.77

An etiam non ſequuta morte, vel mutilatione rei, contra quem Aduocatus aduocauit, adhuc maneat hic irregularis. 91.78

An Aduocatus qui defendit reum, qui quidem punitur pœna mortis, incurrat irregularitatem. 91.79

An ſaltem incurrat irregularitatē Aduocatus, qui reū defendit, ſi ſequatur mors accuſantis reum. 92.80

An ad minus incurrant irregularitatem Aduocatus, qui iniuſtè defendit reum, & ob iniuſtam eius defenſionem, ſecuta eſt mors accuſatoris. 92.81

An Aduocatus fiat irregularis, quando accuſator, aut reus imperitia, aut negligentia ipſiuſmet Aduocati adiudicatur morti. 91.82

Æger.

An ſi quis ad iram prouocet Ægrum, aut ad triſtitiam excitet, vel ſinat è lecto ſurgere, vel domo exire, aut circa feneſtram ſtare, fiat irregularis, ſi inde ſequatur, aut acceleretur mors. 119.36

Ætas.

An defectus Ætatis ad Ordines requiſitæ inducat irregularitatem. 57.1

An Ordinatus ante legitimam Ætatem incurrat irregularitatem, ſi nondum ætate legitima adepta, maiores exerceat Ordines. 57.2

An qui mala fide ante Ætatem legitimam Sacerdotium ſuſcepit, & cum Epiſcopo in Ordinatione concelebrat, incurrat irregularitatem. 57.3

An qui bona fide Sacerdotium ante legitimam Ætatem ſuſcepit, & adueniente fide mala ante ætatem completam celebrat, incurrat irregularitatem. 57.4

An Ætas nimia faciat quem irragularem. 58.5

An Sacerdos, qui mala fide ante legitimam Ætatem Sacerdotium ſuſcepit, fiat irregularis, conſecrando ſimul cum Epiſcopo Ordinante. 226.13

An ſaltem Subdiaconus, & Diaconus, ſuſpenſi ob Ordinationem ante Ætatem, fiant irregulares cantando Epiſtolam, & Euangelium in prædicta Miſſa. 226.14

Æthiops.

An color Æthiopis, aut Mauri faciat irregularem. 25.39

Aggreſſor.

An ex eo ſolùm, quod Aggreſſor veniat, & accedat cum armis contra aliquem, veriſimiliter cauſa offendendi, poſſit aggreſſus licitè, & ſine irregularitatis nota eum occidere. 162.20

An item plebeij, ignobiles, & mechanici ſint ab irregularitate alieni, ſi ſuum iniuſtum Aggreſſorem occidant, caſu quo fugiendo poſſent mortem euadere. 168.37

An ſi Aggreſſor ante, vel poſt vulnus illatum cadat in terram, poſſit Aggreſſus abſque nota irregularitatis, ibi eum offendere, & occidere. 150.38

An etiam poſſit quis, abſque irregularitate, iniuſtè Aggreſſorem proximi interficere, in abſentia eiuſdem, quando id eſt neceſſarium ad eius defenſionem. 172.43

An item interficere quis iniuſtum Aggreſſorem proximi poſſit, etiamſi hic defendi nolit. 172.44

Alapa.

An qui vulnus, Alapam, conuicium, aut aliam iniuriam accipit, qua honor grauiter lædatur, poſſit licitè læſorem fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere. 577.3

Altare.

An Sacerdos celebrans ſine Altari conſecrato ab Epiſcopo ſit irregularis. 213.51

An quicumque Miniſter Eccleſiæ, qui non Religio-

nis cauſa, aut obſeruandi Eccleſiaſticos ritus, ſed amaritudinis ſuæ teſtandi cauſa, Altaria veſtibus ſacris exuunt, aut lugubri ornatu ea veſtiunt, aut luminaria conſueta extinguunt, irregulares permaneant. 214.24

Amentia.

An etiam maneat perpetuò irregularis, qui ſemel tantum incidit in furiam, vel amentiam. 17.9

An furia, vel Amentia ſuperueniens Clerico iam Ordinato, reddat etiam irregularem illum quoad vſum Ordinis ſuſcepti. 17.10

An in irregularitate contracta ab eo, qui ſemel in furiam, aut Amentiam incidit, & ſanitatem recuperauit, poſſit Epiſcopus diſpenſare, aut declarare aptum eſſe, non ſolum ad vtendum Ordinibus ſuſceptis, ſed etiam ad alios ſuſcipiendos. 18.11

An etiam arceantur à ſuſceptione Ordinum, qui ob febris magnitudinem, aut ob vehementem paſſionem iræ, aut amoris, aut denique ob ebrietatem verſi ſunt in furorem, aut Amentiam ad horam, aut aliud breue tempus. 18.12

An etiam irregularitatem fugeret, qui interficeret Amentem, vel phreneticum ſibi inuadentem, ſi aliunde illi conſtaret, eum eſſe in mortali, à quo poſt amentiam, vel phreneſim poterit reſurgere. 161.16.

An homicidium cauſatum ab ictu furioſi, vel Amentis, vel pueri iudicio carentis, Eccleſiam polluat, & violet.

Vide, *Eccleſia.*

Apoſtata.

An etiam Apoſtatæ à fide ſint irregulares. 238.20

Aqua.

An fiat irregularis ille, qui puerum pro aſportanda Aqua mittit ad flumen, aut puteum diſcoopertum, & ſuffocatus eſt. 191.21

An fiat irregularis, qui mittit puerum ad Aquandum equum, monens eum, vt caueat à flumine, ſi puer intrans flumen ſubmergatur, & pereat. 191.22

Arbor.

An ſi quis, adhibita diligentia, ne alicuius mors ſequatur, Arborem alienam in die feſto cædat, & cadens caſu aliquem opprimat, maneat irregularis. 189.14

Architectus.

An maneant irregulares murator, aut Architectus, ex alto proiicientes lapides, ſeu tegulas, & proclamantes aduertendo viatores, vt caueant, ſi nihilominus ex tali proiectione aliquis occiſus maneat. 191.20

Arma.

An vendentes, aut præbentes Arma ad bellum iniuſtum, ſaltem dum propè inſtet bellum, fiot irregulares, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur. 109.8.

An etiam ſint irregulares vendentes Arma ad iniuſtum bellum, ſi longo tempore ante illud inductum id faciant. 109.9

An præbens Arma alicui, quem ſuſpicatur ea emere, aut petere ad iniuſtam occiſionem Petri, ſit irregularis, occiſione ſequuta. 145.82

An ſaltem maneat irregularis, ſi præbeat arma petenti illa in ſubitanea rixa, aut in procinctu cædis. 145.83

An ſi quis tradat Arma Caio, ac occidendum Titium, fiat irregularis, ſi Caius occidat Titium aliis armis. 145.84

An maneat irregularis inuaſus, qui potentioribus armis occidit ſuum iniuſtum inuaſorem. 161.16

An fiat irregularis Clericus noctu portans Arma prohibita, ſi rixoſus amicus, eo inſcio, aut inuito, ſuſtulit, & illis armis hominem occidit. 197.45

Aſſocians.

An qui ſcienter Aſſociat euntem ad occidendum aliquem, animo ſolum defendendi eum (ſi opus fuerit) ne ſuccumbat, maneat irregularis ſi Aſſociatus occidat. 139.63

An ſaltem immunis ſit ab irregularitate, ſi Aſſocians ſit Pater, vel filius, vel valdè amicus eius, qui ad occidendum aliquem exit, ſi hic contrarium occidat. 139.64

Auricula.

An carens Auriculis, hoc eſt externa illa cartilagine, quæ capiti adhæret, ſit irregularis. 22.18

An carens dictis Auriculis ſit adhuc irregularis, caſu quo poſſit talem deformitatem crinibus ita tegere, vt non appareat. 23.19

An maneat irregularis, qui in pœnam culpæ priuatus fuit Auricula. 23.20

An qui per ſeipſum Auriculam totam, vel partem amputauit, etiam ſit irregularis. 23.21

An item ſit irregularis ille à quo per vim, aut inimicorum inſidias, præciſæ ſunt Auriculæ. 23.22

An qui alterum Auricula priuat, fiat irregularis. 23.23

An ſit irregularis, qui alteri abſcindit Auriculam, hoc eſt, cartilaginem, quæ circa aurem eſt. 199.7

Auxilium.

An Auxiliantes, & cooperantes ad homicidium, vel mutilationem, ſint ſequuto effectu irregulares. 137.59

An fiat irregularis ille, qui rixam iniuſtam habens cum alio, admonet amicos, ſamulos, conſanguineos occurrentes in ſui Auxilium, ne quid mali illi inferant, ſi hi nihilominus occidant eum, aut mutilent. 141.71

B

Balbus.

AN Balbi, è numero quorum erat Demoſthenes, aut Blæſi, vt *Moſes* erat, ſint irregulares. 14.25

Baptiſmus.

An ille, qui omninò ignoranter rebaptizatur, poſtea ratum habet ſuum ſecundum Baptiſmum, irregularis fiat. 205.9

An qui primum Baptiſmum recepit fictè, & ſine intentione; ſed ſecundum vere, & cum intentione recepit, ſit irregularis. 205.10

An infans Baptizatus ab hæretico, maneat irregularis. 207.1

An ſaltem adultus Baptizatus ab hæretico, fiat irregularis. 207.2

Quare impoſita eſt ab Eccleſia pœna irregularitatis iterationi Baptiſmi, & non iterationi Confirmationis, & Ordinis, cum omnia hæc Sacramenta ſint initerabilia. 270.17

An in irregularitate, quæ contrahitur ex publica reiteratione Baptiſmi, poſſit non ſolum Papa, ſed etiam Epiſcopus diſpenſare. 270.18

An differens ſuſceptionem Baptiſmi vſque ad articulum mortis, ſit irregularis. 208.3

Vide, *Rebaptizare.*

An poſitis illis duabus conditionibus, quas Canon Concilij requirit, nempe exemplar vitæ, & neceſſitas miniſtrorum, ſit adhuc neceſſaria diſpenſatio Pontificis, aut Epiſcopi, vt Baptizatus in fine vitæ ordinari poſſit. 208.4

An ſit irregularis, qui vt liberiùs peccet, differt Baptiſmum vſque ad ſenectutem. 208.5

An laicus priuatim ſine ſolemnitate Baptizans, fiat irregularis. 208.6

An ſaltem maneat irregularis laicus ſolemniter baptizans. 208.7

An Sacerdos regularis, vel ſecularis, ſine licentia ſuperioris, abſque neceſſitate Baptizans, incurrat irregularitatem. 208.8

An clericus, qui non eſt Sacerdos, ſolemoiter, etiam in extrema neceſſitate Baptizans, fiat irregularis. 209.9.

An eandem irregularitatis pœnam incurrat Clericus non Sacerdos, Baptizans aliquem non ſolemniter, ſed abſque oeceſſitate, & prohibente Parocho. 209.10

An Parochus ſolemniter Baptizans puerum alterius Parochiæ, ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi, fiat irregularis. 209.11

An tempore ceſſationis generalis licitum ſit conferre Sacramentum Baptiſmi paruulis. 169.17

An in prædictis caſibus licitum ſit adminiſtrare Baptiſmum cum ſolemnitate ſolita. 270.20

Barba.

An manſerit irregularis, qui occidit hominem quendam, à quo arrepta Barba trahebatur, & à ſe, aliter expedire non poterat. 177.2

Ao ſi quis alteri vi, aut pharmaco totam Barbam euelleret, maneret irregularis. 200.14

Bellum.

An Clericis in ſacris conſtitutis, ſit prohibitum pugnare propria manu, in Bello iuſto aggreſſiuo. 98.105

Vide, *Clericus.*

An ſaltem Clerici beneficiarij in minoribus conſtituti, mortaliter peccent, propriis manibus in Bello iuſto pugnando. 99.111

An aliquando ſit licitum Clericis, & Religioſis aliqua ad Bellum iuſtum conducentia facere, propria manu, adhuc ſine licentia, pugnare, &c. 100.113

Ao licitum ſit Clericis, & Religioſis iuſto bello intereſſe, vt ſubſidia ſpiritualia miniſtrent, milites conſolentur, cofeſſiones audiant, moribundos adiuuent, &c. 100.114

An liceat Clericis, abſque metu irregularitatis, hortari milites in Bello iuſto ad pugnam in vniuerſum; nempe vt ſtrenuè pugnent, hoſtem aggrediantur, fidem, & patriam defendant, &c. 100.115

An ſaltem ſit illicitum Clericis, fiántque irregulares, ſi in Bello iuſto hortentur milites, non ſolùm ad pugnam in genere, ſed etiam ad perrumpendos hoſtium cuneos, ipſos occidendo, vt ſibi viam faciant ad muros, &c. 101.116

An etiam ſint immunes ab irregularitate Clerici, qui in Bello iuſto occidunt aliquos, ob defenſionem patriæ; eo quòd videant, quod aliàs caperetur, aut euerteretur ab aggreſſoribus. 102.118.

An item ſint liberi ab irregularitate, qui ad neceſſariam defenſionem Parentum, vxoris, aut filiorum, in Bello iuſto aliquem occidunt. 102.119

An ſi quis probabiliter æquè credat, ſe in Bello iuſto aliquem occidiſſe, aut mutilaſſe, debeat ſe neceſſariò irregularem reputare. 104.129

Ao omnes qui in Bello iniuſto mutilant, aut occidunt, & qui illis ad id, modo quouis, cóoperantur, ſint irregulares. 105.113

An omnes mutilantes, aut occidentes in Bello iniuſto, contrahant irregularitatem ex defectu lenitatis; an verò ex delicto. 107.1

An omnes militantes in Bello iniuſto, ſi in eo fiant mutilationes, aut homicidia, maneant irregulares, etiamſi propriis manibus ſanguinem non fundant. 107.2

Ao qui in Bello iniuſto ſeruant militantium veſtimenta, & ſarcinas, fiant irregulares. 108.4

An conducentes milites ad Bellum iniuſtum, ſint rei cædium, quas milites in illo admittunt, ac proinde irregulares. 109.5

An animantes, conſulentes, mandantes, exhortantéſve ad Bellum iniuſtum, quamuis hi non interficiant, aut propria manu pugnent, ſint irregulares, ſi ex hoc ſuo delicto mors, aut mutilatio in aduerſariis ſequatur. 109.6

An duces, & militum Præfecti pugnantes in Bello iniuſto, maneant irregulares, etiamſi in eo nullæ cædes, aut mutilationes fiant. 109.7

Ao vendentes aut præbentes arma ad Bellum iniuſtum, ſaltem dum prope inſtat bellum, ſint irregulares, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur. 109.8

An etiam ſint irregulares vendentes arma ad iniuſtum Bellum, ſi longo tempore ante illud inductum id faciant. 109.9

An item ſint irregulares, qui in Bello nauali iniuſto gubernant naues, ſequuta occiſione, aut mutilatione alicuius. 109.10

An deinde fiant irregulares, qui in Bello iniuſto incutiunt timorem hoſtibus, verbis, aut dolo bellico, ſi quis in eo occidatur, aut mutiletur. 109.11

An qui obſonia deferunt ad exircitum iniuſtè præliantem, ſint irregulares, ſi cædes ibi inueniantur. 109.12

An incurrant irregularitatem, qui ad Bellum iniuſtum accedunt, non animo pugnandi, ſed ad pacem componendam, aut iuuandos milites in ſpiritualibus, ſi in tali bello committantur cædes. 110.13

An Clericus qui intereſt iniuſto Bello, etiamſi nihil noceat aduerſariis, ſi tamen in eo committantur aliquæ cædes, ſit irregularis. 110.14

An militantes in Bello iniuſto maneant irregulares caſu quo occiſiones, aut mutilationes in ſociis ipſorum tantum contingant. 110.15

Beneficium, Beneficiarius.

An collatio Beneficij facta irregulari abſolutè, ſit licita. 10.11

An collatio Beneficij facta irregulari abſolutè, non ſolùm ſit illicita; ſed etiam inualida, ipſo iure, ante quamcunque iudicis ſententiam. 10.12

An irregularitas priuet ipſo iure, & facto Beneficiarium beneficio, vel penſione, ante irregularitatem obtentam. 11.13

An irregularitas ſuperueniens Beneficiato, priuet ipſum fructibus beneficij. 11.14

An item poſſit percipere fructus beneficij, qui exiſtens irregularis, Beneficium recepit. 11.15

An Beneficiarius incidens in irregularitatem, teneatur ſtatim dimittere, in foro conſcientiæ, beneficium, & in manibus ſuperioris reſignare. 11.16.

An irregularis ex delicto, ſi nolit, vel non poſſit impetrare diſpenſationem, poſſit renunciare Beneficium in fauorem tertij. 12.18

An etiam caſu, quo durante accuſatione irregularitatis, impetret quis Beneficium irregularis, ſi forrè per ſententiam illo priuetur, poſſit nihilominus irregularis conſcius huius impetrationis, antequam condemnetur, beneficio abſolutè renunciare. 12.19

Bigamia, Bigamus.

Quid ſit Bigamia. 60.1

An triplex ſit ſpecies Bigamiæ, nempe veræ, interpretatiuæ, & ſimilitudinariæ. 61.2

An omnia Bigamia inducat irregularitatem. 61.3

An

Digitized by Google

Notabilium.

An huiuſmodi irregularitas inducta ſit iure diuino? 61.4

An ad Bigamiam, & irregularitatem ex illa prouenientem, contrahendam requiratur, quod vtrumque matrimonium ſit conſummatum? 61.5

An ad Bigamiam, & ex ea prouenientem irregularitatem contrahendam, requiratur emiſſio ſeminis virilis intra vas fœmineum? 61.6

An etiam requiratur, vt fœmina ſemen emittat, vt quis ſit Bigamus, & irregularis? 62.7

An qui duas vxores legitimas ſucceſſiuè habuit ante Baptiſmum, & cum vtraque conſummauit, verè Bigamus ſit, & irregularis maneat poſt Baptiſmum? 62.8

An multiplicata ſponſalia, copuláque ſubſecuta inducant Bigamiam, & irregularitatem? 62.9

An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis laicus qui duo init, & conſummat matrimonia, alterum validum, & alterum irritum? 63.11

An qui contrahit verum matrimonium cum vidua à priori viro cognita, & conſummat illud, verè contrahat Bigamiam interpretatiuam, & irregularitatem defectu Sacramenti? 63.12

An hanc Bigamiam, & irregularitatem incurrat laicus qui ducit vxorem viduam, inualidè tamen, propter aliquod impedimentum? 63.13

An laicus contrahens duo matrimonia, ſed vtrumque inualidum, ſit Bigamus, & irregularis? 65.10

An excuſaretur ab irregularitate Bigamiæ, qui duceret viduam, exiſtimans illam eſſe Virginem, cùm tamen ſit corrupta à priori marito? 64.14

An ducens fœminam à ſe ſolo defloratam, ſit Bigamus, & irregularis? 64.15

An ſaltem ſit Bigamus, & irregularis, qui contrahit cum fœmina ab alio corrupta? 64.16

An propriè Bigamus Clericus in minoribus ſolum conſtitutus, priuetur priuilegio clericali Canonis, & fori? 72.44

An etiam ſit Bigamus, & irregularis, vir corruptus ducens Virginem? 65.17

An qui duxit Virginem, & poſt adulterium à ſe ſcitum illam carnaliter cognouit, contrahat irregularitatem Bigamiæ interpretatiuæ? 65.18

An vir cognoſcens ſuam vxorem, vi aut dolo oppreſſam ab alio, contrahat hanc Bigamiæ irregularitatem? 65.20

An etiam contrahat hanc Bigamiæ irregularitatem maritus, qui coactus ab Eccleſia per cenſuras (quia nequit vxoris adulterium probare) illam cognoſcit? 66.21

An maritus recipiens, & cognoſcens ſuam vxorem, quæ ex falſa ſuæ mortis fama ſecundas nuptias contraxerat, incurrat Bigamiæ interpretatiuæ irregularitatem. 66.22

An Religioſus profeſſus contrahens matrimonium, illudque conſummans, contrahat irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ. 66.23

An etiam Clericus in ſacris conſtitutus matrimonium, etiam vnicum, & cum Virgine contrahens, contrahat irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ. 67.24

An ſaltem contrahat Bigamiæ ſimilitudinariæ irregularitatem, qui contrahit matrimonium cum Moniali profeſſa, quamuis ipſe ſolutus ſit. 68.26

An contraheret huiuſmodi Bigamiæ irregularitatem, qui poſt vota ſimplicia emiſſa poſt biennium in Societate Ieſu, contraheret matrimonium. 68.27

An Summus Pontifex poſſit in Bigamia vera, & irregularitate ab illa orta diſpenſare. 67.28

An Pontifex poſſit in dictæ Bigamiæ irregularitate Ordinaria poteſtate diſpenſare. 68.29

An etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamis propriis ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. 69.30

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis, ad minores Ordines. 69.31

An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis propriis, vt in ſuſceptis minoribus Ordinibus miniſtrent. 69.32

An denique poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſaltem quoad minores Ordines, cum Bigamis interpretatiuis. 69.33

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamo proprio, & interpretatiuo, ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, caſu quo Bigamus ad Religionem tranſeat. 80.34

An caſu, quo vrgeat neceſſitas, ob penuriam Miniſtrorum (vt apud Indos) poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt Bigamus proprius, aut interpretatiuus ad Subdiaconatum promoueatur. 70.35

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria Clerici in ſacris conſtituti ineuntis matrimonium cum vnica, ac Virgine. 70.36

An Abbates ſæculares poſſint diſpenſare, ſicuti diſpenſant Epiſcopi, in Bigamia ſupradicta. 71.37.

An Commiſſarius Bullæ Cruciatæ habeat facultatem diſpenſandi in Bigamia. 72.40

An ad impetrandam in Bigamia diſpenſationem, ſit opus explicare, an matrimonium ter, vel quater, aut pluries contractum fuerit. 72.41

An in diſpenſationis Bigamiæ impetratione ſit neceſſariò ſpecies Bigamiæ fatenda. 72.42

An etiam qui duplici Bigamia eſt ligatus, vtriuſque mentionem in impetratione Bigamiæ diſpenſationis, facere debeat. 72.43

An non ſolum Bigamus proprius, ſed etiam interpretatiuus, priuetur dicto priuilegio Clericali Canonis, & fori. 73.45

An etiam Bigamus ſimilitudinarius priuetur dicto Clericali priuilegio. 73.46

An Bigamus in minoribus conſtitutus, peccet mortaliter, ſi deſerat habitum, & tonſuram clericalem. 73.47

An Bigamus prædictus poſſit miniſteria minorum Ordinum exercere. 73.48

An Bigamus ſit capax alicuius beneficij Eccleſiaſtici. 73.49

Bona.

An licitum ſit cuilibet perſonæ ſæculari, ob defenſionem Bonorum ſuorum temporalium interficere iniuſtum eorum inuaſorem. 172.5

An licèt licitè occidat ſæcularis quis furem aliquem, aut actualem inuaſorem ſuorum Bonorum temporalium, maneat nihilominus irregularis. 173.2

An non ſolum Clerici, verum etiam Religioſi, poſſint ſine irregularitatis pœna occidere furem volentem Bona ſua ſurripere, quando aliter defendere ea non valent. 174.4

Vide *Res.*

An poſſit quis, abſque metu irregularitatis occidere inuaſorem iniuſtum, pro defenſione Bonorum proximi, quando hæc alicuius ſunt momenti. 176.18

Bulla Cruciata.

An irregularitas, quæ ſine peccato incurritur, poſſit per Bullam Cruciatæ diſpenſari. 256.35

An ſaltem irregularitas, quæ ex delicto prouenit, poſſit per Bullam Cruciatæ diſpenſari. 256.36

Vide *Commiſſarius.*

C

Cæcitas, Cæcus.

AN omnino Cæcus ſit irregularis omnino. 20.3
An etiam ſit irregularis cæcus ille, qui licet nihil videat, habet oculos integros, & claros. 20.4
An adhuc ſit irregularis Sacerdos, cui iam Sacerdotio initiato ſuperuenit cæcitas. 20.5
An maneat irregularis, qui Cæco pontem tranſeunti tabulam aliquam ſubtrahit, vnde ille ſubmergitur. 150.100

Campana.

An ſaltem fiat irregularis Clericus, qui illicitè pulſans Campanam tempore interdicti, caſu cadens tintinnabulum occidit hominem. 189.13
An contrahat irregularitatem ille, qui non habens officium Campanarij, pulſando Campanam, caſu occidit hominem. 189.14

Canis.

An contrahat irregularitatem, qui canem, quem ferocem, ac rabioſum nouerat, in alium ioco concitauit, & Canis ipſum mutilauit, vel occidit. 193.31
An etiam incurrat irregularitatem ille, qui non nouerat Canem rabioſum eſſe, eo quòd non erat ſolitus mordere; ſed tamen eum, in quem ioco prouocauit, momordit, & occidit. 193.32.
An qui domi cuſtodit leonem, vrſum, aut canem ita benè ligatum vt neminem lædere poſſit; ſi tamen aliquo caſu ſoluatur, & occidat aliquem, maneat irregularis. 193.33.

Capitulum.

An etiam Capitulum, Sede vacante, poſſit diſpenſare cum præfato illegitimo, ad Ordines minores, & beneficium ſimplex. 47.55

Caput.

An monſtruoſus, hoc eſt, habens duo capita, quatuor manus, aut pedes, &c. ſit irregularis. 29.62

Carcer.

An cuſtodes Carceris, qui aperiunt oſtium eius, vt reus ad mortem ducatur, maneant irregulares, ſequuta morte. 94.89

Cardinalis.

An Cardinalis electus in Papam à paucioribus, quàm à duabus partibus electorum, ſi Papatum vſurpare conetur, tam ipſe, quàm qui ipſum receperint, irregulares maneant. 214.17

Carnifex.

A non ſolum Carnifex, qui gulam frangit reo; verum etiam omnes, qui ipſum iuuant, vt qui ſcalam applicant, funem porrigunt, &c. ſint irregulares. 94.93
An fiat irregularis, qui inexpertum Carnificem docet modum, quo dandus eſt nodus funi, aut voluendus cippus. 97.101

Caſtrare.

An qui ob vocis conſeruationem, ſe per ſe, aut per alios Caſtrauerunt, ſint irregulares. 28.57
An qui zelo caſtitatis ſibi per ſe, vel per alios virilia amputarunt, aut Caſtrarunt, ſint item irregulares. 28.58
An qui ob ægritudinem, aut aliam neceſſitatem ſibimet virilia abſcidit, maneat irregularis. 29.60
An ſit neceſſum quod Clerici Caſtrati teſticulos in puluerem redactos ſecum portent, dum Miſſam celebrant. 26.61

Catechumenus.

An ſaltem filij Catechumenorum ab infantia baptizati, ſint irregulares, caſu quo eorum parentes à fide receſſerint. 239.4
An ſi Catechumenus in Eccleſia ſepeliatur, illa remaneat polluta. 284.40

Cauſa.

Quæ ſit cauſa finalis, quam Eccleſia habet in imponenda Irregularitatis pœna. 8.15

Ceſſatio.

Vnde dicatur *Ceſſatio à diuinis.* 260.1
Quid ſit Ceſſatio à Diuinis. 260.2
Quotuplex ſit Ceſſatio à Diuinis. 260.3
An Ceſſatio à diuinis ſit vera & propria cenſura, diſtincta ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto. 261.4
An Ceſſatio à diuinis ſit ſpecies interdicti, & forma quædam illius. 261.5
Quibus in rebus differat Ceſſatio ab interdicto. 261.6
An violans Ceſſationem particularem, irregularitatem incurrat. 261.7
An ſaltem qui violat Ceſſationem generalem celebrando tempore illius, incurrat irregularitatem. 261.8
An Ceſſatio à diuinis incurratur aliquando ipſo iure. 261.1
An poſſint Ceſſationem ferre, qui ad id habent priuilegium, aut conſuetudinem, 262.5
An Ceſſatio quæ inducitur ab Ordinario loci, comprehendat Regulares. 263.6
An ad indicendam Ceſſationem, ſint à iure præfixa, & determinata verba. 262.7
An materia, ob quam imponenda eſt Ceſſatio ſit iniuria illata Eccleſiæ, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ. 263.8
An pro quacumque leui iniuria Eccleſiæ illata poſſit validè Ceſſatio imponi? 263.9
An vt Ceſſatio legitimè imponatur, requiratur quod cauſa, ob quam imponitur, ſit notoria, & manifeſta. 263.10
An antequam ceſſatio imponatur, debeat neceſſariò cauſa ceſſationis exprimi inſtrumento publico, vel patentibus literis, ſigillo munitis: necnon, quod tale inſtrumentum, vel literæ tradantur ei, contra quem ceſſatio intenditur. 263.11
An vt Ceſſatio ſit, non ſolum iuſta, ſed & valida, ſit neceſſum, vt ille, contra quem imponitur, moneatur, & requiratur, an velit ante ceſſationem emendare offenſam, & illam compenſare. 264.12
An vt Ceſſatio indicta à Capitulo ſit licita, & valida, requiratur quod ad eam indicendam vocentur omnes de Capitulo, etiam abſentes, & de cauſa ceſſandi diligenter tractetur; ac tandem deliberetur per ſuffragia, per maiorem partem Capituli. 263.13
An poſita Ceſſatione, niſi partes infra menſem in concordiam venerint, teneatur vtraque pars, nempe tam ceſſans, quam ille contra quem ceſſatur, iter arripere per ſe ipſos, vel Procuratorem, ad Sedem Apoſtolicam, & ſe præſentare Pontifici, vt cognita cauſa remedium adhibeat. 264.14
Quotuplex ſit effectus ceſſationis. 264.1
An Summus Pontifex poſſit imponere Ceſſationem partialem, hoc eſt quoad vnicum tantum effectum, & non quoad omnes. 265.2
An etiam Epiſcopus, aut alius Iudex inferior Papa, poſſit imponere dictam Ceſſationem partialem. 265.3
Quænam ſit cauſa finalis Ceſſationis. 265.15
An tempore Ceſſationis particularis licitum ſit celebrare diuina officia publicè. 266.4
An ſaltem tempore Ceſſationis generalis liceat diuina celebrare publicè, cum moderatione *cap. Alma mater.* 266.5
An ſaltem tempore ceſſationis generalis ſit licitum,

Digitized by Google

tum, celebrare officia diuina publicè, in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumpt. B. Mariæ Virginis, ſicut eſt licitum celebrare tempore interdicti localis generalis. 267.6

An non ſolum tempore Ceſſationis generalis, ſed etiam ſpecialis, licitum ſit celebrare publicè in præfatis feſtis. 267.7

An tempore Ceſſationis teneantur Clerici priuatim Horas Canonicas dicere, ſi ad id aliàs teneantur. 267.8.

An etiam tempore Ceſſationis ſit licitum bini, vel terni ſimul Horas Canonicas intra Eccleſiam adhuc recitare. 267.9

An tempore Ceſſationis ſit licitum pulſare campanas ad diuina officia. 268.10

An non ſolum ſemel in hebdomada, verùm etiam quotidie, poſſit tempore Ceſſationis fieri ſacrum, ſi opus ſit conferri Viaticum, & non ſit Eucbariſtia. 269.15.

An Sacerdoti celebranti in enarratis diebus, tantum poſſit vnicus Miniſter aſſiſtere. 269.16

An tempore Ceſſationis generalis licitum ſit conferre Sacramentum Baptiſmi paruulis. 269.17

An etiam tempore Ceſſationis ſit licitum Sacramentum Baptiſmi miniſtrare adultis. 269.18
Vide *Baptiſmus*.

An ſi Ceſſatio permaneat in hebdomada ſancta, ſit licitum Epiſcopo conſecrare Chriſma, & benedicere oleum. 270.21

An violans Ceſſationem peccatum mortale admittat. 273.1

An etiam laici violantes Ceſſationem, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant. 274.6

An ille, ob euius cauſam lata eſt Ceſſatio, teneatur ad aliquam reſtitutionem. 274.7

A quonam Superiori poteſt auferri Ceſſatio. 274.8

Chirurgus.

An toties fiat irregularis Medicus, ſiue Chirurgus, ſiue ſit laicus, ſiue Clericus, quoties ex mala curatione facta ab ipſo ſequatur ægroti mors. 112.8
Vide *Medicus*.

An polluat Eccleſiam Chirurgus, qui dum vulnus curat in Eccleſia, aut venam incidit, copioſè ſanguinem fundit. 282.25

Circulator.

An ſi quis Circulator (Hiſpanè *chocarrero*, ò *Charlatan*) defetat ſerpentes, & ludo exterrens moriatur aliquis, fiat irregularis. 191.25

Clamans.

An Clericus, vel alius qui clamat, vt è manibus furis bona ſua eripiant, & eo excitatus Clamore Iudex furem capit, & occidit, maneat irregularis. 81.61

An item non maneat irregularis, qui Clamans excitat vicinos, qui furem fugientem cum rebus ſuis capiunt, & occidunt. 87.62

Claudus.

An Claudus ſit irregularis. 27.51

Clericus.

An Clericus irregularis ob homicidium voluntariè patratum, priuandus ſit beneficio, & penſione obtentis. 12.27

An Clericus in Sacris conſtitutus matrimonium, etiam vnicum, & cum Virgine contrahens, contrahat irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ. 67.24

An excuſetur ab irregularitate Clericus, aut alius, qui accuſat aliquem de crimine digno morte, non criminaliter, ſed ciuiliter, hoc eſt, non petendo vindictam, ſed ſatisfactionem ſibi debitam. 83.56

An Clericus, vel alius, qui iuſtè accuſans proteſtationem ficto animo facit, & interiùs deſiderat vindictam & ſanguinem accuſati, irregularitatem contrahat. 83.47

An ſicut poteſt Clericus, vel alius abſque metu irregularitatis, cum proteſtatione accuſare reum de iniuria ſibi aut rebus ſuis illata, ita poſſit accuſare de iniuria, vel damno illato ſuis propinquis & cognatis. 85.55

An Clerici, aut Regulares temporalem iuriſdictionem habentes, qui interſunt executioni ſententiæ mortis, ſint irregulares. 97.102

An cæteri, ſiue Clerici, ſiue laici, qui non habent iuriſdictionem temporalem, incurrant etiam irregularitatem, aſſiſtendo executioni ſententiæ ſanguinis. 97.103

An ſaltem peccent Clerici aſſiſtentes ſine iuſta cauſa executioni ſententiæ ſanguinis. 97.104

An Clericis in Sacris conſtitutis ſit prohibitum pugnare propria manu in bello iuſto aggreſſiuo. 98.105

An etiam Clericis in minoribus Ordinibus conſtitutis ſit prohibitum in bello iuſto aggreſſiuo propria manu pugnare. 98.106
Vide *Bellum*.

An iure naturali, aut diuino ſit prohibitum Clericis propria manu pugnare. 99.108

An dicta prohibitio non pugnandi propriis manibus, obliget ſub mortali Clericos in ſacris conſtitutos. 99.109

An etiam præfata prohibitio obliget ſub mort. Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, ſi beneficio Eccleſiaſtico careant. 99.110

An ſaltem Clerici beneficiarij in minoribus conſtituti mortaliter peccent, propriis manibus in bello iuſto pugnando. 99.111

An ſaltem ſit illicitum Clericis, ſiantque irregulares, ſi in bello iuſto hortentur milites non ſolùm ad pugnam in genere, ſed etiam ad pertumpendos hoſtium cuneos, ipſos occidendo, vt ſibi viam faciant ad muros, &c. 101.116

An Clerici pugnantes, & occidentes ad defenſionem Regis, vel Principis, quem in bello iuſto vident occidendum ab hoſtibus, incurrant irregularitatem. 101.117

An ſi quis Clericus militem aliquem hortetur, vt pro tuenda fide Chriſti, aut pro Eccleſia Romana moriatur, ſit irregularis, ſi ſequatur ipſius militis mors. 102.120

An item liber ſit ab irregularitate Clericus exhortans militem, vt pro Reipublicæ, aut patriæ defenſione moriatur, morte militis ſequuta. 102.121

An deinde maneat liber ab incurſu irregularitatis Clericus, vel alius, qui conſulit, aut ſuadet alteri, vt exponat ſe mortis periculo, pro defenſione ſui Patris periclitantis, aut ſui amici, &c. 102.122

An fiat irregularis Clericus, qui in bello iuſto præbet arma, quæ apud ſe habet, militi non habenti, vt ſe, ſuaque defendat bona, ſi poſtea miles occidat aliquem. 103.123

An ſaltem fiat irregularis dictus Clericus, ſi in iuſto bello præbeat arma militi, vt occidat aliquem in particulari, ſequuto effectu. 103.124

An caſu, quo Clerici peccent grauiter in bello iuſto pugnando propria manu contra prohibitionem Eccleſiæ, maneant irregulares, ſi aliquos percutiant,

cutiant, aut vulnerent, etiamſi nullum occidant, aut mutilent. 103.126

An ſaltem ſit irregularis Clericus, ſi in bello iniuſto militet ſpontè, etiamſi nullum deformet. 104.127

An Clericus in bello iuſto propria manu licitè pugnans, ſi dubius poſtea maneat, an ipſe occiderit aliquem, cenſeri debeat irregularis. 104.128

An ſaltem Clericus, vel Religioſus militans in bello iuſto ſinè licentia Pontificis, ſe debeat reputare irregularem, ſi dubitet omninò, an alium mutilauerit, aut occiderit. 105.130

An ſi Pontifex diſpenſaret cum aliquo Clerico, vt in bello iuſto propria manu pugnaret, incurreret irregularitatem, ſi aliquos hoſtes in dicto bello occideret. 105.135

An Clericis Ordinibus ſacris initiatis, ſit iure prohibitum officium Medici, aut Chirurgi exercere, abſcindendo, vel adurendo. 101.1

An ſaltem licitum ſit prædictis Clericis, aut Religioſis mederi incidendo, aut vrendo, cauſa pietatis. 111.5

An etiam ſit interdictum dictis Clericis, & Religioſis, artem Medicinæ, ſeu Chirurgiæ, abſque inciſione, & aduſtione exercere. 111.6

An prohibitum ſit Monachis, & Clericis Sacris initiatis, mederi incidendo, vel adurendo, vrgente neceſſitate, vt tempore peſtis, quando non eſt alius qui hoc munus præſtet. 113.10

An ſi Monachus, aut Clericus in Sacris exercerent artem Chirurgiæ, incidendo, aut adurendo, extra caſum neceſſitatis, cum ignorantia inuincibili huius prohibitionis, peccarent, & incurrerent irregularitatem, morte ægroti ſequuta. 114.11

Vide, *Monachus.*

An venæ ſectio ſit Monachis, & Clericis in Sacris prohibita per *d. cap. Tua nos, de homicidio.* 114.13

An Clericus in Sacris conſtitutus, ſeu Monachus exercens officium Medici, ſeu Chirurgi, abſcindendo, vel adurendo, ſecundum regulam artis membrum alicuius ægroti, ſanitatis cauſa, incurrat irregularitatem, ſi mors non ſequatur, ex ea ſaltem actione. 114.15

An Clericus, ſeu Monachus, adiuuans Chirurgum ad abſcindendum membrum infectum ægroti, ob eiuſdem ſanitatem, incurrat irregularitatem. 115.16.

An Clericus in bello iuſto propria manu pugnans, ob defenſionem propriæ vitæ, maneat irregularis, ſi aliquem hominem ob id occidat. 103.125

An ſit irregularis Monachus, aut Clericus ludens, etiam modeſtè, cum muliere grauida, ſi inde aborſus animatus contingat. 155.14

An denique Clericus, vel religoſus liber maneat ab irregularitate, ſi pro ſe tuendo occidat ſuum iniuſtum inuaſorem, quando ſuam vitam fugiendo tueri poſſet. 169.39

An etiam Clerici poſſint, abſque culpa, & irregularitatis pœna, occidere actualem rerum ſuarum inuaſorem. 173.3

An nonſolùm Clerici, verùm etiam Religioſi poſſint ſine irregularitatis pœna occidere furem volentem bona ſua ſurripere, quando aliter defendere ea non valent. 174.4

An Clericus, qui equum ferocem equitans, caſu aliquem occidit, maneat irregularis. 187.8

An fiat irregularis Clericus, qui dum licitè pulſans campanas, caſu cauſam dedit homicidij, cadente tintinnabulo. 189.12

An fiat irregularis Clericus noctu portans arma prohibita, ſi rixoſus amicus ei inſcio aut inuito ſuſtulit, & illis armis hominem occidit. 197.45

An Clericus qui non eſt Sacerdos, ſolemniter etiam in extrema neceſſitate baptizans, fiat irregularis. 209.9

An eandem irregularitatis pœnam incurrat Clericus non ſacerdos, baptizans aliquem non ſolemniter, ſed abſque neceſſitate, & prohibente Parocho. 209.10

An Clericus non Sacerdos fiat irregularis, ſacramentaliter aliquem abſoluens. 211.9

An Clericus, qui non eſt Subdiaconus, cantans Epiſtolam indutus Dalmatica, ſed ſine manipulo, fiat irregularis. 212.31

An ſaltem fiat irregularis, ſi dictus Clericus Subdiacono inferior, cantet in Miſſa ſolemni Epiſtolam, indutus Dalmatica, & manipulo. 212.14

An etiam fieret irregularis Clericus Subdiacono inferior, qui cum Dalmatica, & Manipulo cantaret Epiſtolam in Miſſa, ſine intentione tamen faciendi officium Subdiaconi. 212.15

Vide *Epiſtola.*

An Clericus non Sacerdos, qui in Choro fungitur officio hebdomadarij, maneat irregularis. 213.19

An etiam maneat irregularis Clericus Sacerdote inferior, qui à Cenſura aliqua ſolemniter abſoluit pœnitentes, aut benedicit ſponſis, aut aquæ, &c. 213.20

An Clericus qui in vita, vel morte fauet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemoſynas accipiendo, vel eis pœnitentiam, ſine debita reſtitutione, vel cautione concedendo, vel tandem eorum ſepulturis aſſiſtendo, irregularitatem incurrat. 214.26

An laicus, ſiue Clericus Sacerdote inferior, fiat irregularis, ſi per iocum, aut per modum repræſentationis, ſine intentione conficiendi Sacramentum, conſecret aut celebret Miſſam, tanquam ſi Sacerdotio eſſet initiatus. 215.27

An Clericus primæ tonſuræ maiori excommunicatus, fiat etiam irregularis, ſuum officium ſolemniter exercendo. 217.4

An ſint irregulares Clerici, qui conſtituti in minoribus Ordinibus, exercent ſolemniter actus proprios illorum Ordinum, tempore interdicti. 230.10

Vide *Interdictum.*

An Clericus publicè concubinarius, vel fornicarius ſit irregularis, irregularitate annexa tali crimini. 241.1

Vide, *Concubinarius, Sodomita.*

Cœmeterium.

An violata Eccleſia, cenſeatur etiam violatum Cœmeterium illi contiguum. 285.44

An etiam è contra, polluto Cœmeterio, cenſeatur polluta Eccleſia illi contigua. 286.45

An ſi duo Cœmeteria ita ſint ſibi vnita, vt inter ea ſolus ſit medius paries, in quo ſit porta, per quam tranſeatur de vno in aliud, vtrum vno eorum polluto, cenſeatur pollutum alterum. 286.46

An ſaltem maneant polluta duo dicta Cœmeteria, ſi in medio portæ poſitæ inter illa, fiat humani ſanguinis, vel ſeminis effuſio. 287.47

An reconciliata Eccleſia violata, maneat reconciliatum Cœmeterium contiguum. 290.7

Color.

An Color Æthiopis aut Mauri faciat irregularem. 25.39

Comburere.

An qui ad iniuſtè Comburendum aliquem viuum ignem admouet, aut extruit focum, ſit irregularis. 145.85

Comes.

Notabilium.

Comes.

An comes magiſtri triremis (Hiſpanè, *Comitre de galera*) percutiens Clericum degradatum ſolum verbaliter, & damnatum ad triremes, excommunicationem Canonis incurrat. 276.6

Comitari.

An etiam ſint irregulares omnes, qui de familia Prætoris pedeſtres, aut equeſtres comitantur malefactorem morte plectendum. 94.91

Commiſſarius Cruciata.

An Cõmiſſarius Cruciatæ poſſit legitimare prolẽ, in foro conſciẽtiæ, quoad Ordines, & beneficia. 56.80

An Commiſſarius Bullæ Cruciatæ habeat facultatem diſpenſandi in Bigamia. 72.40

An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis orta. 106.156

An etiam Commiſſarius Cruciatæ poſſit in hac irregularitate diſpenſare. 120.39

In quibus irregularitatibus poſſit Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare. 255.34

Concilium.

An ſolus Summus Pontifex, aut Concilium generale poſſint indicere irregularitatem. 6.1

Concio, Concionator.

An ab irregularitatis incurſu liberentur Concionatores, qui hortantur Iudices, vt ſeruent leges, & purgent Rẽpublicã ſceleſtis hominibus, &c. 81.36

An ſaltem innodetur irregularitate Concionator, qui peccatorem occultum publice reprehendit, & ob id à Iudice captus, ad mortem, vel mutilationem damnatur. 81.37

An ſaltem ſit licitum, tempore ceſſationis, pulſare campanas ad Concionem, Orationem Angelicam, & ad alia, quæ non ſunt officia diuina. 268.51

Concubinarius.

An ſaltem Clericus Concubinarius, aut Sodomita publicus, & notorius fiat irregularis, ratione infamiæ, ante Iudicis ſententiam. 241.3

Confeſſarius, Confeſſio.

An irregularis peccet mortaliter excipiendo Confeſſiones. 9.8

An etiam validæ ac ratæ ſint Confeſſiones, quas Confeſſarius nominatim irregularis promulgatus excipit. 10.10

An ſi Iuriſperitus, vel Theologus, vel Confeſſarius, vel alius interrogetur in genere, an quis ob tale crimen mereatur mortem, reſpondeatque mereri, maneat irregularis, ſecuta morte, vel mutilatione in aliquo. 79.30

An ſit irregularis Confeſſarius, qui dicit Iudici nolenti punire Reum pœna mortis, vti tenetur, ſe non poſſe, nec velle ei abſolutionem dare, niſi Reum illum morte puniat. 80.32

An Confeſſarius qui obligat Reum pœnitentem iuridicè interrogatum ad fatendum crimen dignum morte, fiat irregularis, pereunte Reo. 80.33 Vide *Lenitas*.

An fiat Confeſſarius, aut alius irregularis, conſulens Reo, vt omittat appellationem iuridicã de ſententia mortis ſibi illata, quam ipſe interponere vult. 80.35

An Confeſſarius, qui conſulit pœnitenti fateri crimen dignum morte, ſi iuridicè interrogetur, ſit irregularis, ſecuta pœnitentis morte. 537.57

Confirmatio.

An reiterans actiuè, vel paſſiuè Sacramentum Confirmationis, fiat irregularis. 206.15

An qui ſine Sacramento Confirmationis ordinatur, fiat irregularis. 210.5

An etiam fiat irregularis Sacerdos non Epiſcopus, exercens Pontificalia, v.g. conferendo Ordinis, vel Confirmationis Sacramentum, conſecrando Altaria, &c. 211.10

An Sacerdos, qui ex commiſſione Papæ miniſtrat excommunicatus Sacramentum Confirmationis, ſit etiam irregularis. 218.8

An item ſit licitum, tempore ceſſationis, conferre Confirmationem. 269.19

Conſenſus.

An quando plures de communi Conſenſu vnum aliquem aggreſſi ſunt, & aggreſſus vnico vulnere perijt, omnes maneant irregulares. 537.60

Conſiliarius.

An Regij Conſiliarij deputati ad cauſas ciuiles iudicãdas, poſſint, nõ depoſito tali munere, ad Ordines promoueri, & promoti idẽ munus exercere. 59.12

Conſilium.

An cenſendus ſit irregularis, qui dubitat, an ſuum Conſilium influxerit in homicidium reuera commiſſum. 532.42

An præbens Conſilium pium, ex quo præter intentionem homicidium ſequitur, irregularitatem incurrat. 535.49

Conſulens.

An qui Conſulit homicidium illi, qui paratus non erat ad illud patrandum, fiat irregularis ſequuto effectu. 131.38

An etiam fiat irregularis Conſulens homicidium illi, qui iam paratus erat ad occidendum. 131.39

An ſaltem fiat irregularis ille, qui Conſuluit cuidam, qui iam determinatus erat, Petrum occidere, ſed ex dicto conſilio citiùs occidit. 131.40

An Conſulens homicidium, ficto animo, fiat irregularis. 532.41

An Conſulens homicidium maneat irregularis, ſi conſultus non ſtatim, ſed poſt multos dies occidat. 132.43

An Conſulens alteri, vt occidat aliquem, maneat irregularis, caſu quo is, cui datum eſt conſilium, occidatur. 132.44

An Conſulens homicidium euitet irregularitatem, ſi ante factum homicidium, conſilium datum reuocet, idque manifeſtet ei, qui conſilium dedit. 133.45

An qui Conſuluit homicidium cuiuſdam Clerici, & poſtea feriò tale conſilium reuocauit, manſerit nihilominus excommunicatus, & irregularis, & obligatus ad reſtitutionem, ſequuto homicidio. 133.46

An ſit irregularis Conſulens abortum fœtus animati, ſi poſtea, reuocato conſilio, non poſſit fœminam ad id perſuaſam remouere ab abortu procurando. 134.47

An qui Conſuluit homicidium, & reuocauit illud, ac bona fide credidit, id ſufficere, vt occiſio non ſequeretur, maneat nihilominus irregularis, ſi homicidium ſubſequatur. 134.48

An Conſulens alteri, vt pro fide Chriſti, aut pro Eccleſia ſe morti exponat, fiat irregularis, morte conſulti ſequuta. 135.50

An etiam vitet irregularitatem, qui Conſulit alteri vt ſe pro bono publico, aut pro defendenda Patria, periculo mortis exponat, ſi inde mors conſulti ſequatur. 135.51

An Conſulens alteri, ne hoſtem fugiat, eo quòd exiſtimet hoſtem, qui eum inſequitur, ob ſuam præſentiam eum non occiſurum, irregularis maneat, ſi exinde conſultus occidatur. 135.52

An qui tranſeunti fluuium rapaciſſimum iumento debili conſulit, vt deſcendat, vt ſic melius illud pertranſeat, fiat irregularis, ſi exinde deſcendens ſubmergatur. 135.53

An qui parato occidere Clericum adulterum, Conſulit, vt potius mutilet, maneat irregularis, ſi de facto eum mutilet. 136.54

Ao maneat irregularis, qui conſulit alicui, vt bona ſua tueatur ac defendat, ſi conſultus, ob id ſe exponat periculo, & oecumbat. 136.55
An qui Conſulit alteri aliquod crimen, v.g.furtum, ex quo ſcit illum morte puniendum, fiat irregularis? 136.55
Ao ſit irregularis qui Conſulit homicidium alicui, qui aliàs illud eſſet commiſſurus abſque conſilio tali. 137.58

Contumelia.

An abſque culpa, & pœna irregularitatis poſſit quis occidere, aut mutilare atrociter contumelioſum, ad depallendam iniuriam Contumeliæ, quam perfectè io illum protulit; vt *tu es infamis, malè caſtus, &c.* 169.8
An etiam poſſit quis occidere, aut mutilare contumelioſum non perfectè proferentem ſibi grauiſſimam Contumeliam, ſed iocipientem illam proferre: vt v. g. *tu es infam. tu es mala gener. &c.* 179.9

Conuiuium.

An qui vinum generoſum Conuiois appoſuit, aut lautiſſimas illis miniſtrauit epulas, quibus aliquis ſe ita ingurgitauit, vt crepuerit, aut mentis defectu alium occiderit, maneat irregularis. 197.47

Cooperans.

An auxiliantes & Cooperantes ad homicidium vel mutilationem, ſint ſubſequuto effectu irregulares. 137.39

Crus.

An etiam ſit irregularis qui Crura diſtorta habet. 28.53

D

Dæmoniacus.

1 An Dæmoniacus, aut Energumeous (qui dicitur ille, quem ſpiritus malignus corporaliter vexat (ſit omninò irregularis. 18.13
Ao etiam ſit omninò irregularis, qooad ſuſceptionem altioris Ordinis, Dæmoniacus, aut Energumenus, cuius corpus ſolùm ſemel, aut iterum fuit obſeſſum, ac vexatum, ſed miſericordia Dei iam eſt omninò à tali vexatione liber. 18.14
An Dæmoniaci, quorum corpora aliquando fuerunt obſeſſa, poſſint in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ſi omninò à tali vexatione liberi exiſtant. 19.16
An oon ſolùm Dæmoniaci, ſed etiam illi qui ſe tales ſimularunt, irregulares ſint. 19.17

Debitum.

An ex Debito pecuniario, quod poſt deſertionem officij, & rationem redditam reſultat, oriatur irregularitas. 60.14

Defectus.

An defectus plenæ aduertentiæ, ſeu conſiderationis iuris, aut facti, ob cuius violationem fertur irregularitas, excuſet ab incurſione irregularitatis. 15.7
An Defectus corporalis, ſeu vitium corporis, inducat irregularitatem. 20.1
Ao omne vitium corporis indocat irregularitatem. 20.2
An ad Epiſcopum ſolùm pertineat iudicare in dubio, an Defectus corporis, aut deformitas ita notabilis ſit, vt inducat irregularitatem. 32.81

Defenſio.

In quo conſiſtat Defenſio inculpata, ſeu, quod idem eſt, moderamen inculpatæ tutelæ, cooditio neceſſaria, vt occiſio iniuſti aggreſſoris ſit licita, & libera ab irregularitate. 157.3
An ſi quis volenti defendere alium ex charitate, perſuadeat ne defendat eum, fiat irregularis, ſi ex illa non defenſione ſequatur homicidium. 148.73.
An ſaltem fiat irregularis, ſi volenti defendere ex iuſtitia alium ab occiſione, id ei diſſuadeat per vim, aut fraudem. 148.94
An etiam Clericus, vel Monachus excuſetur ab irregularitate, ſi committat homicidium, Defendendo ſe cum moderamine ioculpatæ tutelæ. 157.2
An fiat irregularis, qui cum moderata Defenſione occidit iniuſtum inuaſorem, ſciens illum eſſe in mortali, & in eo moriturum. 178.6
An inuaſus, qui poteſt ſe iuſtè Defendere, occidendo iniuſtum inuaſorem, peccet mortaliter, ſi id non faciat. 158.7
An euadat irregularitatem, qui debito moderamine ſe Defendens, directè vult, & intendit mortem ioiuſti aggreſſoris, eamque exequitur. 159.9
An ſaltem ſit irregularis, qui ob Defenſionem vitæ ſuæ, aut honoris, occidit aggreſſorem venientem contra ipſum, ſine aliquo genere armorum, ſed tantùm manu vacua, minans eum ſuffocare, aut alapam præbere. 161.18
An ſi quis occidat iniuſtum inuaſorem, vt vitam ſuam Defendat, in caſu quo ſatis eſſet illum mutilare, aut vulnerare, vt ſe defenderet, fiat irregularis. 167.33
Ao etiam poſſit quilibet, non ſolùm Defendere vitam ſoam, ſed etiam vitam patris, vel filij, vel vxoris, aut alterius conſanguinei, vſque ad occiſionem iniuſti aggreſſoris, abſque iocurſu irregularitatis. 101.40
An ſimiliter poſſit quis Defendere vitam proximi extranei, vſque ad occiſionem iniuſti inuaſoris, ſine vlla culpa, & irregularitate: quando aliter illam defeodere non poteſt. 171.41
An vt quis teneatur Defendere proximum ioiuſtè aggreſſum, neceſſum ſit vt hic clamet. 171.42
An denique poſſit quis Defendere proximum, etiam noo Chriſtianum, iniuſtè aggreſſum, vſque ad interfectionem aggreſſoris. 172.45.
Vide *Aggreſſor.*

Degradatio.

An Degradatio, & depoſitio ſiot propriè cenſuræ. 275.1
Quotuplex eſt Degradatio. 275.2
Io quibus differunt Degradatio verbalis, & realis, ſeu actualis. 275.3
An Degradato, aut depoſito verbaliter à beneficio, aſſignandæ ſint expenſæ, ne exeat. 276.9
Ao item aſſignandæ ſint expenſæ Degradato realiter, & ſolemniter ex Eccleſiæ redditibus. 276.10
An realiter, ſeu actualiter Degradatus poſſit validè cootrahere Matrimonium. 277.11
Quænam ſunt crimina, ob quæ infligi ſolet verbalis Degradatio. 277.12
Quænam ſuot crimina, quæ realem, ſiue actualem Degradationem merentur. 277.13
An Degradatio Presbyteri pertineat ad Epicopum proprium. 277.14
Ao Degradatio Epiſcopi pertineat ad Papam. 277.15
Ao Degradatum actualiter, & realiter poſſit Epiſcopus in ſuum priſtinum ſtatum reſtituere. 277.17
Qua forma, & modo fieri debet Degradatio realis, & actualis. 277.18

Delictum.

Ao irregularitas, quæ oritur ex Delicto, incurratur per delictum internum: v. g. ob intentionem recipieodi Ordines in excommunicatione, aut occidendi aliquem, &c. 3.9

Notabilium.

An irregularitas, quæ oritur ex Delicto, incurratur ſaltem per delictum, aut actum occultum per accidens, ita vt probari non poſſit. 3.10

An ad incurrendam irregularitatem ex Delicto prouenientem, debeat interuenire dolus, ſeu contemptus legis. 4.13

An dentur aliquæ aliæ irregularitates, etiam ex delicto occulto prouenientes, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt. 253.29

Dens.

An carens omnino Dentibus ſit irregularis. 24.29

An prominentia Dentium extra os irregularitatem inducat. 23.30

An maneat irregularis, qui ſibi furore iracundiæ dentes extraxit. 24.31

An qui pugno euulſit Dentes alterius, ſit irregularis. 24.32

An qui alicui Dentes excutit, exiſtat irregularis. 200.13

Diaconus.

An in præaſſignatis duobus caſibus, non ſolùm Subdiaconus, aut Diaconus incurrat irregularitatem, ſed etiam ipſe celebrans Sacerdos. 232.23

Difformitas.

An etiam oris Difformitas cauſet irregularitatem. 29.63

Digitus.

An qui ſenos Digitos in manibus habet, ſit irregularis. 26.41

An illi, qui ſex Digitos in manu habet, poſſit ſine periculo irregularitatis, præſcindi vnus. 26.42

An qui caret Digito pollicis, vel indicis, ſit irregularis. 26.43

An etiam ſit irregularis, qui caret Digito alio, præter digitos pollicem, & indicem. 26.44

An ſaltem ſit irregularis, qui caret Digitis dexteræ, quibus in Miſſa fit Crucis ſignatio. 26.45

An qui in dextera, aut ſiniſtra habet Digitum medium, & indicem coniunctum, ſine diuiſione, ſit irregularis. 26.46

Diſpenſatio.

An irregularis ex delicto, ſi nolit, vel non poſſit impetrare Diſpenſationem, poſſit renunciare beneficium in fauorem tertij. 12.18

An ſaltem ex Diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam. 20.6

An ſolus Pontifex poſſit Diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex defectibus animæ ſuprà enumeratis. 20.9

An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos qui vna caret manu, Miſſam celebret. 34.89

An etiam Poſſit licitè Diſpenſare Pontifex, vt celebret Sacerdos, vtraque truncatus manu. 34.90

An diſpenſatio illegitimi ad Ordines ſimpliciter, vel ad Clericatum, extendatur quoque ad Ordines ſacros. 45.41

An ſi in diſpenſatione illegitimi ad Ordines contineretur hæc clauſula: *Diſpenſo tecum ad omnes Ordines:* tunc ſaltem talis diſpenſatio intelligenda eſſet etiam de omnibus ſacris. 45.42

An illegitimus Diſpenſatus ad beneficium ſimpliciter obtinendum, intelligatur de vnico ſimplici, & non curato. 46.46

Vide *Illegitimus.*

An Capitulum, Sede vacante, poſſit Diſpenſare cum præfato illegitimo ad Ordines minores & beneficium ſimplex. 47.51

An ſi hæc irregularitas ex occulto delicto parentum proueniat, ſit ab Epiſcopo Diſpenſabilis, quoad maiores Ordines, beneficium Curatum, &c. 48.56

Quænam ſit ſufficiens cauſa ad Diſpenſandum cum illegitimo quocunque. 55.77

An Religioſus petens diſpenſationem ad Dignitates, & Ordines, debeat neceſſariò exprimere qualitatem illegitimitatis, nempe an ſit ſpurius, naturalis, ſacrilegus, aut inceſtuoſus. 68.84

An Summus Pontifex poſſit in Bigamia vera, & irregularitate ab illa orta Diſpenſare. 68.28

An Abbates ſæculares poſſint Diſpenſare, ſicuti diſpenſant Epiſcopi in Bigamia ſupradicta. 71.38

An ex priuilegio poſſint Prælati Regulares Diſpenſare cum ſuis Religioſis Bigamis, etiam veris & interpretatiuis, ad Ordines etiam maiores. 71.39

An Commiſſarius Bullæ Cruciatæ habeat facultatem Diſpenſandi in Bigamia. 72.40

Ad impetrandam in Bigamia Diſpenſationem, an ſit opus explicare, an matrimonium ter, vel quater, aut pluries contractum fuerit. 72.41

An in Diſpenſationis Bigamiæ impetratione ſit neceſſariò ſpecies Bigamiæ fatenda. 72.42

An etiam qui duplici Bigamia eſt ligatus, vtriuſque mentionem in impetratione Bigamiæ Diſpenſationis facere debeat. 72.43

An Summus Pontifex ſolùm poſſit Diſpenſare in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis. 105.133

An Prælati Regularium poſſint Diſpenſare in irregularitate defectu lenitatis contracta. 106.135

An irregularitas orta ex homicidio iuſto, facto in bello iuſto, aut à Iudice, ſit ab Epiſcopo Diſpenſabilis. 106.137

An ſaltem Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate iſta orta ex homicidio iuſto facto in bello, aut à Iudice. 107.138

An ſolus Papa poſſit in hac irregularitate Diſpenſare. 110.16

An in hac irregularitate poſſit etiam Diſpenſare Epiſcopus. 119.38

An Epiſcopus poſſit Diſpenſare in irregularitate orta ex huiuſmodi homicidio directè voluntario. 151.103

An Epiſcopus poſſit Diſpenſare in irregularitate orta ex occiſione fœtus animati. 156.21

An in irregularitate, quæ contrahitur ex publica reiteratione Baptiſmi, poſſit non ſolùm Papa, ſed etiam Epiſcopus Diſpenſare. 207.18

An ſolus Pontifex poſſit Diſpenſare in irregularitate quam quis contraxit exercendo Ordines, quos non habebat. 215.31

An ſolus Papa poſſit in hac irregularitate Diſpenſare. 201.9

An diſpenſatio irregularitatis habeat determinatam formam. 245.1

An vt Diſpenſatio in irregularitate fiat licitè, requiratur aliqua cauſa. 246.2

An etiam, vt ſit valida Diſpenſatio irregularitatis, quæ fit à Papa, requiratur aliqua cauſa. 246.3

An Epiſcopus poſſit Diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio directè voluntario, omninò tamen occulto. 250.19

An in irregularitate ex homicidio voluntario occulto orta, poſſit Diſpenſare Epiſcopus ad ſuſcipiendos minores Ordines. 251.21

Vide *Epiſcopus*, *Prælatus.*

An dentur aliquæ aliæ irregularitates, etiam ex delicto occulto prouenientes, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt. 253.29

An in Diſpenſatione irregularitatis debeat quis neceſſariò, cum diſpenſationem vnius impetrat, alias

ſimul manifeſtare. 258.37

An qui ter, vel quater contraxit nuptias, teneatur id exprimere in petitione diſpenſatioois ſuper irregularitate ea Bigamia contracta. 259.40

Ao qui committit plura homicidia contrahat diuerſas numero irregularitates in Diſpenſatione explicandas. 259.41

Diſſuadens.

An qui doloſè Diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum, ne paſcat, & Medico ne curet, & volenti reuelare homicidij tractatum, ne reuelet, fiat irregularis, ſequuto homicidio. 149.95

Dominus.

An etiam fiant irregulares Pater, aut Dominus, caſu quo dicant filio, aut ſeruo hæc verba: *Caue ne occidas Petrum, qui mihi iniuriam intulit, non tamen reuertaris domum, donec aliquid noui de te audiam.* 525.17

Dubium.

An incurratur irregularitas, quando non eſt certum, ſed ſolùm Dubium, quod in iure, ob tale factum, irregularitas impoſita ſit. 4.15

An non ſolum quando quis Dubitat de facto homicidij, ſed etiam quando dubitat de facto aliorum delictorum, quibus adiuncta eſt irregularitas, ſe debeat in vtroque foro gerere pro irregulari. 5.18

An Dubium Iuris, aut facti excuſet ab irregularitate contrahenda. 15.9

Duellum.

An fiat irregularis, qui occidit aliquem in Duello, ad quod ſuſcipiendum nulla legitima cauſa interceſſit. 181.1

An maneat irregularis, qui ob vanam oſtentationem virium, & acquiſitionem nominis viri robuſti, vel ob voluptatem ſpectantibus procreandam Duellum ſuſcipit, & in eo homicidium admittit. 182.2

An fiant irregulares qui ſuſcipiunt Duellum ad veritatis indaginem, ſi in tali duello committant homicidium. 182.3

An qui indicit, vel admittit Duellum, ad vindicandam, ſeu reparandam Iniuriam ſibi factam, & in eo committit homicidium, maneat irregularis. 182.4

An irregularitatem contrahat, qui acceptans Duellum, aut ſingulare certamen, cauſa excutiendi notam timiditatis, aut puſillanimitatis, aut ne ignauus exiſtimetur, indicentem duellum occidit. 182.5

An ſaltem maneat liber ab irregularitate, qui acceptans Duellum, aut certamen ſingulare, ne aliàs amittat honores, aut publica munera, quæ poſſidet, occidit prouocantem ad illud. 183.6

An etiam ſit licitum innocenti acceptare, ſeu offerre Duellum ad tuenda bona temporalia, quando certum habet, quod actor in iudicio per fraudem ipſum opprimat: & ſi in eo illum interficiat, immunis etiam ſit ab irregularitate. 174.1

An licitum ſit cuipiam in defenſionem diuini honoris acceptare Duellum, in eoque abſque incurſione irregularitatis iniuriantem occidere. 185.10

An ſi aliquis videat ſe iuſtiſſimè in iudicio accuſari, & certò cognoſcat, ſe iniquiſſima ſententia ad mortem, vel mutilatiooem à Iudice damnandum eſſe, poſſit licitè accuſatorem ad Duellum prouocare, vel illud ab eo indictum acceptare, & illum, etiam ſine oota irregularitatis, interficere. 184.7

An ſi inuaſor iniuſtus velit te occidere in honore, vel bona tua rapere, niſi Duellum acceptes, poſſis illud acceptare, & ſine culpa, & irregularitatis pœna dictum inuaſorem occidere. 165.9

Dux.

An Duces, & militum præfecti pugnantes in bello iniuſto maneant irregulares, etiamſi in eo nullæ cædes, aut mutilatiooes fiant. 109.7

E

Eccleſia.

AN etiam maneant irregulares Clerici, qui in Eccleſiis generaliter interdictis celebrant diuina officia, etiam cum moderationa *cap. Alma mater*, ſcilicet *iannis clauſis, ſubmiſſa voce*, &c. 227.2

An Clericus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, maneat irregularis intra Eccleſiam diuina officia celebrando. 231.15

Vide *Interdictum.*

An pro quacunque leui iniuria Eccleſiæ illata poſſit validè ceſſatio imponi. 263.9

An Eccleſiæ violatio imponatur ſolùm à Iure, an etiam ab homine. 278.1

Quot ſunt caſus, quibus Eccleſia polluitur, & violatur. 278.3

An violetur Eccleſia per homicidium in ea factum in defenſionem propriæ vitæ. 279.3

An ſi quis ob fidei Catholicæ, Eccleſiæve defenſionem, in Eccleſia occidatur, tunc Eccleſia maneat polluta. 279.4

An ob homicidium omninò caſuale violetur Eccleſia. 279.6

An ſi quis exiſtens intra Eccleſiam, telo, lapide, aut alio inſtrumento occidat aliquem exiſtentem extra Eccleſiam, maneat tunc polluta Eccleſia. 279.7

Ao ſaltem maneat Eccleſia polluta, ſi quis exiſtens extra Eccleſiam, aliquem intra illam manentem ſcienter occidat. 279.8

An polluatur Eccleſia ex eo, quod Iudex ſuſpendat in ea aliquem. 276.9

An item maneat Eccleſia polluta, ſi Iudex ſuſpendat hominem ſuper tectum Eccleſiæ, aut ſubter eam in ſpecu, aut in pariete exteriori eiuſdem. 280.10

An polluatur Eccleſia caſu, quo mors alicui intra eam, abſque ſanguinis effuſione, inferatur. 280.12

An ſi quis intra Eccleſiam lethaliter percutiatur, ſine vulnere tamen, & ſanguinis effuſione, & extra Eccleſiam moriatur, Eccleſia violetur. 280.12

An ſi quis ſe ipſum voluntariè interficiat, aut percutiat, ita vt effundatur in Eccleſia ſanguis, maneat ipſa violata. 280.13

An ſi quis extra Eccleſiam percuſſus, fugiens ad Eccleſiam, multum ſanguinem effundat, ibique moriatur, tunc Eccleſia ſit violata. 280.14

An per quamcunque ſanguinis effuſionem intra Eccleſiam factam, etiamſi non ſit voluntaria, aut iniurioſa, polluatur, & violetur Eccleſia. 280.15

An ex quauis modica effuſione ſanguinis iniurioſa, & voluntaria, facta iotra Eccleſiam, hæc maneat violata, & polluta. 281.16

An polluatur Eccleſia, quando ex rixa puerorum, aut aliorum, magna ſanguinis quantitas è naribus in illa effunditur. 281.17

An polluatur Eccleſia effuſione ſanguinis per iniuriam facta homini mortuo in Eccleſia ipſa exiſtenti. 281.18

An menſtrua mulierum in Eccleſia fluentia ipſam violent. 282.20

An effuſio ſanguinis copioſa ex ludo, aut ioco cauſata Eccleſiam violet. 282.21

An

Notabilium.

An violet Eccleſiam percuſſio grauis facta pugno, alapa, virga, aut baculo intra Eccleſiam, ſi ex illa nec vulnus, nec mors, nec ſanguis oriatur. 282.12

An per quamcunque illicitam ſeminis humani effuſionem factam intra Eccleſiam, hæc polluatur, & violetur. 283.27

An per copulam matrimonialem exercitam in Eccleſia, hæc polluatur, & violetur. 281.29

An vt Eccleſia maneat polluta, ſatis ſit, vt effuſio illicita ſeminis fiat in locis Eccleſiæ ipſi adhærentibus. 283.30

An vt effuſio ſanguinis, aut ſeminis violet Eccleſiam, opus ſit, vt hæc in Eccleſiæ pauimentum cadant. 284.21

An per homicidium, vel effuſionem ſanguinis, aut ſeminis, aut alias actiones, quibus polluitur Eccleſia, occultè factas violetur Eccleſia, ita vt reconciliatione indigeat. 284.32

An item violetur Eccleſia, ſi in ea excommunicatus toleratus, ſeu non vitandus ſepeliatur. 284.34
Vide *Sepultura.*

An maneat polluta Eccleſia, ſi per Epiſcopum nominatim excommunicatum reconcilietur, conſecretur, aut benedicatur. 284.35

An ſi filius fidelis moriatur ante baptiſmum, & ſepeliatur in Eccleſia, hæc maneat polluta. 285.37

An etiam maneat polluta Eccleſia, ſi puer mortuus in vtero matris fidelis, ſimul cum illa ſepeliatur. 285.38

An caſu, quo mater moriatur prægnans, & poſt mortem ex negligentia non aperiatur, ſed ſepulturæ tradatur cum fœtu viuente in vtero, qui poſtea moriatur, tunc maneat violata Eccleſia. 285.39

An ex deſtructione, vel combuſtione omnium ſimul Eccleſiæ parietum maneat Eccleſia violata. 285.41

An quando Eccleſiæ parietes ſucceſſiuè decidunt, & ſucceſſiuè reparantur, tunc Eccleſia indigeat noua conſecratione. 286.42

Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, quando ipſo celebrante, Eccleſia polluitur. 287.43

An Eccleſia polluatur propter furtum, vel rapinam in ea commiſſam. 287.49

An Eccleſia per violationem amittat priuilegia immunitatis. 287.50

An ſi Eccleſia polluta erat conſecrata ab Epiſcopo, ab ipſo ſolùm reconciliari poſſit. 288.1

An celebrans in Eccleſia publicè violata, irregularitatem incurrat. 288.4

An ſaltem incurrat ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, qui in Eccleſia publicè violata celebrat. 288.5

An poſſit Epiſcopus impertiri licentiam, vt in Eccleſia violata (ſi vrgeat neceſſitas) diuina ante reconciliationem celebrentur. 288.7

An Epiſcopus poſſit committere ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. 289.2

An ſaltem Summus Pontifex poſſit delegare ſimplici Preſbytero reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. 289.3

An ſi Eccleſia quæ eſt polluta, non erat conſecrata, ſed ſolùm benedicta, poſſit reconciliari per ſimplicem Sacerdotem. 289.5

Eccleſia polluta quonam modo reconcilianda, ſi in ea ſepultus fuerit aliquis infidelis, vel Paganus, vel excommunicatus vitandus. 290.8

Quonam modo reconcilianda eſt Eccleſia polluta, quia in ea ſepultus fuerit aliquis infidelis, vel Paganus, vel excommunicatus vitandus. 290.8

Egenus.

An qui doloſè diſſuadet diuiti volenti paſcere Egenum, ne paſcat, fiat irregularis. 149.95

Electio.

An ſola Electio religioſi illegitimi in Prælatum ab habentibus poteſtatem diſpenſandi, pro diſpenſatione illegitimitatis ſufficiat. 55.78

Epiſcopus.

An Epiſcopi ligentur irregularitatibus iure expreſſis, ſi ipſarum expreſſa mentio non fiat. 7.6

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare vt Ordinetur ille, qui linguam Latinam parum callet, ſi tamen bonæ ſit indolis, & de eo habeatur ſpes, quod poſtea addiſcet opportuna? 17.4

An poſſit diſpenſare Epiſcopus, vt in ſuſceptis Ordinibus adminiſtret ille, qui ignarus litterarum eos recepit. 17.5

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis, in irregularitate ex vitio corporis proueniente. 33.82

An ſaltem poſſit Epiſcopus cum Religioſo diſpenſare in irregularitate, ob defectum corporalem. 33.83

An Prouinciales Regulares, & alij Prælati quaſi Epiſcopali auctoritate gaudentes, poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate ex vitio corporali orta. 33.84

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum quocumque illegitimo ad Ordines minores, & beneficium ſimplex. 47.59

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimo ad beneficium ſimplex, etiam caſu quo huic ſit annexum curatum. 47.52

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimo ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis. 48.54
Vide *Illegitimus.*

An poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo Ordinato in Sacris mala fide, vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtret. 49.57

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo promoto bona fide ad Ordinem ſacrum, v. g. ad Subdiaconatum, vt in eo adminiſtret, & ad ſuperiores Ordines aſcendat. 49.58

An Epiſcopus electus, & confirmatus, non tamen conſecratus, poſſit diſpenſare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium. 50.59

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum proprio filio illegitimo ad minores Ordines, & ſimplex beneficium. 50.60

An ſi Epiſcopus ſciens ordinet ſeruum alienum Sacris, ſine licentia Domini, tunc ſeruus fiat liber. 59.6

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamis proprijs ad minores Ordines. 69.31

An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Bigamis proprijs, vt in ſuſceptis minoribus Ordinibus miniſtrent. 69.32

An denique poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſaltem quoad minores Ordines, cum Bigamis interpretatiuis. 69.33

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Bigamo proprio & interpretatiuo ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, caſu quo Bigamus ad Religionem tranſeat. 70.34

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria Clerici in Sacris conſtituti, ineuntis Matrimonium cum vnica, ac Virgine. 70.36

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex huiuſmodi homicidio directè voluntario. 151.103

An etiam diſpenſare poſſit Epiſcopus cum dicto

Clerico in ſaeris conſtituto, contrahente matrimonium cum vidua, vel corrupta. 71.57

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate incurſa ob ſecretam reiterationem Baptiſmi. 207.19

An deinde fiat irregularis Epiſeopos promotus per ſaltum, ſi eonferat Ordinem, quem non habet. 211.15

An ſit irregularis Epiſcopus, qui confert alicui Ordinem per ſaltum, v. g. Sacerdotium, Diaconatu prætermiſſo. 215.30

An Epiſcopi excommunicati contrahant irregularitatem, exercendo ſolenniter actum proprium Ordini Epiſcopali annexum. 217.5

An etiam incurrat irregularitaté Epiſcopus excommunicatus, impendens populo benedictionem domi, aut in itinere, ſine vlla ſolemnitate. 217.6

An etiam irregulares maneant Abbates, qui ex priuilegio conferunt Ordines minores, ſi conferant illos quando Excommunicati exiſtunt. 218.7

An Epiſcopus, aut alius inferior Saeerdos, exeommunicatus vitandus, ſuſpenſus, vel interdictus denunciatus, qui ſe præſente, aliquem Sacerdotem celebrare cogit, incurrat irregularitatem. 220.21

An Epiſcopi, aliiue Prælati inferiores Pontifice, poſ[illegible]t diſpenſare abſolutè in irregularitatibus. 2[illegible]6.5

Vide *Diſpenſatio.*

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in omnibus irregulatitatibus procedentibus ex delicto occulto. 246.6

An quilibet Epiſcopus poſſit in dictis irregularitatibus ab occultis delictis prouenieotibus diſpenſare. 246.7

An deinde poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregulatitate prouenìente ex homieidio caſuali publico. 248.16

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregulatitatibus dictis, cum Religioſis exemptis, caſu quo iſti illis, de licentia ſuorum Prælatorum, ſe ſubjiciant. 247.8

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto occulto, deducto ad forum contentioſum, ſi reus in eo non fuit conuictus. 247.9

An item poſſit Epiſeopus diſpenſare in irregularitate procedente ex delicto deducto ad forum contentioſum, eſſo quo delinquens, finito iudicio, punitus fuerit. 247.10

An Epiſcopus poſſit dare facultatem alteri, qui ſecum diſpenſet in irregularitatibus illi conceſſis, ſi contingat, ipſum aliquam earum contrahere. 247.11

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex defectu lenitatis. 247.12

An ad minus poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio iuſto, facto auctoritate publiea in bello, aut à Iudice. 247.13

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex voluntaria membri mutilatione occulta. 247.14

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate prouenìente ex bomicidio caſuali occulto. 248.15

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio volito, non ex conſilio, aut matura deliberatione facto, ſed ex repentina ira, vel rixa. 249.17

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate procedeote ex homicidio volito in ſe, cauſa defenſionis, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. 249.18

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex Homicidio directè voluntario, omninò tamen occulto. 2,0,19

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum irregulari ex homicidio voluntario iniuſto occulto ad vſum Ordinum, caſu quo non ſit facilis ad Papam recurſus, & vrgeat neceſſitas. 250.20

An ſaltem poſſit Epiſeopus diſpenſare eum dicto homicida voluntario occulto, vt in iam minoribus Ordinibus ſuſceptis adminiſtret. 251.22

An poſſit Epiſeopus diſpenſare cum homicida voluntario occulto ad obtinendum ſimplex beneficium. 251.23

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum homicida voluntario occulto, ad retinendum beneficium ſaltem ſimplex. 252.24

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occulta hæreſi exteriori. 252.25

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio eaſuali, patrato à Medicis, vel Chirurgis, &c. 252.26

In quibus aliis eaſibus poteſt, iuxta noſtram doctrinam, Epiſcopus diſpenſare in irregularitatibus ex homicidio occulto caſuali ortis. 252.27

In quibus aliis caſibus poteſt Epiſcopus in irregularitatibus aliis diſpenſare. 252.28

An dentur aliquæ aliæ irregularitates, etiam ex delicto occulto prouenientes, in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt. 253.29

An non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam omnes alij, qui poſſunt interdictum ferre, poſſint & ceſſationem. 26.24

An maneat polluta Eccleſia, ſi per Epiſeopum nominatim eacommunicatum reconcilietur, conſecretur, aut benedieatur. 184.35

An ſi Eccleſia polluta erat conſecrata ab Epiſcopo, ab ipſo ſolùm reconciliari poſſit. 288.2

An Epiſcopus poſſit committere ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ conſeeratæ. 289.3

An poſſit Epiſcopus impertiri licentiam, vt in Eccleſia violata (ſi vrgeat neceſſitas) diuina ante reconciliationem celebrentur. 288.7

Epiſtola.

An Clericus Subdiacono inferior, ſit irregularis cantans Epiſtolam cum Dalmatiea, & Manipulo, vbi eſt conſuetudo, quod non Ordinati ſic eam cantent. 212.56

Vide *Clericus.*

Epilepſia, Epilepticus.

An qui Epilepſia, ſeu morbo caduco laborant, (Hiſpane, *los que tienen mal de Corazon, gota coral, ò deſmayos*) poſſint ad Ordinem Sacerdotalem promoueri. 31.77

An ſaltem huiuſmodi Epileptici poſſint, abſque diſpenſatione, ad Ordines minores promoueri. 32.79

Euchariſtia.

An Sacerdos conficiens Euchariſtiam, toto ritu Miſſæ omiſſo, ſit etiam irregularis. 213.22

An tempore ceſſationis poſſit dari infirmis Euchariſtia. 271.24

Excommunicatio, Excommunicatus.

An Excommunicatus minori excommunicatione, fiat irregularis exercendo ſolemniter actus maioris Ordinis. 216.1

An rurſus maneat irregularis, qui occidit, vel mutilat excommunicatum. 76.14

An ſaltem fiat irregularis, qui maiori Exeommunicatione ligatus, exercet ex officio, aut ſolemniter, actum proprium Ordinis maioris, quem habet. 216.2

An etiam fiat irregularis Excommunicatus maiori

excommuni

excommunicatione, exercens ſolemniter actus minorum Ordinum, quos habet. 216.3
An Sacerdos qui ex commiſſione Papæ miniſtrat Excommunicatus Sacramentum Confirmationis, ſit etiam irregularis. 218.8
An Sacerdos, qui maiori Excommunicatione ligatus, ſuſpenſus, aut interdictus, Miſſam celebrat, aut exercet aliquam aliam actionem ad Ordinem Sacerdotalem pertinentem, fiat irregularis. 218.9
An Diaconus Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſit etiam irregularis, adminiſtrando Euchariſtiam in abſentia preſbyteri. 218.12
An deinde Diaconus, & Subdiaconus, qui maiori Excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto innodati cantant in ſolemni Miſſa Euangelium, aut Epiſtolam, exiſtant irregulares. 228.10
An item maneat irregularis Subdiaconus Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, Calicem & Patenam ad Altare deferendo, eaque adminiſtrando Diacono. 218.11
An irregularis fiat Excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, qui in Choro, tanquam hebdomadarius officiat, canendo *Capitulum*, *& Orationem*, cum *Dominus vobiſcum*. 219.15
An item fiant irregulares prædicti, ſi recitando Horas Canonicas priuatim, dicant *Dominus vobiſcum*. 219.16
An Excommunicati maiori, incurrant irregularitatem adminiſtrando Sacramenta Ordinis, Confirmationis, Euchariſtiæ, &c. 220.17
An ſaltem irregularis maneat, qui dubitans, ſe eſſe aliqua ex prædictis cenſura irretitum, celebrat, aut aliud Sacramentum miniſtrat, ſi poſtea appareat, eſſe Excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum. 220.19
An non ſolum Sacerdos, ſed quilibet alius non Sacerdos, Excommunicatus, aut interdictus denunciatus, ſeu ſuſpenſus, faciens aliquem Sacerdotem, (ſiue excommunicatum, aut interdictum, &c. ſiue non) coram ſe celebrare, eandem irregularitatem incurrat. 221.22
An item maneat irregularis Epiſcopus, aut quilibet alius Sacerdos, Excommunicatus maiori, ſuſpenſus, aut interdictus: qui cogit celebrare alium Sacerdotem coram alio excommunicato, non coram ſe ipſo. 221.23
An qui non eſt ligatus Excommunicatione maiori, ſuſpenſionéve, aut interdicto, & facit aliquem excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum, coram ſe celebrare, fiat irregularis. 221.24
An excommunicatus ſæpius celebrans, plures irregularitates numero diſtinctas contrahat. 223.21
An duplicem incurrat irregularitatem, qui irretitus duplici cenſura, verbi gratia Excommunicatione, ac interdicto, vtitur Ordinibus ſacris. 223.32
An quicunque in peccato mortali, ſeu Excommunicatione minori celebrat, irregularitatem admittat. 225.7
An item violetur Eccleſia, ſi in ea Excommunicatus toleratus, ſeu non vitandus ſepeliatur. 284.34

Extrema-Vnctio.

An Sacramentum Extremæ-Vnctionis poſſit conferri tempore ceſſationis, non habenti priuilegium. 371.25
An ſaltem poſſit dari Extrema vnctio tempore ceſſationis, illi moribundo, qui nec Euchariſtiæ, nec Pœnitentiæ Sacramentum poteſt recipere. 371.26

F

Faber.

An qui Fabrum lignarium expertum facit incedere per tectum, vt illud componat, fiat irregularis, ſi ille expertus caſu cadat, & moriatur. 190.18

Facies.

An habens cicatrices in facie ſit irregularis. 25.38
An qui gibbum (Hiſpanè *Lobanillo*) habet in facie, ſeu in collo, ſit irregularis. 26.40

Factum.

An dubium Iuris, aut Facti excuſet ab irregularitate contrahenda. 15.9

Fama.

An ſit licitum procurare abortum fœtus nondum animati, ad tuendam Famam, vel honorem alicuius puellæ prægnantis. 151.1
An ex defectu bonæ Famæ, ſiue rectæ exiſtimationis apud homines, fiat quis inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos. 242.7
An licitum ſit cuipiam occidere illum, qui verbalibus iniuriis Famam notabiliter lædit, ſi monitus nolit deſiſtere. 165.30

Febris.

An etiam arceantur à ſuſceptione Ordinum qui ob Febris magnitudinem, aut ob vehementem paſſionem iræ, aut amoris, aut denique ob ebrietatem verſi ſunt in furorem, aut amentiam ad horam, aut aliud breue tempus. 18.12
An Febri continua laborantes ſint irregulares. 30.69

Fera.

An ſaltem maneret irregularis cuſtos ille, qui leonem, vrſum, aut aliam Feram ligatam poneret in platea, aut alio publico loco, quæ incautè accedentem occidit. 194.24

Feſtum.

An in Feſtis, in quibus iure ſuſpenditur interdictum loci, liceat in loco publicè violato celebrare. 288.6

Fides.

An ſi quis Clericus militem aliquem hortetur, vt pro tuenda Fide Chriſti, aut pro Eccleſia Romana moriatur, ſit irregularis, ſi ſequatur ipſius militis mors. 102.220

Filius.

An Filius genitus à coniugatis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, & vtriuſque coniugis, aut alterius in Religione profeſſionem, ſit illegitimus, & conſequenter irregularis. 36.8
An Filius habitus ex parentibus poſt matrimonium conſummatum profeſſis, ſit legitimus. 37.9
An etiam ſit legitimus Filius procreatus à parentibus, voto ſimplici caſtitatis mutuo conſenſu adſtrictis. 37.10
An Filius genitus ex coniugibus, quorum alter poſt conſummatum matrimonium, altero ignaro, aut ſciente & contradicente, profeſſionem emiſit, ſit legitimus, & conſequenter non irregularis. 37.11
An ſaltem Filius ſit illegitimus, caſu quo concipiatur ex coniuge iam profeſſo, aut ad ſacros Ordines promoto, altero coniuge ſciente, & conſentiente, aut non contradicente, ſed tacente. 37.12
An Filius natus ex Parentibus matrimonio inualido ligatis, ſit legitimus, & non irregularis. 38.13
An Filius illegitimus, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium inualidum, exiſtimatum tamen validum, & verum. 39.18
An Filius conceptus, & natus tempore, quo parentes

eius inhabiles ad contrahendum extiterunt, ſed aliquo intermedio tempore, quo in ventre extitit, habiles fuerunt, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium. 39.19

An Filius natus ex coniugato, & ſoluta, quæ ignorabat virum eſſe coniugatum, fiat per ſubſequens matrimonium legitimos. 39.20

An Filius ex ſoluto, & ſoluta natus, fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, contractum poſt nuptias intermedias. 40.21

Vide *Illegitimus*.

An Filius ex ſoluto, & concubina natus, fiat legitimus per matrimonium ſuſequens, non conſummatum. 40.22

An Filij naturales reddantur legitimi per ſubſequens matrimonium factum in articulo mortis. 41.25

An Filius conceptus, aut natus ex parentibus habilibus ad contrahendum validè, non tamen iuſtè, ſeu licitè, legitimetur per ſubſequens matrimonium. 41.24

An Filij naturales legitimentur per ſubſequens matrimonium, ſi id ſit confectum abſque dotalibus inſtrumentis. 41.26

An Filij Saracenorum, Paganorum, & Iudæorum, qui ab infantia ſunt baptizati, irregularitatem aliquam admittant. 138.21

Fœmella.

An etiam Fœmellæ animentur eodem tempore, quo animantur maſculi. 153.7

Fœmina.

An ſit irregularis, qui mandauit famulo rapere Fœminam in ſuam libidinem, & famulus rapiendo occidit hominem, aut ab alio fuit ipſe occiſus. 190.17

Fœtus.

An qui occidit Fœtum animatum in vtero matris, aut (quod idem) cauſam dedit abortioni illius, ſit irregularis. 77.15

An etiam poſt Fœtus animationem liceat, attento ordine ſolius naturæ, ſumere, & applicare remedium, quod per ſe, & directè tendat ad ſanitatem matris, quamuis per accidens timeatur Fœtus occiſio. 152.4

Vide *Abortus*.

An etiam, attento ordine gratiæ, ſit licitum matri vti prædicto remedio, cum adſit probabile periculum enecandi Fœtus, quamuis per accidens. 152.5

An qui cauſat abortum Fœtus inanimati, ſit irregularis. 152.8

An ſiat irregularis, qui vtitur copula mulieris grauidæ, ſi inde mors Fœtus animati ſequatur. 155.16

An Prælati Regulares poſſint hodie diſpenſare cum ſubditis in irregularitate contracta ex occiſione occulta fœtus animati. 156.19

An etiamſi talis irregularitas ſit contracta ex publica occiſione Fœtus animati, ſit diſpenſabilis à Præfatis Religionum Prælatis. 156.20

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occiſione Fœtus animati. 156.21

Forma.

An diſpenſatio irregularitatis habeat determinatam Formam. 145.1

Franciſcanus.

An Monachus Franciſcanus qui equitando contra regulam, caſu puerum occidit, manſerit irregularis. 188.9

Fugiens

An fiat irregularis, qui fores domus ſuæ occludit Fugienti inſequentes aduerſarios, vt facilius, aut citius occidatur. 150.101

An maneat irregularis, qui fugiens hoſtem, & non valens euadere, niſi per anguſtum iter, proterit infantem, aut claudum illi occurrentem. 160.15

Fur.

An Clericus qui Furem capit, & tradit Iudici, vt ſic recuperet res ab illo ſublatas, fiat irregularis, morte furis ſequuta. 88.64

Vide *Latro*.

Furia, Furioſus.

An etiam maneat irregularis ille, qui habet lucida interualla. 17.7

An Furioſi perpetuò, aut lunatici irregulares ſint. 17.8

An etiam maneat perpetuò irregularis, qui ſemel tantùm incidit in Furiam, vel amentiam. 17.9

Vide *Amentia*.

G

Gaudere.

AN etiam ſit ab irregularitate liber, qui alium non defendit, ſed gaudet de illius nece, atque riſu, alioue ſigno id teſtatur. 150.99

Gibboſus.

An Gibboſus ſit irregularis. 28.54

Gubernator.

An Gubernatores, Iudices, & alij Prælati, qui ex iuſtitia tenentur impedire homicidium iniuſtum, incurrant irregularitatem, ſi non impediant quando commodè poſſunt. 147.89

H

Hæreſiarcha, Hæreſis, Hæreticus.

AN omnes vendentes, aut donantes ligna ad viuos Hæreticos comburendos, irregulares ſint. 95.97

An Clerici Hæretici, qui ſuam hæreſim publicè manifeſtant, ſint omninò irregulares. 132.1

An etiam laici Hæretici publici ſint omninò irregulares. 132.2

An etiam fiant irregulares Hæretici externi, ſi per accidens occulti ſint. 133.3

An qui ſponte, vel metu, fictè negat fidem exterius, ſed corde illam retinet, irregularis fiat, ex Hæreſis crimine. 133.4

An ſaltem prædictus negans fictè exterius fidem fiat irregularis, irregularitate propria, lata contra eos qui fictè negant fidem. 134.5

An fautores, receptatores, & defenſores Hæreticorum, quatenus Hæretici ſunt, afficiantur eadem met irregularitate, qua afficiuntur hæretici. 134.6

An illi qui tanquam de Hæreſi ſuſpecti, coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi, irregularitatem incurrant. 134.7

An filij Hæreticorum, fautorum, defenſorum & receptatorum eorum ſint irregulares. 135.8

An etiam nepotes Hæreticorum, fautorum, defenſorum, & receptatorum eorum ſint irregulares. 135.9

An vt filij Hæreticorum irregulares maneant, irregularitate lata *in cap. Statutum*, contra filios hæreticorum, opus ſit vt nati fuerint poſt parentum delictum, & crimen. 135.10

An filij, aut nepotes denunciantes Inquiſitoribus ſuos parentes Hæreticos, ab irregularitate excuſentur. 138.19

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex Hæreſi publica, & notoria. 138.23

An ſaltem habeant Epiſcopi facultatem diſpenſandi in

in irregularitate orta ex Hæreſi occulta exteriori. 138.24
An vt filij Hæreticorum liberi à dicta irregularitate euadant, ſufficiat adhuc, quod geniti, aut concepti fuerint, etſi nondum nati, ante lapſum parentum in hæreſim. 236.11
An vt filij, & nepotes Hæreticorum incurrant irregularitatem latam contra filios, *in cap. Statutum, cit.* oporteat parentes in hæreſi deceſſiſſe. 236.12
An filij, & nepotes illorum, qui ob crimen Hæreſis repetitum traduntur brachio ſæculari comburendi, ſed ob data pœnitentiæ ſigna ſunt ante mortem abſoluti ab hæreſi, incidant in irregularitatem latam *in d. cap.* contra filios hæreticorum. 236.13
An etiam incurrant dictam irregularitatem filij, & nepotes eorum, qui quamuis relapſi non ſint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio ſæculari comburendi, eo quòd Hæreſiarchæ fuerint. 237.14
An item eandemmet irregularitatem incurrant filij, ac nepotes illorum, qui comburuntur, eo quòd conuicti de hæreſi, illam negant. 237.15
An deinde incurrant præfatam irregularitatem filij illorum, qui in abſentia condemnantur, eorúmque ſtatuæ ob Hæreſim delatam comburuntur. 237.16
An exigatur ſententia condemnans parentes ob Hæreſim, vt filij, & nepotes incurrant irregularitatem. 237.17
An ſaltem exigatur, ad hoc vt filij, & nepotes irregularitatem ortam ex infamia admittant, vt eorum parentes decedentes in Hæreſi, etiam infames ob hæreſim reputentur. 237.18

Hermaphroditus.

An Hermaphroditus, in quo præualet ſexus virilis, ſit irregularis. 30.68

Homicidium.

An in dubio facti Homicidij, hoc eſt, an quando quis dubitat an homicidium perpetrauerit ſua actione, conſilio, vel fauore, tunc tam in foro interno, quàm externo iudicari debeat irregularis. 5.16
An Clericus irregularis ob Homicidium voluntariè patratum priuandus ſit beneficio, & penſione obtentis. 12.17
Quotuplex ſit Homicidium. 120.1
Quid, & quotuplex ſit Homicidium voluntarium. 120.2
An Homicidium voluntarium iniuſtum inducat irregularitatem. 120.3
An vt Homicidium inducat irregularitatem, debeat eſſe factum contra iuſtitiam, contra quintum Decalogi præceptum. 120.4
An ex Homicidio voluntario omnino occulto naſcatur irregularitas. 120.5
An irregularitas incurratur ob Homicidium ſolùm attentatum. 121.6
An omnia quæ iura diſponunt circa irregularitatem Homicidij voluntarij, ſint extendenda ad irregularitatem mutilationis voluntariæ. 122.9
Vide *Mutilatio.*
An ad Homicidium directè voluntarium committendum, cuius irregularitas ſoli Papæ eſt reſeruata, ſit opus vt illud deliberato animo, inito conſilio, ac ex propoſito fiat. 122.11
An ſi quis in rixa inopinata ſubitò occidat alium, iudicandus ſit reus Homicidij directè voluntarij. 123.12
An non ſolùm phyſicus Homicida voluntarius, ſed etiam omnes ad homicidium voluntarium cooperantes, irregularitatem homicidij voluntarij incurrant. 123.13
An præfatum Homicidium, quod committit mandans, ſit directè, vel indirectè voluntarium, aut potius caſuale. 125.19
An ſi quis Homicidium non ſuo nomine factum approbet, irregularitatem incurrat. 130.34
An ſaltem incurrat irregularitatem, qui Homicidium ſuo nomine factum, ratum poſtea habet. 130.35
Vide *Mandans.*
An ad minus maneat irregularis, qui ratum, & gratum habet, ac probat Homicidium à ſe ipſo ignoranter, aut inculpabiliter commiſſum. 130.36
An ad minus tandem fiat irregularis, qui ratum habet homicidium, quod coram illo, & ſuo nomine patratur. 131.37
An qui conſulit Homicidium illi, qui paratus non erat ad illud patrandum, fiat irregularis, ſequuto effectu. 131.38
An cenſendus ſit irregularis, qui dubitat an ſuum conſilium influxerit in homicidium re vera commiſſum. 132.42
An præbens conſilium pium, ex quo præter intentionem Homicidium ſequitur, irregularitatem incurrat. 136.49
An auxiliantes & cooperantes ad Homicidium, vel mutilationem, ſint ſubſequuto effectu irregulares. 137.59
An incurrat irregularitatem, qui non impedit Homicidium iniuſtum, ſi ad id nec ex charitate, nec ex iuſtitia, nec alio titulo teneatur. 146.86
An qui voluntariè non impedit iniuſtum Homicidium, quando non ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate illud impedire tenetur, incurrat irregularitatem. 146.87
An ſaltem qui tenetur ex iuſtitia impedire Homicidium, & non impedit, cum commodè poſſit, fiat irregularis. 146.88
An qui dolosè diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum, ne paſcat, & Medico ne curet, & volenti reuelare Homicidij tractatum, ne reuelet, fiat irregularis, ſequuto homicidio. 149.95
An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex huiuſmodi Homicidio directè voluntario. 151.103
An etiam Clericus vel Monachus excuſetur ab irregularitate, ſi committat Homicidium defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ. 157.2
Quid ſit Homicidium caſuale. 185.1
Quotuplex ſit Homicidium caſuale. 185.2
An Homicidium omninò, & ſimpliciter caſuale, quod nec in ſe, nec in cauſa vllo modo eſt volitum, inducat irregularitatem. 185.3
An ſaltem Homicidium indirectè voluntarium, ſeu aliquo modo volitum, pariat irregularitatem. 186.4
An vt hæc irregularitas, quæ ex Homicidio indirectè volito manat, incurratur, ſufficiat venialis culpa. 186.5
An ſemper quod quis mortaliter poſitiua actione peccat in cauendo Homicidiu, contrahat irregularitatem. 186.6
An dans operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi aliquo iure prohibitæ, ſi ex illo opere ſequatur Homicidium omninò caſuale, inuoluntarium, & inculpatum, fiat nihilominus irregularis. 186.7
An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex Homicidio directè voluntario, omninò tamen occulto. 250.15
An in irregularitate ex Homicidio voluntario oc-

culto orta, poſſit diſpenſare Epiſcopus ad ſuſcipiendos minores Ordines. 251.11

An qui committit plura homicidia, contrahat diverſas numero irregularitates in diſpenſatione explicandas. 259.41

Honor.

An incurrat irregularitatem, qui ob defenſionem proprij Honoris, inuaſorem illius cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit. 176.1

An qui vulnus, alapam, conuicium, aut aliam iniuriam accipit, qua Honor grauiter lædatur, poſſit licitè læſorem fugientem inſequi, & repercutere, vel occidere. 177.2

An ſicut liber eſt à culpa, qui Honoris læſorem fugientem ſequitur, & occidit: ſic etiam ſit liber ab irregularitatis pœna. 178.4

An item licitum ſit iniuſtè inuaſo, inſequi, repercutere, aut occidere fugientem ſui Honoris inuaſorem, quando hic offert ſatisfactionem, & veniam ab eo pœnitentia ductus precatur. 178.5

An etiam caſo, quo Honoris inuaſor iam quietus, poſt tranſactam congreſſionem alibi exiſtat, poſſit nihilominus inuaſus, & honore læſus, illum repercutere, vel occidere. 178.6

An ob defenſionem Honoris proximi liceat cuipiam occidere iniuſtum illius inuaſorem. 180.10

An non ſolum à culpa, ſed etiam maneat ab irregularitate immunis, qui occidit aliquem pro defenſione Honoris proximi. 180.11

Hora Canonica.

An degradatus realiter, ſi in ſacris ſit conſtitutus, teneatur recitare Horas Canonicas. 276.8

I

Ignorantia.

AN Ignorantia craſſa, aut vincibilis iuris, aut facti, delicti cui annexa eſt irregularitas, excuſet quem ab incurſione irregularitatis. 13.2

An Ignorantia inuincibilis iuris, aut facti, ob cuius violationem irregularitas fertur, excuſet quem ab irregularitatis incurſione. 13.3

An incurrat quis irregularitatem latam ob delictum, etiam iure naturali prohibitum, vt ob mutilationem, aut homicidium, caſu quo inuincibiliter Ignoret tale delictum eſſe lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum. 14.4

An item non incurrat irregularitatem, qui licèt ſciat aliquod delictum lege Eccleſiaſtica eſſe prohibitum, Ignorat tamen inuincibiliter, tali delicto irregularitatem annexam eſſe. 14.5

An ſi quis occidat aliquem, ignorans inuincibiliter, homicidio eſſe impoſitam pœnam irregularitatis, illam incurrat. 15.6

Illegitimus.

An quicunque ſit Illegitimus, irregularis ſit. 34.1

Cur Illegitimos ab ſtatu Clericali excludit Eccleſia. 35.2

An etiam Patrem filij Illegitimi ab ſtatu Clericali Eccleſia excludat. 35.3

An ſi filius Illegitimus occultus ſit, & communiter reputatus pro legitimo, adhuc ſit irregularis. 35.4

Quiſnam ſit, & appelletur filius Illegitimus. 35.5

An filij expoſiti habendi ſint Illegitimi, & ab Ordinibus conſequenter arcendi. 35.6

An filius teneatur credere matri aſſerenti cum iuramento ipſum eſſe Illegitimum. 38.14

An filius Illegitimus fiat legitimus, & conſequenter tollatur irregularitas per ſubſequens matrimonium. 38.16

An per ſubſequens matrimonium fiat filius Illegitimus legitimus, caſu quo Parentes eſſent habiles ad contrahendum, non tempore conceptionis, ſed natiuitatis prolis. 38.17

An filius illegitimus fiat legitimus, & liberetur ab irregularitate per ſubſequens matrimonium contractum à parentibus, poſtquam dictus illegitimus filius fuit promotus ad Ordines. 40.23

Vide *filius*.

An irregularitas proueniens ex Illegitimitate, auferri etiam poſſit per diſpenſationem. 44.39

An ſaltem, ſi Illegitimus diſpenſetur ad Ordines ſacros, intelligatur diſpenſatus ad beneficium ſimplex. 46.44

An Illegitimus diſpenſatus à Papa quoad omnes Ordines, beneficia etiam curata, & dignitates, cenſeatur diſpenſatus ad Epiſcopatum. 46.45

An Præfatus Illegitimus diſpenſatus abſolutè ad beneficium, poſſit vi huius diſpenſationis, poſt primum, aliud ſucceſſiuè obtinere, illo primo relicto. 46.47

An Illegitimus diſpenſatus, vt poſſit habere curata beneficia, poſſit per hoc habere Canonicatum. 47.48

An item cum ſuo familiari trienniali Illegitimo, poſſit Epiſcopus diſpenſare ad minores Ordines, & beneficium. 48.53

An ſaltem poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Illegitimo ad dimidiam portionem Eccleſiæ Cathedralis, & ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ. 48.55

An Illegitimus factus Religioſus, poſſit ſecundùm ius commune eſſe Vicarius Epiſcopi. 52.68

An Illegitimi profeſſi, diſpenſatione non præuia, excludantur, attento communi iure, ab officiis Miniſtrorum Generalium, prouincialium, & Conuentualium. 53.69

An etiam dicti Illegitimi excludantur, attento iure communi, ab Officiis Diffinitorum. 53.70

An item repugnet iuri communi, quod profeſſus Illegitimus Officium Vicariatus, aut Subprioratus alicuius Conuentus habeat. 53.71

An ſaltem non repugnet iuri, quod Illegitimus profeſſus ſit Vicarius, ſeu Confeſſor Monialium. 53.72

An non attento iure communi, ſed priuilegiis Religionum, omnis Illegitimus reddatur per profeſſionem ſolemnem legitimatus & aptus, ad omnes Prælaturas, & dignitates intra Religionem obtinendas. 53.73

An ad diſpenſandum cum Illegitimis, vt Prælaturas, & dignitates habeant, requiratur neceſſariò cauſa. 55.76

An hæc Illegitimitatis irregularitas tollatur etiam per morum probitatem, ſcientiam, & alias dotes illegitimi. 56.79

An Illegitimus peccet mortaliter recipiendo Ordines abſque diſpenſatione præuia. 56.82

An Illegitimus non ſolùm peccet, ſed etiam incurrat irregularitatem, ſuſcipiendo Ordines abſque diſpenſatione, vel adminiſtrando in ſic ſuſceptis. 56.83

Immerſus.

An etiam fiat irregularis, qui videns alium Immerſum flumine, non adiuuat ſuo fune, ſcapha, &c. 249.97

An qui aquis Immerſo funem, tamum, aut ſcapham, quibus ſaluari poſſet, ſubtrahit, fiat irregularis. 249.96

Impellens.

An ſit irregularis Petrus, qui Ioannem impellit in alium, qui eo impetu concidens occiditur. 165.40

Impubes.

An irregularitas incurratur ab Impubere. 7.4

Increpans.

An qui acriter aliquem Increpauit, fiat irregularis, ſi increpatus pœnitudine ductus, ſe mutilet, aut ſibi mortem imprudenter afferat. 196.43

Infamia, Infamis.

An qui impetrat à Iudice, vt reus ducatur ad patibulum per aliam viam breuiorem, vt vitet Infamiam, quam in alia populoſa ſubiret, fiat irregularis. 95.68

An Infamia iuris reddat quem irregularem. 243.8

An Infamia facti faciat irregularem. 243.9

An Infamia, quæ oritur ex exercitio artis ignominioſæ, faciat etiam irregularem. 242.10

An Macellarij, Tabernarij, & huiuſmodi ſint ex infamia officij irregulares. 241.11

An Infamia popularis faciat quem irregularem, vel ſaltem inhabilem ad Ordines. 244.12

An irregularitas incurſa ob Infamiam Iuris Canonici, vel Ciuilis, ſolum à Summo Pontifice poſſit auferri. 244.13

An irregularitas orta ex Infamia indicta à Iure Ciuili, poſſit indirectè auferri à Principe ſæculari, auferendo Infamiam ciuilem, in qua fundatur. 244.14

An irregularitas incurſa ob Infamiam per Iudicis ſententiam, poſſit ab eodem Iudice auferri. 244.15

An irregularitas orta ex Infamia iuris tollatur per baptiſmum. 245.16

An Infamis in vno loco, poſſit ordinari in alio, in quo non eſt infamatus. 245.17

An quis ex alieno delicto poſſit reputari Infamis, & irregularis deinde. 243.18

Infirmarius.

An maneat Irregularis Infirmorum cuſtos, ſeu ſeruitor, qui contra prohibitionem Medici dat aliquam medicinam, ſeu potionem ægroto, ex qua ſequitur, aut notabiliter acceleratur eius mors. 118.30

An etiam maneat irregularis dictus Infirmarius, ſi bona fide, aut ignorantia det aliquid ægroto, ex quo ſequuta, aut nimis accelerata fuit eius mors. 118.31

An maneat irregularis Infirmarius, qui dat ægrotanti aliquid, ex quo parum acceleratur mors. 118.32

An qui ægrotum agonizantem, zelo pietatis, & compaſſionis adductus, in aliud latus vertit, vt citius moriatur, fiat irregularis, morte ſequuta. 118.33

An cenſendus ſit irregularis Infirmarius, caſu quo dubitet, an ex imprudentia ſuæ actionis mors ægri contigerit. 116.34

Infirmus.

An maneat irregularis ille, qui bona fide, & intentione reuoluit Infirmum, exhibet cibum & potum, & facit ſimilia, ex quibus acceleratur eius mors: vel quia eo motu ſuffocatur, vel frangitur apoſtema, vel anhelitus impeditur, &c. 119.35

Inquiſitor.

An Domini Inquiſitores, qui hæreticos muro includunt, ſi ij ibi moriantur, maneant irregulares. 77.17

An etiam Domini Inquiſitores fiant irregulares tradendo hæreticum brachio ſæculari, ſi non intercedant pro illo, vt mitius Iudex ſæcularis ſe gerat cum ipſo. 81.39

An etiam abſque irregularitatis incurſu poſſint Inquiſitores inſtare Iudicem, vt exequatur ſententiam mortis, caſu quò ille tentaret ipſam differre. 82.40

Interdictum.

An maneat irregularis Clericus, qui in loco Interdicto actum ſacri Ordinis exercet. 227.1

An item non maneant irregulares Clerici, qui tempore Interdicti celebrant officia diuina, omittendo vnam tantum conditionem *in cap. Alma*, præſcriptam. 228.3

An deinde etiam maneat irregularis Clericus, qui intendens celebrare diuina officia, tempore Interdicti, ianuas Eccleſiæ aperit, campanas pulſat, &c. Sed mutata intentione, reverà non celebrat. 228.4

Vide *Eccleſia.*

An ſaltem maneat irregularis Clericus, qui tempore Interdicti localis pulſat campanas, vel aperit Eccleſiæ ianuas, vel admittit excommunicatos, vel interdictos, quando officia diuina, vel Miſſæ ab aliis celebrantur. 228.5

An ad minus fiat irregularis dictus Clericus, ſi pulſet campanas, vel portas Eccleſiæ aperiat auctoritate priuata, aut publica, intendens præualere auctoritati publicæ, & ſolenni celebrationi diuinorum officiorum, tempore Interdicti. 229.6

An Clericus Miniſtrans Sacerdoti celebranti, tempore Interdicti, ſine moderatione *cap. Alma*, fiat irregularis. 229.7

An Clericus fiat irregularis ob quamcunque officij diuini celebrationem, tempore Interdicti factam, abſque moderamine *cap. Alma mater.* 229.8

An laici Regulares, aut alij Religioſi non Ordinati, fiant irregulares, ſi in loco Interdicto celebrent diuina, aut miniſtrent ſolemniter in Ordine Sacro, quem non habent, & ſine moderatione *cap. Alma.* 230.9

Vide *Clericus.*

An qui tempore Interdicti confert Ordines, fiat irregularis. 230.11

Vide *Ordo.*

An Clerici incurrant irregularitatem, ſi ſepeliant in Interdicto loco defunctos ſine officio diuino, aut Miſſa. 230.13

Vide *Sepultura.*

An etiam maneat irregularis Clericus Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi intra Eccleſiam audiat officia diuina. 231.16

An Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit abſque incurſione irregularitatis celebrare diuina extra Eccleſiam. 231.17

An item irregularitatem contrahat Sacerdos ab ingreſſu Eccleſiæ Interdictus, celebrans in Eccleſia non conſecrata ab Epiſcopo, ſed ſolùm benedicta. 231.19

An ſi Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ celebret in Oratorio, incurrat irregularitatem. 131.18

An Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, fiat irregularis celebrando Miſſam in cœmeterio contiguo ſaltem Eccleſiæ. 231.10

An presbytero celebrante intra Eccleſiam, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, abſque incurſione irregularitatis, extra Eccleſiam exiſtens, canere Epiſtolam, vel Euangelium. 231.21

An ſaltem contrà, Presbytero extra Eccleſiam celebrante, poſſit Subdiaconus, aut Diaconus, cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, canere Epiſtolam, aut Euangelium intra Eccleſiam, abſque incurſione irregularitatis. 232.32

An in feſtis, in quibus iure ſuſpenditur Interdictum loci, liceat in loco publicè violato celebrare. 288.6

Inuaſor.

An quando inuaſor actu non inuadit alium, eſt tamen in actu proximo ad illum inuadendum, poſſit hic licitè, & abſque periculo irregularitatis inuaſorem morte præuenite. 162.19

Vide *Aggreſſor, Homicidium, Orridere.*

Irregularitas.

Vndenam Irregularitas dicatur. 1.1

Quid ſit Irregularitas. 1.2

Quotuplex ſit Irregularitas. 1.5

An aliqua Irregularitas ſit iure diuino introducta. 2.4

An Irregularitas incurratur aliquando in caſu à iure non expreſſo. 2.5

An omnia Irregularitas ſit à iure, nulla ab homine. 2.6

An ad incurrendam Irregularitatem ex delicto ortam, requiratur peccatum mortale. 2.7

An ſaltem incurrat Irregularitatem ille, qui dum tentauit occidere aliquem, vulnera de ſe lethalia inflixit, tamen diligenti, aut miraculoſa curatione mors non eſt illi ſecuta. 4.12

An Irregularitates introductæ ſine iure expreſſo, per conſenſum Doctorum vim habeant 4.14

An homo Irregularis ſit capax alterius Irregularitatis. 7.7

An vt Irregularitas incurratur, expectari debeat ſententia declaratoria Iudicis. 8.10

Quæ ſit cauſa finalis quam Eccleſia habet in imponenda Irregularitatis pœna. 8.11

Iudeus.

An deſcendentes ex Iudæis, vel Mauria, ſi ipſi ante vſum rationis baptixati ſunt, maneant irregulares, ſaltem caſu, quo parentes ipſorum in Iudaiſmo, vel Mauriſmo adhuc perſiſtant. 239.4

Iudex.

An vt incurrant hanc irregularitatem Iudices, & Aſſeſſores, ſatis ſit exercuiſſe officium in criminalibus, licèt nunquam ſententiam ſanguinis tulerint. 75.5

An ſaltem incurrant hanc irregularitatem prædicti Iudices, & Aſſeſſores ferentes ſententiam ſanguinis, hoc eſt, homicidij, vel mutilationis, ſi non ſequatur effectus. 75.6

An Iudices ferentes ſententiam mortis ſine effuſione ſanguinis, hanc irregularitatem incurrant. 75.7

An Iudex proferens flagellationem per vrbem, cum effuſione ſanguinis, maneat irregularis, ſequuto effectu. 75.8

An Iudex qui dictat ſententiam, vt reus per tormenta debilitetur, fiat irregularis. 75.9

An Iudex qui dicit ſententiam mutilandi à reo membrum aridum, maneat irregularis. 76.10

An ſi quis, antequam eſſet baptixatus, exercendo Officium Iudicis occidit hominem, aut mutilauit, hanc ex defectu lenitatis irregularitatem contraxerit. 76.11

Vide *Lenitas.*

An vt Iudex hanc irregularitatem incurrat, ſit etiam opus, quod occidat, vel mutilet hominem baptizatum. 76.12

An item maneat irregularis Iudex, aut alius, qui occidit, aut mutilat bannitum, vel diffidatum. 76.13

An Iudex, qui reum in carcerem detrudi imperat, vbi ex carceris fœtidi, anguſti, & tetri incommodis breui moritur, fiat irregularis. 77.16

An maneat irregularis Iudex damnans ad triremes reum, qui ex labore remigibus conſueto breui obiit. 77.18

An ſaltem maneret irregularis Iudex damnans reum ad metallum, aut inſulam, ſi ex eo quod malè tractatus ſit, citius moriatur. 77.19

An ſaltem maneat irregularis Iudex, qui vinctum ducens reum ad carcerem, accedit inimicus rei, & occidit illum. 82.43

An ſi dum Iudex furem inſequitur, tibi iuridicè iubeat, vt illi indices viam, qua fur incedit, & ex verbis tuis furem inueniat, & ad mortem damnet, maneas irregularis. 91.76

An Iudex dicens militibus, *Ite, & adducite mihi talem, vel talem viuum, aut mortuum*, ſi milites eum occidant, aut mutilent, irregularis efficiatur. 125.20

An violet Eccleſiam Iudex, ſi intra illam ferat ſententiam mortis, aut ſanguinis in aliquem. 282.14

Iuriſdictio.

An irregularitas prohibeat exercere quemcunque iuriſdictionis actum, vt audire ſacrum, baptizare abſque ſolemnitate, &c. 9.9

An irregularis ſit omnino incapax acquirendi de nouo Iuriſdictionem fori contentioſi, annexam alicui dignitati, aut beneficio. 12.21

Ac ſaltem irregularis ſit capax acquirendi de nouo Iuriſdictionem, ſi hæc non poſtulat in eo, cui confertur, dignitatem, aut beneficium. 13.22

Iuriſperitus.

An ſaltem maneat irregularis Iuriſperitus, vel alius, qui interrogatus à Iudice, non in genere, ſed de caſu particulari, an videlicet hic reus ſuſpendendus, vel mutilandus ſit, reſpondet, mereri ſecundum leges dictam pœnam. 79.31

Ius.

An incurrat quis irregularitatem latam ob delictum etiam Iure naturali prohibitum, vt ob mutilationem, aut homicidium, caſu quo inuincibiliter ignoret tale delictum eſſe lege Eccleſiaſtica ſpecialiter prohibitum. 14.4

An dubium Iuris, aut facti excuſet ab irregularitate contrahenda. 15.9

L

Labia.

AN habens Labia corroſa penitus, vel abſciſſa, ſit irregularis. 24.27

Laicus.

An Laici qui non habent iuriſdictionem temporalem, incurrant etiam irregularitatem aſſiſtendo executioni ſententiæ ſanguinis. 97.103

An Laicus priuatim ſiue ſolemnitate baptizans, fiat irregularis. 208.6

An maneant irregulares Laici, qui cum Dalmatica, & ſine Manipulo porrigunt in Miſſa ſolemni Sacerdoti, aut Diacono calicem præparatum. 213.17

An ſaltem maneat irregularis Laicus, ſiue Clericus Subidiacono inferior, qui cum Dalmatica, & Manipulo Diacono, aut Sacerdoti in Miſſa calicem præparatum miniſtrat. 213.18

Lapis

An quando plures habitantes in aliqua domo, nec ex dolo, aut malitia, nec ex mutua cooperatione, ſed ex aliqua leuitate, & negligentia, Lapides ſingulos proiecerunt, vno tamen lapide percuſſus obiit quis; an, inquam, omnes ſint irregulares. 140.66

An fiant irregulares, qui Lapidibus certant, ſi mors eueniat, aut oculum alteri erui contingat. 192.26

An

An ſi quis in ludo projiciendi Lapides ad vires corporis experiendas (Hiſpanè, *tirar al canto*) caſu quem ex ſpectantibus occideret, irregularis maneret. 192.27

An qui Lapidem direxit in auem, vel quadrupedem, & fortuitò hominem tranſeuntem occidit, irregularitatem contraxerit. 192.28

An fiat irregularis ille, qui ludendo lapidem in alium mittit, animo eum deterrendi, ille verò alius fugiendo lapidem, caſu in alium lapidem impegit, & mortuus eſt. 194.36

An ſit irregularis, qui projicit Lapidem in Petrum, ſi lapis, Petro illum declinante, percutiat Ioannem, & illum occidat. 194.37

An ſi quis projiciat Lapidem in Petrum, & hic Ioannem impellat, qui & occiditur, maneat irregularis Petrus, necnon qui Lapidem projecit. 195.39

Latro.

An ſit liber ab irregularitate qui clamat, *Latrones, latrones*, vt è manibus eorum bona proximorum Iudea, aut vicini eripiant, ſi hi accedentes latrones occidant. 88.63

Vide *Fur.*

Legitimare, Legitimus.

An ſit cenſendus etiam Legitimus, & conſequenter non irregularis ille, qui non eſt expoſitus, dubitatur tamen, an ſit legitimus, eo quòd non reperiantur parentes eius. 36.7

An filius naturalis natus ex nobili viro, & vili perſona, v.g. meretrice, aut ancilla, legitimetur per ſubſequens matrimonium. 42.27

An Pontifex poſſit illegitimos Legitimare ad Ordines, & ad beneficia. 42.28

An Legitimati à Papa, ſint habiles ad omnes Ordines, beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas. 42.29

An Pontifex poſſit Legitimare quemcunque ſibi ſubditum, non ſolum ad ſpiritualia, vt vidimus; ſed etiam ad temporalia, & ad ius ſuccedendi. 42.30

An per hanc clauſulam apponi ſolitam pro matrimonio reualidando, nempe: *Vt non obſtante impedimento, matrimonium inter ſe contrahere liberè, & licitè valeant, auctoritate noſtra diſpenſes, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo*, diſpenſet Papa in radice matrimonij, & Legitimet prolem ante diſpenſationem genitam, non ſolum quoad ſpiritualia, ſed etiam quoad ciuilia. 44.35

An cenſeatur Pontifex Legitimare prolem, ſi matrimonium, quod nullum erat, ratum habeat, aut in illo perſeuerare concedat, illud reualidando per hanc clauſulam: *Diſpenſamus, vt validè ineatur matrimonium, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo.* 44.36.

An Pontifex poſſit Legitimare filium genitum ex matrimonio nullo, ob impedimentum ab illo indiſpenſabile, v.g. quia defuit conſenſus, aut prima vxor viuebat. 44.37

An Pontifex poſſit ſubſequenti matrimonio Legitimare filios ſpurios. 44.38

An in petitione Legitimationis declaranda ſit qualitas filij, nempe an ſit naturalis, vel ſpurius, vel inceſtuoſus, aut ſacrilegus. 50.62

Lenitas.

An ex homicidio publico, iuſto, & licito oriatur irregularitas ex defectu perfectæ Lenitatis, & manſuetudinis. 74.1

An non ſolùm ea occiſione hominis publica auctoritate facta, verùm etiam ex mutilatione membri, incurratur irregularitas hæc defectu Lenitatis. 74.2

An Iudex Eccleſiaſticus, vel ſæcularis, proferens iuſtè ſententiam homicidij, vel mutilationis, contrahat irregularitatem ex defectu Lenitatis. 74.3

An etiam Aſſeſſor Iudicis ſententiam homicidij, vel mutilationis iuſtè proferentis, eandem, ſicuti Iudex, incurrat irregularitatem. 74.4

Vide *Iudex.*

An ſaltem fiat irregularis ex defectu Lenitatis, qui conſulit reo, vt fateatur crimen Iudici, caſu quo probè ſciat conſulens, reum ex ſententia probabili non teneri crimen fateri. 80.34

Vide *Confeſſarius.*

An ex iure nouo, aut priuilegio poſſint Epiſcopi diſpenſare in irregularitate ex defectu Lenitatis proueniente. 106.234

Lepra, Leproſus.

An laborantes Lepra, aut ſcabie multa, ſint irregulares. 30.71

An ad minus Leproſis, & morbo gallico laborantibus iam Ordinatis, concedi poſſit, vt inter ſui ſimiles, aut in ſecreto Miſſam celebrent. 31.73

Libertas.

An defectus, ſeu carentia Libertatis irregularitatem inducat. 58.1

Lictor.

An Lictores, alguazelli, ſatellites, & alij miniſtri iuſtitiæ, qui reum, cum ducitur ad mortem, ne fugiat, comitantur, maneant irregulares. 94.90

Lingua.

An ille ſit irregularis, cui pars Linguæ amputata eſt, tamen habet loquelam. 24.26

Lippus.

An ſint irregulares Lippi, hoc eſt, qui lacrymantes oculos ſemper habent. 21.11

Ludens, Ludus.

An ſi quis Ludo, qui calcibus, aut pugnis exercetur (Hiſpanè, *al toro de las coces, ò puñadas*) aliquem ſuffocet, aut occidat, vel mutilet, irregularis maneat. 192.29

An ſi Petrus Ludens cum Ioanne, projiciat eum in terra, & caſu cultellus Petri Ioannem feriat, maneat Petrus irregularis, ſequuta morte Ioannis. 195.38

Lumen.

An ſi quis noctu per loca periculoſa cum lumine incedat, ſi illius Lumen aliquis doloſè extinguat, illéque præceps ruat, fiat irregularis. 150.102

M

Magiſter.

AN ſit irregularis Magiſter caſtigans diſcipulum, ſi ex caſtigatione caſu ſequatur mors. 197.46

Malefactor.

An ſaltem fiat irregularis defectu lenitatis, qui facit furcam, funes, gladium, &c. ad occiſionem Malefactoris in particulari. 95.95

Maleficiatus.

An Maleficiatus ſit omninò irregularis. 19.18

Mamilla.

An maneret irregularis, qui vtramque Mamillam fœminæ abſcinderet. 201.10

An etiam irregularis maneret, qui vnam tantum fœminæ Mamillam amputaret. 201.19

An deinde fieret irregularis, qui Mamillam viri abſcinderet. 202.20

Mandans, Mandatarius.

An Mandans homicidium expreſsè, reus ſit homicidij

homicidij, & conſequenter irregularis. 124.14

An Mandans homicidium tacitè, & implicitè, ſit etiam irregularis. 124.15

An Mandans alicui, vt aliquem verberet, aut percutiat illicitè, & expreſsè peohibeat, ne occidat, vel mutilet, irregularis fiat, ſi Mandatarius excedens mandatum, verberando alterum occidat. 125.18

Au maneat ireegularis qui Mandat fieri homicidium ei, qui aliàs erat facturus. 126.21

An Mandans aliquem occidi, vel mutilari, irregularitatem ex homicidio voluutario contrahat, ſi ipſemet Mandatarius occidatue. 126.22

An in peæaſſignato caſu incurrat Mandans irregularitatem, ortam ſaltem ex homicidio caſuali. 126.23

An mandans homicidium excuſetur ab ireegularitate, ſi ante patratum homicidium mandatum reuocet. 127.24

An vt Mandans homicidium excuſetur ab irregulaeitate, tenestur non ſolum reuocare mandatum, & talem reuocationem intimare Mandatario, ſed etiam monere occidendum, vt caueat. 127.35

An Mandans homieidium, ſit irregularis, ſi pace iam inita cum occidendo, Mandatarius illum occidat 118.26

Vide *Homicidium.*

An Mandans ſit irregularis, caſu quo non poſſit monrte Mandatarium de non occidendo proximum, vel ex eo, quod hic longè diſtet, aut ſit infans, cuius aborſum fieri mandauit matri. 128.27

An Mandans homicidium fiat irregularis, ſi Mandatarius non ſtatim, ſed diu, nempe poſt duos, vel plures annos, homicidiom committat. 128.28

An ſit irregularis qui Maudat alicui, vt occidat aliquem, ſi Mandatarius à principio nolit acceptare mandatum, poſtea tamen, mutata ſententia, acceprat illud, & exequitur. 129.28

An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit alicui, vt occideret aliquem nocte, Mandatarius verò occidit illum meridie. 129.30

An maneat irregularis ille, qui mandauit occidere equum Petri, & Mandatarius, putans mandari occiſionem ipſius Petri, illum occidit. 129.31

An etiam ſit irregularis ille, qui mandauit homicidium fieri, & voluntate mutata, reuocationem Mandatario per nuntium miſit, qui tamen non intimauit ei. 129.32

An Mandans homicidium, ſit item irregulaeis caſu, quo Mandatarius eeuocationem mandati accipiat, ſed poſtea inuincibiliter reuocationis oblitus, homicidium commiſit. 129.33

Manus.

An qui ſenos digitos in Manibus habet, ſit irregularis. 26.41

An illi qui ſex digitos in Manu babet, poſſit ſine periculo ireegularitatis præſcindi vnus. 26.42

An qui ttemulas habet Manus, ſit irregularis. 27.48

An qui habet Manum aridam, ſit ireegularis. 27.49

An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos qui vna caret Manu, Miſſam celebret. 34.89

An etiam poſſit licitè diſpenſare Pontifex vt celebret Sacerdos vtraque truncatus Manu. 34.90

Manipulus.

An maneant irregulares laici, qui eum Dalmatica & ſine Manipulo potrigunt in Miſſa ſolemni Saceedoti, aut Diacono Calicem præparatum. 213.17

An ſaltem maneat irregularis laicus, ſiue Clerieus Subdiacono inferior, qui cum Dalmatica & Manipulo Diacono, aut Sacerdoti in Miſſa Calicem præparatum miniſtrat. 213.18

Maſculus.

An Maſculus animam rationalem accipiat die quadrageſimo à conceptione. 152.6

Matrimonium.

An filius illegitimus fiat legitimus, & conſequentee tollatur irregularitas per ſubſequens Matrimonium. 38.16

An per ſubſequens Matrimonium fiat filius illegitimus legitimus, caſu quo parentes eſſent habiles ad contrahendum, non tempoee conceptionis, ſed natiuitatis prolis. 38.17

An tempore ceſſationis, non ſolùm validè, verùm etiam licitè poſſit contrahi Matrimonium. 271.28

Maurus.

An color Æthiopis, aut Mauri faciat irregularem. 25.39

An deſcendens ex Iudæis, vel Mauris, ſi ipſi ante vſum rationis baptizati ſunt, maneant irregulares, ſaltem caſu quo parentes ipſorum in Iudaiſmo vel Mauriſmo ad hoc perſiſtant. 239.4

Mederi, Medicus.

An laici Medici, ſeu Chirurgi, per inciſionem, aut aduſtionem, aut alio quouis modo curantes, incurrant ieregularitatem, morte ægroti inde ſequuta, caſu quo adhibeant diligentiam ſufficientem, ne mors infirmi ſequatur. 112.7

Vide *Chirurgus.*

An etiam Clericis minoribus Ordinibus inſignitis ſit prohibitum Mederi abſcindendo, vel adurendo. 110.2

An laicus exercens Chirurgiam, aut Medicinam ſecundum regulas artis, fiat irregularis. 115.17

An vt laicus Medicus incurrat irregularitatem abſciudendo, vel adurendo, aut alio modo medendo ægroto, ſit opus vt mors eiuſdem ægroti ex culpa orta ex impetitia, aut oegligentia Medici eueniat. 115.17

An ſi Medicus, vel Chirurgus dubitet, vtrum eius negligentia, aut impeeitia fuerit aliquis infirmus mortuus, poſſit abſque diſpenſatione ad Oedines promoueri. 115.19

An ſaltem Medicus, ſeu Chiturgus, qui probabiliter credit, nullam per imperitiam, aut negligentiam mortis cauſam dediſſe, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines promoueri. 116.20

An incurrat irregularitatem Medicus præbendo ægroto medicinam, quam neſcit, aut dubitat illi profuturam. 116.21

An maneat itregularis Medicus, qui ignorans affectum morbi alicuius, illum nihilominus curandum ſuſcipit, & ad id medicamenta adhibet. 116.22

An etiam maneat irregularis Medicus, qui in peædicto caſu leue aliquod medicamentum præſcribit, donec morbi vis innoteſcat, ſi inde ita exacerbetur morbus, vt tandem interimat ægrotum. 116.23

An Medici, qui ægrotis deſpeeatis quoſlibet cibos, etiam noxios, porrigi permittunt, aut imperant, ſi inde mors ſequatur, aut acceleretue, grauiter peccent, & fiant irregulares. 116.24

An Medicus qui ecnitens ægroto vrgenti, & poſtulanti, noxium medicamentum præſcripſit, fiat irregularis, ſi inde ſequatur mors. 116.25

An ſi Medicus, qui nec publico, nec priuato ſtipendio eſt conductus, nolit curare ægrotum, & ob id hic moriatur, peccet mortalitee, & maneat irregularis 117.26

An ſaltem ſi Medicus, qui nec publico, nec priuato

ſtipendio

ſtipendio conductus eſt, nolit aliquem ægrotum curare, maneat irregularis, ſi ob id mors ei contingat. 117.27

An peccent, & ſint irregulares Medici, Aromatarij, & Pharmacopolæ qui medicamenta corrupta aut ſuppoſititia præſcribunt, aut præbent, ex quibus ægroti mors ſubſequitur. 118.28

An etiam manſerint irregulares Medici, caſu quo optima, & propria medicamenta præſcripſerint, Aromatarij tamen aliquid noxium intermiſcuerunt, ex quo mors fuit ſecuta. 118.29.

An Medicus qui omittit curare ægrotum, & ob id moritur, incurrat irregularitatem. 148.92

An qui doloſè diſſuadet diuiti volenti paſcere egenum, ne paſcat; & Medico, ne curet; & volenti reuelare homicidij tractatum, ne reuelet, fiat irregularis, ſequuto homicidio. 149.95

Membrum.

An ad veram rationem Membri, cuius mutilatio irregularitatem parit, neceſſe ſit, vt habeat proprium & diſtinctum officium à reliquis partibus totius corporis. 1(8.3

An vt quis hanc irregularitatem incurrat, ſufficiat, debilitare Membrum alterius, & reddere ineptum ad munus ſuum præſtandum, quamuis non amputet illud. 100.11

An ſaltem fiat irregularis, qui ita Membrum alterius debilitat, vt omninò ſiccetur, & moriatur. 200.12

Menſtrua.

An Menſtrua mulierum in Eccleſiis fluentia ipſam violent. 282.20

Metus.

An metus mortis, aut infamiæ, aut alterius granis nocumenti, excuſet ab irregularitate, quæ propter culpam incurritur. 15.8

Miles.

An omnes Milites pugnantes maneant irregulares, caſu quo diuiſo exercitu in duas partes, vna pars committat homicidia, altera verò non. 10ᵛ.5

An etiam milites ſint ab irregularitate immunes, occidendo iniuſtum inuaſorem, quando fugiendo poſſent ab inuaſore liberari. 168.35

An nobiles & Milites ſint liberi ab irregularitate, ſi occidant ſuum iniuſtum inuaſorem in loco deſerto & ſolitario, quando fugiendo poſſent mortem euadere ſine nota hominum, eo quòd ibi nullus inueniatur. 168.36

Minari.

An eum, qui alicui Minatur mortem, liceat ſine timore irregularitatis occidere. 304.25

Miniſter.

An illegitimi profeſſi, diſpenſatione non præuia, excludantur attento communi iure, ab officiis Miniſtrorum Generalium, Prouincialium, & Conuentualium. 53.69

An lictores, Alguazelli, ſatellites, & alij Miniſtri Iuſtitiæ, qui reum, cum ducitur ad mortem, ne fugiat, comitantur, maneant irregulares. 94.90

An maneat irregularis ſi aliquis inuaſus à Miniſtris Iuſtitiæ illos occidat. 557.4

Miſſa.

An ſaltem ex diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam. 50.6

An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos qui vna caret manu, Miſſam celebret. 34.89

An qui dubitans, ſe irretitum eſſe aliqua excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, celebrat Miſſam, aut aliud Sacramentum miniſtrat, maneat irregularis, ſi poſtea conſtet, non fuiſſe excommunicatum, ſuſpenſum, &c. 220.18

An ex communicatus maiori audiens Miſſam, incurrat irregularitatem. 220.20

An qui pluries in excommunicatione celebrauit, teneatur in petenda irregularitatis diſpenſatione, exprimere numerum Miſſarum celebratarum. 258.39

An tempore ceſſationis licitum ſit laicis audire Miſſam, aut alia officia diuina. 268.12

An qui habent priuilegium audiendi Miſſam ceſſationis tempore, teneantur eam audire diebus feſtis. 268.13

An tempore ceſſationis ſit licitum celebrare Miſſam ſemel in hebdomada, ad renouandam Euchariſtiam. 268.14

An ſit peccatum mortale celebrare Miſſam, vel alia officia diuina in Eccleſia violata publicè. 287.1

An caſu, quo poſt celebrationem Miſſæ publicetur Eccleſiæ violatio occulta, ſit tunc neceſſarium Eccleſiam reconciliare. 287.2

Mittens.

An fiat irregularis qui mittit puerum ad aquandum equum, monens eum vt caueat à flumine, ſi puer intrans flumen ſubmergatur & pereat. 191.22

An fiat irregularis ille, qui puerum pro aſportanda aqua mittit ad flumen, aut puteum diſcoopertum, & ſuffocatus eſt. 191.21

Monachus.

An Monachus, ſeu Clericus in Sacris exercens Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem, fiat irregularis, ſequuta ægroti morte, etiam ſi adhibeat ſufficientiſſimam diligentiam in ea curatione. 12.9

Vide *Clericus.*

An prohibitum ſit Monachis, & Clericis in Sacris, per *cap. Tua nos*, applicare Emplaſtrum mollificatiuum, quo apoſtema ſeſe aperit, aut aperire carnem cauſtico. 114.12

An prohibitum ſit dictis Clericis, aut Monachis conſulere, aut imperare, vt alicui cauſa ſanitatis membrum aliquod abſcindatur, aut comburatur. 114.14

Monialis.

An etiam ius commune interdicat illegitimis Monialibus profeſſis Prælationes, itavt nequeant eſſe Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, &c. 51.67

An ſaltem non repugnet iuri, quod illegitimus profeſſus ſit Vicarius, ſeu Confeſſor Monialium. 53.72

Monoculus.

An Monoculus, ſeu qui vnum tantùm habet oculum, ſit irregularis. 20.7

Monſtruoſus.

An Monſtruoſus, hoc eſt, habens duo capita, quatuor manus, aut pedes, &c. ſit irregularis. 29.62

Morbus.

An laborantes Morbo Gallico ſint irregulares. 30.70

An dicti laborantes Morbo Gallico, lepra, & ſcabie, poſſint aſſumi ad Ordines, ſaltem vt inter ſui ſimiles celebrent. 39.72

An ad minus leproſis, & Morbo Gallico laborantibus iam Ordinatis concedi poſſit, vt inter ſui ſimiles, aut in ſecreto Miſſam celebrent. 31.73

Mors.

An polluatur Eccleſia caſu quo mors alicui intra eam abſque ſanguinis effuſione inferatur. 280.12

Manus.

An ſaltem maneat liber ab irregularitate qui acceptans duellum, aut certamen ſingulare, ne alias

amittat honores, aut publica Munera, quæ poſſidet, occidit prouocantem ad illud. 183.6

Mutilatio.

An iudicandus ſit irregularis, qui vtrum Mutilauerit, dubius eſt, animique anceps. 5.17

An etiam ex iniuſta, & voluntaria membri Mutilatione oriatur irregularitas. 121.7

An irregularitas, quæ oritur ex Mutilatione, ſit eadem cum ea, quæ oritur ex homicidio, aut eius quædam extenſio. 521.8

An ſaltem omnia, quæ iura diſponunt circa irregularitatem Mutilationis, debeant extendi ad irregularitatem homicidij. 522.10

Vide *Homicidium.*

Quid ſit Mutilatio membri. 197.2

An ex iniuſta, & voluntaria membrorum Mutilatione naſcatur irregularitas. 197.1

An ad veram rationem membri, cuius Mutilatio irregularitatem parit, neceſſe ſit, vt habeat proprium & diſtinctum officium à reliquis partibus totius corporis. 198.3

Vide *Abſcindens.*

An irregularitatem incurreret, qui Mutilaret membrum omninò debilitatum, & ineptum ad munus ſuum. 201.21

An in omni caſu, quo Mutilando quis alium ſit irregularis, fiat etiam mutilando ſeipſum. 201.22

An contrà, in omni caſu, quo mutilando ſeipſum ſit quis irregularis, fiat etiam mutilando alterum. 202.24

An eo ipſo, quo quis alium faciat irregularem, aut Mutilando, vel percutiendo, aut reddendo illum alio modo ineptum ad Ordinis miniſterium, fiat ipſemet irregularis ſimul. 202.25

An contra, poſſit contingere, quod Mutilator fiat irregularis, & non ipſe mutilatus. 203.26

An tandem poſſit accidere, quod tam mutilator, quàm mutilatus irregulares fiant. 203.27

Mutus.

An Mutus à natiuitate, vel aliquo caſu factus, ſit omnino irregularis. 23.24

N

Naſus.

AN ille, qui naturaliter (aut aliàs) caret omnino, vel ex parte Naſo, ſit irregularis. 25.33

An etiam ſit irregolaris, qui naſum habet nimis paruum, aut magnum nimis, vel diſtortum. 25.34

An qui aliquem Naſo mutilat, irregularis permaneat. 199.8

Natales.

Quibus modis tollatur irregulartias orta ex defectu Natalium. 58.15

Neophytus.

Quiſnam propriè dicatur Neophytus. 239.1

An Neophytus ſit omnino irregularis. 239.2

An irregularitas hæc Neophytorum ſit indicta iure diuino, ex præcepto Chriſti deſcendens. 239.2

An Neophytus ita ſit irregularis, quod nec ad minores Ordines aſcendere ſine diſpenſatione poſſit. 239.6

An Neophytus qui iam diu ſuſcepit Baptiſmum, & fidem, poſſit ſine diſpenſatione Ordinari. 240.7

Quod temporis ſpatium à ſuſcepto Baptiſmo ſat ſit, vt quis deſinat eſſe Neophytus, ſeu nouus Chriſtianus, & conſequentes deſinat eſſe irregularis, poſſitque ſine diſpenſatione ſacris initiari. 240.8

Nix.

An fiant irregulares, qui hyemali tempore ſe petunt pilis Niuis, ſi inde mors, aut mutilatio ſequatur. 192.25

Nobilis.

An vir Nobilis laicus, qui potuit euitare conatum iniuſtè inuadentis, fugiendo, fiat irregularis, ſi ſiſtendo illum occidat. 167.54

An deinde Nobiles, & Milites ſint liberi ab irregularitate, ſi occidant ſuum iniuſtum inuaſorem in loco deſerto, & ſolitario, quando fugiendo poſſent mortem euadere ſine nota hominum, eo quòd ibi nullus inueniatur. 168.56

Notarius.

An publicus Notarius, ſeu Tabellio teſtium depoſitiones in cauſa ſanguinis recipiens, fiat irregularis, ſecuta morte, ſeu mutilatione. 92.83

An item fiat irregularis Notarius, quando acta eius authentica non ſunt, ſed veluti à priuata perſona confecta. 93.86

An Notarius, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcribit, vel dictat, ſit irregularis, morte, aut mutilatione ſequuta. 93.84

An etiam fiat irregularis Notarius, aut ſcriba, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcriptam à famulo ſignat, & ſuo ſigillo authenticam reddit. 93.85

An fiat irregularis defectu lenitatis, qui tanquam Officialis Notarij publici ſcribit, vel tranſcribit ſententiam, qua iubetur deformatio Rei. 93.87

An fiat irregularis famulus, qui iuſſus attulit proceſſum Notarij continentem ſententiam ſanguinis, vel attulit equum Iudici aſſociaturo reum mortis. 93.88

Nuptiæ.

An qui ter, vel quater contraxit Nuptias, teneatur id exprimere in petitione diſpenſationis ſuper irregularitate ex Bigamia contracta. 93.88

O

Occidere.

AN ſi quis probabiliter æquè credat ſe in bello iuſto aliquem Occidiſſe, aut mutilaſſe, debeat ſe neceſſariò irregularem reputare. 105.129

An laicus, qui Occidit inuaſorem iniuſtum pro tuenda propria vita, peccatum committat, & irregularitatem contrahat. 556.1

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex occiſione fœtus animati. 156.2

Vide *Abortus.*

An maneat irregularis, ſi aliquis inuaſus à Miniſtris iuſtitiæ, illos Occidat. 157.4

An ſaltem in aliquibus caſibus teneatur inuaſus Occidere inuaſorem iniuſtum. 158.8

An fiat irregularis, qui ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, occidit alium, ad vitandam in ſe mutilationem membri. 159.10

An ſaltem fiat irregularis, qui occidit iniuſtum inuaſorem, vt ſe tueatur à graui vulnere ab illo infligendo. 160.11

An ad minus fiat irregularis, qui Occidit iniuſtum inuaſorem, ne turpiter ab illo deformetur. 160.12

An ſit irregularis, qui occidit inuaſorem innocentem, verbi gratia puerum, vel amentem, vel phreneticum, qui ſtricto enſe ipſum impetit, & niſi illum,

illum præueniat, omninò eum confodiet. 160.14
An ſine incurſione irregularitatis poſſim ego Occidere illum, qui actu mandat, & ſuadet famulo, vel ſicario, vt me occidat. 163.22
An etiam ſine incurſu irregularitatis poſſim morte præuenire illum, qui licèt actu non ſuaſit alicui, vt me ſtatim Occideret, coniurauit tamen in meam necem, & cum ſicariis egit, vt opportunitatem quærant me occidendi. 163.23
An ſi aliquis decreuit aliquem Occidere, & hoc alicui manifeſtauit, poſſit hic licitè, & ſine incurſione irregularitatis illum morte præuenire, ſi alter non poſſet effugere. 163.24
An qui recluſus in aliqua domo, videt inimicum inſidias parantem, vt eum Occidat, poſſit licitè præuenire, & interimere illum, ſi aliud remedium euadendi non habeat. 164.26
An liceat cuique illum prius occidere, qui falſis calumniis, & teſtibus contendit ipſum per iudicem interficere, imponendo illi aliquod flagitium, ob quod ad mortem ab ipſo Iudice ſit damnandus. 164.27
An item licitè, & ſine incurſione irregularitatis poſſit quis Occidere falſum teſtem euntem ad teſtificandum in iudicio aliquod crimen, propter quod ille occidendus ſit, vel infamandus, vel omnibus ſuis bonis priuandus. 165.28
An etiam poſſit quis licitè Occidere accuſatorem, vel teſtem, qui bona fide de crimine morte digno illum accuſat, aut falsò teſtificatur. 165. 29
An etiam poſſit quilibet non ſolùm defendere vitam ſuam, ſed etiam vitam Patris, vel filij, vel vxoris, aut alterius conſanguinei, vſque ad Occiſionem iniuſti aggreſſoris, abſque incurſu irregularitatis. 171.40
An licèt licitè Occidat ſæcularis quis furem aliquem, aut actualem inuaſorem ſuorum bonorum temporalium, maneat nihilominus irregularis. 173.1
An etiam licitè, & liber ab irregularitate poſſit quis Occidere furem, qui rem furatam iam habet poſitam in certo loco. 175.8
An manſerit irregularis, qui Occidit hominem quendam, à quo arrepta barba trahebatur, & à ſe aliter expedire non poterat. 177.2
An maneat irregularis vir honoratus, qui aliquem dicentem ſibi, *Mentiris*, occidit. 179.7
An fiat irregularis qui Occidit aliquem in duello, ad quod ſuſcipiendum nulla legitima cauſa interceſſit. 181.1
An fiant irregulares, qui gladiis, & crudis armis inter ſe decertando, aut infeſtis haſtis dimicando (Hiſpanè, *en el juego de Torneos*) aliquem Occidant, vel deforment, etiam caſu. 193.30
An qui vnico ictu plures Occidit homines, plures irregularitates incurrat. 259.42
Vide *Homicidium*.

Oculus.

An ſit irregularis cæcus ille, qui licet nihil videat, habet Oculos integros & claros. 20.4
An monoculus, ſeu qui vnum tantùm habet Oculum, ſit irregularis. 20.7
An etiam ſit irregularis ille, qui habens vtrumque Oculum integrum, caret viſu oculi dextri. 20.8
An ſaltem ſit irregularis, qui ſiniſtro oculo (qui dicitur *Oculus Canonis*) non videt. 21.9
An ſit irregularis, qui nubem aliquam, vel maculam habet in Oculo. 21.10
An ſint irregulares Lippi, hoc eſt qui lachrymantes Oculos continuò habent. 21.11
An habens Oculos ſine palpebris, ſit irregularis. 21.12
An ſit irregularis, qui habet vnum Oculum grandiorem altero. 22.13
An ſit irregularis, qui luſcus eſt, vel ſtrabo, id eſt qui habet Oculos diſtortos, aut diſpares. 22.14
An qui vnum eruit Oculum alteri, irregularis exiſtat. 199.9

Odoratus.

An qui caret Odoratus ſenſu ſit irregularis. 25.35

Officialis.

An fiat irregularis defectu lenitatis, qui tanquam Officialis Notarij publici ſcribit, vel tranſcribit ſententiam, qua iubetur deformatio Rei. 93.87

Officium diuinum.

An Clericus qui eſt interdictus ingreſſu Eccleſiæ, maneat irregularis, intra Eccleſiam diuina officia celebrando. 231.15

Opinio.

An etiam excuſet ab irregularitate contrahenda Opinio probabilis Doctorum aſſerentium, non contineri eam in iure, caſu quo ſunt alij DD. probabiliter opinantes contineri. 15.10

Oppreſſio.

An ſaltem contraheretur irregularitas, ſi mors alicuius contingeret ex Oppreſſione ingredientium ad fornicis alicuius infamem domum. 196.42

Oratorium.

An ſi interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ celebret in Oratorio, incurrat irregularitatem. 235.18

Ordo.

An primarius effectus irregularitatis, ſit priuatio ſuſcipiendi Ordines licitè. 8.1
An irregularitas non ſolùm reddat Ordinis ſuſceptionem illicitam, ſed etiam inualidam. 8.2
An irregularitas ſuperueniens Ordinato, priuet vſu Ordinis ſuſcepti. 9.5
An in irregularitate contracta ab eo qui ſemel in furiam aut amentiam incidit, & ſanitatem recuperauit, poſſit Epiſcopus diſpenſare, aut declarare aptum eſſe non ſolùm ad vtendum Ordinibus ſuſceptis, ſed etiam ad alios ſuſcipiendos. 18.15
An ſaltem qui omnino eſt iam liber à vexatione dæmonis, poſſis abſque diſpenſatione ad Ordines minores promoueri. 19.15
An laborantes prædicto morbo caduco licitè poſſint abſque vlla diſpenſatione in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. 32.80
An diſpenſatio illegitimi ad Ordines ſimpliciter, vel ad clericatum, extendatur quoque ad Ordines ſacros. 45.41
An ſi in diſpenſatione illegitimi ad Ordines contineretur hæc clauſula, Diſpenſo tecum ad omnes Ordines, tunc ſaltem talis diſpenſatio intelligenda eſſet etiam de omnibus ſacris. 45.42
An illegitimus ad Ordines minores dumtaxat diſpenſatus, intelligatur etiam diſpenſatus ad beneficia ſimplicia, ſolita conferri Clericis Ordinibus minoribus initiatis. 45.43
An ſi hæc irregularitas ex occulto delicto Parentum proueniat, ſit ab Epiſcopo diſpenſabilis quoad maiores Ordines, beneficium curatum, &c. 48. 56
An defectus ætatis ad Ordines requiſitæ inducat irregularitatem. 57.1
An Ordinatus ante legitimam ætatem incurrat irregularitatem, ſi nondum ætate legitima adepta, maiores exerceat Ordines. 57.2
An Regij Conſiliarij deputati ad cauſas ciuiles iudicãdas, poſſint non depoſito tali munere, ad Ordines

promoueri, & promoti idem munus exercere. 59.10

An ſaltem reiterans Secramentum Ordinis pœna irregularitatis puniatur. 107.16

An poſitis illis duabus conditionibus quas Canon Concilij requirit, nempe exemplar vitæ, & neceſſitas miniſtrorum, ſit adhuc neceſſaria diſpenſatio Pontificis, aut Epiſcopi, vt Baptizatus in fine Ordinari poſſit. 208.4

An qui Ordines Sacros ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit, ſuſcipit, maneat irregularis. 209.1

An irregularis fiat qui Ordinatur ſcienter ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, interdicto, irregulari, aut alia aliqua pœna irretito, quæ ipſi liberum exercitium ſui Ordinis prohibeat. 201.2

An maneat irregularis, qui ordinatur per ſaltum, ſeu qui ſuſcipit ſuperiorem Ordinem, relicto inferiori. 210.3

An non ſolùm maneat ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, qui furtiuè, id eſt, ignorante Epiſcopo, nec examinante, nec approbante, Ordinem recepit. 210.4

An qui vno die recipit primam tonſuram, & quatuor minores Ordines, incurrat irregularitatem. 210.6

An ſaltem irregularitatem incurret, qui eodem die, inſcio Epiſcopo, quatuor minores Ordines ſimul cum Subdiaconatu ſuſcipit. 211.7

An ad minus pœnam irregularitatis contrahat, qui eodem die, inſcio Epiſcopo, duos Ordines maiores ſuſcipit. 211.8

An ſaltem fiat irregularis, qui per ſaltum promotus, exercet actum Ordinis prætermiſſi. 212.12

An ſaltem incurrat irregularitatem, qui vſurpat actus minorum Ordinum, quos non habet. 215.29

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate quam quis contraxit exercendo Ordines quos non habet. 215.31

An etiam irregulares maneant Abbates, qui ex priuilegio conferunt Ordines minores, ſi conferant illos quando excommunicati exiſtunt. 218.7

An fiat irregularis, qui exercet Ordinem ſacrum contra præceptum ſui ſuperioris. 222.28

An ſaltem fiat irregularis, qui exercet Ordinem contra præceptum Superioris, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. 222.29

An qui ſpecificè ab aliquo Ordine, verbi gratia, Sacerdotio, eſt ſuſpenſus, fiat irregularis, non ſolùm ſi exerceat actum Sacerdotij, à quo eſt ſuſpenſus, verùm etiam ſi exerceat actus aliorum Ordinum inferiorum, nempe Subdiaconatus, aut Diaconatus, à quibus non eſt ſuſpenſus. 226.16
Vide *Suſpenſio.*

An maneat irregularis Clericus, qui in loco interdicto actum Sacri Ordinis exercet. 227.7

An qui tempore interdicti recipit Ordines, ſaltem maiores, maneat irregularis. 230.12
Vide *interdictum.*

An Sacramentum Ordinis poſſit miniſtrari, aut conferri tempore ceſſationis. 271.07

Os.

An habens Os diſtortum ſit irregularis. 24.08

Oſtentatio.

An maneat irregularis qui ob vanam Oſtentationem virium, & acquiſitionem nominis viri robuſti, duellum ſuſcipit, & in eo homicidium admittit. 182.2

P

Papa.

AN ſaltem Papa poſſit imponere irregularitatem abſolutè pro culpa veniali. 3.8

An ſaltem ex diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam. 20.6

An Papa poſſit diſpenſare cum Sacerdote totaliter cæco, vt Miſſam dicere poſſit. 34.88

An ſolus Papa poſſit in hac irregularitate diſpenſare. 150.16

Papa an poſſit delegare ſimplici Preſbytero reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. 289.3
Vide *Pontifex.*

Parens.

An Parentes, qui infantes ſuos in eodem lecto detinent, peccent mortaliter, & irregulares fiant, ſi infantes ſuffocent. 196.44

Parochus.

An Parochus irregularis poſſit etiam licitè aſſiſtere Sacramento Matrimonij. 13.23

An Parochus ſolemniter baptizans puerum alterius Parochiæ ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi, fiat irregularis. 209.11

Paruitas materiæ.

An ob Paruitatem materiæ excuſatur quis ab irregularitate incurrenda. 13.1

Pater.

An Pater, aut Dominus maneant irregulares, ſi filio, aut famulo dicant: *Domum non redeatis donec aliquid noui de vobis audiamus.* 124.16

An etiam fiant irregulares Pater aut Dominus, caſu quo dicant filio, aut ſeruo hæc verba: Caue ne occidas Petrum, qui mihi iniuriam intulit; non tamen reuertaris domum, donec aliquid noui de te audiam. 125.17

Patria.

An ſit irregularis, qui præmiſſa proteſtatione, proditionem Patriæ, aut crimen aliud in Rempublicam, vel Principem reuelat. 87.60

Percutiens

An ſi quis animo latronem occidendi, non lethaliter, ſed leuiter Percuſſit, ſed deinde alij, neque vocati, neque incitati à primo percuſſore, lethaliter percuſſerunt, omnes maneant irregulares. 140.67

An quando primus aliquem lethaliter percuſſit, & cæteri aduenientes (nullo habito conſilio, aut cooperatione) etiam lethaliter percuſſerunt, omnes maneant, ſequuta percuſſi morte, irregulares. 141.69

An Percutiens degradatum realiter, aut actualiter, vel depoſitum incorrigibilem, incurrat excommunicationem Canonis *ſi quis ſuadente.* 275.4

An ſaltem incurrat dictam cenſuram, qui degradatum ſolùm verbaliter percutit. 275.5
Vide *Degradatio.*

An etiam è contra, quando quis primò lethaliter Percuſſit aliquem, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm Percuſſerunt, primus percuſſor tantum irregularis ſit. 140.68

Pes.

An maneat irregularis, qui in infirmitate perdidit omnes digitos Pedum. 27.50

An carens Pede, itaut non poſſit ſine pede ligneo ambulare, ſit irregularis. 27.52

An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſubdito, qui carens Pede, ambulat cum pede ligneo, vt celebret. 33.85

Peſtis.

An laborantes Peſte ſint irregulares. 31.75

Digitized by Google

Pharmacopola.

An peccent, & ſint irregulares Medici, Aromatarij & Pharmacopolæ, qui medicamenta corrupta, aut ſuppoſititia præſcribunt aut præbeot, ex quibus ægroti mors ſubſequitur. 118.28

Phreneticus.

An ſit irregularis, qui occidit inuaſorem inoocentem, verbi gratia puerum, vel amcotem, vel Phreneticum, qui ſtricto enſe ipſum impetit, & niſi illum præueniat, omninò eum confodiet. 160.14

Pila.

An ſint irregulares, qui hyemali tempore ſe petunt Pilis niueis, ſi inde mors, aut mutilatio ſequatur. 192.25

Podagra.

An qui Podagra, aut chiragra laborant, ſint irregulares. 31.74

Pœnitentia.

An Pœnitentia ſolemois faciat quem irregularem. 242.6

An tempore ceſſationis ſit licitum miniſtrare Pœnitentiam omnibus infirmis. 270.22

An non ſolùm infirmis, verùm etiam ſanis poſſit miniſtrari Pœnitentia, ceſſationis tempore. 270.23

Pollex.

An ſit irregularis, qui caret digito alio præter digitos Pollicem & Indicem. 26.45

Pollutio.

An Pollutio facta in ſomnis in Eccleſia polluat ipſam. 282.24

An ſaltem violetur Eccleſia per Pollutionem, quam Confeſſarius inuitus patitur, audiendo confeſſiones. 282.26

An ad violandam Eccleſiam ſufficiat habere in illa voluntariam Pollutionem in parua quantitate, vnius videlicet, vel alterius guttæ. 283.28
Vide *Eccleſia.*

Pons.

An qui aliquem de Ponte ioco præcipitem dedit eo fine, vt ipſum à quartana liberaret, manſerit irregularis, caſu quo ille interierit. 119.35

An aliquis fiat irregularis, caſu quo turba aliqua ad Pontem aut fores Eccleſiæ ita ſe conſtipat, quod aliqui compreſſi pereant. 196.41

Pontifex.

An Summus Pontifex ſit capax irregularitatis contrahendæ. 7.5

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex defectibus animæ ſuprà enumeratis. 20.19

An poſſit Pontifex diſpenſare, vt Sacerdos, qui vna caret manu, Miſſam celebret. 34.89

An etiam poſſit licitè diſpenſare Pontifex vt celebret Sacerdos vtraque truncatus manu. 34.90

An Pontifex poſſit illegitimos legitimare ad Ordines, & ad beneficia. 42.28
Vide *Papa.*

An etiam poſſit Pontifex directè, & liberè alienos ſubditos legitimare ad temporalia, & vocare ad ſucceſſiones, etiam in præiudicium vocatorum. 42.31
Vide *Legitimus.*

An poſſit Pontifex illegitimos quoſcunque, etiam alienos ſubditos legitimos, adhuc ad temporalia reddere, diſpenſando in radice matrimonij nulliter contracti, ob impedimentum à iure Pontificio introductum. 43.32

An vt poſſit Pontifex diſpenſando in radice Matrimonij, legitimare illegitimum, ſit opus vt parentes huius viuant, & denuò matrimonium contrahant. 43.33

An etiam poſſit Pontifex legitimare dictum illegitimum ad temporalia, etiam honores, & ſucceſſiones, caſu quo cedat in præiudicium vocatorum, qui iam in hæreditate ſucceſſerunt. 43.34

An Pontifex poſſit, ſubſequenti matrimonio, legitimare filios ſpurios. 44.38

An eo ipſo, quod Pontifex diſpenſet cum aliquo in irregularitate illegitimitatis, legitimet conſequenter illum, tam quoad ſpiritualia, quàm quoad temporalia. 45.40

An Pontifex ſolus poſſit diſpenſare cum illegitimo, cuius vitium eſt cognitum, ad maiores Ordines, Dignitates, Prælaturas, & beneficia duplicia. 47.49

An ſolus Pontifex poſſit diſpenſare in irregularitate, quam quis contraxit exercendo Ordines quos non habebat. 215.31

An Summus Pontifex poſſit in omni irregularitate diſpenſare. 246.4
Vide *Diſpenſatio.*

An Pontifex poſſit ferre ceſſationem à diuinis in vniuerſa Eccleſia. 262.2

An ſolus Pontifex poſſit ponere ceſſationem poſt interdictum. 262.3

Preceptum.

An ad minus qui commiſit delictum, propter quod ſuſpendendus eſt ſecundùm iura, ſi accedens præceptum Superioris prohibens celebrationem, nihilominus celebret, fiat irregularis. 223.30

Preco.

An ſit irregularis Præco, qui reum præcedit, & cauſam mortis proclamat. 94.92

Predicator.

An item excommunicatus maiori, vel interdictus, aut ſuſpenſus ab officio Prædicandi, maneat irregularis, ſi prædicet. 219.13
Vide *Concionator.*

An ſaltem maneat irregularis excommunicatus, interdictus, aut ſuſpenſus ab officio prædicandi, ſi prædicet quando tali excommunicato, interdicto, aut ſuſpenſo annexum eſt officium prædicandi. 219.14

Pregnans.

An caſu quo mater moriatur Prægnans, & poſt mortem ex negligentia non aperiatur, ſed ſepulturæ tradatur cum fœtu viuente in vtero, qui poſteà moriatur, tunc maneat violata Eccleſia. 285.39

Prelatura, Prelatus.

An irregularitas reddat inhabilem ad dignitatem, & Prælaturam regularem. 12.20

An etiam poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſubdito, qui caret oculo Canonis, ſeu ſiniſtro. 34.86

An Prælatus Regularis poſſit diſpenſare cum ſuo ſubdito Sacerdote habente manus tremulas, vt ſacrificare valeat, ſaltem in occulto. 34.87

An vt illegitimus profeſſus fiat Prælatus in Religione, ſit neceſſaria diſpenſatio Pontificia. 51.65

An non attento Iure communi, ſed priuilegiis Religioſorum, omnis illegitimus reddatur per profeſſionem ſolemnem legitimatus, & aptus ad omnes Prælaturas & dignitates intra Religionem obtinendas. 53.73

An ex Summorum Pontificum priuilegiis poſſint nunc Prælati Regulares, Generales, aut Prouinciales diſpenſare cum illegitimis ſibi ſubditis ad quaſcunque Prælaturas, & dignitates Ordinis habendas. 54.74

An etiam nunc poſſint prædicti Prælati Regulares, nempe Generales, & Prouinciales, ſeorſum per ſeipſos, & eatra Capitulum, diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis, ad Prælatiooes, & dignitates Ordiuis habendas. 54.79

An ea priuilegio poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis Bigamis, etiam veris & interpretatiuis, ad Ordines etiam maiores. 71.59

Au Prælatus Eccleſiaſticus maneat irregularis, ſi ferat legem, qua puniat pœoa mortis certa quædam crimina. 77.20

An Prælatus, vel Iudex, qui iubet reum aliquem capere, & ad ſe, ſiue viuum, ſiue mortuum adducere, maneat irregularis, ſi executores in ea captura reum interficiant, aut mutilent. 78.25

An etiam maneant irregulares Iudiees, vel Prælati, qui propoſitis edictis, præmium promittunt illis, qui alicuius rei caput, aur membrum aliud attulerint. 78.26

An Prælatus Eceleſiaſticus, aut Princeps ſæcularis, maneat irregulatis, caſu quo Iudex ab ipſo delegatus iniuſtè ad mortem, ſeu mutilatiouem damnet reum. 79.28

Ao Prælatus Eceleſiaſticus poſſit committete alicui Clerico, vt vice ſua eligat Iudicem, qui cauſam criminalem cognoſcat. 79.29

An Prælati Eeeleſiaſtiei, qui reum tradunt Iudici ſæculari puniendum, ſiant irregulares, ſequuta illius morte, ſi ooo intereedant apud Iudicem pro reo. 81.38

An ſaltem Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate iſta orta ea homicidio iuſto, facto in bello, aut à Iudice. 107.138

In quibus irregularitatibus poſſunt Prælati Regulares, iuata doctrinam hucuſque daiam, diſpenſare. 253.30

An Prælati Regolares poſſint diſpenſare cum ſuia ſubditis in irregularitate orta ex homicidio caſuali, etiam publico. 253.31

An Prælari Regulares poſſint diſpenſare cum ſuia ſubditis in irregularitate orta ea homicidio directè voluotario, modo occulro. 2‹3.32

An Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio directè voluntario, etiam publico. 255.33

An Prælati Regulares poſſint degradare verbaliter ſuos ſubditos, ſicuti Epiſcopus ſuos. 277.16
Vide *Degradatio.*

Prælati Regulares an poſſint reconciliare eorum Eccleſias conſecratas. 289.4

Presbyter.

An qui contraxit irregularitatem ex occiſione alicuius Preſbyterl, aut alterius Cletici, teneatur manifeſtate, ſe Preſbytetum, ſeu Cleticum occidiſſe, noo verò ſufficiat dicere, ſe hominem oceidiſſe. 258.38

Princeps.

An Prioeeps ſæcularis, vel Cleticus iuriſdictionem temporalem habens, fiat irregularis, ſi conſtituat Iudices, & Miniſtros, vt cauſam ſanguinis inquirant, & puniant iuxta leges, & iuria diſpoſitionem. 77.21

An ſaltem fiat irregularis dictus Princeps, vel Clericus, ſi deleget poteſtatem alicui ſpecialiter pro aliquo delicto in particulari, nempe homicidio in ſua iuriſdictione commiſſo, vt inquiſita veritate, iuſtitiam iuxta leges faciat. 78.22.

An ad minus maneat irregularis prædictus Princeps, vel Cleticus, qoi Iudiei à ſe deſignato mandat, vt ſenrentiam ſanguinis proferat in talem maleſactorem. 78.23

An etiam maneat irregularis Princeps, vel Prælatus Eccleſiaſticus, qui dicit Iudici à ſe delegato, vt ſequenti dia manè occidat, aut mutilet malefactorem, quem ad hanc pœnam ſuſtiuendam ipſe iudex delegatus iam condemnauerat. 78.24

An poſſit Prælatus, aut Princeps, ſine oota Irregularitaris, temperare ſeutentiam prolatam à ſuo Iudice delegato, & iubere mitiorem mortis pœnam. 78.27
Vide *Rex.*

Priuilegium.

An proprius Bigamus Clericus in minoribus ſolùm conſtitutus, priuetur priuilegio, clericali Canonis, & fori. 72.44

An qui habent priuilegium audiendi Miſſam ceſſationis tempore, teneantur eam audita diebus feſtis. 268.13

An Priuilegia Regularibus conceſſa, quoad obſeruantiam interdicti, locum habeant in ceſſatiooe. 273.5

An Ecclrſia per violarionem amittat Priuilegia immunitatis. 287.50

Procurator.

An Procurator, & Aduocatus, qui doloſè aſſumptum rei patrocinium deſerunt, ſint irregulares, ſi reus ob deſertionem damnetur ad mortem. 147.90

Profeſſio.

An per Profeſſionem in Religione approbata tollatur, ſalrem quoad Ordines, etiam ſacros, irregularitas in illegitimo quocumque. 50.63

An etiam, ſtando in terminis iuris communis, per Profeſſionem in Religione tollatur irregularias illegitimitatis, etiam quantum ad effectum habendi Prælationes. 51.64

An noo ſolùm Profeſſio, ſed etiam ingreſſus Religionis, aut Nouitiatus, aboleant ex natalium defectu irregularitatem, quoad Ordines ſacros ſuſcipiendos. 51.66

Proteſtatio.

An vt non incurrat quis irregularitatem, ſufficiat ſi Proteſtationem ſolo animo faciat. 84.48

An vt Proteſtatio liberet quem ab irregularitate, debeat fieri eoram Iudice, ſimul dum formatur accuſatio. 84.49

An ſit neceſſaria Proteſtatio ad excuſandam irregularitatem, quando aceuſatio eriminis fit coram Iudice Eccleſiaſtico. 84.50

An ſaltem ſit neceſſaria Proteſtatio, ſi cauſa incipiat in iudicio Eecleſiaſtico, & finiatur in iudicio ſæculari. 84.51

An omnittens Proteſtationem in cauſa ſanguinis, ex obliuione, &. inaduertentia, fiat irregularis. 84.52

An hæc proteſtatio non ſolùm Clericis, ſed etiam laicis ſit neceſſaria ad euitandam irregularitatem. 84.53

An Proteſtatio eacuſet ab irregularitate illum quà aceuſat aliquem pro recuperatione damni ſibi illati, ſi hoc reparari alia via poſſit. 85.54

An ruſus qui præmiſſa Proteſtatione accuſat maleſactorum de iniuria iam illata, non ſibi, nec propinquis, nec domeſticis, ſed eatraneis perſonis, euitet irregularitatem. 86.58
Vide *Accuſans.*

Qnonam modo facienda ſit, cum opus eſt, Proteſtatio, de qua io ſuperioribus fuit ſermo. 88.66

Proximus.

Proximus.

An ob defenſionem honoris Proximi, liceat cuipiam occidere iniuſtum illius inuaſorem. 180.10

An non ſolùm à culpa, ſed etiam maneat ab irregularitate immunis, qui occidit aliquem pro defenſione honoris proximi. 181.11

Pudicitia.

An pro ſua Pudicitia tuenda licitum ſit cuipiam occidere iniuſtum inuaſorem. 180.12

An etiam ſit licitum cuipiam, ſicut ſuam, tueri Pudicitiam alterius, occidendo inuaſorem, quando aliter non poteſt illam tueri. 181.13

An qui occidit inuaſorem iniuſtum, ob defendendam Pudicitiam propriam, vel alienam, maneat irregularis. 181.14

Pugnare.

An etiam Clericis in minoribus Ordinibus conſtitutis ſit prohibitum in bello iuſto aggreſſiuo propria manu pugnare. 98.106

An iure naturali, aut diuino ſit prohibitum Clericis propria manu pugnare. 99.108

An dicta prohibitio non pugnandi propriis manibus, obliget ſub mortali Clericos in ſacris conſtitutos. 99.109

Pumilio.

An Pumiliones, aut Nani (Hiſpanè, *nanos*) ſint apud nos irregulares. 29.66

Puſillus.

An etiam ſint apud nos irregulares homines Puſilli corpore. 30.67

Pygmæus.

An Pygmæi ſint irregulares. 29.65

R

Ratiocinia.

AN obligatio ad Ratiocinia, hoc eſt, ad rationem reddendam alicuius adminiſtrationis à Republica acceptæ, inducat irregularitatem. 55.7

An in caſibus in quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ſunt irregulares, poſſint ad Ordines promoueri, caſu quo exhibeant fideiuſſorem, qui cauſam ratiocinij in ſe aſſumat, & promittat debita ſoluere. 60.15

An etiam maneat quis liber ab hac irregularitate contracta ob ratiocinia reddenda, ſi bonorum ceſſionem faciat, reſeruata ſibi congrua ſuſtentatione. 60.16

Rebaptizatio.

An maneat irregularis, qui ſcienter Rebaptizat. 203.1

An etiam fiat irregularis, qui ex officio miniſtrat Rebaptizanti. 203.2

An etiam hanc irregularitatem incurrant Parentes, qui ſuos filios Rebaptizandos offerunt, Compatres, & alij cooperantes rebaptizationi. 203.3

An Rebaptizatio debeat eſſe ſolemnis, & publica, vt miniſter rebaptizantis, & ipſe rebaptizans irregularitatem incurrant. 203.4

An etiam hanc irregularitatem incurrat non ſolùm Rebaptizans, & eius miniſter, ſed etiam ipſe rebaptizatus. 204.5

Vide *Baptiſmus.*

An hac irregularitate innodetur paruulus, qui ante vſum rationis Rebaptizatur. 204.6

An ſi non baptizatus Rebaptizet, maneat irregularis. 204.7

An ſi quis ignorans probabiliter, ſe eſſe baptizatum, Rebaptizaretur, incurrat irregularitatem. 204.8

An ille qui omnino ignoranter Rebaptizatur, & poſtea ratum habet ſuum ſecundum baptiſmum, irregularis ſit. 205.9

An qui metu cadente in virum conſtantem rebaptizat, vel rebaptizatur, ſit irregularis. 205.11

An qui certè ſciens aliquem eſſe ritè baptizatum, denuò ſub conditione Rebaptizat, fiat irregularis. 206.12

An etiam euadat irregularitatem, qui re ipſa intendit Rebaptizare; ſed in fraudem legis, & vt vitet irregularitatis pœnam ab ipſa impoſitam, conditionem dictam exteriùs apponit dicendo, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo.* 206.13

Regularis.

An Clerici, aut Regulares temporalem iuriſdictionem habentes, qui interſunt executioni ſententiæ mortis, ſint irregulares. 97.102

Religioſus.

An illegitimus factus Religioſus poſſit ſecundùm ius commune eſſe Vicarius Epiſcopi. 51.68

An Religioſus petens diſpenſationem ad dignitates & Ordines, debeat neceſſariò exprimere qualitatem illegitimitatis, nempe an ſit ſpurius, naturalis, ſacrilegus, aut inceſtuoſus. 57.84

An etiam Religioſis, laicis quoque, ſit prohibitum propria manu pugnare. 98.107

An etiam Religioſi laici mortaliter peccent, ſi in bello iuſto ſine licentia pugnent. 100.112

Vide *Bellum.*

An item Religioſis ſit interdictum mederi abſcindendo, vel adurendo. 111.3

An omnibus Religioſis, nondum etiam Sacris Ordinibus initiatis, ſit prohibitum mederi adurendo, &c. 111.4

An Religioſi exempti incurrant excommunicationem, non ſeruando ceſſationem generalem, quæ ab Eccleſia Matrice, vel Parochiali ſeruatur. 273.2

An ſi Religioſi Mendicantes violent ceſſationem, dictam excommunicationem incurrant. 273.3

An Religioſi violantes ceſſationem ſpecialem, etiam excommunicationem incurrant. 273.4

Res.

Quænam Res dicatur magni momenti, pro cuius defenſione licet cuipiam interficere eius raptorem. 174.5

An deinde immonis ſit ab irregularitate, non ſolùm ille (laicus, vel Eccleſiaſticus) qui occidit inuadentem, ne auferat rem magni momenti; ſed etiam ille qui occidit, vt recuperet rem, quam iam abſtulit. 174.6

Vide, *Bona.*

An liber maneat ab irregularitate, qui occidit furem, dum fugit cum Re, quam ſurripuit. 174.7

An etiam poſſit quis abſque incurſione irregularitatis, ingredi domum, vbi rem furatam in pacifica poſſeſſione fur retinet, & illum occidere, ſi reſiſtat eam tradere eidem domino. 175.9

An etiam liceat alicui occidere clam iniuſtum litigatorem, qui calumniis, & falſis teſtibus conatur in iudicio illum ſuis Rebus ſpoliare, ſi aliter ſpoliationem illam effugere non poſſit. 178.10

Reus.

An qui ſiue voce, ſiue punctione inſtigat iumentum, quo Reus interficiendus vehitur, fiat irregularis, ſi ex eo mors rei acceleretur. 96.99

An qui dicit Reo, *Aſcende ſcalam, vel admoue caput ſtipiti ad excipiendum ictum, aut laqueum indue*, fiat irregularis, ſi ob ipſius dictum reus citius occidatur, aut mutiletur. 96.100

Rex.

An Rex, aut alius Princeps ſæcularis, ſicut poteſt legitimate ſuos ſubditos quoad honores, & officia ſæcularia; ita poſſit quoad Eccleſiaſtica, vel ad beneficia, vel ad Otdines. 56.81
Vide *Princeps.*

Rixa.

Ao polluatur Eccleſia, quando in Rixa puerorum, aut aliorum, magna ſanguinis quantitas è naribus in illa effunditur. 281.19

S

Sacerdos, Sacerdotium.

AN ex diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam. 20.6
An ſaltem qui tantum ſemel in vita caduco morbo cortepti ſunt, & iam ſunt à tali paſſione omninò liberi, poſſint ad Sacerdotium promoueri. 31.78
An poſſit Pontifex diſpenſate, vt Sacerdos qui vna caret mano, Miſſam celebret. 34.89
An qui mala fide ante ætatem legitimam Sacerdotium ſuſcepit, & cum Epiſeopo in ordinatione concelebrat, incurrat irregularitatem. 57.3
An qui bona fide Sacerdotium ante legitimam ætatem ſuſcepit, & adueniente fide mala ante ætatem completam celebrat, incurrat irregularitatem. 57.4
Au etiam manſerit irregularis Sacerdos, qui ſuo conſilio fecit, vt alij ægium iacentem in via cònſpicatum erigerent, & dum ab illis ſuſtolleretur, mortuus eſt. 119.34
An Sacerdos celebrans ſine altari cooſecrato ab Epiſcopo ſit irregularis. 213.21
An ſii irtegularis Saeerdos, qui pro perſona viuenti Miſſam defunctorum dieit ea iotentione, vt illi mortem impetret. 214.23
An Sacerdos qui hominem nominatim excommunicatum, ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittit, fiat irregularis. 214.25
An Sacerdos qui ex commiſſione Papæ miniſtrat excommunicatus Sacrameotum Cooſitmationis, ſit etiam irregularis. 218.8
An Sacerdos non ligatus aliqua cenſura, fiat irregularis, ſi celebret cotam excommonicato nominatim ab Epiſeopo. 222.25
An ſaltem, ſi dictus Sacerdos non cenſuratus celebret cotam nominatim excommunicato à Papa, fiat irregularis. 222.26
An efficiatur irregularis Sacerdos celebrans cotam Epiſcopo nominatim excommunicaro, ſi in fine Miſſæ leui capitis inelinatione poſtulet ab illo facultatem benedicendi populo. 222.27
An Sacerdos qui mala fide aote legitimam ætatem Sacerdotium ſuſcepit, fiat irregularis conſecrando ſimul cum Epiſcopo ordinaote. 226.13
An in præaſſignatis duobus caſibus, non ſolùm Subdiaconus, aut Diaconus incurrat irregularitatem; ſed etiam ipſe celebrans Saeerdos. 232.23
An Sacerdos realiter degradatus validè conſecrare poſſit. 276.7
Saeerdoti ſimplici an Epiſcopus poſſit committere reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ. 289.2
An ſaltem Summus Pontifex poſſit delegare ſimplici Sacerdoti recoociliationem Eccleſiæ conſecratæ. 289.3
An vt ſimplex Sacerdos poſſit reconciliare Eccleſias benedictas violatas, requirat licentiam Epiſcopi. 290.6
Vide *Eccleſia.*

Sacramentum, Sacramentale.

An Irregularis ſii capax recipiendi omnia Sacramenta, prætet Otdinem, & quæ ab eo pendeot. 9.7
An ex iterarione Sacramentalium, vel conſecrationum, oriatur etiam irregularitas. 206.14

Sacrilegium.

An ob crimen Sacrilegij fiat quis irregularis. 142.5

Sanguis.

An ſi Sanguis, vel ſemen effundatur in porta Ecleſiæ, tunc maneat violata. 286.48
Vide *Eccleſia.*

Scabies.

An laboraotes Scabie multa ſint irregulares. 30.71

Schiſmaticus.

An Schiſmatici ſiot irregulares. 238.22

Scientia.

An defectus Scientiæ faciat hominem irregularem, itavt nec Ordinari, oec in ſuſcepto Ordine miniſtrare poſſit. 16.1
An hæc irregularitas otta ex defectu Scientiæ, tollatur per ſcientiam aduenientem, aut per diſpenſationem. 16.2
An irregularitas proueniens ex defectu ſcientiæ, ſit diſpenſabilis à Papa; quod idem eſt, ac inquirere, an Papa poſſit diſpenſare, vt illiteratus Ordinetur. 16.3
An hæc illegitimitatis irregularitas tollatur etiam per motum probitatem, Scientiam, & alias dotes illegitimi. 56.79
Vide *Ignorantia.*

Semen.

An per-quamcunque illieitam Seminis humani effuſionem factam intra Eccleſiam, hæc polluatur, & violetur. 283.29

Sententia.

An vt irregularitas incurratur, expectari debeat Sententia declaratoria Iudicis. 8.10

Sepultura.

An ſaltem fiant irregulares Clerici, qoi in loco generaliter ioterdicto ſepeliuor defunctos, cum Officio diuino, & Miſſa. 230.14
Vide *Interdictum.*
An non ſolum laici, verum etiam Clerici priuentur tempore ceſſationis Eccleſiaſtica Sepultura. 272.31
Ao tempore ceſſationis poſſint Sepeliri Clerici, non ſolùm io cœmeterio, ſed etiam in ipſa Eccleſia. 272.33
An tempore ceſſationis poſſint Sepeliri fidelium corpora, cum recitatione officiorum diuinorum, & alus ſolemnitatibus Eccleſiaſticis. 272.29
An tempore ceſſationis licitum ſit Sepelire cadauera fidelium omnium in loco Sacro, abſque vllo diuino officio, aut ſolemnitate ſolita. 272.30
An omnes Clerici, etiam primæ tonſuræ, Sepeliri poſſint in loco ſacro, modo dicto, tempore ceſſationis à diuinis. 172.32
An Ecelesia violetur ex eo, quod in ea Sepeliatur aliquis hæreticus, vel excommunicatus non toleratus. 284.33
An polluatur Eccleſia per Sepulturam in ea Pagani, aut iofidelis cuiuſlibet. 285.36
Vide *Eccleſia.*

Seruus.

An Seruus quocunquè modo à ſeruitute liber, deſinat eſſe irregularis, & poſſit, ſi aliud non obſtet Canonicum impedimeotum, licitè Ordinari. 58.2
Ao Si Seruus, ſciente, & non contradicente Domino, Ordinetur in Cleticum, maneat liber, & non irregularis conſequenter. 58.3

An

Google

An ſi Seruus, ignorante Domino, aut contradicente, minoribus initiatur Ordinibus, maneat etiam eo ipſo liber, & non irregularis. 58.4

An Seruus ſaltem maneat à ſeruitute liber, ſi etiam Domino ignorante, aut contradicente, maioribus initietur Ordinibus. 58.5

Simoniacus.

An Simoniacus ſit irregularis, irregularitate ex ſe crimini ſimoniæ annexa. 241.4

Sodomita.

An Clericus publicè Sodomita, ſit irregularis ex commiſſione præciſè talis criminis. 241.2

Spurius.

An in impetranda legitimatione ſpurij, neceſſarium ſit mentionem facere qualitatis ſpurietatis, & adulterij vtriuſque parentis. 50.61

Sterilitas.

An qui dat fœminæ venenum Sterilitatis, ne concipiat, aut viro, ne poſſit generare, incurrat irregularitatem. 156.18

Strabo.

An ſit irregularis, qui luſcus eſt, vel Strabo, id eſt, qui habet oculos diſtortos, aut diſpares. 21.14

Subiectum.

An ſubiectum, in quod cadat irregularitas, debeat neceſſariò eſſe vir. 6.2

An vir non baptizatus ſit ſubiectum capax irregularitatis. 6.3

Superior.

An Superiores Regulares poſſint reconciliare eorum Eccleſias conſecratas. 289.4

Vide *Prælatus*.

Surdus.

An omnino Surdus ſit irregularis. 22.15

An etiam ſit irregularis Surdaſter, hoc eſt qui difficulter audit, aut vna aure tantùm ſurdus eſt. 22.16

An ſi poſt Sacerdotium obtentum Surdus quis fiat, poſſit exercere munia Sacerdotis. 22.17

Suſpenſio, Suſpenſus.

An Clericus Suſpenſus ab Ordine, vel officio, irregularitatem incurrat, exercens Ordinem ſuſpenſum. 225.1

An non ſolùm incurrat irregularitatem exercens actum Ordinis ille qui eſt Suſpenſus ab homine, verùm etiam ille, qui eſt ſuſpenſus à Iure. 225.2

An qui nominatim non eſt denunciatus Suſpenſus, fiat irregularis violando ſuſpenſionis cenſuram. 224.3

An omnis violatio cenſuræ Suſpenſionis hanc irregularitatis pœnam afferat. 224.4

An quando Suſpenſio fertur his verbis: *Qui hoc fecerit, ſuſpenſus ſit ab officio donec ſatisfaciat, vel pœniteat*: fiat irregularis qui poſt commiſſum crimen, ante pœnitentiam exercet actum Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus. 224.5

An irregularitatem contrahat Clericus, qui Suſpenſionem, quam à celebrando, ei Confeſſarius, in foro pœnitentiæ inflixit, non ſeruat, ſed violat. 224.6

An violans Suſpenſionem, ſeu potius irregularitatem, ex defectu corporis, aut animæ manantem, nouam irregularitatem incurrat. 225.8

An Suſpenſus ab officio in temporalibus, contrahat, ſi in eis adminiſtret, irregularitatem. 225.9

An ad minus fiat irregularis, qui Suſpenſus ab officio in temporalibus, in eis adminiſtrat, in contemptum Clauium. 225.11

An ſaltem Suſpenſi, aut excommunicati maiores, vel interdicti, maneant irregulares exercendo actus iuriſdictionis in ſpiritualibus. 226.12

An ſaltem Subdiaconus, & Diaconus Suſpenſi ob Ordinationem ante ætatem, fiant irregulares cantando Epiſtolam, & Euangelium in prædicta Miſſa. 226.14

An Suſpenſus ſimpliciter ab Ordine, fiat irregularis per exercitium tam maioris, quàm minoris Ordinis. 226.15

An etiam immunis ſit ab irregularitate, qui Suſpenſus ab Ordine aliquo inferiori, exercet actum Ordinis ſuperioris, à quo ſpecificè non eſt ſuſpenſus. 227.17

An Suſpenſus manens in ſuſpenſione per annum, etiamſi ſuſpenſioni per exercitium Ordinum non contraueniat, incurrat irregularitatem. 227.18

An qui non eſt Suſpenſus ab Ordine, ſed tantùm ab eius exercitio, fiat irregularis per exercitium Ordinis per ſuſpenſionem prohibitum. 227.19

Suſpendere, ſiue ingulare.

An polluatur Eccleſia ex eo quòd Iudex Suſpendat in ea aliquem. 279.9

An item maneat Eccleſia polluta, ſi Iudex Suſpendat hominem ſuper tectum Eccleſiæ, aut ſubter eam in ſpecu, aut in pariete exteriori eiuſdem. 280.10

T

Tacens.

AN irregularis fiat ille, qui præſens fuit tractatui habito ſuper occidendo eius inimicum ab eius conſanguineis, vel ſeruis, & tamen tacuit. 150.98

Tabellio.

An Notarius, ſeu Tabellio publicus, qui ſententiam ſanguinis ſcribit, vel dictat, ſit irregularis, morte aut mutilatione ſequuta. 93.84

An publicus Notarius, ſeu Tabellio, teſtium depoſitiones in cauſa ſanguinis recipiens, fiat irregulares ſecuta morte, ſeu mutilatione. 92.83

An etiam fiat irregularis Tabellio publicus qui ſententiam ſanguinis ſcriptam à famulo ſignat, & ſuo ſigillo authenticam reddit. 93.85

Tabernarius.

An Macellarij, Tabernarij, & huiuſmodi ſint ex infamia officij irregulares. 143.11

Tectum.

An ſit irregularis ille qui Tecta reficiens, proiicit tegulam, qua occiditur viator. 190.19

Teſticuli.

An qui caret, abſque culpa, Teſticulis, ſit irregularis. 18.55

An qui alteri amputat vtroſque Teſticulos, abſque membro virili, perſiſtat irregularis. 201.16

An etiam eſſet irregularis, qui amputaret vnum Teſticulum abſque genitali membro. 201.17

Vide *Caſtrare, Virilia*.

Teſtis.

An Teſtis, qui in cauſa ſanguinis teſtimonium profert, compulſus ex obligatione orta ex præcepto naturali, maneat irregularis, morte, vel mutilatione ſequuta. 89.68

An etiam maneat liber ab irregularitate, ſi quis Teſtificetur propter præceptum Iudicis, vel propter grauem metum, morte ſubſequuta Rei. 89.69

An Teſtes, & Aduocati euadant irregularitatem, ſi præmittant proteſtationem, ſicut accuſator euadit quando hoc facit petendo ſatisfactionem pro iniuria ſibi, ſuiſve parentibus, &c. illata. 89.70

An quando in cauſa ſanguinis plures quàm requiruntur, ſunt Teſtes, omnes maneant irregulares. 90.71

An non ſolùm Teſtes, qui ad delictum probandum ſunt inducti, ſed etiam illi, qoi in pronuncianda ſententia mortis adferuntur, ſint irregulares. 91.72

An Teſtes ad torturam togati irregulares ſint. 91.73

An maneat irregularis ille, qui interrogatus iuridicè à Iudiee, an reus ſit ſolitus ferre arma, vel noctu vagari, de iis ita eſſe teſtetur. 91.75

An Teſtis voluntariè teſtificans in cauſa ſanguinis, maneat irregularis, ſi ex eius teſtimonio mors, vel mutilatio ſequatur teſtificato. 88.67

An Teſtis qui non depoſuit de delicto, quia ignoranit, ſed interrogatus de fama, de illa teſtatus eſt, incurrerit irregularitatem, morte, vel mutilatione rei ſequuta. 91.74

An item licitè, & ſine incurſione irregularitatis poſſit quis occidere falſum Teſtem euntem ad teſtificandum in iudicio aliquod crimen, propter quod ille occidendus ſit, vel infamandus, vel omnibus ſuis bonis priuandus. 165.28

An etiam poſſit quis licitè accuſatorem, vel Teſtem occidere, qui bona fide de crimine morte digno illum accuſat, aut falsò teſtificatur. 165.29

Timiditas.

An irregularitatem contrahat, qui acceptans duellum, aut ſingulare certamen, cauſa excutiendi notam Timiditatis, aut puſillanimitatis, aut ne ignauus exiſtimetur, indicentem duellum occidit. 182.4

Tonſura.

An irregularitas priuet etiam receptione licita primæ Tonſuræ. 8.3

An qui vno die recipit primam tonſuram, & quatuor minores Ordines, incurrat irregularitatem. 210.6

An Irregularitas etiam reddat inualidam ſuſceptionem primæ Tonſuræ. 9.4

Tormentum.

An Iudex qui dictat ſententiam vt reus per Tormenta debilitetur, fiat irregularis. 75.9

Tortor.

An Tortores, qui ſtruem lignorum congerunt, aut incendunt ad comburendos hæreticos viuos, ſint irregulares. 97.96

Triremis.

An maneat irregularis Iudex damnans ad Triremes reum, qui ex labore remigibus conſueto breuì obiit. 77.18

Tuſſis.

An etiam ſint irregulares, qui laborant Tuſſi, aut qui cibum, & potum non poſſunt in ſtomacho retinere. 31.76

Tutela.

An etiam ſint immunes ab irregularitate Filij, ſubditi, ſerui, & vaſſali occidentes Parentes, Superiores, Dominos, & Principes, cum moderamine inculpatæ Tutelæ, quando iniuſtè inuaduntur ab his. 158.5

Vide *Occidere.*

An ſit irregularis, qui cum moderamine inculpatæ Tutelæ, ad ſui defenſionem occidit inuaſorem, ſi id etiam exequatur ex odio. 160.13

An incurrat irregularitatem, qui ob defenſionem proprij honoris, inuaſorem illius cum moderamine inculpatæ Tutelæ occidit. 176.1

V

Venatio.

AN Clericus, vel Monachus, qui dans operam venationi non periculoſæ, vt eſt Venatio perdicum, cuniculorum, &c. & in ea adhibita diligentia ſufficienti, fortuitò, & omnino caſu occidit aliquem, maneat irregularis. 188.10

An ſaltem maneat irregularis Clericus, vel Monachus, qui incumbens Venationi periculoſæ, vt eſt venatio aprorum, aut vrſorum, caſu occidit hominem. 188.11

Vendens.

An qui conficiunt, aut Vendunt funes, gladios, vel alia inſtrumenta ad interficiendos malefactores in communi, ſint irregulares. 95.94

Venenum.

An qui porrigit Venenum ei, qui ſibi illud parauit, maneat irregularis, morte iſtius ſequuta. 162.21

Verbum.

An ad inducendam irregularitatem requirantur aliqua Verba. 7.8

An Verba, quibus in iure inducitur Irregularitas, debeant eſſe clarè, & expreſsè ſignificantia priuationem ipſo facto, ſuſcipiendi Ordines, & adminiſtrandi in ſuſceptis. 7.9

Veritas.

An fiant irregulares, qui ſuſcipiunt duellum ad Veritatis indaginem, ſi in tali duello committant homicidium. 182.3

Vexatio.

An qui eſt omnino iam liber à Vexatione Dæmonis, poſſit abſque diſpenſatione ad Ordines minores promoueri. 19.15

Vicarius.

An illegitimus factus Religioſus, poſſit ſecundùm ius commune eſſe Vicarius Epiſcopi. 52.68

An item repugnet iuri communi, quod profeſſus illegitimus Officium Vicariatus aut Subprioratus alicuius Conuentus habeat. 53.71

An ſaltem non repugnet iuri, quod illegitimus profeſſus ſit Vicarius, ſeu Confeſſor Monialium. 53.72

An Vicarius Epiſcopi fiat irregularis, ſi ſuſpenſus à temporalibus contraueniat. 215.10

Vidua.

An qui contrahit verum matrimonium cum Vidua à priori viro cognita, & conſummat illud, verè contrahat Bigamiam interpretatiuam, & irregularitatem defectu Sacramenti. 63.12

Vindicare.

An qui indicit, vel admittit duellum ad Vindicandam iniuriam ſibi factam, & in eo committit homicidium, maneat irregularis. 182.4

Vinea.

An fiat irregularis, qui inducit alium, vt intret alienam Vineam cauſa furti, ſi ingrediens occidatur à cane, vel cuſtode vineæ. 190.16

Violatio.

An Eccleſiæ Violatio imponatur ſolùm à Iure, an etiam ab homine. 278.1

An effuſio ſanguinis animalium inducat Violationem Eccleſiæ. 282.19

Vide *Eccleſia.*

An Violatio habeat locum in omni Eccleſia conſecrata, aut benedicta. 286.43

An in feſtis in quibus iure ſuſpenditur interdictum loci, liceat in loco publicè Violato celebrare. 288.6

Virilia.

An qui abſque iuſta cauſa ſibi Virilia amputauit, vel permiſit amputari, ſit irregularis. 28.56

Vide *Caſtrare, Teſticuli.*

An qui zelo caſtitatis per ſe, vel per alios Virilia amputarunt, aut caſtrarunt, ſint irregulares. 28.58

An etiam ſit irregularis ille, cui maritus mulieris, cum qua fuit deprehenſus, Virilia abſcidit. 28.59

An qui præſciudit alteri membrum Virile, fiat irregularis. 200.25

Viſus.

An etiam ſit irregularis, qui detrahit alteri Viſum, licèt non eripiat oculum. 159.10

Vita.

An violetur Eccleſia per homicidium in ea factum in defenſionem propriæ Vitæ. 279.3

Vngula.

An maneat irregularis ille, cui deeſt Vngula pollicis, aut Indicis. 27.47.

Voluptas.

An maneat irregularis, qui ob Voluptatem ſpectantibus procreandam duellum ſuſcipit, & in eo homicidium admittit. 182.2

Vomitus.

An abſtemius (id eſt, qui guſtare vinum nequit abſque periculo Vomitus) ſit irregularis. 25.36

Votum.

An etiam contrahat dictam irregularitatem ille, qui poſt emiſſum Votum ſimplex caſtitatis contrahit, & conſummat matrimonium. 67.25

Vox.

An qui ob Vocis conſeruationem ſe per ſe, aut per alios caſtrauerunt, ſint irregulares. 26.57

Vulnus.

An incurrat irregularitatem ille, qui dum tentauit occidere aliquem, Vulnera de ſe lethalia infligit; tamen diligenti, aut miraculoſa curatione mors non eſt illi ſecuta. 4.12

An quando plures de communi conſenſu vnum aliquem aggreſſi ſunt, & aggreſſus vnico Vulnere periit, omnes maneant irregulares. 137.60

An etiam omnes maneant irregulares, quando plures, non præmiſſo conſilio, aut conſenſu, ſed in rixa ſubitò contingenti, omnes inuolarunt in vnum, & vulnerarunt Petrum, & ſolùm vnum Vulnus fuit lethale, neſcitur tamen à quo fuerit inflictum. 138.61

An etiam in dicto caſu ſint omnes irregulares, dato quod conſtet, quis illud Vulnus lethale, ex quo percuſſus eſt mortuus, intulerit. 138.62

An quando plures Vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe lethalia, ſed tamen ſimul ſumpta ſunt cauſa ſufficiens mortis, omnes, & ſinguli incurrant irregularitatem. 139.65

An omnes cenſendi ſint irregulares caſu, quo poſterius lethaliter Vulnerantea occurrunt inuitati à primo, qui tantùm leuiter vulnerauit. 141.70

An qui Vulnerauit lethaliter aliquem, quem domus corruens interemit, maneat irregularis. 142.72

An maneat irregularis ille, qui leui Vulnere aliquem percuſſit, & percuſſus incidens in ſaxa, vel flumen, mortuus eſt. 142.73

An qui ſagittam, aut gladium de Vulnere alicuius extrahit, fiat irregularis, ſi ob id vulneratus citiùs pereat. 142.74

An cenſeri debeat irregularis ille, qui dubitat, an ex Vulnere graui, vel leui, à ſe illato vulneratus obierit. 142.75

An caſu, quo vulnus illatum alicui leue fuit, iniuria tamen Medicorum, aut propria intemperantia, aut alia quapiam accedente cauſa vulneratus obiit, habendus ſit irregularis, qui ipſum ita leuiter vulnerauit. 143.76

An ſaltem maneat irregularis, ſi Vulnus quod intulit fuit graue, aut lethale, etiamſi percuſſus ex malo regimine, aut ex imperitia, aut negligentia Medici, aut Chirurgi moriatur. 143.77

An qui leuiter Vulnerauit, fiat irregularis, ſi ex eo vulnere percuſſus pereat, eo quòd non potuit inueniri Chirurgus, aut medicamen ad manum. 144.78

An item fiat irregularis, qui percuſſit leuiter, ſi mors non ſequatur præcisè ratione Vulneris, eo quòd non fuerit mortale, ſed ratione febris, aut alterius infirmitatis inde prouenientis. 144.79

An ſi vulneratus ex Vulnere non lethali ſemel conualuit, & poſtea in morbum recidit, & tandem obiit, immunis maneat vulnerans ab irregularitate, & aliis obligationibus homicidij. 144.80

An ſi vulneratus ſurgat è lecto, triduo iam tranſacto poſt acceptum Vulnus, præſumatur ex vulnere deceſſiſſe, ſi poſtea decedat. 144.81

Z

Zelus.

AN qui Zelo caſtitatis per ſe, vel per alios virilia amputarunt, aut caſtrarunt, ſint irregulares. 28.58

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXPOSITIO
REGVLÆ
PRIMITIVÆ
FRATRVM DISCALCEATORVM,

Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, ex vtroque Iure deprompta.

AUTHORE
R. P. F. LEANDRO
DE S^{MO} SACRAMENTO,

Eiuſdem Ordinis olim in Complutenſi, & aliis Hiſpaniæ Academiis Theologiæ Profeſſore; poſtmodùm dicti Ordinis Prouinciali, & Diffinitore Generali; nunc verò totius ſuæ Religionis Miniſtro Generali.

Digitized by Google

Digitized by Google

LICENTIA ORDINIS.

FRATER Iſidorus de Sancto Joanne, Major, ac Generalis Miniſter Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. Dilecto noſtro Patri Leandro de Sanctiſſimo Sacramento, eiuſdem Ordinis Diffinitori Generali, ſalutem in Domino. Cum in ſpecula cœleſtis noſtri Ordinis conſtituti, maxima ſit noſtri muneris ſolicitudo, & cura, vt ea, quæ magis ad exactam Regularem Oſervantiam promovent, in communem Religioſorum vtilitatem evulgentur. Idcirco Nos, conſilio, & aſſenſu habito à RR. PP. Diffinitoribus Generalibus: tibi prodendi in lucem expoſitionem noſtræ Regulæ Primitivæ, quam ſcio vtiliſſimam ad prædictum finem fore, & à Doctiſſimis viris approbatam, & laudatam eſſe, licentiam concedimus, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. In quorum fidem has literas noſtra propria manu, & officii noſtri ſigillo majori munivimus, datas in noſtro Sanctiſſimæ Trinitatis Conventu Granatenſi. Idibus Septembris, anno Domini 1635.

Fr. Isidorvs de Sancto Joanne,
Miniſter Generalis.

De Ordine noſtri Diffinitorij Generalis,

Fr. Ildephonsvs de Sanctiſſima Trinitate,
Secretarius.

INDEX

INDEX CAPITULORUM,

Quæ in hac Regula continentur.

Cap. I. DE tribus votis, & Prælati nomine. pag. 1
II. De diuiſione bonorum, & Redemptione aptiuorum. 3
III. De Titulo Monaſteriorum. 8
IV. De numero Fratrum in qualibet domo reſidentium. 9
V. De cura Miniſtri erga ſuos Fratres. 10
VI. De veſtimentis Fratrum. ibid.
VII. De lectis Fratrum. 11
VIII. De ſignis in veſtimentis Fratrum apponendis. 12
IX. De Raſura Fratrum. ibid.
X. De equitaturis. 13
XI. De Horis Canonicis. ibid.
XII. De Miſſa, & abſolutione Defunctorum. 14
XIII. De Oratione Mentali. ibid.
XIV. De Oratione Vocali. 15
XV. De ieiunio. 16
XVI. De Abſtinentia à carnibus. 18
XVII. De emptione rerum ad victum. 19
XVIII. De ſobrietate in potu. ibid.
XIX. De abſtinentia extra proprias domos. 20
XX. De non habitando in tabernis. 21
XXI. De charitate inter Fratres, Clericos, & Laicos. 22
XXII. De fratribus infirmis. 23
XXIII. De hoſpitibus recipiendis. 24
XXIV. De officio Fratrum. 25
XXV. De ſilentio. 26
XXVI. De iuramentis non faciendis. 29
XXVII. De Pignore, & Depoſito non accipiendo. 30
XXVIII. De venditione rerum. ibid.
XXIX. De Capitulo Conuentuali. ibid.
XXX. De exhortatione facienda. 31
XXXI. De culpis Fratrum arguendis. 32
XXXII. De accuſationibus publicis Fratrum. ibid.
XXXIII. De ſcandalo vitando. 33
XXXIV. De correctione fraterna. 34
XXXV. De debitis contrahendis. 37
XXXVI. De cauſis ad Judicem deferendis. 38
XXXVII. De Regula obſervanda, etiam à Prælatis. ibid.
XXXVIII. De confeſſione Fratrum. 39
XXXIX. De Capitulo Generali ibid.
XL. De electione Miniſtri Generalis. ibid.
XLI. De electione Diffinitorum Generalium, &c. 42
XLII. De depoſirione Diffinitorum Generalium, & Miniſtrorum. 43
XLIII. De depoſitione Miniſtri Generalis. 45
XLIV. De receptione Nouitiorum. 46
XLV. De profeſſione Fratrum. 47

Digitized by Google

EXPOSITIO REGVLÆ PRIMITIVÆ FRATRUM DISCALCEATORUM

Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Capvt Primvm.

De tribus votis, & Prælati nomine.

REGULÆ TEXTUS.

[a] In nomine [b] Sanctæ, & [c] individuæ [d] Trinitatis, [e] Fratres [f] Diſcalceati [g] Ordinis [h] Sanctiſſimæ Trinitatis, [i] Redemptionis Captivorum, [l] ſub obedientia [m] Prælati [n] domus ſuæ, [o] qui [p] Miniſter vocabitur, [q] in caſtitate, & [r] ſine [ſ] proprio vivant.

EXPOSITIO CAPITIS.

a IN *nomine.* Incipit legiſlator à Deo, inuocando eius nomen diuinum; tum quia per eius inuocationem Deus maximè veneratur, vt dicitur in principio; tum etiam, quia in initio omnium noſtrarum actionum ipſum inuocare debemus, & ponere in principio cuiuſlibet inſtrumenti, vt habetur in cap. *in nomine Domini, i: extr. de teſtibus, cap. in nomine Domini, diſt. 23. cap. liget, 26. quæſt. 5. l. in nomine Domini, C. de offi io Prætoris, & in Authent. de quæſtoribus, col. 6. & in authent. de armis, col. etiam 6. de pace Conſtantiæ, l. in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & in principio ff.* & meritò quidem, quia ex hoc ſequitur bonum principium, melius medium, & finis Deo acceptabilis, vt dicitur *in authent. quomodo oporteat Epiſc.* vnde Chryſoſt. explicans illud Paul. 1. Cor. 10. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia facite in nomine Domini Ieſu Chriſti*, ſic ait hom. 9. *Nam ſi ſic facimus, nihil erit ſceleſtum, nihil immundum, omnia fauſta, omnia fœlicia, omnia rectè ſuccedent, & ideo nos in epiſtolis nomen Dei præponimus.*

b *Sanctæ.* Sic Deum vnum in Trinitate, Cherubim, & Seraphin inceſſabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Iſai. 6.* quia ipſe eſt ſubſtantialiter, & per eſſentiam Sanctus, & ab ipſo procedit omnis ſanctitas; de ipſo enim dicitur, non eſt Sanctus, vt eſt Dominus, 1. *Reg. 2. & Pſalm. 29.* habeſque hunc loquendi modum in cap. *firmiter, de Sum. Trinit. & Fide Cathol. §. hæc Sancta Trinitas.*

c *Et indiuiduæ.* Indiuidua ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm perſonales proprietates diſcreta, cap *firmiter, cit.*

d *Trinitatis*, quia tres ſunt perſonæ diuinæ, nempe Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vt habetur *in cap. firmiter, cit.* Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt, vt dicitur *in epiſt. 1. Ioan. cap. 5.*

e *Fratres.* Omnes namque Monachi dicuntur fratres, vt ſatis innuit Chryſoſt. relatus *in cap. ad menſam, 11. quæst. 3.* qui explicans illud Paul. ad Hebr. 11. *Si quis fratres, nominatur inter vos*, ſic ait. *Fratrem in hoc loco, omnem fidelem ſimpliciter intellige, non Monachum tantum*, vt habes etiam *in Clement. 1. de exceſſibus Prælatorum*, & in cap. *relatum, 5. quæſt. 2.* & in cap. *porrectum, de regul.* ibi: *Tibi ſe reddidit in Monachum, & Fratrem*, cap. *vos autem, 16. quæſt. 3.* cap. *priuilegium, de verborum ſignifi. at. in 6.* Sic etiam eos in ſpiritu vocat Dauid *Pſalm. 132.* dicendo: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.*

f *Diſcalceati*, loquitur Pontifex cum fratribus tantùm Diſcalceatis.

g *Ordinis*, id eſt Religionis, religio enim ordo appellatur, habes hoc *in cap. literarum, qui Clerici, vel vouentes, &c. in c. quorundam, de electione & electi poteſtate, §. volentes, in 6.*

h *Sanctiſſimæ Trinitatis*, dic vt ſuprà *lit. b, & d.*

i *Redemptionis Captiuorum*, bene quidem Pontifex apponit hunc titulum, quia primariò, & principaliter ad redimendos Chriſtianos captiuos eſt noſtra cœleſtis inſtituta religio, vt paſſim affirmant Pontifices in ſuis Bullis, & ideo à prædicto ſine tale pronomen cum honore ſuſcipit.

l *Sub obedientia*, aptè in initio Regulæ iecit pro fundamento Pontifex tria vota, obedientiæ videlicet, caſtitatis, & paupertatis: quia verè ſunt baſes, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, vt dicit Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap. 1.* & cap. *cum.*

Digitized by Google

Paulus 11.*quæſt.* 1.vtpote eſſentialia ſtatui religioſo,vt dicitur *in cap.cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* verſ. *Nec æſtimet*,in cap.*ex parte, de regul.*in cap.*cum in Eccleſiis, de maiorit. & obedientia, &* gloſſ.1. *obedientiam,in Clement.exiuit,de verborum ſignificatione, gloſſa obedientiam, in extr. quorundam, & in extrau. antiquæ*, & etiam partes (vt inquit Bonau.) Euangelicæ doctrinæ,quia ſunt conſilia Euangelica,de quibus dicit Saluator,Matth.19. *Qui poteſt capere capiat.*

De his enim Ang. Doctor *opuſc.*19. *contra impug. religionum,cap.*1.ſic ait: *Per tria vota homo Deo ſacrificium offert de omnibus bonis. Per votum caſtitatis, corpus proprium,de quo ad Rom.*12. *dicit Apoſt. exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem. Per votum paupertatis, oblationem facit Deo de exterioribus bonis,* de quo ad Rom. 15. *Obſequij mei oblatio accepta fiat in Hieroſolymis ſanctis. Per votum autem obedientiæ, ſacrificium Deo ſpiritus offert* : de quo in Pſalm. 50.*Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Imò non ſolum ſacrificium, ſed holocauſtum per hæc tria Deo offertur.* Vnde Gregor. homil. 8. *Cum quis* (inquit) *ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, ſacrificium eſt,cũ verò omne quod habet,omne quod viuit,omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt.*

l *Sub obedientia.* Obedientiæ votum nihil aliud eſt, quam à minori maiori manualis, vel iuratoria canonicè facta ſubiectio ; ſic communiter Doctores.

De hac excellentiſſima obedientiæ virtute ſic pulchrè D.Hier.c.6.Reg.Monach. *In obedientia ſumma virtutum clauſa eſt ; nam ſimplici greſſu hominem ducit ad Chriſtum, & non ſolum mens excuſatur ad reddendam Deo rationem de ſubditis, ſed neque etiam obligatur reddere de ſeipſa, O ſumma libertas, qua obtenta, vix homo poſſit peccare.* Et D.Greg.lib.34.Moral.c.12. ſic de ipſa virtute ait : *Sola namque virtus eſt obedientia,quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertáſque cuſtodit.* Concordat D.Aug.*lib.*14.*de ciuitat.Dei, c.*12. qui loquens de præcepto primo parenti impoſito, ſic ait: *Obedientia commendata eſt in præcepto,quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo eſt, & cuſtos omnium virtutum.*

l *Obedientia.* Hæc autem in tribus conſiſtit.Primò, in reuerentia exhibenda. Secundò, in mandato ſuſcipiendo. Tertiò, in iudicio ſubeundo : ſic gloſſ. *obedientiam, diſt.*93.

Reuerentia verò in his. Primò,quod minor aſſurgat maiori, nec ſedeat ſtante illo, *diſt.* 93. in cap. *non oportet*,& in cap.*præcipimus*, ibi : *Præcipimus, ne Diaconus ante Presbyterum ſedeat* : in cap.*ſtatuimus, de mai. & obedient.* Secundò, quod nec ſedeat in æquali ſede,*l.obſeruand.ff.de officio Præſid.* Tertiò, vt ſalutet cum reuerentia, vel inclinando ſe, aut pileum, ſeu caputium remouendo,*l.*2.*C.de offic.diuerſ.iud.* Quartò,vt maior præcedat in ſedendo, quia ſecundum dignitatem cuiuſcumque quilibet honorandus eſt in ſede,vt habes in c.*cum olim,de conſuetud.* & ibi gloſſ.*in ſeſſionibus*,gloſſ. *primum locum*,in cap. *ſtatimus,cit.*& etiam in ſubſcribendo,vt dicitur *diſt.*17.§.*fin.*ibi: *Hoc quoque notandum eſt, quod in hoc Concilio, & in alia Synodo Symmachi Papæ, ante Rauennatem Epiſcopus Mediolanenſis ſubſcripſiſſe, & reſpondiſſe legitur, ex quo & Sedis prærogatiuam ante eum habere colligitur.* Et *diſtinct.*96.cap.*bene quidem, & ff. de albo ſubſcribendo.* Item in ſententiis ferendis,& in aliis ſuffragiis,vt gloſ.*in ſeſſionibus,cit.ff.de cur.ſpurij.* Deinde in incedendo, quamuis in Curia Romana præcedant dominos domicilli (licèt tempore æſtiuo cauſa vitandi puluerem velint præcedere Cardinales;) & denique in conſuetis, & honeſtis ſeruitiis faciendis, itavt primò percipiant, qui in maiori ordine ſunt conſtituti, vt dicitur in cap. *ſtatuimus, de maior. & obedientia*, & ibi notat gloſſa potiorem.

In aliis duobus, nempe in iudicio, & præcepto tangitur maioritas diſpenſationis ; nam hæc debetur ei qui præeſt ratione iuriſdictionis, aliàs ſententia à ſuo iudice lata nullius eſſet momenti, vt habetur in cap. *at ſi Clerici, de iudiciis*, & cap. *at ſi non a competenti iudice.*

Accipite quæſo pulchra Ang. Doctoris verba,omnia prædicta continẽtia. *Reuerentia* (inquit S. Doctor) *eſt honor, quem aliquis exhibet alteri gratiâ dignitatis, ad oſtendendum quod ipſe ſubiectus ſit ei, & paratus voluntatem eius ſequi,vt eſt aſſurgere venienti,aſſiſtere ſedenti,inclinari tranſeunti,incedentem ſequi exhibetur autem honor, Primò propter ſuperioritatem, iuxta illud Rom.*13. *Cui honorem, honorem : &* 1.*Timoth.* 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur : nam qui præſunt, ſunt in loco Dei, vnde honor eis exhibendus eſt, vnde & dij vocantur. Exod.*23.*Secundò propter prioritatem temporis,vt Leuitic.* 19. *Coram cano capite conſurge, & honora præſentiã ſenis. Tertiò propter dignitatem naturæ. Exod.*20. *Honora Patrem tuum,& Matrem tuam. Et Malach.*1. *Si ego Pater, vbi honor meus? Quartò honor exhibendus eſt omnibus propter excellentiam in aliqua gratia; debemus enim credere, quod omnes excedunt in aliqua gratia.* 1.*Petri* 1.*Omnes honorate. Rom.*2.*Honore inuicem præuenientes. Philip.* 2. *In humilitate ſuperiores ſe inuicem arbitrantes. Vnde Auguſtinus : Non ita* (inquit) *debemus arbitrari, vt nos æſtimare fingamus, ſed verè æſtimemus aliquid poſſe eſſe occultum in aliquo, quo nobis ſuperior ſit, etiamſi bonum noſtrum, quo illi videmur ſuperiores eſſe,non ſit occultum.* Hæc vſque Sanctus Doctor *opuſc.*19.*cit.*

D. Bonauent. *in expoſitione regulæ Seraphici ſui patris,cap.*1. ſic reuerentiam definit : *Reuerentia eſt exhibitio honoris procedens ex timore filiali, & humili affectu.* Eccleſ.32. *Audi tacens,& pro reuerentia accedet tibi bona gratia.*

m *Prælati.* Ita vocatur, quia aliis præeſt : ſic exponitur 2. *quæſt.*1.§.*his ita reſpondetur*: qui vtique ſicut verè gerit vicem Dei, vt dicitur in cap. *ſtatuimus*,19. *quæſt.* 3. ſic quamplura ſunt eius officia. Inter alia autem officium Præconis, vt dicitur in cap. *ſit rector, diſtinct.*43. officium ducis, vt dicitur in cap. *ſciſcitaris* 7.*quæſt.*1.*& in diſt.* 28. cap. *quæ ipſi.* Officium Magiſtri : nam regimen animarum eſt ars artium,vt dicitur in cap.*cum ſit ars,de ætate & qualitate*,&c. eo quòd (vt ibidem ait gloſſa) animæ precioſiores ſunt omnibus aliis rebus, & corporibus. Vel *quia* (vt melius D. Greg.) *hominem regere eſt ars artium, & diſciplina diſciplinarum, quia ipſe certè eſt inter omnes animantes maximè & moribus varius, & voluntate diuerſus.*

Habet denique officium Paſtoris, vt dicitur in cap. *ne pro defectu, de elect.& electi poteſtate*, ex quo triplicem panem ſubditis tenetur adminiſtrare, Sacramentalem videlicet, corporalem, & ſpiritualem, hoc eſt,Euchariſtiæ SS.Sacramentum, vt dicitur *de conſecrat.diſt.*1.cap.*non prohibeat.* Subſidium temporale, vt dicitur 16.*quæſt.*1. cap. *nulli Epiſcoporum*, & verbum inſtructionis, & conuerſationis exemplum, vt dicitur 43 *diſt.*cap. *Epheſiis, &* 18.*quæſt.* 1. cap. *audacter*,in fine,& 11.*quæſt.*3.cap.*præcipuè*,& cap.*ſignificaſti,de elect.& elect.pot.& diſt.*39.*in text.& cap.*1.

n *Domus ſua*, id eſt, ſuæ habitationis. Vbi nota, quod hoc relatiuum,ſuus,ſua, &c. hîc non importat dominium, ſed vſum, quod multoties contingit, vt *in inſtitut.de iniuriis*,§.*Sed & lex Cornelia*, & aduertit gloſſ.marg. verbo *domum ſuam.*

o *Qui.* Prælatus videlicet.

p *Miniſter vocabitur.* Sic aptiſſimè vocantur Prælati, vt dicitur in cap. *in omnibus,de conſecrat.diſt.*5. quia videlicet ſubditis adminiſtrant panem,præcipuè

ſpiritua

ſpiritualem (vt habitum eſt *ſuprà litera m.*) ſcilicet Verbum Dei (ut ibidem ait gloſſ.) vnde hac ratione Apoſtoli dicebantur Miniſtri, quia verè Prælati, & Miniſtri verbi Dei, vt habetur *Luca* 1. ſed de hoc nomine amplius *infrà cap.4. lit.m.*

q *In caſtitate* viuant, quia ipſa eſt primum Clerici principium, & fundamentum, vt dicitur *in authent. quomodo oporteat Epiſcop. §. hoc de Deo amabilibus*, & ſine ipſa omnia opera imperfecta ſunt, vt in cap. *hoc ſolùm*, 33. *quæſt.5.* & illa ſola eſt, quæ cum fiducia poteſt Deo animas Monachorum præſentare, vt *in authent. de lenonibus, §. Sancimus, col.6. & gloſſ. pudicos, in proœmio decretal. & gloſſ. vita puritate, in extrau. execrabilis*, & denique ita ſublimis eſt virtus, vt ſuaderi poſſit, impetrari verò minimè, vt dicitur in cap. *integritas*, 32. *quæſt.* 1. Vnde & Paulus 1. Cor.7. ſic ait: *De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do.*

De hac tam ſublimi virtute ſic loquitur Bernard. epiſt.42. *Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Hoc tantæ pulchritudinis ornamentum, dignè dixerim Sacerdotium honorare, quod dilectum Deo, & hominibus faciat Sacerdotem, cuius quippe memoria non in carnis ſucceſſione, ſed in ſpirituali benedictione ſit, reddatque ſimilem in gloria Sanctorum, in hac licet adhuc regione diſſimilitudinis conſtitutum.* Hæc Bern.

r *Et ſine proprio.* Id eſt, abſque vlla prorſus bonorum proprietate: nam illa dictio, *ſine*, de ſua natura eſt excluſiua omnium, vt notat *gloſſ. ſtellionatum, ff. de pignoratitia actione, l. pignus*, & meritò quidem, quia prohibitum eſt regularibus peculiare aliquid habere: docet Auguſt. *in ſua reg. t. 2. & 3.* (licet 1. tantùm pro ſua agnoſcatur) vbi ſic ait: *nulli liceat in ſocietate noſtra habere aliquid proprium, ſed ſi fortè aliqui habent, nulli licet, & qui habuerint, faciunt quod non licet, & rurſus: Qui habere voluerit proprium, & de proprio viuere, & contra iſta præcepta facere, parum eſt, vt dicam, non mecum manebit, ſed neque Clericus erit*, refertur in cap. *nolo*, 12. *quæſt.* 1.

ſ *Sine proprio viuant.* Id eſt, non habeant aliquid peculiare, vel quod idem eſt, aliquod proprium in particulari: nam habere, & poſſiddere bona propria in communi, nec eſt contra votum paupertatis, nec contra ſtatum perfectionis, vt habetur 12. *quæſt.* 1. cap. *expedit*, & cap. *videntes*, & ideo ipſum ius Canonicum, cap. cit. & capit. *duo ſunt*, & cap. *ſcimus*, & cap. *habebat*, & capit. *non dicatis, eadem* 12. *quæſt.* 1. & cap. *quoniam, de vita & honeſt. Cleric.* & Tridentin. *ſeſſ.25. cap.* 3. & etiam noſtra regula (dum concedit habere poſſeſſiones) hoc nobis concedunt, & permittunt; & meritò nobis quidem tum ratione inſtituti, quod præcipuum eſt, ex noſtra ſubſtantia captiuos Chriſtianos redimere: tum etiam, quia nimia neceſſitas aut deſides facit, aut robur conuerſationis infringit, vt dicitur in cap. *religioſam*, 12. *quæſt.* 2.

Quod totum dixit D. Hieron. *in reg. Monach. c.2.* his verbis: *Et ſi liceat habere aliquid temporale, nil ſit veſtrum, ſed commune.*

CAPVT II.

De diuiſione bonorum, ac Redemptione Captiuorum.

TEXTVS §. I.

a b c d e

Omnes res vndecumque licitè veniant, in tres partes diuidantur æquales, f & in quantum g duæ partes ſufficient, exequantur ex h illis opera miſericordiæ, i cum ſui ipſorum, l & eis neceſſariò famulantium m moderata n ſuſtentatione.

EXPOSITIO.

a OMnes res, ſiue ſint pecuniæ, ſiue aliquid aliud: tum quia dictio, *omnis*, eſt generalis, & comprehendit omnia, vt docet gloſſ. *poſſeſſorem omnem, l. Moſchis, ff. de iure fiſci, & gloſſ. marg. ibidem.* tum etiam, quia *res*, appellatio eſt etiam generalis, & ideo non ſolum pecuniam, ſed etiam omnem alterius rei ſpeciem comprehendit: vt dicitur *in l.1. § fin. & ibi gloſſ. fin. ff. ſi certum petatur, & gloſſ. rei*, & ibi addit. *in principio Inſtitut. de obligat. & l. rei appellatio, ff. de verborum ſignificatione.*

b *Omnes res.* Exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, & ſimilibus. Item, exceptis pannis, ſandaliis, & huiuſmodi minutis: quia hæc omnia ſpecialiter, & expreſsè excipit à diuiſione, in hoc eodem capite Pontifex, vt infra: excipe & tu omnes alias res, quæ cum onere veniunt, vel offeruntur (dummodo non ſit tam leue, quod pro nihilo reputari poſſit) quia tales non ſunt profectò diuidendæ. Ratio huius noſtræ exceptionis eſt, quia non eſt credibile, quod Legiſlator, qui tam plura gratis data à diuiſione excluſit (vt dictum eſt, & infra amplius dicetur) voluerit diuidenda eſſe illa quæ cum onere veniunt, vel recipiuntur: nam generalibus verbis non includitur id, quod quis veriſimiliter credit, ſpecialiter non dixiſſe, vt dicitur *in capit. fin. de officio Vicarij in 6.* Legantur dicenda §. 3.

c *Vndecunque licitè veniant.* Hunc loquendi modum inuenies apud gloſſ. *bonis*, in cap. *veniens, de verbor. ſignific. in 6.*

c *Vndecunque.* Id eſt quacumque ex parte.

d *Licitè veniant.* Id eſt, licitè offerantur, quia oblationes, & eleemoſynæ de propriis, & licitis rebus debent à fidelibus Eccleſiæ offerri, vt dicitur in cap. *cauſa, de verbor. ſignificat.* aliàs non debent recipi, ſi dominium illarum non transfertur, aut ſi transfertur, competit repetitio, vt in vſuris, ſimonia, furto, & rapina, de quo agitur in cap. *ex transmiſſa, de decimis, & ibi gloſſ. licitè*; & ideo ex prædictis rebus nequeunt eleemoſynæ fieri: nam hæ non ſunt faciendæ ex fœnore, vel vſuris, aut ex quolibet alio malè acquiſito, vt dicitur 14. *quæſt.5.* quaſi per totam: latè hoc probat D. Thom. 2.2. *quæſt.33. artic.6. in corp.* & idem expreſsè docet Auguſt. *ſerm. 35. tom. 10.* his verbis: *Nolite velle Eleemoſynas facere de fœnore & vſuris.*

e *In tres partes diuidantur æquales.* Ex quibus duæ deſtinandæ ſunt ad exercenda opera miſericordiæ, cum ſuſtentatione fratrum: tertia verò ad redimendos captiuos, vt infra. Hæc autem tripartita rerum noſtrarum diuiſio inſinuatur in cap. *Apoſtolicos* & in cap. *mos eſt*, 12. *quæſt.* 2. & clarè habetur in Concil. Aurelian. 1. *cap.7.* vbi ſic dicitur: *De obligationibus, vel agris, quos Dominus noſter Rex Eccleſiæ contulerit, id eſſe iuſtum definimus, vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione, vel Redemptione Captiuorum, quidquid Deus dare dignatus fuerit, expendatur.*

f *Et quantum duæ partes ſufficient.* Id eſt, & in

quantum duæ primæ partes fuerint ſufficientes.

g *Exequantur ex illis.* Id eſt, exerceantur ex ipſiſmet duabus partibus opera miſericordiæ.

h *Opera miſericordiæ.* Quia præceptum Domini eſt, vt ſimus miſericordes, *Luc.* 6. fuitque ab ipſo Domino omnibus ſine exceptione datum. Vnde etiam pauperes de eleemoſynis, quas colligunt, debent eleemoſynas facere, ve habetur in cap. in ſingulis, *diſt.* 86. his verbis: *Hoc miſericordiæ præceptum commune eſt omnibus officiis, ætatibus, & ab omnibus obſeruandum · non publicanus, non miles excipitur, non agricola, vel vrbanus, diues, & pauper, omnes in communi admonentur, vt conferant non habenti, miſericordia enim plenitudo virtutum eſt.* De operibus miſericordiæ etiam agitur *in cap. non ſatis, diſt.* 86. & in cap. *habeat, 12. quæſt.* 1. *& gloſſ. pauper, in cap. in ſingulis cit.* & ea numerat verſus ſequens, quem refert S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 2.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

i *Cum ſui ipſorum.* Id eſt, vnà ſimul cum ipſorum fratrum.

l *Et eis neceſſariò famulantium.* Id eſt, & eiſdem de neceſſitate ſeruientium: famulari enim ſeruire eſt, iuxta illud, quod in cap. *quieſcite, 6. quæſt.* 1. dicitur: *Deo rectè famulantes perſequi non licet.*

m *Moderata ſuſtentatione.* Id eſt, nec nimia, nec tenui ſuſtentatione, ſed moderata in quantitate, & qualitate ciborum; medium enim inter extrema ſemper eligendum eſt, vt dicitur *diſt.* 50. cap. *multos*, & *diſtinct.* 45. capit. *diſciplina*, & *ff. de officio proc. l. ſolent*, quia, vt dicitur 2. Ethicor. cap. 6. *Virtus in medio conſiſtit.* Vnde commune eſt proloquium, *Medium tenuere Beati.* Vel *medio tutiſſimus ibis*, vt notat gloſſ. *medium, in Anthent. Conſulatus, de conſulibus*: hoc etiam docet ipſamet diſcretionis virtus. Vnde Hier. *tom.* 8. in illud Prouerb. 4. *Auerte pedem tuum à malo*, ſic ait: *Nec vel huc, vel illuc à recto denies, quia virtutes diſcretiones quærunt, & nimietas omnis in vitio eſt.* Optimè etiam, & ad intentum Diadacus Epiſcopus (cuius opera extant *in* 2. *tom. Biblioth.*) *lib. de Perfectione Spirituali, capit.* 14. ſic ait: *Vt corpus multo cibo onuſtum, languidam & ſeguem efficit mentem, ſic nimia continentia victus debilitatem facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione verſatur, in mæſtitia ſit, & in faſtidio ſermonis; neque enim infirmo corpore eſſe debet, qui certat, ſed ita firmo, vt ſuſtinendo certamini par eſſe poſſit*: ſic ille. Abſtinendum ergo eſt, ſed moderatè.

n *Suſtentatione.* Nota, quod nomine ſuſtentationis, continentur cibaria, & veſtiaria, & habitationes neceſſariæ, tam fratribus, quàm famulis, quia ſine his nequeunt eorum corpora ſuſtentari: colligitur clarè *ex l. vlt. & antepenult. ff. de alimentis, & cibar. legat.* & ex gloſſ. *ibi*, & gloſſ. *in l. cum hi, §. qui tranſigit, ff. de tranſaction. & l. victus, & l. ſequenti, ff. de verbor. ſignificat.*

In dicta ergo opera miſericordiæ exercenda, ſimul cum ſuſtentatione fratrum, & eorum famulantium, debent fratres expendere duas prædictas partes, in quantum tamen fuerint ſufficientes, hoc eſt, ſi fuerint ſufficientes ad exercenda omnia opera miſericordiæ, & ſimul ad ſuſtentandos fratres, & eorum famulos, omnia exercere tenebuntur: ſi verò non fuerint ſufficientes, niſi ad aliqua tantum, non tenebuntur exercere pro tunc omnia, niſi dumtaxat illa miſericordiæ opera, ad quæ exercenda cum ſuſtentatione prædicta ſuffecerint. Denique ſi duæ illæ prædictæ diuiſionis partes ſolum ſufficiunt ad ſuſtentationem fratrum, & eorum ſeruientium, & ad hoc ſint neceſſariæ, nulla pro tunc tenebuntur exercere opera miſericordiæ ex vi regulæ.

TEXTVS §. II.

[a] Tertia verò pars reſeruetur [b] ad Redemptionem [c] Captiuorum, qui ſunt [d] incarcerati pro fide Chriſti [e] à Paganis, [f] vel [g] dato pretio [h] rationabili, pro [i] redemptione ipſorum, [l] vel [m] pro redemptione [n] Paganorum Captiuorum, vt poſtea [o] rationabili commutatione, [p] & bona fide [q] redimatur Chriſtianus [r] pro Pagano, [s] ſecundùm merita, [t] & [v] ſtatum perſonarum.

EXPOSITIO.

a TErtia verò pars, &c. Reſeruari omnino debet ad redimendos captiuos, quamuis duæ primæ partes non ſint ſufficientes ad exercenda opera miſericordiæ, & ſimul ſuſtentandos fratres.

Et ſi inquiras, an eadem militet ratio in caſu, in quo duæ primæ partes adhuc non ſint ſufficientes ad ſuſtentandos fratres, & eorum famulos? Reſpondetur quod minimè, non enim in tali caſu tenentur Religioſi ſeparare in integrum tertiam omnium rerum partem pro redimendis captiuis: ſed licitè poſſunt ſibi, ſiue in integrum, ſi ad eorum ſuſtentationem neceſſe fuerit, illam accipere, ſiue ex parte, ſecundum eorum indigentiam. Ratio huius exceptionis, eſt clara quia ratione iuris naturalis vnuſquiſque debet primùm ſibi de neceſſariis, quàm extraneis prouidere. Quod aureis ad propoſitum verbis docet Ang. Doctor 2. 2. q. 32. art. 5. *Prius* (inquit Sanctus) *oportet, quod vnuſquiſque ſibi provideat* (quaſi diceret, ſibi & ſuſtentationi fratrum) *& eis, quorum cura ei incumbit* (id eſt, ſuſtentationi famulantium) *& poſtea de reſiduo aliorum neceſſitatibus* (intellige, captiuorum, & pauperum) *ſubueniat. Sicut & natura primum accipit cibum ad ſuſtentationem proprij corporis, quod eſt neceſſarium miniſterio virtutis nutritiuæ: ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generatiuam.* Sic Doctor Sanctus.

Sic igitur, & non aliter, debet intelligi prædicta regula, lex, & præceptum: nam aliàs aduerſaretur iuri naturali, & conſequenter vana, & irrita eſſet: nam quæcumque vel moribus recepta ſunt, vel ſcripto comprehenſa, ſi naturali iuri fuerint contraria, vana & irrita ſunt habenda, vt dicitur *diſt.* 8. §. 2. *& diſt.* 9. ſic habetur: *Conſtitutiones, vel Eccleſiaſticæ, vel ſeculares, ſi naturali iuri contraria probantur, penitus ſunt excludendæ.*

In ſumma ergo ſi illæ duæ primæ tripartitæ diuiſionis partes ſufficiant ad ſuſtentationem moderatam Religioſorum, & eorum familiæ, tertia ſemper debet in integrum ſeparari ad redimendos captiuos: ſi verò non ſufficiant, licitè poſſunt ex prædicta tertia parte ſibi ante ſeparationem ſumere quidquid fuerit ad eorum victum neceſſarium, & etiam poſt ſeparationem, ſi licentiam Diffinitoris generalis obtinuerint, iuxta id quod præcipitur 1. *part. noſtrarum conſt. cap.* 5.

b *Ad Redemptionem.* Id eſt, quaſi ad emptionem, redimere enim, quaſi emere quod ſuum erat, eſt. Notat gloſſ. *redemerit, C. de hæreditate, vel actione vendita, l. certi.*

c *Captiuorum.* Sic dicti, quia capti ſunt ab infidelibus, vbi incarcerati periculum corporis, & animæ maxi

Digitized by Google

maximè timetur : docet gloſſa *ſuis*, in can. *ſicut omnino*, 12. *quæſt*. 2.

d *Incarcerati pro Fide Chriſti*. Vel quia ob eius defenſionem ſunt capti, & incarcerati, vel quia nolunt eam deſerere, in carcere detineotur.

e *A Paganis*. Id eſt, ab infidelibus, & Sarraecnis. Sic explicat hoc verbum gloſſ. *in ſumma, C. de Paganis, & ſacrificiis*, & eadem explicatio habetur in cap. *Ad menſam*, 11. *quæſt*. 3. §. *ſi quis*, ibi: *Si quis vos vocauerit ex infidelibus, Paganos ſignificans*, &c. Nam licèt hoc nomen, *Paganus*, propriè, & in rigore ſignificet hominem ruſticum, & quaſi è Pago : veruntamen etiam ſignificat homioem infidelem, vt dicit gloſſ. cit. & Auguſt. 2. *retract. cap*. 43 & generaliter qui Baptiſmum non acceperunt, Pagani vocantur.

f *Vel*. Duplicem aſſignat modum ad redemptionem Captiuorum faciendam.

g *Dato pretio rationabili* Id eſt, ablato vero, & iuſto pretio, ſecundum æſtimationem redemptoris, vt infra, *ex l. fideiuſſor, ff. de leg. & fideicom*. 1. *iuncta gloſſ. vero pretio, & gloſſ. rationabili, in extr. ad conditorem*.

h *Rationabili*. Arbitrariè conſideraro, *ex gloſſ. rationabili, cit. litera præcedenti*.

i *Ipſorum*. Scilicet, captiuorum Chriſtiaootum. Ecce primom modum redimendi.

l *Vel*. Aſſigoat iam ſecundum.

m *Pro Redemptione Paganorum Captiuorum*. Qui multoties in bello iuſto capti, apud Chriſtianos detinentur, vt notatur in cap. *laudabilem, de conuerſione infidelium*.

n *Vt poſtea*. Id eſt, vt poſtquam empti fuerint.

o *Rationabili commutatione*. Arbitrariè conſiderata, hoc eſt, ſecuodum prudentem æſtimationem redemptoris.

p *Et bona fide*. Pro horum verborum explicatione nota, quod bona fides nil aliud eſt, quam ignorantia rei alienæ, vel iuris alieni : docet gloſſ. *bona fidei, in l. bona fidei, ff. de verbor. ſignific*. vnde ad propoſitum ille erit bonæ fidei emptor, & redemptor, qui ignorat rem eſſe alienam, aut putat eum, qui eam vendit, ius vendendi habere : ſic habetur *in l. bona fidei, cit*. è contra verò, malæ fidei emptor erit ille, qui contra legis interdictum emit, vt dicitur *C. de agricol. & cenſ. l. quemadmodum*, aut qui emit domino contradicente, *ff. de rei vendicat. l. ſi fundum*, aut qui dolo inducit venditorem, vt vendat, *ff. de reſcind. vendit. l. ſi dolo* : aut denique qui emit ab eo, qui ſcit veodere non poſſe, vt à pupillo.

q *Chriſtianus*. Ecce maximum præmium, quod ſeruus vocetur nomine ſui Domini : notat gloſſ. *Chriſtianorum, in l. cunctos, Cod. de Summ. Trinit. & Fide Catholic*. dicuotur namque Chriſtiani à Chriſto Domino, tanquam vncti derioentur ab vncto, vt omnes currant in odorem illius vnguenti, cuius nomen oleum effuſum eſt : notatur *in capit. vnic. de ſacra vnctione, §. quia verò* : vnde Athan. *lib*. 2. *contra Arrian*. ſic ait : *A Chriſto Chriſtiani & ſumus, & nuncupamur. Hæc enim gloria noſtra, glorioſiſſima Catholica Eccleſia*.

r *Pro Pagano*. Id eſt, pro infideli, vt habes *ſup. lit. e*.

ſ *Secundum merita*. Id eſt, attendendo, & conſideraodo merita.

t *Et ſtatum*. Id eſt, & conditionem, & gradum. *Status* namque in iure idem eſt, ac conditio, aut gradus perſonarum, ſecundum quèm alij ingenui, alij libertini, alij ſerui ſunt, vt ſæpè notatur *in Pandectis, tit. de ſtatu defunctorum*, & docet gloſſ. *haberet, in extr. quorundam, de verbor. ſignificat. in* 6. hanc explicationem etiam inuenies apud D. Thom. 2. 2. *quæſt*. 183. *art*. 1.

v *Perſonarum*. Videlicet Chriſtiani, & Pagani.

R.P. Leand. Expoſit. Regul.

TEXTUS §. III.

a b c d e
Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid
f g h i i
aliud, licèt ſpecialiter, & propriè detur
l m
ad aliquid, ſemper tertia pars ſeparetur,
n o p q r
exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus,
ſ t v
ædificiis, nutrituris, & ſimilibus.

EXPOSITIO.

a CVm. Id eſt, quando, vel ſi; vtroque enim modo ſumitur dicta dictio, vt notat gloſſ. marg. *in l. virilis, ff. de legatis præſtandis*.

b *Pecunia*. Numerata, vel ſignata; hoc enim ſignificat hoc nomen ſtrictè ſumptum, *vt infra*.

c *Data fuerit*. Datione gratuita, & liberali, quæ neque ſit tanquam iure debita, neque cum onere, vt aliquid pro tali datione reddatur. Loquitur enim textus noſtri capitis de datione abſoluta, & ideo intelligi debet de liberali, & conſequenter de datione, quæ ſit vera donatio, quia date aliquid ex liberalitate, & ex certa ſcientia, donare eſt, vt dicitur *in l. dari, ff. de don*. Quando verò datio eſt cum onere, nec eſt donatio, nec datio propria, & abſoluta, vt conſtat; ſed potius permutatio, aut recompenſatio, vt dicitur *in l. Aquilius regulus, ff. de donat. & l. ſed in lege, §. conſuluit, in fine, ff. de petit. hæreditat*. qua de cauſa omnes Doctores ſic donationem definiunt, *Donatio eſt datio liberalis, ſeu irreddibilis*.

Ex dictis colligitur clarè, quod non teneantur ſeparare tertiam partem pro captiuis redimendis, illius pecuniæ, quæ pro dicendis Miſſis datur, & à nobis recipitur : quia cum hæc datio (vel vt melius dicam, recompenſatio) non ſit vera donatio, vtpote facta cum onere Miſſarum, non tenemur illam diuidere. Solùm ergo de omnibus illis rebus, quæ abſolutè donantur, tenemur ſeparare tertiam pro redimendis captiuis partem, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & ſimilibus, pannis etiam, & ſandaliis, atque huiuſmodi minutis, *vt ſupra cap*. 2. §. 1. *lit. A*. eſt habitum : quia de his rebus, etiamſi donentur, & liberaliter, & ſine onere dentur, non debet fieri diuiſio, niſi ſolum de earum fructibus, vt infra explicabitur.

d *Vel*. Hæc dictio in præſenti capite potius auget dationem rerum, quàm diſiungit inter res datas, & receptas, quod non ſemel contingere, notat gloſſ. *in c. ego Ludouicus, diſt*. 36. *& ff. de auro, & argento, l. ſi quis ita*.

e *Aliquid aliud*. Quod non ſit numerata pecunia, vt aliqua res mobilis, &c.

f *Licet*. Id eſt, quamuis : ſic aduerbialiter ſumitur ſæpiſſimè *in extr. ad conditorem*, ibi; *Licet immeritis*, & alibi paſſim.

g *Specialiter*. Id eſt expreſsè, & ſingulariter detur ad aliquid, vt ſic nulla ambiguitas, nulláque ſit dubietas : colligitur ex gloſſ. *ſpecialiter, l. ſi peculium, ff. de peculio legat. gloſſ. ſpecialiter, in l. fin. C. quod cum eo, qui in aliena, & l. quod in rerum, §. fin*. & ibi gloſſ. *ſpecialiter, ff. de leg*. 1.

h *Et propriè*. Id eſt, & proprio nomine, aſſignando rem propter cuius finem datur.

i *Detur ad aliquid*. Id eſt, detur aſſignando finem propter quem datur, v. g. ad infirmos curandos, ad emendos tales, vel tales cibos, &c. Vbi nota, quod non dicit Pontifex, licèt detur pro aliquo, id eſt, cum

onere, vt aliquid reddatur, ſed ad aliquid, hoc eſt,ad finem ſpecialem, ex quo non nihil confirmatur doctrina tradita *lit. c, & d.*

l *Semper.* Id eſt,in omni tempore: ſic explanat hoc verbum,gloſſa *ſemper, in extr. quorumdam, de verborum ſignificatione, & in extr. execrabilis, & ff. de ann. legat. l. Caio, §. Imperatore, & de condition. & demonſtrat. l. ſi quis ita, §. Titio*, & gloſſ. *ſemper, ff. ſoluto matrimonio, l. dotis.*

m *Tertia pars ſeparetur.* Niſi alias fratres neceſſitate compulſi, ad eorum, & famulantium ſuſtentationem illam accipiant, iuxta dicta *ſupra, §. 2. lit. a.*

n *Exceptis.* Excipit hic Legiſlator multa, quæ adhuc gratuita, & liberali datione offerta, ſeparari à fratribus in dictas tres partes non debent, videlicet.

o *Terris.* Hoc verbum eſt generale, & continet prædia ruſtica, & vrbana, notat gloſſ. *ſi quis commutauerit terram, in l. ſimiliter Longob. de euectionibus.*

p *Pratis.* Pratum eſt illud, in quo ad fructum ex eo capiendum, falce dumtaxat opus eſt; ex eo enim pratum dicitur, quod paratum ſit ad fructum capiendum: ſic *ff. de verbor. ſignificat. l. pratum.*

q *Vineis.* Id eſt prædia, in quibus plantatæ ſunt vites: ſic explicatur *in l. certo generi, ff. de ſeruitut. ruſticorum præd.* & ibi gloſſa *actum erit.*

r *Nemoribus.* Id eſt, ſyluis plenis amœnitatis, voluptatis gratiâ comparatis. Vbi nota, quod nemus, ſaltus, & ſylua ſic ſe habent, quod ſylua eſt generale nomen, non ſolum loca arborum comprehendens, verum etiam herbarum; propriè tamen eſt arborum, vnde & materia cæditur. Saltus autem eſt ſylua inuia, vbi paſci, & æſtiuare, vel hiemare pecudes ſolent. Nemus verò eſt ſylua voluptatis, vt dictum eſt. Iam verò hæc omnia communiter confunduntur, quia hoc habent commune, vt abundent arboribus infructiferis. De nemoribus fit mentio in cap. *dilecti filij, de arbitris,* & Numerorum 24. ibi, *nemora obumbrantia.*

ſ *Ædificij.* Ædificij nomine continetur quodcumque ædificium, tam vrbanum, quàm ruſticum: eſt enim generale nomen hæc omnia comprehendens. Vnde ædificium vrbanum dicitur domus, vel ædes: ædificium verò ruſticum, villa. Villa enim dupliciter ſumitur, aut pro domo ruſtica, vt hic; aut pro paruo oppido, *vt infra.*

t *Nutrituris.* Vt ſunt oues, vaccæ, aſinæ, & ſimilia animalia.

v *Et ſimilibus.* Vt ſunt horti, ſaltus, ſyluæ, & deniq; omnia bona immobilia, quia omnia hæc ſunt ſatis ſimilia rebus enumeratis, & ad ipſas facilè reducuntur.

TEXTVS §. IV.

a b c
Fructus enim inde exeuntes, deductis ex-
d e f
penſis, ſcilicet medietate remota pro ex-
penſis, in tres partes diuidantur æquales:
g h i l m
ſed quæ paucas, vel nullas recipiunt
n o
expenſas, omnes diuidantur.

EXPOSITIO.

a **F***Ructus.* Fructus dicitur à fruendo, eſtque propriè illud, quod vltimò ab arboribus percipitur, daturque fructus bonus, & malus, maturus, & acerbus, & per metaphoram fructus etiam dicitur vtilitas, quæ ab aliqua re percipitur, & in tota hac latitudine ſumitur fructus in præſenti.

b *Inde.* Id eſt, ex prædictis rebus enumeratis (pratis videlicet, vineis, &c.) exeuntes, &c. hic pro ſeparatione tripartita fructuum nota valde, quod fructus terræ eſt frumentum, hordeum, auena, &c. & palea: habes hoc *in l. ſi vſufructuarius, ff. de vſufructu,* & etiam arundines, *l. qui fundum, §. fin. ff. de contrahenda emptione,* atque etiam lapidifodinæ, cretifodinæ, & generaliter omnia, quæ in terra naſcuntur, vel creantur, dicuntur fructus terræ: ſic gloſſa *fructus, in extrav. ſuſcepti, & gloſſ. fin. in cap. ſalubriter, de vſuris.* Fructus prati, eſt herba. Fructus vineæ, vuæ, vinum, & palmites. Fructus nemorum, eſt materia cædua, venationes, &c. Fructus ædificiorum, redditus ex locatione percepti Fructus tandem Nutriturarum, ſunt fœtus, lana, pilus, & hæc notat gloſſ. fin. *in cap. peruenit, de decimis, & ff. de vſuris, l. in pecudum.*

c *Deductis expenſis.* Non enim vult Pontifex, quod res quæ cum onere veniunt, in tres partes diuidantur, antequam per deductionem expenſarum exonerentur, quod expreſsè, & quaſi ad noſtrum intentum habetur *in cap. vobis 12. quæſt. 2. vt infra, lit. f.* per quod valde confirmatur expoſitio tradita *ſupra, §. 3. lit. e, & i.*

d *Scilicet.* Declarat per hoc aduerbium verba quæ præmiſerat. Simile habes in Clement. *cauſam, de electior. & electi pot.* vt ibi notat gloſſ. videlicet,

e *Medietate remota.* Id eſt, dimidia parte fructuum reſeruata, & percepta, antequam fructus in tres partes diuidantur.

f *Pro expenſis.* Conſumptis videlicet in ipſis fructibus colligendis; hæc autem deductio expenſarum ante diuiſionem fructuum, habetur clarè, & expreſsè *in cap. vobis 15. quæſt. 2.* vbi Gelaſius Papa præcipit Iuſtino, & Fauſtino, vt omnem penſionem prædiorum vrbanorum, vel ruſticorum ad Epiſcopum deferant, vt ſequeſtrando de medio expenſas, de reliquo quatuor fiant portiones, &c. Vbi gloſſa, quid ad caſum, ſic addit. Expenſæ prius deducantur, quæ factæ ſunt in colligendis fructibus, quod ius deductionis nullus caſus poteſt impedire, *l. fundum, ff. famil. erciſ. & de petit. heredit. l. ſi à Domino, §. fructus.*

g *Sed.* Subiungit tamen Legiſlator aliquem caſum, in quo non vult, vt expenſæ deducantur.

h *Sed quæ.* Id eſt, at verò, ſi ea quæ prænumerata ſunt, ſcilicet terræ, prata, vineæ, &c.

i *Paucas.* Id eſt modicas, ex gloſſa *parum, in authent. occupatis.*

l *Vel nullas.* Idem enim ſunt ad propoſitum, quia parum pro nihilo reputatur.

m *Recipiunt expenſas.* Ac ſi dicat, ſi in colligendis, ex prædictis rebus, & fructibus nihil, aut parum expenſum fuerit, tunc

n *Omnes.* Scilicet fructus.

o *Diuidantur.* In tres partes æquales, ſine aliqua deductione pro expenſis factis; & bene quidem, quia de expenſis paruis non eſſe curandum, docet gloſſa magna *in l. ſed addes, §. ſi quis mulierem, ff. locati,* quia parum pro nihilo reputatur.

Sed pro deductione expenſarum adhuc eſt notandum, quod expenſæ in fructibus percipiendis fiunt. Primò, in ipſis quærendis, vt ſeminando, arando, &c. Secundò, in colligendis. Et tertiò in conſeruandis, quibus attentis, facilè poterit iudicare capitulum conuentuale (iuxta ea, quæ ordinat Pontifex *in hoc cap. §. ſequenti*) an expenſæ factæ in fructibus percipiendis ſint aliquæ, paruæ, vel magnæ, & conſequenter, an ex ipſis fructibus ſit facienda trina diuiſio, abſque deductione expenſarum, vel poſt illam.

TEXTVS §. V.

Cum[a] verò panni[b] rudes[c], vel ſandalia[d], vel minuta[e] huiuſmodi, quibus neceſſe ſit vti, quæ[f] vendi[g], vel conſervari non expedit, data[h] fuerint, vel à[i] ſeipſis habuerint, non[l] diuidantur, niſi[m] Miniſtro[n] domus, & fratribus viſum[o] fuerit expedire, de[p] quibus ſingulis[q] Dominicis[r] diebus, ſi[s] fieri poſſit, in[t] capitulo deliberetur[v]. Si[x] tamen prædicta[y], vt panni, terræ, nutrituræ, ſeu minuta vendantur, pretium[z] inde proueniens in tres partes, vt ſuprà, diuidatur.

EXPOSITIO

a Cvm verò. Id eſt, ſi autem: ſic explicauimus *ſup.§.3.lit.a.*

b *Panni rudes.* His enim indui debent Religioſi, ad imitationem Chriſti Domini, & Apoſtolorum eius, qui viliſſimis veſtimentis vſi ſunt, vt docet D. Bonauent. *in expoſitione regulæ Sancti Franciſci, cap.1.* & etiam D. Chryſoſtom. *homil.33.in Ioan.* vbi ſic ait: *Antequam apparuiſſet Ieſus, prædicabat eum Ioannes Baptiſta, vt facile ſuſceptibile eſſet teſtimonium, ipſo apparente, in vili veſtimento innoteſcente:* ſed de hoc amplius *infra.*

c *Sandalia.* Eſt genus calceorum plantam pedum muniens, & tegens, non verò totam partem, ſed quaſi dimidiam ſuperioris. Hoc calceorum genere vtebantur Apoſtoli, vt dicitur *Marc.6.* ibi: *Calceatos ſandaliis.* Vnde D. Bonauent. *cap.1. cit.* ſic ait: *Propter quod antiqua ſculptura, pariter & pictura monſtrant Apoſtolos calceatos ſandaliis inceſſiſſe.* Et Venerabilis Beda ſuper illud Actuum 12. *calcea te caligas tuas,* ſic ait: *Pro caligis, & caligulis, vt quidam habent, Græcus habet ſandalia, hoc enim genus calceamenti legitur in Euangelio Apoſtolis fuiſſe permiſſum.* Imò Chriſtum Dominum alia calceamenta Apoſtolis inhibuiſſe, docet D. Hieron. *ſup.* illud Matth. 10. *neque calceamenta,* his verbis: *Duas corporis ſummitates dicit non eſſe velandas Plato, nec aſſuetam fieri debere mollitiem capitis, & pedum; cum enim hæc firmitatem habuerint, cætera robuſtiora ſunt:* ſic Hieronym. *ad Euſtochium.*

d *Minuta.* Nonne in præſenti dicentur minuta ea quæ valent vſque ad quantitatem decem aureorum, vt habetur *in l. niſi dolo, §. quamuis autem, ff. ſi cui pluſquam per leg.* & notat *ibi* gloſſ. minuta, & fauet etiam gloſſ. *auri, in c. anteriorum 2. quæſt.6.* vbi minimam ſummam vocat vſque ad decem libras auri? Reſpondetur: minimè quidem, ſed ad ſummum minuta dicentur ea, quæ valent vſque ad quantitatem duorum aureorum; hæc enim quantitas dicitur minima ſumma, *in l. ſi oleum, ff. de dol.* licèt alibi etiam minima ſumma dicatur vſque ad viginti marcas, & alibi vſque ad 50. ſolida, *C. de defenſ. ciu. l. 1.*

e *Quibus.* Pannis videlicet, & ſandaliis, ac aliis huiuſmodi rebus, quibus neceſſe eſt vti.

f *Quæ.* Prædicta ſcilicet, & alia ſimilia.

g *Vendi, vel conſeruari non expedit.* Quia neceſſe eſt, vt illis fratres vtantur.

h *Data fuerint.* Dare autem propriè eſt rem aliquam, cuius dans habet dominium, alicui tribuere, ita vt in eum dominium transferatur, *l. vbi autem, ff. de verbor. obligat.* quod non fit in re commodata.

i *Vel à ſeipſis habuerint.* Eo quòd ab ipſis fratribus aliquæ res factæ, vel elaboratæ fuerint.

l *Non diuidantur.* In prædictas tres æquales partes.

m *Niſi.* Hæc dictio in præſenti non negat, ſed potius ponit, & affirmat, quia ad illam præcedit negatio, illa videlicet, *Non diuidantur,* quod ſemper accidere, quando negatio præcedit, notat gloſſ. marg. *in l. extranea, ff. de ventre in poſſeſſ. mit.*

n *Miniſtro domus, & fratribus.* Nota, quod decidere, an panni, ſandalia, & alia huiuſmodi minuta, diuidenda ſint, necne, pertinet ad Capitulum Conuentuale, vt ex textu conſtat.

o *Viſum fuerit.* Ad arbitrium ipſorum, hoc enim denotat hoc verbum, *Viſum fuerit,* vt notat Gloſſ. *videbitur, in extr. ad reprimendum, quomodo in crim. læſæ Maieſt.*

p *De quibus.* Rebus omnibus prædictis.

q *Singulis.* Id eſt, omnibus, notat gloſſ. *ſingula, l. Caius Seius, ff. de annuis leg.*

r *Dominicis diebus.* Vt infra.

ſ *Si fieri poſſit.* Id eſt, commodè, & conuenienter. Quia tunc dicitur aliquid poſſe fieri, quando commodè, & conuenienter fieri poteſt: vt dicitur *in l. Nepos Proculo, ff. de verbor. ſignific. & in cap. aliud 11. quæſt.1. & cap. faciat 22. quæſt.2.*

t *In Capitulo.* Quia omnibus dominicis diebus capitulum, ſi fieri poteſt, Miniſter debet cum ſuis fratribus habere, *vt infra cap.29.*

v *Deliberetur.* Per vota ſecreta, ſicut decidi ſolent res dubiæ, & graues; deliberare enim in præſenti idem eſt, ac conſultare, & conſultando decernere, an ſint prædicta diuidendæ, vel non. Fouet hanc expoſitionem textus *in cap. Anteriorum, 2. quæſt.6.* ibi, *Pleniſſime deliberare, ſiue appellandum ei ſit, ſiue quieſcendum.*

x *Si tamen.* Ponit caſum in quo à Capitulo Conuentuali deliberetur, vt aliqua vendantur, & doceat quid ſit agendum de pretio eorum.

y *Prædicta.* Vt panni, terræ, nutrituræ, ſeu minuta, & alia quæ *ſup.§.3.* aſſignauit, & hic non exprimit, & ſunt prata, vineæ, nemora, ædificia, ſandalia, & ſimilia. Vendantur.

z *Pretium inde proueniens.* Deductis expenſis, niſi fortè paruæ, aut nullæ ſint, iuxta ea quæ diximus *ſup.§.4.lit. c. h. & ſequent.* in tres partes æquales diuidatur, *vt ſupra, cap.2.§.1.* habitum eſt.

TEXTVS §. VI.

Cum[a] verò[b] fratres[c] in itinere[d], ſiue[e] peregrinatione[f] fuerint[g], ſi[h] quid eis[i] datum fuerit, inde[l] viuant[m], & reſiduum[n] in tres partes[o] diuidant. Tamen[p] ſi fuerint[q] in via profecti ad redimendos captiuos[r], quidquid eis datum[ſ] fuerit[t], totum[v] debent ponere[x] in Redemptionem[y] Captiuorum, præter[z] expenſas.

EXPOSITIO.

a *CVm.* Id eſt, quando, vt habes *ſupra*, §. 3. *lit. a.*
b *Verò.* Id eſt, tamen, ex can. *qui verò*, 16. *quaſt.* 1. & *ibi* gloſſ. *verò.*
c *Fratres.* Siue Clerici, ſiue laici.
d *In itinere.* Ad aliquid agendum à ſuis Superioribus fuerint miſſi.
e *Siue.* Eſt dictio diſiunctiua, & natura ſua non reſtringit, *l. cum quis*, §. *& his verbis*, *ff. de legat.* 3. *in ſumme.*
f *Peregrinatione fuerint.* Id eſt, ad aliqua Sanctorum oratoria viſenda: colligitur ex can. *Si quis Romipetas*, 24. *quaſt.* 3.
g *Si quid.* Id eſt, ſi aliquid.
h *Eis.* Id eſt, ipſis Fratribus.
i *Datum fuerit.* Quid autem ſit propriè dare, habes *ſupra*, §. 3. *lit. c. i. &* §. 5. *lit. h.*
l *Inde.* Id eſt, ex ipſo dato.
m *Viuant.* Id eſt, ſuſtententur victu moderato, iuxta dicta *ſup.* §. 2. *lit. m. & ſequent.*
n *Et reſiduum.* Id eſt, & quod ſupereſt, & reſtat, ax *extr. ſuſcepti, de elect. & electi pot.* & *ibi* ex gloſſ. *reſiduum.*
o *In tres partes diuidant.* Iuxta ſupra dicta, §. 1. Hic obiter nota, quod Legiſlator aliquid concedit viatori, quod aliàs non viatori negauit. Videlicet quod de datis primò ſuſtentetur, & poſtea de reſiduo tripartitam diuiſionem faciat, quod negatum habet frater iter non faciens, *ſup.* §. 2. *quaſi per totum.*
p *Tamen ſi.* Id eſt, ſi verò.
q *Fuerint in via profecti ad redimendos Captiuos*, tunc.
r *Quidquid.* Id eſt, totum, aut omne; quia natura ſua eſt dictio vniuerſalis, & ſic includit omnia: colligitur ex cap. *non ſolum*, §. *illa verò*, *de appellat. in* 6. & ex gloſſ. *quidquid*, ibidem.
ſ *Datum fuerit.* Liberaliter, & ſine onere, vt habes *ſupra*, §. 3. *lit. c.*
t *Totum.* Id eſt, omne, ex gloſſ. *totam, in l. videlicet*, *ff. de pactis.*
v *Debent.* Neceſſariò; nam licet hoc verbum *debet*, aliquando tantum deſignet honeſtatem, aut decentiam, vt habes *in extrau. de ſponſal. impub.* capit. *tua*, & *ibi*, gloſſ. hic tamen neceſſitatem, & præceptum ſignificare videtur, vt ſignificat in capit. *propoſuit*, *extra de apellat.* & can. *debent*, 11. *quaſt.* 3. eſt itaque verbum præceptiuum, & in re tanti ponderis ex ſua natura obligans ad mort. niſi aliàs paruitas materiæ, vel aliqua excuſet ratio.
x *Ponere in Redemptionem Captiuorum.* Id eſt, reſeruare ad redimendos captiuos Chriſtianos.
y *Præter.* Hæc dictio in præſenti cap. excluſiuè ponitur, vt conſtat, & ſic habetur in can. *adiicimus*, 16. *quaſt.* 1. licet aliàs incluſiuè ponatur in can. *Hebron*, 13. *quaſt.* 2.
z *Expenſas.* Factas in ipſorum ſuſtentatione, vt dictum eſt *lit. i. & ſequent.* niſi aliàs datum fuerit propriè, & ſpecialiter ad Redemptionem Captiuorum: quia in tali caſu non licebit ex eo expenſas facere, niſi in caſu maximæ neceſſitatis, cùm hæc lege careat, vt dicitur *de obſeruat. ieiunij*, *cap.* 2. *in fine*, *& de conſuetudine*, *cap. quanto*, *de conſecrat. diſtinct.* 1. cap. *ſicut*, *& diſtinct.* 3. cap. *peruenit*, *& Clement.* 1. *de Baptiſmo*, *& ibi* gloſſ. *neceſſitate.*

CAPVT III.

De Titulo Monaſteriorum.

TEXTVS.

Omnes[a] Eccleſiæ[b] iſtius Ordinis intitulentur nomine[c] Sanctæ Trinitatis, &[d] ſint plani operis.

EXPOSITIO.

a *OMnes.* Eſt dictio vniuerſalis, & ſic omnes Eccleſias comprehendit: habes *ſup. c.* 2. §. 1. *lit. a.*
b *Eccleſia.* Hic nomine Eccleſiæ, non Eccleſiam, aut oratorium intelligas, ſed Conuentum, Monaſterium, vel domum. In iure namque ſæpiſſimè reperitur, nomine Eccleſiæ Conuentum, vel Monaſterium, aut domum regularem ſignificari: habetur *diſtinct.* 54. can. *Abbati*, §. *Hac autem*, & can. *multos*, 12. *quaſt.* 2. *per totam*: & ideo Seraphinus tom. 1. Bullarij, capiti præſenti hunc titulum apponit, *De nomine Monaſteriorum.* Et probari poteſt, quod mens Legiſlatoris ſit, quod Monaſteria ipſa (non verò neceſſariò Eccleſiæ) intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis. Primò, quia Innocent. III. ſic appellat omnes Conuentus huius Ordinis *in capit. regula*, illis verbis: *Fratres domus Sancta Trinitatis*, & cap. 5. idem repetit dicendo: *Miniſter domus Sancta Trinitatis.* Itaque in his locis appellauit Pontifex omnes domos huius Ordinis titulo Sanctæ Trinitatis, & *in hoc cap.* præcepit ſic intitulari. Secundò, quia in hoc eodem capite ſubiungit Pontifex, & præcepit, quod huiuſmodi Eccleſiæ ſint plani operis; quod certè principaliter de Monaſterio ipſo intelligendum eſt. Tertiò, quia primus noſter Conuentus, in vrbe Roma, ab ipſo Innocent. III. fundatus, hoc titulo inſignitur, non verò Eccleſia illius. Nam Eccleſia ad vſque noſtra tempora, *Sancti Thoma de Formis*, Monaſterium verò, *domus Sancta Trinitatis* nomine intitulantur.
b *Eccleſia, &c. intitulentur.* Poteſt etiam dici, ſenſum huius capitis hunc eſſe, ſcilicet, quod omnes Conuentus huius Religionis intitulentur, hoc eſt, inſcribantur, nomine Sanctæ Trinitatis. Ducor ad hoc dicendum, quoniam hæc dictio, *titulus*, nihil aliud ſignificat, quàm inſcriptionem alicuius operis, vt ſtatim primo aſpectu illius argumentum cognoſcatur, aut dominus, vt notat gloſſ. 3. *in l.* 1. *C. de his qua potentiorum nomine*, hiſce verbis: *Titulus eſt ſubſcriptio quadam, vt v. g. hac domus eſt eiuſdem potentiſſimi.* Si ergo titulus eſt idem, ac ſubſcriptio, intitulari idem erit, atque ſubſcribere, Hiſpanè *Rotular*: ergo quando præcipit Legiſlator, quod omnes Eccleſiæ, vel Conuentus huius Ordinis intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis, idem erit, ac præcipere, quod Domus ſubſcribantur nomine Sanctæ Trinitatis, vt primo aſpectu cognoſcatur cuius Ordinis ſint, atque inſtituti: & ita factum reperimus in dicta prima noſtra Domo Romana, in qua vſque in hodiernum diem hic titulus in porta principali Conuentus extat. *Signum Ordinis Sanctiſſima Trinitatis, & Captiuorum.*
c *Nomine Sancta Trinitatis.* Quia ab ipſa ſola fuit hic noſter cœleſtis Ordo inſtitutus, vnde militiæ noſtræ arma his ornantur, verſic. 69. *Hic eſt ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, ſed à ſolo ſummo Deo.*
d *Et ſint plani operis.* Id eſt, non ſumptuoſæ, nec altæ nimis. Planum enim oppoſitum eſt alto, vt notat gloſſ. *de plano, in extr. ad reprimendum, quomodo*

modo in læſa Maieſtat. & bene hoc præcipit Legiſlator, quia cum ſimus pauperes, & mendici, contemptores rerum mundanarum eſſe debemus. Vnde D. Bonauent. *quæſt.6.circa regul.S.Franciſci*, ſic ait: *Qui alta, ſumptuoſa, & ſuperflua ædificia quærunt, quintuplicis peccati rei ſunt. Primò, propter tranſgreſſionem, quia pompis renunciantes ſæculi, in paupertate, & humilitate vera promiſerunt Domino famulari. Secundò, propter malum exemplum, quo alij diſcunt ab eis ſimilia facere. Tertiò, propter inquietudinem fratrum, propter huiuſmodi ædificia, & procurationes, quia & deuotio extinguitur, & religionis diſciplina plurimùm diſſipatur, ſicut ſcriptum eſt* (Iſai.49.) *venerunt ſtructores tui, deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt. Quartò, propter ſpoliationem aliorum pauperum, quibus ſæpè eleemoſyna præripiuntur, & huiuſmodi ſtructura fiunt, ex quibus illi deberent veſtiri, & paſci. Quintò, quia quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem ad nos prius habitam, ita quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis quæ facimus ædificantur. Vnde cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue ſit eis dare, & erubeſcunt negare, & ſi dederint non libenter, minus merentur, & ſic rebus, & deuotionis merito priuantur.* Sic Sanctus. Non ergo altas, & ſumptuoſas debemus conſtruere domos: ſic tamen ſufficientes, ita vt habere poſſint clauſtra, oratoria, officinas congruas pro fratribus, hoſpitibus, & infirmis, hortóſque herbarum, tam pro pulmentario, quàm pro aëris recreatione, vt infirmi refocillentur, ſani conſeruentur, & laſſi in ſpiritualibus ſtudiis recreentur. Sic etiam S. Doctor *ibid.*

CAPVT IV.

De numero fratrum in qualibet domo reſidentium.

[a] Fratres [b] debent [c] eſſe [d] in vna [e] cohabitatione [f] ſaltem [g] duodecim, & [h] præterea [i] vnus, [l] qui [m] Miniſter nominetur, [n] cui [o] fratres [p] repromittere, ac [q] impendere obedientiam [r] teneantur.

EXPOSITIO.

a FRatres. Tam ex Clericis, quàm ex laicis.

b *Debent.* Neceſſariò, hoc enim verbum *debeo,* neceſſitatem ſignificare, *habes ſuprà cap.2. §. 4. lit.v.*

c *Eſſe.* Id eſt, habitare ſimul, cohabitare, vel remanere, ex gloſſ. *eſſe, in l. ſi patronus, ff. de concubinis,* & *ex l. iudex, de iudiciis.*

d *In vna.* Id eſt, in qualibet, vel in vnaquaque.

e *Cohabitatione.* Id eſt, in domo, gratia cohabitandi, hoc enim ſignificat hic hæc dictio, *Cohabitatio:* conſonat illud Pſalm.68. *Fiat habitatio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea:* in quo ſenſu, refertur in cap. *fœlicis, de pœnis in 6.* vbi & gloſſ. Pro cuius explicatione aduerte, quod non ſemel in iure nomina verbalia ponuntur pro proprio nomine rei, vt in *Cod. quæ res pign. obl. poſſunt, l. cum conſtet,* emptio, ponitur pro inſtrumento emptionis, *& ff. de cond. ob cauſam, l. cum quis,* donatio ponitur pro re donata, quod notatum habes apud gloſſ. *habitationem, ff. commodati, vel contra, l. ait Prætor,* & apud gloſſ. *habitationem, ff. de præſcriptis verbis, l. ſi gratuitam.* Sic ergo ſimiliter in præſenti cap. cohabitatio ponitur pro re, quæ inhabitatur, vel cohabitatur.

f *Saltem.* Id eſt, ad minus.

g *Duodecim.* Quia fratres qui quoad renuntiationem proprietatis locum Apoſtolorum tenent, vt cap. *ex auctoritate, 16. quæſt. 1.* & *ibi gloſſ. Apoſtolorum, & gloſſ. tenens, in cap. manus, de conſecrat. diſt. 5.* teneant & eorum numerum, & ſint duodecim electi viri à Domino vero Ioſuë electi (vt ait D. Bonauent. *in expoſ. regulæ,*) ad imitationem duodecim Apoſtolorum, *Ioſue 3.*

h *Et præterea.* Id eſt, & præter hos duodecim fratres.

i *Vnus.* Scilicet alius, vt conſtat (& habes ſimile *ex gloſſ. vnus, in authentic. litem, de Tabell. & ex gloſſ. vnum, ff. commodati, vel contra, l. ait Prætor*) hoc eſt Prælatus, qui inter duodecim fratres locum Apoſtolorum (vt dictum eſt *lit. g.*) tenentes, locum, & vicem Chriſti gerat, & habeat, vt cap. *ſtatuimus, 19. quæſt.3.* & cap. *accuſatio, 2. quæſt.7.* Sitque caput eorum, & rector, & ideo vnus. Quia (vt ait D. Bonauent. *in expoſ. regul. cap.8.*) *Sine vno capite nulla reſpublica ſtare bene poteſt, vnde vnum Apoſtolum Dominus præfecit cæteris.* Et Ezech. 34. dicitur: *Suſcitabo ſuper eos Paſtorem vnum, qui paſcat eos, ſeruum meum Dauid,* & D. Hieron. *in reg. Mon. cap. 1,* ait: *Nulla ars abſque Magiſtro diſcitur, & ſic omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. Imperator vnus, in naui vnus gubernator, in domo vnus Dominus, in quamuis grandi exercitu, vnius ſignum expectatur: non ergo tuo arbitro relinquendus, ſed viuere debes in Monaſterio ſub vnius diſciplina Patris.* Idem Sanctus Doctor (& refertur *in cap. in Apibus, 7. quæſt.1.*) ſic rurſus ait: *In Apibus Princeps vnus eſt, grues vnam ſequuntur ordine literario, Imperator vnus, Iudex vnus, &c.* Vnus ergo debet eſſe Prælatus.

l *Qui.* Prælatus ſcilicet.

m *Miniſter.* Vt dictum eſt *cap. c. 1. liter. p.* nominari debet, iuxta conſilium illius Maioris Miniſtri Chriſti Domini, qui de ſeipſo loquens dixit, *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare:* & loquendo nobiſcum, *quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter Miniſter,* Matth.20. & Marc.10 qui locus refertur ad noſtrum propoſitum à gloſſ. marg. cap. *in omnibus, de conſecrat. diſt.5.* & D. Bonauent. *in cap. 2. ſuæ regulæ,* hoc confirmat dicens: *Nomen autem Miniſtri ſumitur,* Matth. 20. *vbi dicitur, qui maior eſt veſtrûm, erit Miniſter veſter.*

n *Cui.* Nempe Miniſtro.

o *Fratres.* Tam Clerici, quàm laici.

p *Repromittere, ac impendere, &c.* Duo præcipit Pontifex in hac clauſula: nam verbum, *teneantur,* præceptiuum eſt, & neceſſitatem parendi ponit, vt habet gloſſ. *teneantur, in extr. quorumdam, de verborum ſignificatione.* Primum eſt, quod fratres ſuis Miniſtris nouiter electis obedientiam repromittant. Hæc enim erat antiqua conſuetudo Clericorum reſpectu ſuorum Epiſcoporum, vt conſtat ex cap. *legebatur, de maiorit. & obedient.* & *ex gloſſ. ibidem,* & clarius habetur hoc ipſum in cap. *cum dilectus, de relig. domibus,* & hoc denotat verbum repromittere, quod propriè iterum promittere ſignificat, ſicut repetere ſignificat iterum petere, vt habet gloſſ. *repetita, in extr.* quia in futurorum, de torneamentis, & *C. de Epiſcopis, l. repetita.* Verumtamen non eſt neceſſarium, vt fratres ſuis Miniſtris de nouo electis repromittant obedientiam in ſcriptis, ſed ſufficit ſimplici voce tantum. Habetur hoc expreſsè in cap. *legebatur, cit.*

Secundum quod præcipitur eſt, vt fratres teneantur præſtare, & exhibere obedientiam ſuis Miniſtris: hoc præceptum habetur etiam in cap. *cum ad Monaſterium*

naſterium

naſterium, de ſtatu Monach. & capit. *ex parte, de regul.* & adhuc expreſſius, & quaſi fuiſſet datum pro noſtris fratribus, *in* cap. *in omnibus, de conſecr. diſt.* 5. ubi ſic dicitur: *Obedientiam ſecundum canones ſuis Miniſtris exhibeant.* Iure autem optimo ſæpè hoc præceptum Religioſis intimatur, quia ut ait D. Hieron. *in reg. Monach.* cap. 8. *Non eſt Monaſterium, non Religioſi, non Monachi, ubi ſubditis obedientia deeſt erga Prælatum: deſtructioni eſt corpus expoſitum, cum membra diſcordant à capite.*

q *Impendere obedientiam.* Hunc loquendi modum habes in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

q *Impendere obedientiam.* In rebus tamen licitis, & honeſtis: quia in illicitis nec Papæ eſt obediendum: quia potius Deo, quàm hominibus: ſic habetur 11. *quæſt.* 3. cap. *qui reſiſtit*, & cap. *Iulianus*, & cap. *ſi Dominus*, & cap. *non ſemper*, & cap. *ſi is qui præeſt*, & cap. *ſi quis Epiſcopus*, & gloſſ. *per omnia, ex extr. quorumdam, de verborum ſignificat.* concordat. D. Gregor. Papa *lib.* 34. *Moral. cap.* 18. ſic dicens: *Nunquam malum debet per obedientiam fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti.*

r *Teneantur.* Id eſt, obligentur, & adſtringantur. Hanc ſignificationis vim habere hoc verbum, docet *l.* 1. *§. hac actio, ff. ne vis fiat ei, & gloſſ. cit. lit. p.*

Capvt V.

De cura Miniſtri erga ſuos fratres.

TEXTVS.

[a] Omnibus [b] fratribus ſuis, [c] ſicut ſibimet, Miniſter [d] fideliter [e] adminiſtret.

EXPOSITIO.

a OMnibus, &c. Admonitio Pontificis in hoc capite contenta, præceptum eſt juris naturalis, in lege, & Euangelio contentum, quo quis jubetur alij facere, quod ſibi vult fieri, ſicut in eiſdem prohibetur alij inferre quod ſibi nolit fieri. Vnde Chriſtus Dominus *Matth.* 7. ſic ait: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: hæc enim lex, & Prophetæ.* Sic habetur *diſt.* 1. & cap. *placuit, de maioris. & obedientia*, quare *gloſſ. ordinatiſſimam*, in cap. *firmiter*, de Summa Trinitat. ad hoc propoſitum hos adducit verſus.

Quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non tibi, noli:
Sic potes in terris viuere iure poli.

b *Fratribus ſuis.* Imò & filiis, & ideo tanquam filios, & fratres præcipit Trident. (*ſeſſ.* 13. *de reformat. cap.* 1.) Prælatis ſubditos ſuos diligere.

c *Sicut ſibimet.* Quia ordinata charitas à ſe incipit, vt 23. *quæſt.* 5. cap. *ſi non licet, & gloſſ. ſibimet*, in cap. *dilecto, de ſententia excommunicat. in* 6. probat etiam hoc D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 4. *in argumento, Sed contra*, ex illo Leuitic. 19. & Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: ex quo colligitur, quod dilectio hominis ad ſe ipſum eſt ſicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum, ſed exemplar prius eſt, quàm exemplatum: ergo.

d *Fideliter.* Id eſt, diligenter, & legaliter. Colligitur *ex gloſſ. fidelis, in Clement. in agro, de ſtatu Monach.* & bene quidem dicit, fideliter, quia (ut inquit Apoſt. 1. ad Timoth. 5.) *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

e *Adminiſtret.* Id eſt, tribuat, & diſtribuat, ut fidelis diſpenſator, & adminiſtrator, quidquid fratribus neceſſarium fuerit; hoc enim eſt officium proprium Miniſtri, ut ait D. Hieron. in reg. Monach. c. 14. *Reuolue (inquit) ſæpius in mentis arcano, & ſtilo ferreo ſcribe in ſilice cordis, quid Dominus, cuius vices geris, ad ſubditos contendentes Apoſtolos, quis maior eſſet, inſtruxerit, ſequenti die receſſurus ab eis. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper illos, benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed fiat ſicut minor, qui eſt maior in vobis, & ſit præceſſor, ſicut miniſtrator. Diſce igitur à Magiſtro officium, quod tibi iniungitur, ne tuo vicariatu poteſtatis tradita tramitem excedas: nec efficieris certè Dominus, ſed Miniſter; unus eſt enim Dominus, & ſi tibi reliqui fratres, ut Chriſti adminiſtratori, & vicario obediunt, propterea non eſt tradita tibi poteſtas, ut inter fratres hunc eleues, hunc verò deprimas, ſicut velis, ſed quod tibi iniungatur ab inſtitutore regiminis, diligenter inueſtiga; rerum enim omnium Monaſterii, & fratrum ſolicitudo in adminiſtratione, & prouidentia tibi traditur, ut iam cæteris dormientibus fratribus, te deceat noctes crebras inſomnes ducere, & ſenem iunioris animum ſumere pro vtilibus, & neceſſariis domui prouidendis. Itaque non tantus tibi honor, quantum onus imponitur.* Hæc, quaſi ad noſtros Miniſtros loqueretur, Hieronymus.

Capvt VI.

De veſtimentis fratrum.

TEXTVS.

[a] Veſtimenta [b] ſint [c] lanea, & alba, [d] excepta [e] cappa, quæ erit [f] fuſci [g] coloris; [h] poſſintque de-[i]ferre brachas ex [l] lino rudo, [m] quas [n] iacentes [o] non deponant.

EXPOSITIO.

a VEſtimenta. Nota, quod veſtimentorum appellatione veniunt omnia veſtimenta, quæ induendi, præcingendi, amiciendive cauſa fieri à fratribus ſolent. Colligitur *ex l. veſtis, ff. de auro & argento*: imò & caligæ, ut dicitur *in l. argento, ff. cit.*

b *Sint lanea.* Hoc præceptum eſt commune pro omnibus Monachis, ut habes *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* ubi noſter Innocent III. firmiter prohibuit Monachis, *ne* quis illorum lineis camiſiis vteretur: & in cap. *carnem, de conſecrat. diſtinct.* 5. *& gloſſ. ibi, & in Clemens.* 1. *de ſtatu Monach.*

c *Lanea, & alba.* Quia veſtes religioſorum debent eſſe humiles, & deſpectæ, conuenientes tamen honeſtati, & ideo laneæ, & albæ. Sic habes in cap. *vidua*, 20. *quæſt.* 2. & cap. 1. 21. *quæſt.* 4. & cap. *famina*, 30. *quæſt.* 5. *§. at verò.* Vnde Hieron. *in regul. Monach. cap.* 31. ſic ſatis ad noſtrum propoſitum ait: *Pannus itaque veſter, etſi albus, & candidus, tamen groſſus, & vilis ſit, ut & color candorem caſtitatis intrinſecum, & vilitas contemptum terrenorum exhibeant. Hæc gloria Monachorum, hoc ſtudium religioſarum mentium, hoc indicium ſponſarum Dei æterni, hoc ſignum mortuorum ſæculo, ſepultorum cum Chriſto.* Conſonat D. Thom. *lib.* 5. *de erudit. Principis, cap.* 17.

ubi

vbi ſic ait: ***Veſtium ſuperfluitas non habeatur, earum ſuauitas contemnatur, gloriatio in eis caueatur, & intelligatur ornatum corporalem magis eſſe erubeſcibilem, quàm honorabilem, cum ſit ſequela peccati; cum enim Deus ſpiritum pretioſum vili carne induerit, non eſt veriſimile, quod carnem vilem pretioſis indui voluerit.*** Sed de hoc expreſsè ait ipſe Sanctus 2. 2. *quaſt.* 187. *artic.* 6. vbi latè probat *noſtrum intentum.*

d *Excepta.* Excipit Pontifex ex veſtimentis fratrum, vnum quod album non ſit, videlicet cappa.

e *Cappa.* Adde & tu, cum ſuo caputio, & pileo, quæ etiam eſſe debent coloris fuſci.

e *Cappa.* Quæ dicitur talis, vel à capite, vel à verbo capio, eo quòd totum hominem capiat: notat gloſſ. *cappa, in Clementin. ne in agro, de ſtatu Monach.*

f *Fuſci.* Id eſt, obſcuri, vel quaſi nigri coloris, vt colligitur ex gloſſ. offuſcare, *in extr. quia quorundam, & ex l. fuſcanda, & ibi gloſſ. marg. fuſcande, C. qua res pign. vendi non poſſunt.*

g *Fuſci coloris.* Aptè quidem Legiſlator album & fuſcum colorem iungit, & illis vti Monachis præcipit: quia hi colores ſine tinctura ex lana haberi poſſunt, & ideo potius approbati ſunt. Notat gloſſ. *coloris, in Clement. ne in agro. cit.* conſonat etiam D. Athanaſ. *lib. de virgin.* ſic dicens: ***Indumentum tuum uſ... fit, non tinctum, ſed natiui coloris.***

h *Poſſintque deferre brachas.* Imò debent, & poſſunt. Debent quidem neceſſariò deferre brachas, poſſunt tamen liberè deferre illas ex lino rudi. Vtrumque enim ſignificat verbum *Poſſint*, neceſſitatem videlicet, & permiſſionem: notat gloſſ. *poteſtis, in cap. ad decorem, de Inſtitut.*

i *Brachas.* Id eſt fœmoralia, vel fœminalia. Vt habet regul. S. Franciſci *cap.* 2.

l *Ex lino rudo.* Ex lino rudi, debes legere, eſt enim litera mendoſa.

l *Ex lino rudo.* Vel ex lana, quia deferre ex lino rudi, ſolummodo eſt permiſſio, quod autem permittitur, non ſecundum neceſſitatem, ſed ſecundum indulgentiam permittitur, vt ſciat ſe contra regulam nihil facere, ſi quis voluerit ſublimiùs ambulare, vt aduertit D. Bonauent. *cap.* 1. *in expoſit. reg.* poſſunt ergo fratres deferre brachas ex lana.

m *Quas.* Siue ſint ex lino, ſiue ex lana.

n *Iacentes.* Id eſt, dormientes, vel iacentes ad ſomnum capiendum; hoc enim ſignificare hoc verbum habes *in authent. de Monach.* ibi: ***Dormire verò omnes in communi, vnoquoque quidem in propria quadam ſtratura iacente.***

o *Non deponant.* Propter honeſtatem, ſicut propter eandem vigilantes deferunt. Vnde Ambroſ. *lib.* 1. *officiorum, cap.* 18. de brachis ſic ait: ***Sacerdos quoque veteri more (ſicut in Exod. 28. legimus) brachas accipiebant, ſicut ad Moyſem dictum eſt à Domino, & facies illis brachas lineas, vt tegatur turpitudo pudoris: à lumbis vſque ad fœmora erunt, Quod nonnullos noſtrorum ſeruare adhuc fertur. Plerique ſpiritali interpretatione ad cautionem verecundiæ, & cuſtodiam caſtitatis dictum arbitrantur,*** & D. Hieron. *tom.* 3. *epiſt.* 128. loquens de veſtitu Sacerdotis, ſic ait: ***Lineis fœminalibus, quæ vſque ad genua, & poplites veniunt, verenda celantur, & ſuperior pars ſub vmbilico vehementer aſtringitur, vt ſi lapſi fuerint, & fœmora relaxauerint, non pateat quod opertum eſt: vocaturque hoc genus veſtimenti, fœminalia, vel bracha, vſque ad genua pertingentes.*** Concordat etiam D. Bonauent. *loc. cit. cap.* 2. ſic inquiens: ***Braccharum neceſſitas manifeſta eſt in caſibus innumeris, propter humanæ miſeriæ tegumentum.***

CAPVT VII.

De lectis, & ſtraturis fratrum.

TEXTVS.

[a] Iaceant [b] in laneis, [c] ita quod [d] plumea fulcra, [e] vel culcitras, [f] niſi [g] in ægritudine laborantes, [h] in domibus propriis [i] minimè habeant: [l] ceruical verò ad ſuſtentationem capitis [m] permittantur habere.

EXPOSITIO.

a IAceant. Id eſt, dormiant. Colligitur hæc explicatio *ex authent. de Monach. cit. cap.* 6. *lit. n.*

b *In laneis.* Id eſt, in ſtraturis, aut lectulis, non lineis, aut plumeis, ſed laneis compoſitis.

c *Ita quod.* Id eſt, ita vt, vel taliter quod.

d *Plumea fulcra.* Id eſt, lectulos ligneos, & ſtragulis plumeis compoſitos, & ornatos. Fulcrum enim venit à verbo fulcire, quod ſignificat vallare, iuxta illud Cantic. 2. *Fulcite me floribus.*

e *Vel culcitras.* Aut ſtraturas ligneas, & plumeas. Idem enim ſignificatur per ly plumea fulcra, & per ly culcitras, vt colligitur ex illa disiunctiua, *vel*, & ex Seneca *epiſt.* 87. vbi ſic ait: *Culcitra in terra iacet, ego in culcitra ex duabus penulis: altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt.* Et ep. 108. ſic inquit, *Laudare ſolebat Attalus culcitram, quæ reſiſteret corpori: tali vtor etiam ſenex, in qua veſtigium apparere non poſſit.* Non mirum ergo, quod Legiſlator prohibeat Monachis fulcra plumea, vel culcitras molles.

f *Niſi.* Eſt dictio exceptiua, & affirmat, & ponit: quia conſequitur ad illam negationem, videlicet minimè habeant, iuxta id quod *ſup. cap.* 2. §. 5. *lit. m.* eſt habitum.

g *In ægritudine laborantes.* In graui ſcilicet, vel leui infirmitate. Quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, vt ait gloſſ. *depoſiti, Inſtitut. de action.* §. *actionum autem.* Grauis autem infirmitas eſt, v.g. morbus paralyticus, vt habetur cap. *conſultationibus*, de Clerico ægrotante: magna febris, &c. Leuis autem infirmitas eſt febricula, vel vetus quartana, vt habet gloſſ. neque ægritudine, in cap. *placuit, diſtinct.* 18. Aut alia ſimilis infirmitas, de qua *infra*, cap. *de infirmis.* Videatur etiam textus in cap. *ex parte tua*, & in cap. *conſultationibus*, cit. & ibi inuenietur idem modus loquendi, quo vtitur Legiſlator in hoc capite.

h *In domibus propriis.* Ergo in alienis, quando in itinere, ſiue peregrinatione fuerint, bene poterunt fratres plumea fulcra, vel culcitras habere: conſtat, quia quod de vno prohibetur, de alio conceditur, vt habetur *diſtinct.* 25. cap. *qualis, & gloſſ. ibidem, & gloſſ.* in cap. 3. *de ætate & qualitate, gloſſ. fin.* in cap. *ad abolendam, & gloſſ. in cap. fin. de filiis Presbyterorum; & gloſſ. in cap. contingit, de arbitris, & gloſſ. de minoribus,* in cap. *cum voluntate,* §. *fin. de ſentent. excommunicationis:* ſed prohibetur fratribus in domibus propriis habere, & dormire in plumeis culcitris: ergo dormire in prædictis lectulis in alienis domibus illis conceditur. Et bene quidem, ne fortè hoſpitibus oneroſi ſint, & iuſtum eſt, quod viatori permittatur, quod aliàs non viatori negatur, vt habitum eſt *ſup. cap.* 2. §. 6. *lit. o.*

i *Minimè*

k *Minimè habeant*. Id eſt, nullo modo habeant.

l *Ceruical*. Plumeum, aut laneum, ad ſuſtentanda, & fouenda capita dormientium fratrum.

m *Permittantur habere*. Si fratribus placuerit: quia id quod permittitur, liberam habet obſeruantiam, vt habetur in cap. *quiſquis* 14. *quæſt*. 1. his verbis: *Vbi conſilium datur, offerentis conſilium eſt*, de quo etiam *ſuprà cap*. 6. *lit*. *l*, eſt dictum.

tiam præſeferat, vt noſtræ ab inferis Redemptionis memores iugiter perſeuerantes, mente Deum, & proximos diligamus, & ieiuniis, & pœniteotiis nos ipſos maceremus. Sic horum Crucis colorum ſignificationem expoſuit Summus Pontifex Innoc. III. Sanctis Patriarchis noſtris Ioanni, & Felici, poſtquam ob vitæ merita longa oratione laudatos candidis veſtibus induit.

Capvt VIII.

De ſignis in veſtimentis fratrum imponendis.

T E X T V S.

a b c
In cappis, & ſcapulatiis fratrum imponantur
d e f
ſigna Crucis rubei, & cerulei coloris.

EXPOSITIO.

a *IN cappis, & ſcapulariis*. Imponantur ſigna Crucis. In cappa quidem ſuper brachium ſiniſtrum, in ſcapulatio verò ſupra pectus, vt in nobis compleatur deſiderium ſummi Sponſi percupientis eſſe in ſignum ſuper cor noſtrum, in ſignum ſuper brachium noſtrum, Cantic. 8. *Pone me in ſignaculum* (intellige Crucis) *ſuper cor tuum, in ſignaculum ſuper brachium, &c.*

b *Scapulariis*. Vtitur hac dictione gloſſ. *veſtem, in authent. de Monach.*

c *Imponantur*. Id eſt, ſupraponantur.

d *Signa*. Signum eſt res quæ præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe facit in cognitionem venire, vt habetur in cap. *ſignum, de conſecr. diſtinct*. 2.

e *Crucis*. In ſignum videlicet paſſionis Chriſti, vel ad eius mortem (quam pro nobis pertulit) ſignificandam, & repræſentandam (crux enim à cruciatu dicitur, vt habetur in cap. *nulli*, 3. *quæſt*. 4.) in huius enim memoriam videmus in Eccleſiis depictam crucem in altum erigi, & celebramus feſtum Inuentionis illius, vt habetur in cap. *crucis, de conſecrat. diſt*. 3. De cruce loquens D. Auguſt. ſic dicit: *Crux quæ erat ſupplicium latronum, nunc tranſiit ad frontes Imperatorum: ſi tantum honorem Deus contulit ſupplicio ſuo, quantum conferet ſeruo ſuo!* Sic habet gloſſ. cruci, in Clement. Fidei Catholicæ, de fide Catholica, addens quadruplicem cauſam, quare Chriſtus Dominus crucis mortem elegerit. Prima eſt, vt in illa pendens in aëre, ſe inter Deum, & homines mediatorem oſtenderet, vt habetur *ad Timoth*. 2. & cap. *quoniam, diſtinct*. 10. Secunda, vt damna, quæ obuenerant primis parentibus per lignum vetitum, per lignum crucis reſtauret. Tertia, vt diabolum, qui per lignum vincebat, per lignum vinceret, vt habetur cap. *inuenimus, de conſecrat. diſtinct*. 1. Quarta, vt euidenter oſtenderet pro quibus reſtaurandis patiebatur, nempe pro ſuperis Angelorum ruinis replendis, pro iuſtis de limbo educendis, pro amicis colligendis, & adiuuandis, pro inimicis reconciliandis. Primum deſignatur per brachium ſuperius. Secundum per inferius. Tertium per dextrum. Et quartum per ſiniſtrum. Huc vſque gloſſ. & eodem ferè modo loquitur de morte crucis D. Hieron. *tom*. 9. *in ſymbolo Rufini*.

f *Rubei, & cerulei coloris*. Id eſt, rubri, & cœleſtis coloris. Vt Crux qua parte rubra eſt, feruorem charitatis in Deum & proximos ſignet: altera verò, quæ contuſæ carni ſimilis eſt, Chriſti paſſionis memo-

Capvt IX.

De raſura fratrum.

T E X T V S.

a b c d
In raſura Ordinem Sancti Victoris ſequen-
e f g
tur Clerici: Laici verò barbas non radant,
h i
ſed eas creſcere modeſtè permittant.

EXPOSITIO.

a *IN raſura*. De raſura Clericorum diuerſi ſunt modi loquendi apud ius Canonicum: nam in illo aliquando raſuræ, aliquando coronæ, aliquando tonſuræ nomina inuenies, ſic habetur in Clement. *quoniam, de vita & honeſt. Cleric*. Quapropter pro tam varij nominis intelligentia ſcito, quod Clericis deputatis ad diuina myſteria competit raſura, & tonſura, in modum coronæ, ratione figuræ: quia videlicet corona eſt ſignum regni, & perfectionis, cum ſit carens angulo, in ſignum carentiæ ſordium: quia vbi angulus, ibi ſordes: ſe ergo, & alios virtutibus regere, & mundare debent, & ſic in Deo regnabunt. Per raſuram igitur ex parte ſuperiori capilli ſubtrahuntur, ne mens eorum per occupationem temporalem retardetur à contemplatione diuinorum myſteriorum. Tonſura verò ex parte inferiori capillos tondet vſque ad reuelationem ſenſuum, ſcilicet viſus, & auditus, ne oculos, vel aures impediant: & eſt ſignum, quod præſcindenda ſunt vitia cordis, & corporis, ne intuitum diuinorum impediant, & his debetur corona cœleſtis. Vnde *diſtinct*. 24. *cap penult*. habetur, quod Clerici incedere debent detonſo capite, & patentibus auribus. Raſura ergo reſpicit partem ſuperiorem, quam clericalem dicimus: Corona circulum capillorum. Tonſura verò abſciſſionem ipſorum: ſic notatum inuenies apud gloſſ. *in Clement. quoniam, cit*. Ideoque Clerici ex inſtitutione Romanæ Eccleſiæ Coronam raſam in modum ſphæræ, & tonſam habere debent, vt habetur 12. *quæſt*. 1. cap. *duo ſunt*, & *diſtinct*. 23. *prohibere*, & cap. *non licet*. Cum proprietate igitur loquitur textus dum dicit, quod Clerici in raſura, &c. legatur D. Gregor. *lib* 2. *in c*. 29. *Iob*, ſuper illa verba, *& tonſo capite*, & cap. 38. vbi inquit, *quod caput tondere, eſt cogitationes ſuperfluas à mente reſecare*.

b *Ordinem*. Id eſt, Religionem, vt habes *ſuprà, cap*. 1. *lit*. *g*.

c *Sancti Victoris*. Id eſt, Canonicorum Regularium Sancti Victoris, qui adhuc extant Pariſiis, & raſuram, & coronam portant ſicut & nos hodie.

d. *Sequantur Clerici*. Id eſt, fratres ad chorum deſtinati. Clerici enim generaliter nuncupantur omnes qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt, vt habetur cap. *Cleros, diſtinct*. 21. & ideo fratres ad tale miniſterium ordinati, aut deſtinati, Clerici dicuntur, Clerici enim idem ſignificant, ac electi ſorte, eo quod Clericos, in ſuos Deus elegit, vt habetur, cap. *duo*

ſunt

ſunt, 12 *quæſt.* 1. *& diſtinct.* 31. cap. Cleros, & cap. *Clericus*, 12. *q.* 1. vbi ſic dicitur : *Clericus, qui in Chriſto ſeruit Eccleſia, interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur, propterea enim vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt: quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, v. g. ſi aurum, ſi argentum, &c. iſtis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur. Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis eius, neque accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Leuita, & Sacerdos viuo de decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor, habens victum, & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequor.*

e *Laici.* Id eſt fratres ad chorum non deſtinati, vt *infra cap.* 22. *lit. c.*

f *Barbas.* Id eſt, illos capillos qui in mento, & facie hominum ſunt, non radant.

g *Non radant.* Quia hoc proprium eſt Clericorum. Clerici ergo noſtri illas radere debent, quia quod de vno negatur, de alio affirmatur, vt ſuprà *cap.* 7. *lit. b.* eſt habitum. Præterquam quod de hoc eſt præceptum generale datum pro omnibus Clericis in Concilio Carthag. 4. *cap.* 44. & refertur in cap. *Clericus, de vita & honeſtate Cleric.* his verbis : *Clericus neque comam nutriat, neque barbam.* Ruſſus in cap. *Clericus, eod. tit.* & gloſſ. in cap. *Clerici, diſtinct.* 13.

h *Modeſtè.* Id eſt, honeſto modo, qui in omnibus rebus adhibendus, & obſeruandus eſt, vt habetur *ff. de damno infect. l. ex damni.*

i *Permittant.* Id eſt, ſinant creſcere. Vbi aduerte, quod hîc hoc verbum, *permitto*, non ponitur permiſſiuè, ſed imperatiuè, vt ex contextu patet.

CAPVT X.

De Equitaturis.

TEXTVS.

a b c d e f
Aſinos, ſiue mulos liceat eis aſcendere, equos
g h i
verò tantum cum neceſſitas vrgere videatur.

EXPOSITIO.

a ASinos. Eſt animal rude, & pigrum (vt inquit D. Ambr. 6. *hexaem.* 3.) ſeruiens hominibus ad onera ferenda, vnde iumenti nomen habet.

b *Siue.* Id eſt, atque : quia hîc particula, *Siue*, non disiunctiuè, ſed copulatiuè ſumitur, cum potiùs augeat permiſſionem, quàm diſtinguat inter res permiſſas. Quod aliàs notat gloſſ. *ſeu*, in cap. *ego Ludouicus, diſtinct.* 63. *& ff. de auro & argento, l. ſi quis ita, & l. cum quis, §. & his verbis, ff. de legat.* 3. *in ſumma.*

c *Mulos.* Mulus eſt animal ex aſino, & equa natum, vel è diuerſo, ex equo, & aſina, vt eſt manifeſtum, & notat gloſſ. *equas, l. ſi quis vxori, §. ſi quis aſinum, ff. de furtis*, qua de cauſa mulus græcè ſemiaſinus vocatur, vt notat Euſebius *lib.* 9. *de præparatione Euangelij* : alii verò aſinum pulchrum, eum appellant.

d *Liceat' eis.* Sit eis licitum, ſic explicat hoc verbum gloſſ. *liceat, C. de Epiſcop. & Cleric. l. ſi ſeruus.*

e *Aſcendere.* Hoc eſt, equitare. Iuxta illud Iudic. 5. *Qui aſcendiſtis ſuper nitentes aſinos.*

f *Equos.* Eſt animal ſatis notum, aptum ad bellum, & ad curſum. Notat Ariſtot. 6. *hiſtor. animalium, cap.* 22. Quapropter meritò Legiſlator prohibet, ne fratres illos aſcendant, niſi in magna neceſſitate.

f *Equos verò.* Id eſt, at verò equos, vel equas : nam vtrumque continetur equi nomine, *l. legatis, §. penult. ff. de legat.* 3. vbi habetur, quod in equis legatis continentur equæ.

g *Tantum.* Id eſt, dumtaxat, vel ſolummodo.

h *Cum.* Id eſt, quando, *ex gloſſ. ſæpè cit.*

i *Neceſſitas vrgere videatur.* Hoc eſt, quando neceſſitas cogere, & premere videatur. Eo quòd neceſſitas ad equitandum impellat, & inuenire aliud animal ad hoc non ſit poſſibile. Requirit enim Legiſlator neceſſitatem propriam, & abſolutam, vt fratres aſcendere equos poſſint (ita non ſufficit neceſſitas ſecundùm quid) quod conſtat ex verbis ipſiuſmet textus, ſi vis eorum attendatur : nam *vrgens neceſſitas* hoc ſignificat, vt habetur expreſsè cap. *conqueſtus, de feriis*, ibi : *Niſi neceſſitas vrgeat*, iuncta gloſſ. *neceſſitas*, vbi ad hoc probandum aptum exemplum apponit. De hac duplici neceſſitate facit mentionem gloſſ. *neceſſitatem*, 21. *q.* 4. *cap.* 1. & D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 6. *in corpore.*

CAPVT XI.

De Horis Canonicis.

TEXTVS.

a b c d
In Regularibus Horis morem Sanctæ Ro-
e
manæ Eccleſiæ obſeruent.

EXPOSITIO.

a IN *regularibus.* Id eſt, Canonicis. Nam regula idem eſt quod Canon græcè. Notat gloſſ. 1. *in Rubrica de regul. iuris, in* 6. & habetur in cap. *Canon, diſt.* 3. *& gloſſ. Canonicam, in l. placet, C. de Sacroſanctis Eccleſiis, &c.*

b *Horis.* Quæ ſunt ſeptem, ſicut ſeptem dona Spiritus ſancti, ſeptem dies ſæculi, ſeptem ætates, ſeptem petitiones in Oratione Dominica, ſeptem Diaconi, ſeptem Candelabra, & ideo ſeptem horæ. Vnde & verſus.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus, Horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipartit:
Veſpera deponit, tumulo Completa repouit.

Sic habet gloſſ. *ſeptenarius*, in cap. *Presbyt. de celebrat. Miſſarum.*

c *Morem.* Id eſt, conſuetudinem in recitando Officio Diuino : ſed intellige quoad ſubſtantiam officij, non verò quoad modum recitandi, v. g. cantando cum notis, &c. Vtrumque modum loquendi habes in cap. *in die Reſurrectionis, de conſecrat. diſt.* 5.

d *Sancta Romana Eccleſia.* Et bene quidem, vt cœleſtis noſtra religio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus copuletur. Non enim decet membra à capite ſuo diſcedere, ſed potius illud in omnibus ſequi: Habetur in cap. *non decet, diſtinct.* 12. Eccleſia autem Romana caput, & mater eſt omnium Eccleſiarum,

vt definitur *in cap. cit.* & in Trident. *ſeſſ. 7. Can.3. & ſeſſ.24. cap.3.* & cap. *ad abolendam, de heret.* ergo tanquam Caput noſtrum, magiſtram, & matrem illam debemus ſequi. Quia ſuſpecta eſt cuiuſlibet nutricis pietas, quæ affectum putat tranſcendere tantæ matris, vt ait D. Bonav. c.3. *regula.*

d *Sancta Romane Eccleſia.* Eccleſia enim Romana quandoque appellatur Sancta, vt *diſt.* 18. cap. *præceptis, & diſtinct.* 15.cap. *Sancta, & diſtinct.* 19.cap. *in memoriam.* Quandoque verò Sacroſancta, vt *in proœmio lib.6.decret.* & hoc ideo, quia ſacro cruore Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrata eſt, vt dicitur in cap. *fundamenta, de elect.* & cap. 2. *de reliquiis, & ven. in 6. & diſt.*22. cap. *quamuis*, notat gloſſ. *in extr. Sancta Romana.*

e *Obſeruent.* Id eſt, diligenter, vigilanter, & ſolicitè cuſtodiant, ex D. Cypriano ſuper illud Leuit. *Obſerua cuſtodias Domini.*

Capvt XII.

De Miſſa, & Abſolutione defunctorum.

TEXTVS.

[a] Omnibus ſecundis feriis, [b] præterquam [c] in octauis [d] Paſchatis, & [e] Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini, ac [f] Circũciſionis, & Epiphaniæ, [g] & præterquam in feſtiuitatibus Ordinis, [h] & quæ ad colendum pronuntiantur, [i] finita Miſſa [l] pro fidelibus, [m] fiat abſolutio fidelium [n] defunctorum.

EXPOSITIO.

a *Omnibus ſecundis feriis.* Circa hunc ritum aduerte, quod in commemoratione defunctarum, adhuc in lege Euangelica, certi dies obſeruantur: tertia ſcilicet, ſeptima, trigeſima, & quadrageſima. Quæ conſuetudo à veteri Teſtamento ſumpſit exordium, vt habetur io cap. *quia alij*, 13. *q*.2. Nam filij Iacob ſeruauerunt eum aromatibus conditum in Ægypto quadragiota diebus, *Geneſ.* 50. & cum portarent eum ad ſepeliendum, luxerunt eum ſeptem diebus, *Deuteron.* 34. Similiter filij Iſraël luxerunt Moyſen triginta diebus. De initio autem tertiæ diei, ſicut de initio ſacrificiorum, quæ fiunt ſecunda feria cuiuſvis primi meoſis, nihil habetur *in capit. cit.* præcipitur tamen in Miſſali Romano, quod tandem omni ſecunda feria, &c. fiat ſacrificium pro fidelibus defunctis, ut noſter textus præcipit: forſitan habuit principium ex Ragula Monachorum Gamungentium, ot colligi poteſt ex Petro Damiaoo.

b *Præterquam.* Eſt dictio exceptiua.

c *In octauis.* Id eſt, in feriis ſecundis octauarum ſequentiom, nempe

d *Paſchatis.* Id eſt, Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hujus namque dies propriè ſunt, & appellantur Paſcha, ut habetur *diſt.3. de conſecr. quaſi per totam.*

e *Pentecoſtes.* Pentecoſtes dicitur à Pente, quod eſt quinqoe, & à Coſte, quod eſt decem. Quia quinque decies ſunt inter feſtum Reſurrectionis, & Pentecoſtes, computato utroque feſto. Notat gloſſ. *Pentecoſtes, in Clement. ſi Dominum, de reliq. & ven. ſanctorum.* Nota hic & tu, quod Legiſlator excipit hos dies ſpecialiter, & expreſsè (quamuis in generali exceptione, quam io hoc eodem capite facit, illis verbis, *Et in feſtiuitatibus, quæ ad colendum pronuntiantur,* veniant excepti) propter magnam eorum ſolemnitatem. Nec eſt mirum quod ſpecialiter, quibuſdam enumeratis, generale ſubjicitur verbum, in quo ſingula, & alia complectantur. Habes hoc ipſum *ff. de lege Aquil. l. ſi ſeruus ſeruum, §. inquit lex, & Inſtit. de lege Aquilia,* §. 3. ibi: *Quamquam poterat rupti appellatione omnes iſtas cauſas ſufficere.*

f *Circunciſionis.* Hoc eſt, feria ſecunda poſt feſtum Circunciſionis, quia hoc feſtum non habet octavam, ſecundùm Breuiarium Romanum.

g *Et præterquam in feſtiuitatibus Ordinis.* Io feſtiuitatibus videlicet, quas Religio ſpecialiter habet, & de eis ſolemniter dies agit lætitiæ.

h *Et quæ ad colendum pronuntiantur.* Siue ſint feſta, quæ vniuerſalis Eccleſia colit, & celebrat, de qoibus agitur *in cap. pronuntiandum, de conſecr. diſt.3.* ſiue alia, quæ aliqua particularis celebranda pronuotiat.

i *Finita Miſſa.* Id eſt, finito Miſſæ ſacrificio. Miſſa enim à mitteodo dicitur, & repræſentat legationem inter homines, & Deum. Deus enim mittit Filium ſuum Chriſtum in Altari, & iterum mittit Eccleſia fidelis eundem Chriſtum ad Patrem, & offert illum in ſacrificium pro viuis, & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum. Sic S. Thom. & D. Bonauent. & habetur *in cap. viſum, de conſecrat. diſt.*2.

l *Pro fidelibus defunctis.* Tantùm, quia non pro omnibus mortuis, ſed ſolùm pro fidelibus ſacrificium offerri debet: habetur in cap. *non æſtimemus, & ibi gloſſ. omnibus,* & cap. *pro obeuntibus,* & in cap. *tempus*, 13.*q*.2. de hoc agit S. Thom. 4. *ſentent. diſt.*45. *artic.* 2.

m *Fiat abſolutio.* Ideſt, dicatur reſponſorium *Libera me,* cum oratione, *Abſolue* (propter hoc enim abſolutio dicitur) vt præcipitur in Miſſali Romano.

n *Defunctorum.* Id eſt, pro ſpiritibus, vel animabus defunctorum, vt gloſſ. *defunctorum,* cap. *viſum, de conſecrat. diſt.*1.

Capvt XIII.

De Oratione mentali.

TEXTVS.

[a] Singulis [b] diebus (ſi fieri poſſit) [c] in qualibet [d] domo, [e] ad minus [f] per duas horas [g] interpolatas, [h] communis [i] fiat ad Deum [l] mentalis oratio.

EXPOSITIO.

a *Singulis diebus.* Id eſt, omoibus diebus. Sic explicat gloſſ. *ſingula, in l. Caius Seius, ff. de annuis legatis.*

b *Si fieri poſſit.* Videlicet commodè, & conuenienter, vt *ſuprà cap.* 2. §.5. *lit. ſ,* explicatum habes.

c *In qualibet domo.* Id eſt, in omnibus, & ſingulis domibus Ordiois. Quia hæc dictio, *In qualibet,* eſt vniuerſalis, & ſic comprehẽdit omnes, & ſingulas. Notat gloſſ.

gloſſ. marg. *ff. de operis noui nuntiat. l. hoc edicto, §. nunciatio, in verbo, publico, & gloſſ. ſed omnes, in l. ſi pluribus, ff. de leg. & fideicom. 3.*

d *Domo.* Id eſt, Conuentu, vel Monaſterio, *ex authentic. de Monachis.*

e *Ad minus.* Id eſt, ſaltem per duas horas, hoc enim tempus præceptiuè aſſignat Legiſlator: permitti tamen aliis temporibus poſſe etiam ad Deum fratres orare.

f *Per duas horas interpolatas.* Mane videlicet, & veſpere. Quia mane, & veſpere tempus eſt orationis opportunum, vt ait D. Bonauent. *in ſpeculo diſciplina, cap.* 12. juxta illud Pſalm. 54. *Veſpere, & mane, quotidie annuntiabo, & exaudiet vocem meam.*

g *Interpolatas.* Id eſt, diſcontinuatas, diſcretas, & & interruptas. Sic explicatur hæc dicto in cap. *ſunt qui, de pœnitent. diſtinct.* 1. 5. *facilius*, ibi: *Interpolandus eſt* (ſomnus ſcilicet) *gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis*: & *in l. eum qui, ff. de feudis rei privata.* Derivatur enim à verbo interpolo, quod ſignificat loquentem, vel aliquid agentem interrumpere, licèt etiam ſignificet rogare, ſecundum illud Apoſt. *ad Hebr.* 7. qui de Chriſto Domino loquens, ſic ait: *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Aptè autem ſatis Legiſlator monet, vt oratio ſit diſcreta, quia hæc ſecundum ſe conſiderata nequit eſſe aſſidua, cum oporteat aliis operibus occupari, vt ait D. Auguſt. *cit.* à D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 14. & ſanè difficile eſt in longis orationibus attentionem habere, & non generari faſtidium, & ſic diminui feruorem.

h *Communis.* Id eſt, in communitate fiat oratio. Quia Eccleſia in communi orat, vt dicitur Act. 12. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum.* Quia oratio communis, vel multorum, magis eſt exaudibilis, ut inquit Lyra in illud ad Coloſſenſ. 4. *Orantes ſimul.* Vnde Innocentius Papa I. *epiſt.* 10. *ad Aurelium, & Auguſtinum Epiſcopos*, ſic ait: *Gaudere igitur in Domino veſtram germanitatem, amantiſſimi, cupimus, & pro nobis paria ad Deum vota rependere precamur: quia, ut bene noſtis, communibus, & alternis plus agimus orationibus, quàm ſingularibus, aut priuatis.* Et D. Hieronym. in illud Roman. 15. *Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus veſtris.* Sic ait: *Rogat, vt pro eo tota inſtanter oret Eccleſia, quia nouit multum valere preces in communi multorum. Petrus fratrum precibus de carcere liberatur.* Et D. Ambroſ. quem refert D. Thom. *loco citat. artic.* 7. *ad* 3. ſic ait: *Bene rogat Apoſtolus minores pro ſe orare. Multi enim minimi dum congregantur vnanimes, fiunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt, quod non impetrent illud, quod eſt impetrabile.*

i *Fiat ad Deum.* Bene quidem, quia oratio ſecundùm D. Auguſt. eſt pius mentis affectus, directus in Deum. Habetur *de conſecrat. diſtinct.* 1. *capit.* Quando autem: & ſecundum Damaſcenum eſt aſcenſus intellectus in Deum, vel petitio decentium ad Deum, vel deſcendentium à Deo. Facit ad hoc cap. fin. *diſtinct.* 10. *in fine*, & eſt doctrina etiam D. Thom. *loco cit. art.* 1. *in corp. & art.* 17. *& gloſſ. orationes, in Clement. ſi Dominum, de reliq. & ven. Sanctorum.*

l *Mentalis oratio.* Quia religioſi debent præcipuè eſſe orationi, & contemplationi intenti. Habetur in cap. *duo ſunt*, 12. *quaſt.* 1. & cap. *de preſentium*, 16. *quaſt.* 1. ubi dicitur, quod officium Religioſorum eſt quies, oratio, & labor manuum, *& diſtinct.* 36. *capit. fin. & gloſſ. opt.* in cap. *alienus, diſtinct.* 90.

Capvt XIV.

De Oratione vocali.

TEXTVS.

[a] Singulis [b] quoque [c] noctibus, [d] pro ſtatu, [e] & pace [f] Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, [g] ac totius Reipublicæ Chriſtianæ, [h] necnon [i] pro captiuis, [l] & benefactoribus, [m] & his pro quibus [n] vniuerſalis Eccleſia [o] conſueuit orare, [p] communis [q] fiat vocalis oratio.

EXPOSITIO.

a Singulis. Explica vt *ſuprà, cap.* 13. *lit. a.*

b *Quoque.* Id eſt, etiam.

c *Noctibus.* Et bene. Quia qui in domo Dei ſunt, diebus ac noctibus cœleſtibus rebus, & ſpiritualibus debent eſſe intenti. Habetur in capit. *hi qui*, 11. *q.* 5. & Apoſtolus hoc docuit exemplo ſuo, dicens 2. ad Timoth. 1. *In orationibus meis nocte, ac die.*

d *Pro ſtatu.* Id eſt, pro ſalute, & incolumitate. Colligitur hæc explicatio ex cap. *ſi Papa, diſt.* 40. iuncta gloſſ. explicante illa verba, *Pro cuius perpetuo ſtatu.*

e *Et pace.* Quod oratio fieri debeat pro pace, habetur in extr. *diſcipulorum*, de celebratione Miſſarum, inter communes. Vbi etiam datur modus pro illa orandi, & meritò quidem: quia ex euidentia facti colligimus, quod non niſi in pacis tempore bene colitur pacis Auctor, ut habetur *extr. ſuper Cathedram, de ſepultur.* Ipſe enim veniens in mundum, & docuit pacem, & dedit pacem, & reliquit pacem: *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: pacem habete inter vos.* Habetur hoc in cap. *niſi bella*, 23. *quaſt.* 1. unde *in pace factus eſt locus eius.*

f *Sancta Romana Eccleſia.* Et præcipuè pro eius capite, nempe pro Papa. Quia ex eius incolumitate, ſalute, & conſeruatione animaduertimus, ſalutem omnium fidelium, poſt Deum, propenſiùs dependere: habetur hoc in cap. *ſi Papa, cit. lit. d.* Pro vtroque orat Eccleſia dicens: *Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere, & conſeruare digneris.* Et pro Papa, *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, &c.*

g *Ac totius Reipublica Chriſtiane.* Et principaliter pro pace Regum, & Principum, ut admonet Apoſt. 1. *ad Timoth.* 2. dicens: *Obſecro vos fieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt* (refertur in cap. *de hymnis, de conſecrat. diſtinct.* 1.) eo quòd in pace Principum quies & regimen ſeruatur Eccleſiarum, iuxta illud Hieremi. 23. *Quia in pace eorum erit pax veſtra*: ſic gloſſ. in hunc locum Pauli. Pro his orat Eccleſia Deum, vt Regibus & Principibus pacem, & veram concordiam, & cùncto populo Chriſtiano, pacem, & vnitatem donare dignetur.

h *Necnon.* Id eſt, atque, vel, &, quia duæ negationes affirmant, vt *infra, cap.* 16. *lit. o.*

i *Pro captiuis.* Quia ad eorum redemptionem principaliter fuit inſtituta noſtra Religio. Pro his orat Eccleſia, *vt liberet eos Dominus ex omnibus tribulationibus ſuis, & mittat eis auxilium de ſancto.*

l *Et benefactoribus.* Quia orare debemus pro omnibus his, quorum eleemoſynas accipimus, vt habetur in cap. *quia* 10. *quaſt.* 1. & iure naturali adſtringimur benefacere his, qui benefaciunt nobis, ot habetur *ff. de petit. hæredit. l. ſed & ſi*, §. *conſtituit, ff. de furtis. l. etſi pignore*, §. 1. *ff. de condict. indebit. l. non fortem*, §. *libertas, iuncta gloſſ. naturaliter.* Pro his etiam orat Eccleſia, his verbis: *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.*

m *Et his.* Id eſt, atque etiam pro his, pro quibus.

n *Vniverſalis Eccleſia.* Id eſt, Catholica Eccleſia, quæ propriè eſt, & dicitur collectio fidelium, vt habetur *de conſecrat. diſtinct.* 1. cap. *Eccleſia.* Quæ quidem quamuis ſit una, ut dicitur in ſymbolo Nicæno: *Et vnam ſanctam Catholicam Eccleſiam, & diſt.* 15. cap. *Canones.* Quia tamen per totum mundum in multa membra eſt diuiſa, dicitur univerſalis, vt dicitur in c. *Nouitianus*, 7. *quaſt.* 1. & cap. *decimas*, 16. q. 7. & habetur hic modus loquendi in Clement. *ſi Dominum, de reliq. & ven. ſanct.*

o *Conſueuit orare.* Videlicet pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, pro fratribus abſentibus, &c. Quia charitas hoc requirit, vt pro omnibus oremus. Vnde D. Chryſoſtom. cit. à *D. Thom.* 2. 2. *quaſtione* 83. *artic.* 7. *in corp.* ſic ait: *Pro ſe orare, neceſſitas cogit; pro altero autem, charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum eſt oratio, non quam neceſſitas tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.*

p *Communis.* Dic vt *ſuprà, cap.* 13. *lit. h.*

q *Vocalis oratio.* Quæ nil aliud eſt, quàm congeries vocum in Deum ad aliquid impetrandum. Dicitur autem talis ſecundum B. Iſidor. Bernard. Caſſiodor. & D. Thom. *loco cit. art.* 1. *in corp.* ab eo quod ſit quaſi *Oris ratio*, vt aliquid rationabile petatur, aliàs non eſſet oratio.

Nota tamen ex D. Thom. *loco citat. artic.* 4. Quod oratio non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis, Angelis, & hominius porrigitur à nobis, ſed diuerſo modo: nam Deo ſoli orationem porrigimus, quaſi per Ipſum implendam. Sanctis verò, vt eorum precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Quod patet ex ipſo modo, quo Eccleſia vtitur in orando. Nam à Sancta Trinitate petimus, ut noſtri miſereatur: ab aliis autem ſanctis quibuſcumque petimus, ut orent pro nobis.

CAPVT XV.

De ieiunio fratrum.

TEXTVS.

[a] Ieiunent [b] ab idibus Septembris, omnibus [c] feriis ſecundis, quartis, & ſextis, [d] ac diebus Sabbathi [e] vſque ad [f] Paſcha, [g] niſi [h] ſolemnis feſtiuitas interuenerit.

EXPOSITIO CAPITIS.

a IEiunent. Id eſt, comedant ſemel in die. Nam ieiunium eſt vnica in die comeſtio, ſic habetur *de conſecrat. diſt.* 3. *cap. de eſu, & diſtinct.* 4. cap. *denique*, & apud D. Thom. 2. 2. *quaſt.* 147. *art.* 6. Et benè quidem Legiſlator poſt orationem, ieiunia inducit, & abſtinentiam. Quia abſtinentia, orationes, & jeiunia, per breues anguſtias perducunt ad Paradiſi delicias. Vnde D. Ambroſ. de Elia & jeiunio cap. 4. *Gula* (inquit) *de Paradiſo regnantem expulit: abſtinentia ad Paradiſum reuocauit errantem.* Legatur: cap. 2. & 3. & D. Hieron. *in reg. Monach. cap.* 3. ſic ait: *Ieiunium non eſt perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio, & pudicitia, ſine qua nemo videbit Deum; nam per jeiunium oſtenditur nos poſſe ire in Paradiſum, vnde per ſaturitatem eramus eiecti.* Et D. Auguſt. tom. 10. *ſerm.* 30. *de tempore*, quem citat D. Thom. 2. 2. *loco citat. artic.* 3. ſic dicit: *Ieiunium purgat animam, mentem ſubleuat, propriam carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit, &c.*

b *Ab idibus Septembris.* Id eſt, à decimatertia die Septembris (id eſt ſeptimi menſis) incluſiuè. Sic enim ponitur propoſitio *Ab*, in præſenti, vt ponitur in cap. *tregua, de pace.* Hæc enim erat conſuetudo antiquiſſima SS. Patrum, vt affirmat Petrus Damianus *opuſc.* 14. & 15. *cap.* 6. & 15. de Ordine Eremitarum fontis Avellani.

c *Feriis ſecundis, quartis, & ſextis.* Quia hi dies ſunt verè feriæ legitimæ, vt habetur *diſtinct.* 82. cap. *Presbyter, & de conſecrat diſt.* 3. cap. *jeiunia*, & innuit text. in cap. *qui compulſus*, 22. *quaſt.* 1. & eſt obſeruantia Eremitarum fontis Auellani, vt dicit Petrus Damianus *loco citat.*

c *Feriis ſecundis, quartis, & ſextis.* Id eſt, diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris. Quia licèt feria propriè accipiatur pro feſto, vt infrà; nihilominus tamen omnis dies vocatur feria, vel à fando, eo quòd qualibet die fabatur Deus, Geneſ. 1. vel quia ſingulis diebus fari poſſumus in diuinis, vel humanis: ſic habet gloſſ. *feriam quintam*, in Clement. *ſi Dominum, de reliq.* &c.

d *Ac diebus Sabbathi.* Propter reuerentiam dominicæ ſepulturæ, vt habetur in cap. *Sabbatho, de conſecrat. diſt.* 3.

e *Vſque ad Paſcha.* Quia poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten non eſt jeiunandum, vt habetur in cap. *ſcire, diſtinct.* 76. Niſi fortè aliquis deuotionis cauſa id voluerit, vt habetur *cap.* 9. & 10. *ſequenti.* Vnde D. Ambroſ. *lib.* 8. *ſuper cap.* 17. *Luc.* ſic ait: *Per hos quinquaginta dies (à Paſcha ſcilicet vſque ad Pentecoſten) jeiunium neſcit Eccleſia, ſicut Dominica, qua Dominus reſurrexit, & ſunt omnes dies tanquam Dominica.*

f *Paſcha.* Quod interpretatur tranſitus Domini, vt habetur *de conſecrat. diſt.* 4. cap. *per aquam*, & notat gloſſ. *Paſcha*, in cap. *qui ſanctius, de pœnitentia diſt.* 1. Erat enim hoc feſtum præcipuum Iudæorum in memoriam egreſſionis de Ægypto, & tranſitus maris rubri.

g *Niſi.* Hæc dictio ponitur hic exceptiuè, non expoſitiuè, vt aliàs. Nam hoc duplici modo ſumitur, & ponitur dictio *Niſi*, vt notat gloſſ. *non facilè, in l. teſtium*, Cod. *de teſtibus.*

h *Solennis feſtiuitas interuenerit.* Id eſt, niſi aliqua ex ſolennitatibus, quæ numerantur, *de conſecrat. diſtinct.* 3. *cap.* 1. & *de feriis cap.* 5. (vel alia ex feſtiuitatibus noſtri Ordinis) occurrerit in prædictis feriis ſecundis, quartis, &c. Nam omnes, quæ ibi numerantur, ſolennes ſunt feſtiuitates, vt expreſsè habetur in cap. *conqueſtus, de feriis*, ibi: *Quibus utique ſolennibus feriis.* Sunt autem omnes feſtiuitates Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Mariæ Matris eius, Pentecoſtes, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum, & denique (vt vnico verbo dicam) omnes feſtiuitates, quæ ad colendum pronuntiantur. Facit ad hoc probandum. Primò, quod feſtus dies idem ſit, ac dies ſolenniter

ſolemniter lætus, & feriatus, vt habet Lauretus verbo *Feſtus dies*, & colligitur ex cap. *conqueſtus*, *cit.* Secundò facit textus in cap. *vtinam*, *diſt.*76. io illis verbis: *Neque hoc dico, quod Dominicis diebus*, aut (vt alij melius legunt) *feſtiuis diebus ieiunandum putem.* Terriò, facit gloſſ. *præcipuis*, in cap. *quoniam*, *de feriis*, vbi dicit, quod præcipuæ feſtiuitates ſunt omnes illæ quas nos enumerauimus. Idem autem profectò eſt præcipua feſtiuitas, ac ſolemnis feſtiuitas, ut expreſsè habetur *in cap.*1. *&* 2.15. *quæſt.*4. *iuncta gloſſa.* Rurſus facit gloſſa *ad honorem*, in cap. *ad honorem*, & gloſſ. *privilegiis*, in cap. *quia non*, *de auctorit. & vſu pallij.* Vbi dies ſolemnes (in quibus Archiepiſcopus vſum pallij poteſt exercere, vt cap. *cum ſis*, concedit) dicunt eſſe illos dies, qui numerati ſunt in c. *conqueſtus*, *cit.* Quartò facit lex fin. & *l. omnes*, *Cod. de feriis.* Vbi omnes dies feſtiui vocantur dies ſolemnes, & ſolemnes feriæ, & tandem non nihil facit, quod prædictos dies excipit à ieiunio Regula Eremitarum fontis Auellani, vt dicit Petrus Damianus *opuſc.* 14. *&* 15. *cap.* 6. & propter eorum ſolemnitatem conceſſit Eugenius IV. Benedictinis, ne ieiunarent, vt habetur in eorum cump. *conceſſione* 6.

TEXTVS §. II.

a b e
Sic tamen, vt ab Aduentu Domini vſque ad
d e
Natiuitatem Dominicam, & à Quinqua-
f
geſima vſque ad Paſcha, ſingulis diebus,
g h
exceptis Dominicis, in cibo Quadrageſi-
i
mali ieiunent, & alia ſimiliter ieiunia, quæ
l m n
conſueuit Eccleſia celebrare.

EXPOSITIO.

SIc. Eſt verbum conſecutiuum ad ſequentia. Notat gloſſ. 1. in cap. *ſic populus*, 1. *quæſt.* 1.

b *Tamen.* Indicat Legiſlator per hæc verba, majorem abſtinentiam eſſe habendam in ieiuniis Aduentus, & Quadrageſimæ.

c *Vt ab Aduentu Domini.* Quod autem per totum Aduentum ieiunandum ſit à Clericis, admonet Innocent. III. in cap. *conſilium*, *de obſeruat. ieiunii*, illis verbis: *Ieiunium apud nos in Aduentu Domini agitur.*

d *Vſque ad Natiuitatem Dominicam.* Id eſt, vſque ad Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

e *Et à Quinquageſima vſque ad Paſcha.* Hoc ipſum ordinauit D. Greg. relatus in c. *denique*, *diſt.*44. pro omnibus Eccleſiaſticis, his verbis: *Sacerdotes, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtici gradus exornat, à Quinquageſima propoſitum ieiunandi ſuſcipiant, quo & aliquid ad penſum Sanctæ inſtitutionis adiiciant, & eorum, qui in laicali Ordine conſiſtunt, obſeruantiam, ſicut loco, ita & religione præcedant*: de quo etiam agitur *in cap.* 4. *&* 5. *antecedentib.*

f *Singulis diebus.* Id eſt, omnibus diebus, vt ſæpè eſt habitum.

g *Exceptis Dominicis.* Quia in his diebus, non eſt ieiunandum. Præcipitur hoc in c. *ieiunium*, *de conſecr. diſt.*3. *& diſt.*50. c. *ſi quis Presbyter*, *& diſt.*76. c. *poſt Paſcha*, & cap. *vtinam*, *ſequenti.* Vnde bene D. Ambr. prædictos dies à ieiunio liberat, vt *ſupra*, §. 1. *lit. e*, eſt habitum, ſicut etiam Regula Eremitarum fontis Auellani, vt teſtatur Petrus Domianus *loco citato.*

h *In cibo Quadrageſimali ieiunent.* Id eſt, ſe abſtinendo à lacticiniis, & ouis. Quod ſi inquiras, quare in aliis ieiuniorum diebus non prohibemur veſci ouis, & caſeo; ſic verò in ieiuniis Aduentus, & Quadrageſimæ? Reſpondetur, quod duplici ratione principali. Sit prima deſumpta ex D. Gregor. in cap. *denique*, *diſtinct.*4. Quia par eſt, vt quibus diebus (adhuc videlicet Dominicis) à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis. Sit ſecunda deſumpta ex D. Thom. 2. 2. *q.*147. *art.*8. *ad* 3. Quia inter omnia alia ieiunia, ſolemnius eſt ieiunium Quadrageſimæ, & Aduentus. Ideoque meritò in iis nobis interdicuntur à Legiſlatore oua, & lacticinia.

i *Et alia ſimiliter ieiunia.* Id eſt, & etiam pari modo ieiunent alios dies, quos

l *Conſueuit.* Id eſt, præcipit, & conſueuit

m *Eccleſia.* Vniuerſalis, vel Romana.

n *Celebrare.* Id eſt, ieiunando colere. Quia conſuetudo generalis Eccleſiæ pro lege habenda eſt, & ſeruari debet, ut habetur in cap. *explicari*, *de obſeruat. ieiunii*, & cap. *in his rebus*, *diſtinct.* 11. & cap. *diuturni*, *diſtinct.* 12. & cap. *Pernicioſus*, *de celebratione Miſſarum.*

TEXTVS §. III.

a b e d
Poſſit tamen quandoque Miniſter ieiunium
c f g h
cum diſcretione relaxare, propter ætatem,
i l m n
ſeu itinerationem, aut aliã iuſtam cauſam:
o p q
vel facultate inſpecta, etiam augmentare.

EXPOSITIO.

POſſit. Licitè, & liberè, id eſt, ſi voluerit. Quia verbum, *Poteſt*, negatione præcedente, importat præciſam neceſſitatem, aliàs libertatem dicit: Notat gloſſ. *in reg. beneficium*, *de regulis iuris in* 6. *& gloſſ. marg. in l. cum hæredi*, *ff. de acquirend. vel amit. hæreditate.*

b *Quandoque.* Id eſt, nonnunquam, aut aliquando. Sic explicat hanc dictionem gloſſ. *nonnunquam in in extr. nonnunquam*, *de verbor. ſignificat.* vel melios, quandoque, id eſt ſæpius, licèt non ſemper. Sic explicat gloſſ. *quandoque*, cap. *quod nonnullis*, *de privileg.* Sed verius ad intentum ſic explica. Quandoque, id eſt, quandocunque. Sic gloſſ. *quandoque*, in cap. *quod nonnullis*, *cit.* & gloſſ. *quandocunque*, *l. in ſubſtitutione*, *ff. de vulg. & pupil. ſubſtitut.* & gloſſ. *quandoque*, *in l. ſi ita quis*, *ff. de leg. & fideicommiſſ.* 1. vbi notat, quod hæc interpretatio tam benigna contingit propter verbum, *Poteſt*, quod antecedit: nam hoc eſt extenſiuum ad futura, etiamſi ſit præſentis temporis.

c *Miniſter.* Diſpenſatio enim propriè ad Prælatos pertinet, vt *infra*, *lit. f.*

d *Ieiunium.* Quod tale dicitur à quodam inteſtino ſic vocato. Quia ut in plurimum eſt vacuum, & exinanitum. Quare ad inſtar illius dicitur ieiunium, propter abſtinentiam, & euacuationem.

e *Cum diſcretione.* Id eſt, diſcretè, & ſeparatim, modò cum uno fratre, modò cum altero, non ſimul cum omnibus fratribus. Colligo hanc explicationem, tum ex eiſdem verbis legis: nam verbum *Diſcretio*, in dicto ſenſo ſumitur in cap. *alieni*, 3. *quæſt.* 4. & in cap. *ieiunium*, *de conſecrat. diſtinct.* 3. & facit etiam gloſſ. *diſcretè*, *in l. ex hoc*, *ff. de iuſtitia & iure.* Tum

etiam, quia cauſæ, quas Legiſlator ad diſpenſandum aſſignat, nunquam repetiuntur ſimul in omnibus fratribus, ſed ſingulariter tantum in aliquibus, ut conſtat.

f *Relaxare.* Id eſt, diſpenſare. Nam diſpenſatio nihil aliud eſt, quàm relaxatin juris, ſacta ab habente auctoritatem, penſata vtilitate, & neceſſitate. Sic habet gloſſ. in cap. *requirit*, §. *niſi rigor*, 1. *quaſt*. 7. *& gloſſ. detrahendum*, in cap. *vt conſtitueretur, diſtinct.* 50.

g *Propter.* Incipit Legiſlator aſſignare cauſas, propter quas poſſit Miniſter cum ſuis fratribus in ieiunio diſpenſare. Quia ut diſpenſatio ſit licita, & juſta, ſemper debet fieri ea juſta, & rationabili cauſa, & Prælatus aliter diſpenſans, non diſpenſator, ſed diſſipator eſt dicendus, ut dicit D. Bernard. *lib. de diſpenſatione, & præcepto.*

h *Propter ætatem.* Prima, & juſta cauſa diſpenſandi, eſt tempus, & ætas: juvenilis, videlicet, vel ſenilis. Colligitur ex cap. *neceſſaria*, & cap. *pro remedio*, 1. *quæſt.* 7. & cap. *fraternitatis*, *diſtinct.* 34. ubi habetur, quod defectus noſtri temporis, quibus non ſolum merita, verum etiam & corpora ipſa defecerunt, diſtrictionis illius non patitur habere cenſuram. Pro quo nota, quod ætates hominum ſunt ſeptem (non tantum quatuor, vt voluit gloſſ. *à prima ætate, in l. hæreditatum, ff. ad l. Falcidiam*) infantia, & durat uſque ad 7. annum. Pupillaris, ad 14. in mare: Pueritia, ſeu Pubertas, ad 18. Adoleſcentia, ad 25. Iuventus, ſeu virilis ætas, ad 50. & aliquando ad 60. Senectus ad 80. & decrepita, ad 100. annos. Sic habet gloſſ. Inſtit. non ſolum, de adoptionibus, verbo Decem & octo annis. Iuvenilis ergo ætas erit uſque ad 21. annum. Senilis verò à virilis ætatis fine. Hæ igitur ætates in fratribus ſunt juſtæ cauſæ, ut Prælatus in ieiunio cum ipſis diſpenſare juſtè, & licitè poſſit, & eſt doctrina D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *ad* 2. *& ad* 5.

i *Seu.* Eſt dictio ampliativa, habetùr *in l. ſi quis ita, ff. de auro, & argento legato*, 1.

l *Itinerationem.* Ad minus trium milliarium. Nota hìc, quod ex his duabus diſpenſandi cauſis, clarè conſtat, Prælatum tantùm habere poteſtatem diſpenſandi diſcretè cum uno, vel altero. Quia tota communitas, aut omnes fratres ſimul, rarò, vel nunquam diſpenſationę indigent, propter ætatem, vel viam.

m *Aut.* Eſt etiam dictio ampliativa, vt habitum eſt *ſupra, lit. i.* de dictione, *Seu.*

n *Aliam juſtam cauſam.* Vt eſt neceſſitas corporalis, ex labore, vel infirmitate orta, ut habetur *in cap. tali*, 1. *quæſt.* 7. vel neceſſitas ſpiritualis cauſata ex occupatione alicuius piæ cauſæ, ad vitam ſpiritualem neceſſaria, ut habet D. Thom. *loco cit. ad* 3.

o. *Vel.* Id eſt, *&*: hìc enim hæc dictio, *vel*, pro *&*, ſumitur, vt ex ſenſu textus conſtat. Nec mirum, quia ſæpè diſiuncta pro conionctis, & coniuncta pro diſiunctis accipiuntur, ut habetur *in l. ſæpe, ff. de verborum ſignificatione, & ibi gloſſ.* & ſic accipitur *in extr. ſi fratrum, ne ſede vacant. aliquid innov. & ibi gloſſ. verb. obtenta, & gloſſ. fin.* in cap. *mandato, de procuratoribus, & gloſſ.* 1. *in reg. locupletari, de reg. juris in* 6. *& gloſſ. in cap. fin.* 32. *quæſt.* 2.

p *Facultate inſpecta.* Id eſt, attenta facultate, ſeu vigore fratrum.

q *Etiam augmentare.* Semper etiam propter aliquam juſtam cauſam, & cum diſcretione. Quia contrariorum eadem eſt ratio, ut habet gloſſ. & ita & hic, *l. ei ſi contra, de vulg. & pupil. ſubſtitut. & ad l. Falcidiam, l. ſi hæres inſtitutus, & l. ſi mandato*, §. *Quoties.*

CAPVT XVI.

De abſtinentia à carnibus.

TEXTVS.

Carnibus [a] veſci [b] liceat [c] tantum in [d] Dominicis diebus à [e] Paſchate [f] vſque ad Aduentum Domini, & à [g] Natali [h] vſque ad Septuageſimam, ac [i] in [l] Natiuitate, & [m] Epiphania, & [n] Aſcenſione Domini, [o] nec non [p] Aſſumptione, & [q] Purificatione Beatæ Mariæ, & in feſtiuitate [r] Omnium Sanctorum: atque etiam in [s] infirmitate, cum [t] licentia tamen [v] ſui Miniſtri.

EXPOSITIO.

a *Carnibus veſci.* Id eſt, carnes comedere, vel manducare.

b *Liceat.* Id eſt, ſit licitum fratribus.

c *Tantum.* Id eſt, ſolummodò, vel dumtaxat. Eſt enim *Tantum*, dictio reſtrictiva orationis, ut habetur cap. *quamvis*, *diſt.* 50.

d *In Dominicis diebus.* Fauet huic clauſulæ Regula textus in cap. *ab exordio, diſtinct.* 37. & cap. *carnem, de conſecrat. diſtinct.* 5. Quatenus in hoc prohibetur Monachis carnes edere, niſi in infirmitate. Vnde D. Hieron. *in Regul. Monach. cap. de Abſtinentia*, ſic ait: *Scimus ab Apoſtolo*, 1. *ad Timoth.* 4. *dictum, Omnis creatura Dei bona, quæ cum gratiarum actione percipitur: ſed idem loquitur; Rom.* 14. *Bonum eſt carnes non manducare: Comedant carnes, qui carnibus ſeruiunt. Quorum feruor deſpumat in coitum, eorum inteſtina carnibus repleantur.* Et D. Bernard. *ſerm.* 66. *ſuper Cantic.* ſic ait: *Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutrio carnem, ſimul & carnes nutriant vitia.*

Si dubites, quare in Dominica die potiùs quam in alia indulget nobis Legiſlator carnibus veſci. Reſpondeo, ideò quia hæc dies eſt maioris venerationis, quia in illa fecit Dominus quidquid inſigne fecit. Habetur in cap. *quod die, diſtinct.* 75. *& gloſſ. Quinta, in cap. ieiunium, de conſecrat. diſt.* 3.

e *A Paſchate*, Incluſiuè nam præpoſitio *A*, incluſiuè ponitur, vt in cap. *aliter*, *diſtinct.* 31.

f *Vſque ad Aduentum Domini.* Id eſt, vſque ad primam Dominicam Aduentus excluſiuè. Quia eadem eſt ratio de prima, ac de aliis Dominicis Aduentus: at ubi par eſt ratio, ibi debet eſſe & par iudicium. ut habet gloſſ. 1. in cap. *præcepit*, *& gloſſ.* 2. *in cap. apud*, 32. *quæſt.* 5. Et licèt hæc dictio, *Vſque*, quandoque incluſiuè ponatur, ut in cap. *ſtatutum, de hæreticis in* 6. & in cap. *nemo, diſtinct.* 32. multoties tamen etiam excluſiuè ponitur, vt in cap. *eos qui* 3. *quæſt.* 1. Quando autem incluſiuè, vel excluſiuè ponatur, colligi debet ex eo quod plus, vel minus amicetur iuribus, aut aliàs per coniecturas conſtet de mente loquentis, vt notat gloſſ. in cap. 1. *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit.*

g *A Natali.* Incluſiuè, vt conſtat ex dictis *lit. e. & infra, lit. l.*

h *Vſque*

h *Vſque ad Septuageſimam.* Excluſivè, conſtat ex dictis *lit. f.*

i *Ac.* Id eſt, atque.

l *In Natiuitate.* Domiui noſtri Ieſu Chriſti, etiamſi incidat dicta feſtiuitas in feria 6. (aut Sabbatho, cùm eadem ſit ratio.) Habetut hoc expreſsè in cap. *explicari, de obſeruat. jejun.* vbi ſic dicitur: *Reſpondemus, quod illi, qui nec voto, nec Regulari Obſeruantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Natiuitatis Dominica die ipſo venire contigerit, carnibus, propter feſti excellentiam, veſci poſſunt.*

m *Et Epiphania.* Quæ dicitur talis, ab Epi, quod eſt ſupra, & Phanos, quod eſt ſonus. Quia ſonum deſuper acceperunt Magi, ut per aliam viam redirent. Vel à Phamainoi, quod eſt apparere. Quia eis deſuper apparuit ſtella ſupra vbi erat puer. Vnde dicitur Epiphania, id eſt, Superapparitio. Sic haber gloſſ. *Epiphaniarum, C. de feriis, l. omnes dies.*

n *Aſcenſione Domini.* Nota hîc, Innocent. III. conceſſiſſe fratribus carnibus veſci in omnibus ferè feſtiuitatibus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tunc autem temporis nondum erat inſtituta ſolenniſſima feſtiuitas Corporis Chriſti, nec feſtiuitas Transfigurationis eius.

o *Necnon.* Id eſt, *&.* Nam duæ negationes affirmant, & reſoluuntur in vnam affirmationem, & operantur copulam, ac ſi diceret, *&.* Sic haber gloſſ. *necnon, in Clement. judices, de offic. & pot. jud. deleg. ff. de verbor. ſignificat l. duobus, & extr. cum inter nonnullos, de verbor. ſignificat. & extr. qua nonnunquam, eod. tit.*

p *In Aſſumptione.* Propter excellentiam tanti feſti: nam inter feſtiuitates B. Mariæ, hæc eſt ſolemniſſima. Habetur in cap. *alma mater, de ſentent. excommunic. in 6. & ibi gloſſ. Aſſumptionis, & in cap. 1. de obſeruat. jejun.*

q *Et Purificatione B. Mariæ.* Etiamſi hæc feſtiuitas incidat poſt Septuageſimam. Nam licèt vniuerſaliter Pontifex ſolùm indulgeat veſci carnibus in Dominicis diebus à Paſcha vſque ad Adventum Domini, & à Natali vſque ad Septuageſimam. Nihilominus tamen hæc lex, cum ſit lex prior vniuerſalis, & generalis, limitatur, & modificatur per illam ſpecialem poſteriorem, videlicet, *Et in Purificatione B. Mariæ.* Sicut in jure paſſim habetur, *C. de Sacroſanct. Eccleſ. l. 1. & 1. diſt. cap. omnes leges, & extr. de priuileg. cap. vt priuilegia, §. illud, de ſentent. excommunicat.* cap. *ſi verò.*

r *In Purificatione.* Tum quia eſt feſtum etiam Natalis Chriſti Domini. Tum etiam, quia in hac die Sanctiſſimi noſtri Patriarchæ induti ſunt veſte ſuæ Religiunis ab Innocent. III. in Lateranenſi Palatio, vt narrant Hiſtoriæ.

r *In feſtiuitate Omnium Sanctorum.* Hoc eſt, in feſtiuitate, in qua Kalend. Nouembris generaliter Omnium Sanctorum fit commemoratio, ut in hac ipſorum celebratione communi, quidquid in propriis ipſorum feſtiuitatibos omiſſum extitit, ſolvatur, vt habetur in Clement. ſi Dominum, de reliq. & ven. Sanctorum.

ſ *Atque etiam in infirmitate.* Carnis videlicet; & meritò quidem, quia cum infirmitas carnis turbet concordiam elementorum, ſeu humorum, qua turbatione ipſa caro afficitur, & tandem diſſoluitur, jure ſibi vendicat, vt carne reficiatur, ut habetur 15. *quaſt.* 1. cap. *illud*, §. Itaque, & cap. *carnem, de conſecr. diſtinct.* 5.

ſ *In infirmitate.* Graui, vel leui. Quæ autem ſit infirmitas grauis, quæve leuis, *ſuprà cap.* 7. eſt habitum, *& infrà cap.* 22. amplius dicetur.

t *Cum licentia tamen.* Hîc aduertere Prælatis debemus, quod deſiderium infirmorum, cùm vrgens neceſſitas exigit, libenter ſupportent, quia & debent, vt maius in eis periculum euitetur, ut habetur cap. *conſilium, de obſeruat. jejun.*

v *Sui Miniſtri.* Generalis videlicet, Prouincialis vel Conuentualis.

Capvt XVII.

De emptione rerum ad victum Fratrum.

TEXTVS.

[a] Poſſint emere [b] ad ſuum victum [c] quidquid fuerit [d] neceſſarium, [e] ex his quibus veſci licet.

EXPOSITIO.

a *POſſint emere.* Licitè, & liberè: nam per Bullam Innocentij III. hoc erat fratribus prohibitum, ſed indultum fuit datum à Sanctiſſimo noſtro Vrbano Papa VIII.

b *Ad ſuum victum.* Hoc eſt, ad victum ipſorum fratrum, ſuorum domeſticorum, & hoſpitum.

c *Quidquid.* Id eſt, omne, vel totum, vt ſuprà *cap.* 2. §. 6. *lit. r.* eſt explicatum.

d *Neceſſarium.* Simpliciter, & ſecundùm quid. Hoc eſt, quidquid neceſſarium fuerit ad vitam conſervandam, & ad commodè viuendum. Totum enim hoc ſignificat hæc dictio, *Neceſſarium*, largè ſumpta, vt habetur in cap. *neceſſaria*, 12. *quaſt.* 1. *& gloſſ. neceſſitatem*, in cap. *omnis jactantia*, 21. *quaſt.* 4.

e *Ex his quibus veſci licet.* Id eſt, ex omnibus cibariis, quibus veſci fratribus non eſt prohibitum.

Capvt XVIII.

De ſobrietate in potu habenda.

TEXTVS.

[a] Vinum [b] ſumendum [c] à fratribus [d] taliter temperetur, [e] ut [f] ſobriè [g] ſumi valeat.

EXPOSITIO.

a *VInum.* De ſobrietate multa habemus præcepta, atque conſilia, apud Concilia, & Patres: nam in primis noſter Innocent. III. *in Concil. Lateran. cap.* 15. *& Can.* 3. & refertur in cap. *à crapula, de vita, & honeſt. Cler.* præcipit, ut Clerici vinum ſibi temperent, & ſe vino. Et in Concil. Nannetenſi (& refertur in cap. *quando, diſtinct.* 44.) habetur, Clericos adeò in potu ſobrios eſſe debere, vt vltra trinam vicem bibere non deberent. Quibus ſcitis, quid velit Legiſlator *in hoc cap.* facilè intelligetur.

a *Vinum.* De vite. Quia hoc ſolum abſolutè, & ſimpliciter dicitur tale. Quare *in l. ſi quis vinum, ff. de tritico, vino, oleoque.* dicitur, quod vini appellatione non continetur Mulſum, Zytum, Camum, Ceruiſia, & cætera bujuſmodi.

b *Sumendum.* Id eſt, bibendum.

c *A fratribus.* Tam in Refectorio, quàm extra: tam in communi, quàm in particulari, vt colligitur ex Conciliis citatis *lit. a.*

d *Taliter temperetur.* Id eſt, tali modo temperetur

tur aqua ab ipſo porrigente, vel ſumente.

e *Vt.* Quod.

f *Sobriè.* Id eſt, cum ſobrietate, moderatione, & menſura. Nam nomen, *Sobrietatis*, dicitur à menſura. Dicitur enim aliquis ſobrius, quaſi briam, id eſt menſuram ſervans, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 149. *artic.* 1.

g *Sumi valeat.* Id eſt, poſſit à fratribus ſumi. Nam vinum ſic ſumptum adeò profectò eſt ſalubre, non ſolùm ſaluti corporis, verùm etiam & animæ, vt ab omnibus ſumi deberet. Vnde *Eccleſ.* 31. dicitur: *Æqua vita hominis vinum in ſobrietate potatum.* Et rurſus: *Exultatio animæ, & corporis vinum moderatè potatum.* Et Apoſtol. dicit 1. ad Timoth. 5. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & infirmitates frequentes.*

Vnde D. Hieron. *in reg. Monach. c.* 36. ſic ait: *Quod ſi ſumere cogit penè ipſa neceſſitas, tunc aut ſit debile vinum, aut ſic aqua permixtum præbeatur in potum, quod nequaquam ex fumoſitatibus repletum caput ridiculoſa, aut puerilia verba depromat.* D. Ambroſ. lib. 3. hexaëm. cap. 17. ſic inquit: *Vinum ſobriè potatum ſanitatem dat, auget prudentiam: immedicè ſumptum, ad vitia cauſat.* Et lib. 1. de virginitat. *Cibi parſimonia, potus abſtinentia, docet vitia neſcire; quia docet cauſas neſcire vitiorum.* D. Bernard. ſermon. 25. ad ſororem. *Tu ergo* (inquit) *ſoror in Chriſto amabilis, bibe vinum temperatum, & erit tibi ſanitas corporis, & mentis. Bibe vinum cum ſobrietate, & auferet à te pigritiam, atque deſidiam, & in Dei ſeruitio te faciet ſolicitam, atque deuotam. Quare? Quia vinum temperatè potatum facit hominem ad orationem ſolicitum, & in Dei ſeruitio acutum*, & tandem D. Auguſt. *tom.* 9. *cap.* 2. ſic ait: *Vini medicamentum plus juſto ſumptum, eſt venenum.*

Capvt XIX.

De abſtinentia extra proprias domos ſeruanda.

TEXTVS.

[a] In ciuitatibus, [b] in villis, [c] ſiue caſtellis. [d] in quibus proprias domos [e] habuerint, [f] nihil omnino [g] extra domos illas, [h] niſi [i] fortè in [l] domo Religionis, [m] etiamſi à [n] quouis [o] rogentur, comedant, vel bibant, [p] niſi fortè [q] aquam [r] in domibus honeſtis. [s] Nec pernoctare [t] præſumant extra hujuſmodi domos.

EXPOSITIO.

a IN *ciuitatibus.* Ciuitas, ſecundùm Canones, propriè eſt oppidum, quod habet Epiſcopum. Habetur *diſtinct.* 85. *cap. in illis.* Et licèt ciuitatis nomine in materia odioſa, multoties non veniat aliud, quàm id quod eſt intra mœnia ipſius. In præſenti tamen capite nomine ciuitatis, etiam comprehenduntur ſuburbia, & mille paſſus à muro ciuitatis: quia aliàs diſpoſitio legis in eodem capite contenta, & concepta nomine ciuitatis, ferè ſemper eſſet inutilis, & facilè poſſet fieri fraus. Hæc explicatio ita ſtricta colligitur etiam clarè ex cap. *ſi ciuitas, de ſentent. excommunicat.* & ex gloſſ. *ibidem*, & ex gloſſ. *ciuitatibus*, in cap. *ſtatutum, de reſcriptis in* 6. Cuius ratio eſt, quia qui in ſuburbiis habitant, & mille paſſibus ab eis, verè in ciuitatibus habere domos, & habitare dicuntur. Habetur *in extr. ad onus*, & ibi gloſſ. *in ciuitate Lugduni, ff. de verbor. ſignificat. l. Alphenus, l. qui in continentibus, l. ædificia, l. pupillus, §. incola, & l. mille.*

b *In villis.* Id eſt, in oppidis, ſiue muris, & foſſis, quæ quidem de jure communi non habent juriſdictionem, ſed ſubſunt alicui ciuitati. Sic gloſſ. in cap. *ſi ciuitas, de ſentent. excommunicat.* & gloſſ. *in cap. is qui habet, de ſepulturis in* 6. licèt aliàs hæc dictio, *villa*, etiam ſumatur pro domo ruſtica, vt habetur in cap. *is qui habet, cit.* ibi: *Is qui habet domicilium in ciuitate, vel caſtro, quandoque ad villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, &c.* vt habitum eſt *ſuprà, cap.* 2. §. 3. *lit. l.*

c *Siue caſtellis.* Id eſt, vel caſtellis, & benè disjunctiuè: nam caſtellum idem eſt, quod villa, ut habet gloſſ. *vicis, in l. ſi hæres juſſus, §. fin. ff. de legat.* 1.

d *In quibus.* Id eſt, intra quorum mœnia, vel propè quæ (juxta dicta *lit. a.*) domos habuerint.

e *Domos habuerint.* Id eſt, Conuentus, vel Monaſteria.

f *Nihil omninò.* Etiamſi paruum ſit, vel modicum. Tum quia verbum, *Nihil*, de ſua natura nihil includit. Sicut è contra, vniuerſale affirmatiuum nihil excludit. Tum quia hoc idem denotat verbum, *Omninò*, vt habet gloſſ. *in totum, in extr. Suſcepti regiminis, ne Sede vac.* & etiam text. in cap. *ex diligenti, de ſimonia*, & ibi gloſſ. *nihil omninò.*

g *Extra domos illas.* Hoc eſt, in alienis domibus ſæcularium, nec comedant, nec bibant. Hanc legem (nunquam ſatis laudatam) inuenies etiam in reg. Fratrum Eremitarum fontis Auellani, vt teſtatur Petrus Damianus *opuſc.* 15. *cap.* 11. *& in reg. S. Benedicti, cap.* 51.

h *Niſi.* Eſt dictio exceptiua, vt habetur in Clementina *ſi duobus, vt lite pend. nihil innou.* & gloſſ. *niſi, ibidem*, & in cap. *ſi ad Epiſcopum, ne ſede vacant. aliquid innou. in* 6.

i *Fortè.* Hæc dictio licèt aliquando ponatur dubitatiuè, vt notat gloſſ. fin. in cap. *ex parte, de celebrat. Miſſarum.* In præſenti tamen capite affirmatiuè collocatur, vt multoties in jure fit. Notat gloſſ. *propter contumaciam*, in cap. 2. *vt lite non conteſtata, &c.* & gloſſ. *niſi fortè*, in cap. *ex parte, cit.* & gloſſ. *fortè, in cap.* 2. *de teſtam.* Sic ponitur in cap. *habent forſitan*, 13. *quæſt.* 2. *& ff. de rei vendic. l. item ſi, §.* 1. *ff. de arbitris, l. ſi duo, ff. de procurat. l. ſi filius, de pœnitent. diſtinct.* 1. cap. *quamobrem*, & cap. *admonere*, 33. *q.* 2. In præſentiatum ergo non inducit dubitationem legis hoc aduerbium, *Fortè*, ſed varietatem, & dubitationem facti. Optima eſt ad rem gloſſ. *fortè*, & gloſſ. *marg. in l. in ſubſtitutione, de vulg. & pupill. ſubſtitut.*

l *In domo Religionis.* Hoc eſt, in quouis Conuentu, vel Monaſterio Regularium, tam virorum, quàm mulierum, & in aliis domibus Religionis, vel Religioſis. Quales ſunt domus Gerontocomiorum, in quibus ſenes, & valetudinarii ſuſtentantur. Domus Xenodochiorum, ubi Peregrini ſuſcipiuntur. Orphanotrophiorum, ubi pueri vtroque parente orbati nutriuntur, & aluntur. Brephotrophiorum, in quibus pauperes infirmi paſcuntur, & curantur. Noſocomiorum, in quibus ægroti curantur, & aliæ huiuſmodi domus, de quibus agitur in authent. *de ſanct. Epiſcop.* & in authent. *Vnam, de non alien. & C. de Epiſcop. & Cleric. l. omnia*: nam omnes iſtæ domus, domus ſunt Religionis. Notant communiter Iuriſperiti *in tit. de Religioſis domibus.*

Nota

Digitized by Google

Nota tamen & tu, ne apperitu gulæ forſitan decipiatis, quod vt prædictæ domus dicantur domus Religionis, in quibus licitum ſit tibi manducare, & bibere, debent eſſe domus publicæ, & ſacræ, auctoritatéque publica, & Epiſcopi ad tam pium opus erectæ. Vnde ſi aliqua priuata perſona certam deputaret domum pro colligendis, v. g. peregrinis, & pauperibus, non ideò talis domus diceretur Religionis, aut Religioſa. Sicut nec dicitur talis domus, quæ habet oratorium, non ſacrum, nec publicum, ſed priuatum. Quod totum hoc notatum habes *in gloſſ. oratoriis, in extr. Ad conditorem, de verbor. ſignificat. in 6. & extr. ad hac, de relig. domibus.*

m *Etiamſi.* Id eſt, quamvis, *ex gloſſ. etiamſi, l. ſi alimenta, ff. de alimentis, & cibariis leg. & gloſſ. etiam, l. ſi cùm fundum, ff. de verbor. ſignificat.*

n *A quouis.* Cujuſcumque dignitatis, ſtatus, & præeminentiæ ſit, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeat dignitate. Quia licèt hæc dictio, *à quouis*, ſit generale verbum: nihilominus tamen comprehendit illuſtres perſonas. Simile habes *in Clement. dudum, de judiciis, juncta gloſſ. quibuſcumque, cum gloſſ. margin.*

o *Rogentur.* Id eſt, enixè precando petatur à fratribus. Hoc enim ſignificat propriè verbum, *Rogare*, vt habetur *in gloſſ. rogo, in c. rogo, 11. quaſt. 3. & gloſſ. marg. ibidem.* Licèt impropriè aliquando ponatur pro *Mandare*, vt habetur *ff. de negot. geſt. l. ſi ſerui mei rogatu.* Sicut è contra aliquando mandare ponitur pro rogare, vt cap. *Guiliſarius, 23. quaſt. 4.*

p *Niſi fortè.* Explica *vt ſup. lit. i.*

q *Aquam.* Vel naturalem, vt eſt aqua putei, fontis, pluuiæ, balnei, &c. Vel artificialem, vt eſt aqua roſacea, aqua Hiſpanè, *De jazmines, limones, de aloxa*, & aliæ huiuſmodi, quæ verè, & ſimpliciter ſunt, & appellantur aquæ, licèt artificiales. Alij verò liquores, vel potus, qui ſimpliciter nec ſunt, nec vllo modo denominantur aquæ, nequeunt à fratribus ſumi extra ſuas proprias domos: hujuſmodi ſunt Ceteuiſia, Mulſum, Zytum, Camum, Hydromelon, & alij potus artificiales, vt eſt potus qui Hiſpanè *Chocolate*, vocatur. Ratio eſt, quia huiuſmodi potus non comprehenduntur ſub nomine aquæ: quia vel nullo modo fiunt ex illa, vel ſi ex illa aliqui componuntur (vti *el chocolate*) ita tamen remanent alterati, & mixti cum aliis corporibus, & ingredientibus, vt amplius nec ſint, nec denominentur aquæ, adbuc artificiales, ſed potus ſpecie diuerſi.

r *In domibus*] *honeſtis.* Domus honeſtæ ſunt illæ, quæ inhoneſtæ non dicuntur, vt ſunt tabernæ, cauponæ, & aliæ huiuſmodi, de quibus *c. ſequenti* fiet ſermo.

ſ *Nec pernoctare præſumant extra huiuſmodi domos.* Id eſt, neque audeant traoſigere totam noctem extra ſepta ſuorum Monaſteriorum. Hoc enim ſignificat propriè verbum, *Pernoctare*, vt habetur in cap. *noſſe, diſtinct. 77. & gloſſ. pernoctauerit*, & cap. *ſi conſiteri, de accuſat.* & cap. *veniens, de ſponſalibus, & l. vrbana, ff. de verbor. ſignificat. §. Pernoctare.* Vnde ille, qui tota vigilat nocte, pernox dicitur (habet gloſſ. *penult. in dict. §. fin.*) & pernoctare extra vrbem, ille qui nulla parte noctis in vrbe eſt, vt loco citato dicitur: Ille ergo Religioſus dicetur pernoctare extra ſuam domum, & Monaſterium, ſi nulla parte noctis in ipſo ſit. Nota etiam, quod hæc prohibitio ſanctiſſima, pernoctandi fratres extra ſuos Conuentus, non intelligitur vrgente aliqua cauſa, & pia neceſſitate, & cum licentia ſuorum Superiorum (qualis erit pernoctare cum infirmo aliquo ſæculari) quod ſanè colligitur ex verbo *præſumant.*

CAPVT XX.

Quod fratres nunquam in tabernis habitent, vel comedant.

TEXTVS.

[a] Nunquàm [b] in tabernis, [c] vel in huiuſmodi locis inhoneſtis [d] habitent, [e] comedant, vel bibant. [f] Qui autem hoc [g] præſumpſerit, [h] juxta arbitrium [i] Miniſtri [l] graui [m] vindictæ [n] ſubiaceat.

EXPOSITIO.

a NVnquam. Præceperat Legiſlator *cap. præcedenti*, ne fratres manducarent aliquid, vel biberent extra ſuos Conuentus, in ciuitatibus, in villis, ſiue caſtellis, in quibus proprios haberent. Nunc verò in præſenti capite, quia ſciebat neceſſarium fore, ipſos fratres, qui ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, aliáve de cauſa aliquo tempore habitare in ciuitatibus, in villis, vel caſtellis, in quibus proprias domos non haberent, prohibet etiam ipſe in hoc capite, & mandat ſub graui pœna, quod in eo caſu nullo modo habitent, comedant, vel bibant in tabernis, vel ſimilibus locis inhoneſtis. Quod autem hic ſit ſenſus, & vera interpretatio noſtri capitis, clarè colligitur ex cap. *cùm ex eo, de pœnitent. & remiſſ.* vbi ſic cauetur: *Qui ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint, & diſcreti. Nec in tabernis, aut in aliis locis inhoneſtis hoſpitentur.* Sic Legiſlator Innoc. III. ipſius enim eſt caput.

Non ex hoc colligas tu, quod fratres, quando in itinere, ſiue peregrinatione fuerint, nequeant, neceſſitate itineris compulſi habitare, manducare, & bibere in tabernis, diuerſoriis, vel ſimilibus locis. Quia hoc ex dictis, non colligitur, neque in hoc capite prohibetur; nec ad talem prohibitionem neceſſitas daret locum. Pro quo advertendum eſt, quod licèt per multa Concilia ſit prohibitum hoc ipſum, quod noſtrum prohibet caput, videlicet Clericos tabernas intrare, ut in Conc. Laodic. in ſexta Synodo generali, in Conc. Carthag. III. & in Conc. Later. ſub noſtro Innoc. III. (de quibus in c. *non oportet*, & cap. *nulli Clericorum, diſtinct. 44.*) & tandem in Trident. *ſeſſ. 25. cap. 12.* Hoc tamen, vt præuotatur, & dicitur in eiſdem locis, præcipuè in cap. *Clerici non edendi, diſt. 44.* intelligitur, excepta itineris, vel peregrinationis cauſa, ex quibus amplius adhuc confirmatur noſtra expoſitio textus, igitur;

a *Nunquam.* Niſi itineris, vel peregrinationis cauſa. Colligitur ex dictis. Et præterea ſic ad propoſitum explicatur hæc dictio, *Nunquam*, à gloſſ. *nunquam*, in cap. *nunquam, de conſecr. diſt. 5.* Vel dic, etiam ad rem, nunquam, id eſt raro, & propter dictas cauſas, ex gloſſ. *nunquam*, in can. *nunquam 1. quaſt. 1. & gloſſ. l. ſi abreditatem, ff. mand.*

b *In tabernis.* Taberna in genere eſt locus, in quo aliqua negotiatio exercetur, vt dicitur *in l. cum quæritur, ff. de fundo inſtr.* vel eſt domus ad habitandum vtilis, vt dicitur *in l. taberna, ff. de verbor. ſignificat.* & notat gloſſ. *tabernam, in l. tabernam, ff. de fundo inſtruct.* Taberna verò in ſpecie eſt locus vbi eſt vinum, & ſimilia parata ad vendendum, ſed nondum venduntur adhuc, vt ſic differat à caupona, in qua jam exercetur negotiatio vini, vt infra. De hoc etiam agit, licèt non ita

ira diſtinctè, *gloſſ. taberna, in l. palam, de ritu nuptiarum*, & *gloſſ. taberna, in Clement. in Diœceſanis, de vita & honeſt. Cleric.*

c *Vel hujuſmodi locis inhoneſtis.* Vt ſunt, Popina, Scena, quæ verè ſunt loca inhoneſta, vt habetur *ff. de receptis arbitriis, l. ſi cum dies, §. ſi arbiter, & gloſſ. compromiſſio, & verbo, non honeſtum, & gloſſ. Scena, in authent. nouimus.* His adde Cauponam, quæ eſt locus, vt diximus, vbi exercetur negotiatio vini, *ex gloſſ. taberna, in l. taberna, caupona, ff. de fundo inſtr. leg.*

d *Habitent.* Id eſt, hoſpitentur: colligitur ex cap. *cum ex eo, cit. lit. a.*

e *Comedant, vel bibant.* Nec modicum quidquam, ex dictis *cap. 19. lit. f.*

f *Qui autem.* Id eſt, frater verò, qui hoc facere præſumpſerit.

g *Præſumpſerit.* Id eſt, ſcienter attentauerit facere, vel ſcienter fecerit.

h *Iuxta arbitrium Miniſtri.* Id eſt, provt ei viſum fuerit. Quia vbi pœna eſt in arbitrium judicis, judex taxandi habet autboritatem, augendi, & minuendi, vt *infra.*

i *Arbitrium Miniſtri.* Id eſt, voluntatem, & ordinationem Miniſtri. Colligitur *ex gloſſ. arbitrium, in extr. Quorundam, de verbor. ſignificat. & ff. de verb. obligat. l. ſi quis arbitrium, & C. de contrahenda emptione, l. vlt.*

l *Gravi.* Fuit ergo grauis offenſa, & culpa. Colligitur clarè, & idem colligit in ſimili *gloſſ. graui*, in cap. *vbi periculum, de elect. & electi pot. in 6.* & cap. *non afferamus, 24. q. 1.*

m *Vindicta.* Id eſt, pœnæ. Sic explicatur *in c. 1. de Summ. Trinitat. & Fide Cathol. l. Cunctos, & ibi gloſſ. vindicta, & ff. de verbor. ſignificat. l. aliud eſt fraus, & l. ſi qua pœna eſt.* Vbi dicitur: *Quod pœna eſt noxa vindicta, vel* (quod idem eſt) *pænitentia*, vt in cap. *pœnitentia*, & cap. *quamuis, §. Hac auctoritate, de pœnitent. diſtinct. 3.* Pro quo adhuc aduerte, quod vindicta erat virga Prætoris, qua ter percutiebatur manumiſſus, & dicebat Prætor ter: *Aio te liberum eſſe more Quiritum.* Sic notat gloſſ. *vindicta, §. multis, inſtitut. de libert.* ex quo vindicta pro pœna, vel pœnitentia jam ſumitur.

n *Subiaceat.* Id eſt, ſubter jaceat.

Capvt XXI.

De charitate inter fratres Clericos, & Laicos ſervanda.

TEXTVS.

[a] Talis ſit [b] charitas [c] inter fratres [d] Clericos, & Laïcos, [e] vt [f] eodem victu, [g] veſtitu, [h] Dormitorio, & [i] Refectorio, & eadem [l] menſa vtantur.

EXPOSITIO.

a TAlis. Id eſt, tanta, ex cap. *talis 28. diſtinct. 3. de pœnit. adjuncta gloſſ. in ſumma.*

b *Sit charitas.* Quanta fuit in primitiua Eccleſia, in qua multitudinis credentium erat cor vnum, anima vna, & omnia illis communia. *Actor. 4.* de quo in cap. *ſcimus, 12. quæſt. 1.*

c *Charitas.* Quæ ſecundùm Auguſt. & D. Thom. *3. ſentent. diſtinct. 27.* nihil aliud eſt, quàm rectiſſima animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum. Et ita præclara virtus, vt ſine ipſa nec ſit ſalus æterna, vt babetur *de pœnitent. diſtinct. 2. §. euidenter, & diſtinct. 3. cap. ſi quis autem, & diſtinct. 7. cap. fin.* nec Monachus tale meretur nomen. De hac egregia virtute egregiè D. Hieron. *in Reg. Monach. cap. 1.* ſic ait: *Hac itaque ſola reddit hominem Deo viventem. Hac Religioſos, & Monachos facit, ſine hac Monaſteria ſunt tartara, habitatores ſunt dæmones: cum hac verò ſunt Paradiſus in terris, & in eis degentes ſunt Angeli.*

c *Inter fratres, Clericos, & Laïcos.* Cum omnes ſint, & eſſe debeant fratres in Chriſto, vt habetur *in extr. Quorundam, de verb. ſignificat. in fine.* In ipſo enim omnia vnum ſunt, & in ipſo omnes vnam mercedem percipiunt, vt habetur *in corp. authentic. de Monach. §. Hinc autem, & §. ordinatione.* De hac fraterna charitate, quanta ſit inter fratres pios, & optimos, optimè dixit Seneca *lib. de conſolat. cap. 20.* his verbis: *Amiſi Germanicum fratrem, quem quomodo amauerim, intelligit profectò quiſquis cogitat, quomodo ſuos fratres pij fratres ament.*

d *Clericos, & Laicos.* Hìc nota, quod ex fratribus, vel Monachis duo ſint tantùm genera. Quidam Clerici, & quidam Laïci, ſeu conuerſi Laici. Illos oportet ſemper ſimpliciter litteras ſcire: Laïci verò converſi, etiam illiterati, poſſunt eſſe Monachi: habetur hoc *in C. de Epiſcop. & Cleric. in authent. maxima. Quomodo oporteat, &c.*

e *Vt.* Eſt dictio, per quam denotantur quampluximi effectus, qui ex charitate, tanquam ex cauſa naſcuntur, videlicet.

e *Vt eodem victu, &c.* Hoc idem præceptum fuit etiam pro Monachis promulgatum in cap. *neceſſaria, 12. quæſt. 1.* In quo Eugenius II. & Leo IV. ſic ad Monachos loquuntur: *Itaque omnibus vnum ſit Refectorium, ac Dormitorium, ſeu cætera officina ad vſus Clericorum neceſſaria.* De quo etiam *diſtinct. 32. cap. præter hoc, & de conſecrat. diſtinct. 5.* cap. *in omnibus*, & cap. *quoniam, de vita & honeſt. Cleric.*

f *Eodem victu.* Id eſt, eiſdem ſpecie cibariis. Quia quilibet ſe debet conformare ſociis, & fratribus ſuis in cibo, & moribus, vt habetur *diſtinct. 41. §. 1. & §. Sicut ergo*, & cap. *quiſquis, & diſtinct. 8.* cap. *quæ contra, & diſt. 12.* cap. *illa, §. quod enim, & ibi gloſſ. ſocietate.*

g *Veſtitu.* Id eſt, eodem veſtitu, in qualitate. *Ne* (vt inquit D. Hieronym. loco cit. cap. 4.) *melioritas in veſtibus alterum Dominum, alterum ſeruum oſtentet: ſed in omnibus æqualitas exiſtat, qui vni ſponſo nupti, communi voto profeſſi ſunt.* Adde & tu, quod quiſquis contemptis his, cum quibus viuit, lautiora ſibi, vel auſteriora præ cæteris indumenta, vel alimenta quærit, aut intemperans ſui, aut ſuperſtitioſus eſt.

h *Dormitorio.* Id eſt, eodem dormitorio, hoc eſt (vt loquamur ſecundùm conſuetudinem noſtræ Religionis) eiſdem cellulis in magnitudine, & latitudine, & loco.

i *Et Refectorio.* Eodem, vt dictum eſt *lit. e, cap. 2.*

l *Eadem menſa vtantur.* Id eſt, eadem menſa, in quantitate cibi, & qualitate ornatus. Hoc enim ſignificat in præſenti verbum, Menſa (in qua ſignificatione ponitur in cap. *qui de menſa, diſt. 37.*) vt diſtinguatur à victu (de quo ſit ſermo *lit. f. c. 2.*) vt diſtinguit text. in cap. *Epiſcopus, diſt. 41.*

Quod autem omnes effectus dicti procedant ex charitate, & ad illam fouendam juuent, eleganter dixit D. Chryſoſt. *lib. 3. contra impugnatores vitæ Monaſticæ*, his verbis: *Cuncta illis* (id eſt Religioſis) *communia ſunt, menſa, domus, indumentum. Et quod ſanè*

mirabilius

mirabilius eſt, vnus etiam, idemque animus omnibus eſt. Et homil. 85. ad populum, loquens de Religioſis, ſic ait: *Vna menſa, & miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, eadem vita. Et quid miraris* (ſubdit) *quod vna ſit omnibus dieta, veſtis, & menſa, quippe cum omnibus ſit vna anima, non tantum quoad ſubſtantiam* (*hoc enim & omnibus*) *verùm & quoad charitatem*. Legatur D. Baſil. *cap.* 19. & 35. Caſſianus *col.* 16. *cap.* 35. vbi afferens illud Actor. 4. *erat enim illis cor vnum, & anima vna,* ſic ait: *Statim ſubditur, & erant illis omnia communia. Quia videlicet hæc vitæ vniformitas maximè juuat ad vinculum charitatis.* De hoc etiam agitur in cap. *dilectiſſimis*, 12. *quæſt.* 2. cum aliis.

Capvt XXII.

De fratribus infirmis, & infirmario.

TEXTVS.

[a] Infirmi [b] ſeorſum dormiant, & [c] comedant. [d] Ad quorum curam habendam [e] Conuerſus aliquis Laïcus, [f] ſiue Clericus [g] deputetur, [h] qui [i] ea, quæ neceſſaria fuerint, inquirat, [l] & miniſtret, ſicut fuerit miniſtrandum. [m] Moneantur tamen infirmi, [n] vt lauta, [o] ſiue nimium [p] ſumptuoſa cibaria [q] non requirant, [r] commoda potius, [ſ] & ſalubri [t] moderatione contenti.

EXPOSITIO.

a *Infirmi.* Infirmi fratres, qui propter infirmitatem aliquam carnibus veſcuntur, ſeorſum dormiant, &c. Nomine autem infirmorum comprehenduntur non ſolum qui in febri graui, vel leui laborant, vt *ſup. cap.* 7. *lit. h.* diximus: ſed etiam illi, qui morbum aliquem habent, v. g. imbecillitatem corporis. Nam hi verè æquiparantur illis qui in febribus laborant. Habetur *in l. inter ſtuprum. ff. de verbor. ſignificat. & ibi gloſſ. temporalem*, & expreſsè docet D. Bonauent. *tract. de ſex alis, cap.* 4.

b *Seorſum dormiant.* Id eſt, in diuerſo Dormitorio, nempe in infirmaria. Videatur *lit. c. ſequens.*

c *Et comedant.* Id eſt, in diuerſo Refectorio, vel ſaltem, ſi in eodem Refectorio, & Dormitorio, hoc fiat ſeorſim, hoc eſt, non permixtim inter alios fratres, ſed in menſis, & cellulis diuerſis ad hoc deſtinatis. Nam quouis modo, ſi fiat, verificatur illa dictio, *Seorſim*. Hæc explicatio clarè colligitur ex *Clement. cœlites, de Iudæis, & Sarracenis*, & ex cap. *quia tua*, 12. *q.* 1. ex illis verbis: *Seorſum non debet viuere, & ex anthent. de Monach.*

d *Ad quorum curam habendam.* Infirmi enim maxima indigent cura, & ſubſidio pietatis. Tum propter ſuſtentationem vitæ, quia ſeipſos non valent procurare, & ſi ab aliis non procurantur, coguntur deficere, juxta illud 2. Reg. 14. *Ne penitus pereat, qui abjectus eſt.* Tum propter conſolationis releuamen, quia cum multipliciter affligantur, ſolatium eſt eis cum vident alios ſibi compati, & ad reparationis ſuæ ſtadium fideliter, & diligenter cooperari, & dicunt cum Saül, 1. Reg. 23. *Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam.* Sic D. Bonau. *loco cit.*

e *Conuerſus aliquis Laicus.* Sic eſt legendum. Quia conuerſus laicus, non ſunt duo nomina diuerſa genera Religioſorum ſignificantia, ſed vnum tantum: colligitur planè ex cap. *ex eo quod; de elect. & electi pot. in* 6. vbi ſic habetur: *In Eccleſiis quoque Regularibus, vel Monaſteriis, hi qui non ſunt tacitè profeſſi, non debent cum profeſſis, vel conuerſi laici cum Clericis electionibus intereſſe.* Conuerſi ergo laici vocantur fratres ad Chorum non deſtinati, licèt diuerſa ratione. Nam conuerſi dicuntur ex eo quod ad ſeruiendum Deo ſint conuerſi, vel ex eo quod corde vndique verſi ſunt ad ſeruiendum Deo. Hujuſmodi autem ſunt, quorum opera, voces, cogitationes ita mortificationi deſudant peccati, ſicut prius ſeruierant iniquitati, vt habetur *diſt.* 1. *de pœnitent.* §. *his authoritatibus.* Laïci verò dicuntur ex eo quod ad ordines non promoueantur. Sic Iuriſperiti aliqui in cap. *non eſt, de regular.*

f *Vel Clericus.* Id eſt, ſiue frater ad Chorum deputatus.

g *Deputetur.* Id eſt, aſſignetur à Prælato.

h *Qui.* Infirmarius.

i *Ea quæ neceſſaria fuerint inquirat.* Id eſt, neceſſaria, & vtilia ad infirmorum ſalutem, vtrumque enim ſignificat verbum, *Neceſſaria*, vt ſæpè eſt dictum, & dicemus *infrà*.

l *Et miniſtret, ſicut fuerit miniſtrandum.* Id eſt, & ea, quæ ſaluti corporis fuerint neceſſaria, præparet, cibum coquat, & apponat, potumque miſceat, & tribuat. Sic aptè explicat D. Auguſt. hoc verbum, *Miniſtrare*, tract. 51. in Ioan. Hæc enim perfecta charitas, fraterna dilectio, pietas inſignis, perfectaque virtus. Quàm pulchrè Hieron. *tom.* 1. *epiſt.* 30. *Scio* (inquit) *multos diuites, & Religioſos, ob ſtomachi anguſtiam exercere hujuſmodi miſericordiam per aliena miniſteria, & clementes eſſe pecunia, non manu. Quos equidem non reprobo, & teneritudinem animi nequaquam interpretor infidelitatem. Sed ſicut imbecillitati ſtomachi veniam tribuo, ſic perfectæ mentis ardorem in cœlum laudibus effero. Magna fides iſta contemnit. Ille quidem, quem deſpicimus, quem videre non poſſumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, noſtri ſimilis eſt, de eodem nobiſcum formatus eſt luto, iiſdem compactum elementis: quidquid patitur, & nos pati poſſumus. Vulnera ejus exiſtimemus propria, & omnis animi in alterum duritia clementi in nosmetipſos cogitatione frangetur.*

m *Moneantur infirmi.* Id eſt, adhortentur infirmi fratres ab infirmario, qui eorum curam gerit.

n *Vt lauta.* Id eſt, delicata cibaria (ſic exponit gloſſ. *lautis*, in cap. *Eccleſia, diſt.* 35.) non requirant. Quia qui delicatis vtitur, infirmitati corporis ſui medium adhibet, vnde infirmitas aggrauatur, & conſuetudo mala acquiritur, quæ vix excutitur. Sic habet D. Th. *lib.* 5. *de regim. Princip.*

o *Siue nimium.* Quia omne nimium conuertitur in vitium, vt gloſſ. *bonum, in anthent. c. vt determinatus ſit num. Cleric.* Vnde D. Hieron. ſic ad Euſtoch. inquit: *Verè juxta Philoſophorum ſententiam modus virtus eſt, vitium nimietas reputatur. Quod nos vna, & brevi ſententiola exprimere poſſumus. NE QVID NIMIS.*

p *Sumptuoſa cibaria.* Quia ſicut infirmatur diues, ſi vtatur vilibus, ita infirmatur pauper, ſi vtatur delicioſis, & ſumptuoſis, vt advertit gloſſ. *vel ſumptuoſa, diſt.* 25. *p.* 3.

q *Non requirant.* Quia infirmi fratres ſolùm requirere poſſunt quæ ſunt requiſita naturæ: id eſt, omnia illa, quæ ſunt neceſſaria ſaluti corporis. Vnde bene Legiſlator ſubjungit,

r *Commoda*

Digitized by Google

r *Commoda potius.* Quia nihil ſic ſenſuum acumen moderatur, nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio. Habetur in c. *nihil, de conſecr. diſtinct.* 5.

ſ *Et ſalubri.* Id eſt, ſalutis vberi, ex gloſſ. *vberem, in extr. ſuper Cathedram, de Sepult.* vel vtili ad ſalutem, ex gloſſ. *in proœm. Clement.*

t *Moderatione contenti.* Quia ægrotantes neceſſe habeor minus accipere, ne grauentur, vt D. Auguſt. habet io ſua regula. Vnde D. Hieron. *in Regul. Monach. cap. de abſtinentia,* ſic ait: *Qui ægrotat, non aliter recipit ſanitatem, niſi tenui cibo, & caſtigato victu,* & D. Thom. *loco cit. cap.* 17. ſic habet: *Caue ne nimis ſumatur, & ne multitudo ferculorum ametur, paretur, vel quæratur. Multùm noxia eſt animæ, & corpori ſumptio nimij cibi, & potus: moderata verò vtilis animæ, & corpori. Ecleſ.* 37. *In multis eſcis erit infirmitas.* Seneca de antiquis loquens, ſic ait: *Simplex erat eſca, & ex eſca ſimplici valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt.* Et Clemens Alexand. 2. *Pædag. c.* 1. ſic. *Cum ſemper ſit malum immoderatio, ea in nutrimentis maximè reprobatur.*

Capvt XXIII.

De Religioſis hoſpitibus recipiendis.

TEXTVS §. I.

[a] Si qui [b] Religioſi [c] ad hoſpitandum aduenerint, [d] benignè [e] ſuſcipiantur, [f] & charitas [g] juxta poſſe domus, [h] illis ſubminiſtretur. [i] Et ideò [l] cura eorum [m] vni de diſcretioribus, & benignioribus fratribus iniungatur, [n] qui [o] audiat eos, & [p] vt expedire viderit, [q] charitatis [r] ſolatium [ſ] adminiſtret.

EXPOSITIO.

a *SI qui religioſi.* Cujuſvis Religionis, vel Ordinis ſint. Loquitur enim Pontifex vniuerſaliter, & ſine diſtinctione, & benè profectò: quia omnibus debetur miſericordia, vt habetur in cap. *non ſatis, diſt.* 86. Et certè dum tempus habemus, operari bonum ad omnes debemus, vt ait Apoſtol. *ad Gal. vlt.*

b *Religioſi.* Quia his maximè debetur hoſpitium, vt colligitur *ex cap. vlt.* 16. *quæſt.* 1. *& ex gloſſ. patientibus, & ex diſtinct.* 86. §. *In ipſa,* & cap. *fratrem,* & cap. *non ſatis,* & probat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 9. *in corp.* Vnde Pachomius *in ſua reg. num.* 2. ſic habet: *Quando ad oſtium Monaſterij aliqui venerint, ſi Monachi fuerint, majori honore ſuſcipiantur,* & meritò quidem: *Quia* (vt dicit D. Auguſt. quem citat D. Thom. *loco cit. quæſt.* 31. *art.* 3. *in argument.* ſed contrà) *cùm omnibus prodeſſe non poſſimus, his potiſſimùm conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum opportunitate conſtrictiùs nobis quadam ſorte junguntur.* Hi autem verè Religioſi ſunt

c *Ad hoſpitandum aduenerint.* Eo quòd à ſuo Conuentu juſta aliqua cauſa abſunt.

d *Benignè.* Sic enim ſuſcipiendi ſunt Hoſpites, vt admonet Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 8. & ſic ſuſceptus fuit Apoſtolus à Publio, vt ipſemet teſtatur *Actor.* 28. his verbis: *Ibique nos ſuſcipiens, triduo benignè tractauit.*

d *Benignè.* Id eſt, benigno corde (vt habetur in cap. *duæ ſunt, diſtinct.* 45.) & victualibus reficiendo. Quia charitas benigna eſt (1. *Corinth.* 13.) hoc eſt, larga egenis, vt inquit gloſſ. Interlin. Benignitas enim dicitur, quaſi bona igneitas, quod fit quando ex igne charitatis animus hominis ſic liqueſcit, quod bona habita non ſolum ſibi ſoli retinet, ſed ad alios extendat. Vnde & benigni dicuntur illi, quos bonus ignis amoris feruere facit ad benefaciendum proximis. Sic Lyra io dictum locum Pauli, & in illud ad Galat. 5. *Bonitas, benignitas, &c.*

e *Suſcipiantur.* Quod Clerici debeant hoſpites recipere, iniungitur illis *diſtinct.* 42. §. 1. & cap. *quieſcamus, & diſtinct.* 85. cap. *Archidiaconus, & diſt.* 89. cap. *volumus,* & 1. 2. *quæſt.* 1. cap. *mos eſt,* 16. *quæſt.* 1. cap. *quoniam,* & Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 8. & meritò quidem, cùm ſit opus perfectiſſimæ charitatis. Vnde D. Gregor. *homil.* 25. in *Euang.* ſic ait: *Hoſpitalitatem fratres chariſſimi diligite. Charitatis opera amate. Hinc enim per Paulum* (*Hebr.* 13.) *dicitur, charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliniſci. Hinc Petrus* (1. *cap.* 4.) *hoſpitalitatem inuicem ſine murmuratione. Hinc ipſa veritas*) *Matth.* 25.) *dicit: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Penſate fratres, quanta Hoſpitalitatis virtus ſit. Ad menſas veſtras Chriſtum ſuſcipite, vt vos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna valeatis.*

f *Et charitas.* Hoc eſt, & ſubſidium charitatis, id eſt, eleemoſynæ. Quæ quidem dicitur charitas, vel quia ex charitate danda eſt, vt dicitur cap. *duæ ſunt, cit. & ibi gloſſ.* benigoo corde. Vel quia (vt inquit D. Athanaſ. *quæſt.* 88. *ad Antioch.*) iudicium ſinceræ charitatis ex eleemoſyna fit, ſecundùm illud, quod dicit Chriſtus Matth. 25. *Venite Benedicti Patris mei, eſuriui, enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* vel tandem, quia ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 32. *art.* 1. dare eleemoſynam eſt actus charitatis, miſericordia mediante, vt colligitur ex illo 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet cum illo.* Expreſſius adhuc hunc loquendi modum habes *diſt.* 85. cap. *Archidiaconum,* vbi ad denotandum illud de auaro, his verbis loquitur textus: *Adjicientes etiam, ita illum tenacem exiſtere, vt in domo ejus amicum ad charitatem nunquam introeat.*

g *Iuxta poſſe domus.* Quia eleemoſynæ, & miſericordiæ menſura pro poſſibilitate conditionis humanæ ſeruari debet, vt dicitur *diſtinct.* 86. cap. *in ſingulis, & l. ſimiliter Longob. de Epiſcop. & Cleric.* & benè quidem, quia vltra poſſe nemo tenetur, vt dicitur in cap. *vbi periculum, de elect. & elect. pot. in* 6. *juncta gloſſ. poſſibilitas,* & in cap. *facit,* 22. q. 2. *& ex reg. juris.* nemo poteſt ad impoſſibile obligari. Vnde D. Bonauent. explicans illud Eccleſ. 11. *Da partes ſeptem,* ſic ait: *Secundùm poſſibilitatem tuam da eleemoſynam.*

h *Illis ſubminiſtretur.* Id eſt, Religioſis hoſpitibus porrigatur.

i *Et ideò.* Propter quod, vt hoc Miniſterium rectè exerceatur.

l *Cura eorum.* Id eſt, ſolicitudo in prouidendis hoſpitibus de neceſſariis. Nam cura propriè ſignificat ſolicitudinem, quam quis habet erga rem aliquam, ad eius prouidentiam ſpectantem.

m *Vni de diſcretioribus.* Quia diſcretio in omni officio requiritur, vt habetur in cap. 1. *de officio cuſtodis.* Quia ſine ipſa, etiam virtus vitium reputatur. Vnde D. Bernad. ſic ait: *Diſcretio eſt quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.*

Digitized by Google

m *Et benignioribus.* Quia benignè ſuſcipiendi ſunt Hoſpites, vt *ſuprà lit.d.* eſt habitum, & ideò à benignioribus fratribus. Quid autem ſit, eſſe quem benignum? diximus *loco cit. lit.d.*1.

n *Qui.* Frater, ſcilicet recipiens.

o *Audiat eos.* De ſuis neceſſitatibus, & de itineris fatigatione. Nam Peregrini non ſolùm cibo reficiendi ſunt, ſed ſuaui etiam confabulatione recreandi, vt notat Abulenſ. in illud Geneſ. 18. *Abraham verò ſtabat juxta eos*, addens: *Vt videret, ne eis aliquid deficeret, & eos ſuo condelectaret eloquio, ad complendam totam gratiam hoſpitalitatis.*

p *Et vt expedire videris.* Ad hoc enim maxima eſt neceſſaria diſcretio, propter diuerſas conditiones hoſpitum, quorum quidam delicatioribus nutriri, indigent magis delicatis cibis. Vnde D. Ambroſ. 1. *offic. cap.* 30. ſic ait: *Conſideranda eſt in largiendo qualitas Hoſpitum, nempe ætas, debilitas, & verecundia, quæ ingenuos prodit natales.* Refertur in cap. *conſideranda, diſtinct.* 86. & de hoc etiam agit D. Thom. 2.2. *q.* 52. *art.* 10. & faciunt maximè hi verſus.

In poſcente nouem: ſex in donante notanda.

1 2 3 4 5 6

Cauſa, Fides, Modus, locus, & Penuria, Tempus.

7 8 9

Ætas, debilitas, cum conditione petentis.

1 2 3

Mens hilaris, feſtina manus ſit, ſitque facultas.

4 5 6

Dulcior affatus, diſcretio dantis, & ordo.

Benè igitur, vt hæc omnia frater conſideret, erit neceſſaria diſcretio.

q *Charitatis ſolatium.* Id eſt, conſolatio charitatiua, ſic gloſſ. Ordinaria explicat illum locum Apoſtoli ad Philipp. 2. *Si quod ſolatium charitatis.* Et nota pro hoc loquendi modo hanc eſſe differentiam inter conſolationem, & ſolatium, quod conſolatio fit verbis, ſolatium autem eſt conſolatio, quæ propriè fit rebus.

r *Adminiſtret.* Id eſt, ſeruiat, præparet, & porrigat ea omnia, quæ ad ſolatium hoſpitum neceſſaria fuerint. Conuiuium præcipuè, quod ex intentione impendendæ charitatis ſolùm faciendum eſt, vt habetur in cap. *conuiuia, diſt.* 44. & eſt vera conſolatio Hoſpitum.

TEXTVS §. II.

[a] Ad lauta, [b] & ſumptuoſa [c] cibaria [d] non oportet [e] quemquam [f] admitti. [g] Quæcumque tamen [h] præſtanda ſunt, [i] cum hilaritate præſtentur.

EXPOSITIO.

a *Ad lauta.* Id eſt, ad delicata, vt habes *ſuprà cap.* 22. *lit.n.*

b *Et ſumptuoſa.* Id eſt, ſplendida, & magna, atque delicioſa, vt *ſup. loco cit. lit.p.*

c *Cibaria.* Id eſt, conuiuia ex variis cibis parata. Cibaria namque idem ſonat, ac cibi varij.

d *Non oportet.* Id eſt, non decet, nec congruit; hîc enim verbum, *Oportet*, non dicit neceſſitatem (licèt aliàs ſoleat, vt cap. *non oportet* 3. *q.* 9.) ſed honeſtatem, & congruitatem, vt etiam dicit in cap. 1. 19. *q.* 1. de quo gloſſ. in cap. *confidimus*, 25. *q.* 1.

e *Quemquam.* Id eſt, aliquem, cuiuſvis dignitatis, & præeminentiæ ſit.

f *Admitti.* Quia hoſpitibus nullo modo ſunt faciēda ſumptuoſa conuiuia, nec præbenda illis lauta cibaria, vt habetur *diſt.* 25. §. *aliàs, in fine.* Vnde D. Ambroſ. relatus in cap. *pulchra, diſtinct.* 85. ſic ait: *Pulchra liberalitas eſt, in ipſo quoque pauperi dato menſuram tenere, vt abundes pluribus. Quoniam* (addit gloſſ. *cap. cit.*) *quantò minora ſunt, quæ ſparguntur, tantò plures recipientes erunt.* Sic etiam in cap. *conuiuia, diſt.* 44. *& in auth. de conſulibus*, §. *ſi autem, col.* 4. Optimè etiam D. Baſil. *in reg. fuſior. cap.* 20. ſic ad intentum noſtri textus, ait: *Quid nobis cum apparatibus ſumptuoſis? Acceſſit ad nos hoſpes aliquis? Si frater eſt, & idem nobiſcum inſtitutum habet, is domeſticam ſuam menſam cognoſcat; quippe quæ cùm domi reliquerit, ea inuenturus ſit apud nos: at ſi defatigatus ex itinere, eatenus cum ipſo prolixius liberaliuſve agatur, quatenus ad releuandam eius laſſitudinem ſatis ſit.* Conſonat D. Clem. Alexand. 2. *Pædag. cap.* 2. ſic dicens: *Quod ſi etiam propter virtutem conuiuas aliquot inuitemus, eò magis a lautis, & delicatis cibis eſt abſtinendum, euidens virtutum exemplar nos ipſos exhibentes, ſicut ipſi Chriſtum exemplar habuimus.*

g *Quæcumque.* Id eſt, omnia quæ. Sic explicat gloſſ. marg. *ff. de leg. & fideic.* 3. *l. Iulian.* §. *ex his*, & expreſsè habetur in c. *ſolita, de mai. & obed.* §. *nobis autem*, ibi: *Nihil excipiens, qui dixit, quodcumque.*

h *Præſtanda ſunt.* Id eſt, tradenda, vel danda. Vtrumque enim ſignificat verbum, *Præſtare*, vt habetur *in l. ex empto, de act. empt. & gloſſ. præſtantes, in authent. de non alienand. &c.*

i *Cum hilaritate præſtentur.* Quia conſilium Eccleſ. 35. eſt, *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Vnde Apoſt. (& habetur 23. *q.* 6. §. *ex his omnibus*) cùm ad eleemoſinas Corinthios hortaretur (2. *c.* 9.) ait: *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Et gloſſ. 1. *in cap.* 1. *de donat.* hanc authoritatem Apoſtoli ad propoſitum adducens, hos verſus addit:

De facie læta, ſine lætitia faciei,
Si dederis, perdis rem, meritùmque rei.

Faciunt etiam ad hoc verſus adducti *ſup.* §. 1. *lit. p.* Et benè quidem hoc præceptum imponitur Religioſis perfectis, cùm perfectorum ſit ſemper hilarè facere bonum, vt inquit D. Athanaſ. *q.* 81. explicans prædictum locum Pauli, & D. Chryſoſt. *homil.* 17. *in c.* 8. 2. *ad Corinth.* ſic ait: *Qui miſericordia ductus, inopiam alterius ſubleuat, is vtique læto animo, non graui, ac moleſto debet eſſe.*

CAPVT XXIV.

De officio, & de labore fratrum.

TEXTVS.

[a] Nullus frater, [b] Laïcus, ſiue Clericus, [c] ſit, [d] ſi fieri poſſit, ſine [e] proprio [f] officio. Si quis tamen [g] laborare [h] noluerit, & [i] potuerit, locum [l] ipſum [m] deſerere compellatur, cum [n] Apoſtolus dicat: [o] Qui non laborat, non manducet.

EXPOSITIO.

a *Nullus.* Eſt dictio univerſalis negatiua, nullum fratrem excipiens. Sic gloſſ. *nullus, in Clement. ſi dignitatem, de præbend. & dignit. & gloſſ. marg. ibid.*

b *Laïcus, ſiue Clericus.* Quia tantùm ſunt duo genera Monachorum, vt *ſup.cap.*21.*lit.d.* eſt habitum, & ſic omnes comprehendit.

c *Sit.* Id eſt, maneat in Monaſterio, *ex gloß. eſſe, in l. ſi Patronus, ff. de concubinis, & ex l. judex, de judiciis.*

d *Si fieri poſſit.* Id eſt, ſi commodè, & conuenienter fieri poteſt: nam illud dicitur poſſe fieri, quod conuenienter, & commodè fieri poteſt, vt dictum eſt *ſuprà*, & habetur in cap. *aliud*, 11. *quaſt.*1. cap. *faciat*, 22. *q.*2. Sicut è contra illud dicitur non poſſe fieri, quod commodè fieri non poteſt, vt dicitur in cap. *ſtatuimus, de offic. & pot.jud.del.in* 6. & cap.1. *de cenſibus in* 6.

d *Si fieri poſſit.* Quàm rectè dictum eſt, ſi fieri poteſt: quia aliquando nequaquam erit poſſibile, vel quia aliquibus fratribus deerunt vires corporales, aut non habebunt aliquem habitum artis acquiſitum, aut habilitatem artem acquirendi, propterea ſtatim additur: *Si quis verò laborare noluerit, & potuerit.* Sic notat D. Bonauent. ad idem intentum *in cap.*5.*Regul.S.Franciſci.*

e *Sine proprio officio.* Id eſt, ſine aliquo miniſterio, ſiue ſit artificum, vt fabri lignarij, ſiue aliud, vt eſt officium Prædicatoris, Confeſſoris, Sacriſtæ, Ianitoris, &c. Quia nomen *Officij* generale eſt, & pertinet ad omne miniſterium. Sic notat gloſſ. *ex officio, l. legatis, ff.de leg.*3. & multoties pro eodem accipiuntur, vt *in Clement.dudum, de ſepult.* §.ac deinde.

f *Siquis.* Eſt pronomen indefinitum, quod poteſt cuilibet congruere, & ſic refertur ad omnes. Notat gloſſ. *heredes, in l. ſi ita relictum, ff.de leg.*2.

g *Laborare noluerit.* Ad vitandum otium, quod mater vitiorum eſt. Vnde Eccl.33. dicitur: *Mitte ſeruum tuum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otioſitas:* & D. Hieron. ad Euſtoch. ſic ait: *Teneat firmiſſimè, quod omnis concupiſcentia, & immunditia, & peccati mater eſt otioſitas.* Et ad Ruſticum Monachum ſic inquit: *Ægyptiorum Monaſteria hunc tenent morem, vt nullum abſque opera, aut labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagentur pernicioſis cogitationibus.* De hoc puncto latè agunt D. Auguſt. *lib.de oper. Monach.tom.*3. *cap.*1. & 2. & D.Th.2.2. *q.*187. *art.*3.

h *Noluerit.* Obſtinatè, & proteruè, reſiſtendo præcepto Superioris, juxta dicenda *infrà lit.m, & o.*

i *Et potuerit.* Benè ſanè ſubiungit Legiſlator hoc verbum: tum propter dicta *lit. d.* Tum quia non dicitur nolle, qui non poteſt velle, vt habetur *in l. Pater Seuerinam, ff.de condit. & demonſtr.* & *ibi gloſſ.diſceſſerit.* Non poteſt namque velle frater, qui propter infirmitatem laborare nequit.

l *Locum ipſum.* Id eſt, Monaſterium ipſum. Hoc enim dicitur locus regularis, vt habetur in cap. *quidam Monachi*, 16. *q.*1. & *ibi gloſſ.vt ad ſua loca, & in extr. quia cunctos, de offic. Cuſtodis.*

m *Deſerere compellatur.* Id eſt, cogatur deſerere, & derelinquere. Sic explicat gloſſ. hoc verbum, *Compellatur*, in cap. *vides*, & in cap. *jam verò*, 23.*q.*6. & benè: quia ſecundùm jus antiquum, vt habetur in cap. *relatum, ne Clerici, vel Monachi*, Religioſi qui reſiſtebant regulariter viuere, poterant de Monaſterio expelli, vt notant aliqui *in cap.cit.* & meritò profectò: Nam inobedientes & mali Religioſi, qui ſe emendare deſpiciunt, ne Sanctos ſuæ perditionis exemplo inficiant, expelli debent è Monaſterio, vt habetur in cap. *cùm in Eccleſiis, de maior & obedient. & gloß. ibidem.* Et tanquam morbida caro ab omnibus ſunt præſcindendi, vt dicitur in cap. *Ecce*, & cap. *reſecanda*, 24.*q.*3. vbi D. Hieron. ſic pulchrè: *Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda.* Ne

a b c d
Tota Domus, Maſſa, Corpus, & Pecora,
a b c d
Ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant.

Nam Malorum conſortia corrumpunt etiam alios de ſe bonos, vt dicitur 28. *quaſt.*1. cap. *ſæpe malorum, & diſt.*45. cap. *ſed illud*, juxta illud: *Vna ouis morbida inficit totum gregem*, vt dicitur *in l. Iulianus, ff. de act. vend.* Vnde verſus:

Morbida ſola pecus inficit omne pecus.

n *Cum Apoſtolus dicat*, 2. ad Theſſalon.4.

o *Qui non laborat, non manducet.* Hunc Refert locum gloſſ.1.*in l. quamuis, de damno infecto*, & illum latè explicat ad intentum noſtri textus D. Auguſt & D.Thom. *loco cit. litter.g.* Optimè tamen, & ad vnguem ipſum textum D.Baſilius explicat, & docet totum, quod & nos. Ipſe enim *in reg.breu.c* 6. inquirit: Quid de Monacho, qui laborare noluerit, fieri debet? Et reſpondet his verbis: *Cùm Dominus in parabola de infœcunda illa ficu dixerit: Succide illam, vt quid terram occupat? Adhibenda quidem omninò aduerſus eum omnis diligentia eſt. Verùm ſi auſcultare nolis, quod de eo quod præceptum eſt, qui obſtinatè in peccato permanet, etiam in hoc obſeruari conuenit. Qui enim à rebus bonis otioſus eſt, is vnà cum diabolo, & Angelis judicatur.* Sic Baſilius.

Caput XXV §. I.

De Silentio.

TEXTVS.

a b c
Silentium obſeruent ſemper in Eccleſia
d
ſua, ſemper in Refectorio, ſemper in
e
Dormitorio.

EXPOSITIO.

a Silentium. Hic textus noſtri capitis habetur expreſsè in cap. *cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* quod etiam eſt noſtri Innocent.III. vbi ſic dicitur: *In Oratorio verò, Refectorio, & Dormitorio continuum ſemper ſilentium obſeruent.*

a *Silentium obſeruent.* Quia cultus juſtitiæ ſilentium eſt. *Iſai.*32. & Religioſus qui putat ſe talem eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio. *Iac.*1. Quæ loca referuntur in cap. *in loco* 5.*q.*4. De virtute ſilentij multi pulchra dixere. Sufficiant nobis aliqua. Climac. grado 11. *Silentij* (inquit) *amicus appropinquat Deo, & latenter colloquens à Deo illuminatur.* Et Cato dixit: *Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam:* & Seneca ait, *Dixiſſe me quandoque pœnituit, tacuiſſe nunquam:* refert gloſſ. *Silentio, in proœm. Clem.*

b *Semper.* Id eſt, in omni tempore, excepta aliqua abſoluta neceſſitate loquendi. Hac enim ratione habes explicatum eius contrarium verbum, videlicet *Nunquam, cap.*20.*lit.a.* & contrariorum eadem eſt ratio, & explicatio, vt habitum eſt *ſuprà, cap.*16.*lit.f.* Vel ſi mauis, ſic explica, *Semper*, id eſt, horis debitis, & competentibus, vel omnibus horis ad id deputatis. Sic explicatur hæc dictio, *Semper*, in cap. *Sacerdotibus* (vbi ter, ſicut in noſtro reperitur capite) & in cap. *ſi Laïcus, diſt.*31. *& diſt.*22. cap. *Sacroſancta, & diſt.*37. cap *de quibuſdam, & diſt.*36.*cap.vlt. & in his omnibus gloſſis;* & etiam in illud Pauli ad Coloſſenſ.1. *Semper pro vobis orantes*, & in illud ad Philipp. *Gratias ago Deo meo ſemper.*

c *In Eccleſia ſua.* Quia in ipſa nihil aliud fieri debet

debet, quàm quod diuinis laudibus conueniat: vt habetur cap. *Oratorium*, & cap. *Oratorio, diſtinct.* 41. Nomine autem Eccleſiæ, ſi pro tota Eccleſia accipiatur, tria comprehenduntur loca, videlicet corpus Eccleſiæ, in quantum ad ipſum ſpatium Eccleſiæ ſpectat. Capellæ eiuſdem Eccleſiæ, cùm vnum corpus cum ea conficiant, & Chorus, quando non ſeparatur à corpore Eccleſiæ, ſiue ſit in loco infimo, ſiue in eminentiori. Sic communiter apud nos intelligitur hæc clauſula. Sed mihi alia multò aptior eſt intelligentia, & explicatio: accipe illam.

c *In Eccleſia ſua.* Id eſt, in choro tantùm. In præſenti enim capite totum ſumitur pro parte, ſicut è contra ſæpè pars pro toto ſumitur. Ergo quia Chorus eſt pars Eccleſiæ, vt dictum eſt, ideò Eccleſiæ nomine appellatur, & eſt optimum argumentum *in l. planè, ff. de leg. & fideicommiſſ.* 1. §. *Sed & ſi quis.* Vbi pars fundi fundus abſolutè appellatur; & probatur quod dicta explicatio ſit vera. Primò, quia fratres ad Chorum conueniunt ad diuinas laudes celebrandas, & propter hanc rationem iniungitur illis ſilentium. Secundò, quia hoc caput explicari debet per caput, *cum ad monaſterium, cit.* cum ſit juris communis, & eiuſdem Innocent. III. vbi ſic dicitur: *In Oratorio verò, &c. continuum ſemper ſilentium obſeruent.* Vbi nomine *Oratorij*, locus vbi Horæ Canonicæ dicuntur, & ſpecialiter deputatus ad orandum (vt explicat gloſſ. in cap. *concedimus, de conſecr. diſtinct.* 1.) qui planè eſt Chorus, intelligitur. Quod & denotat D. Auguſt. *in ſua reg. & cap. cit.* ſic dicendo: *In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde nomen accepit, vt ſi forsè aliquid præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.* Sic D. Auguſt. Fratres autem ad Chorum certè ad orandum confugiunt, non verò ad corpus Eccleſiæ. Quod adhuc expreſſiùs docet D. Bonauent. *in ſpeculo diſcipl. cap.* 12. & expreſſiſſimè Petr. Dam. vt ſtatim dicam.

Tertiò, quia hæc clauſula fortè fuit deſumpta ex Regula Monach. D. Hieron. *cap.* 22. vbi ſic de ſilentio ait: *In choro verò Eccleſia, ad diuinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, &c. omni tempore loqui non liceat, niſi ea, ad quæ ordinata ſunt loca, in laudibus Dei, &c.* juxta illam ergo explicari debet noſtrum caput. Quartò denique, quia etiam *in Regul. Eremit. fontis Auellan.* (vt Petrus Damianus affirmat *opuſc.* 10. 12. & 15.) ſic habet caput de Silentio: *In cellulis continuum tenent, ſicut reuera in Oratorio, ſilentium. Nec permittitur, vt aliquis vel pro confeſſione loquatur.* Hic autem nomine *Oratorij*, Chorum intelligit, vt clarè colligitur ex verbis, quæ *opuſc.* 15. *cap.* 10. habet. Sunt etenim: *Si quid autem loqui indigent ad Eccleſiam prodeuntes, quæque ſunt neceſſaria, manifeſtent; eſt enim reuera, vt experimento cognouimus, animarum magna deſtructio, vbi paſſim fieri colloquium in cella permittitur.* Ecce vbi clarè profitetur obſeruari Silentium in Oratorio, in Eccleſia verò minimè, ſiquidem ad illam confugiebant fratres ad neceſſaria tractanda.

d *Semper in Refectorio.* Taceant, ne ſolæ fauces ſumant ſuum cibum, ſed aures eſuriant Dei verbum, vt ait Auguſt. *in ſua Regul.* & D. Hieron. *in ſua*, & Clem. Alexand. 1. *Pædag. cap.* 1. ſic ait: *Eſt etiam cauendum, ne inter comedendum loquaris; fit enim vox indecora, & non ſatis expreſſa, ac ſignificans, vt quæ plenis buccis in anguſtum coërceatur, & lingua quæ nutrimento premitur, à naturali operatione præpedita, expreſſam non edit prolationem.*

e *Semper in Dormitorio.* Aptiùs diceret Legiſlator, *in cellulis*, ſecundùm conſuetudinem, quam habemus habitandi, & dormiendi in illis. In cellulis ergo ſemper debent obſeruare Silentium, ne impediatur Religioſorum quies, quæ illis ex corde appetenda eſt, vt habetur in cap. *Scripturis* 8. *q* 1. & præcipuè habetur in cellulis, cùm ad vacandum Deo, & contemplandum ſpecialiter ſint deputatæ, vt habetur cap. *priuilegium, de verb. ſignific. in* 6.

TEXTVS §. II.

[a] De [b] neceſſariis tamen [c] liceat [d] loqui in [e] aliis locis, [f] temporibus aptis, [g] ſubmiſſa voce, [h] humiliter, & [i] honeſtè.

EXPOSITIO.

a DE *neceſſariis.* Id eſt, de rebus tam ſimpliciter neceſſariis, quàm ſecundùm quid. Hoc eſt, de rebus neceſſariis, vel vtilibus. Vtrumque enim ſignificat verbum, *Neceſſarium*, latè ſumptum, vt ſæpè diximus, & notat gloſſ. *neceſſarium*, in cap. *neceſſaria*, 12. *q.* 1. & aptè, cùm neceſſitas, & vtilitas æquiparentur, vt habet gloſſ. *neceſſitas, in extr. quod olim, de immunit. Eccleſ.*

b *Tamen.* Eſt dictio exceptiua, vt *infrà.*

c *Liceat.* Id eſt, ſit licitum, vt ſuprà eſt habitum, & habet gloſſ. *liceat, in l. ſi ſeruus, C. de Epiſc. & Cleric.*

d *Loqui.* Quia ſicut eſt tempus tacendi, ita & loquendi, Eccl. cap. 3. Vnde D. Ambroſ. 1. *offic. cap.* 3. ſic ait. *Quid igitur? mutos nos eſſe oportet? minimè; eſt enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde, ſi pro otioſo verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus pro otioſo ſilentio.*

e *In aliis locis.* Ergo in prædictis, nempe Eccleſia, Refectorio, & Dormitorio, adhuc de rebus vtilibus & honeſtis non erit licitum loqui, niſi ad ſummum de rebus ſimpliciter neceſſariis, & ineuitabilibus. Quod durum videtur, ideoque aliter explicāda eſt hæc clauſula.

e *In aliis locis.* Dico igitur, quod litera eſt mendoſa, & quod non debet legi, *In aliis locis*, ſed *in illis locis*, & ita quod Religioſi poterunt loqui in dictis locis, nempe in Eccleſia, Refectorio, & Dormitorio, de neceſſariis, temporibus aptis, ſubmiſſa voce, &c. Et quod hæc ſit vera explicatio textus, conſtat ex ipſomet contextu capitis, ex ſe non admittentis aliam. Quod patet. Primò, quia de rebus neceſſariis, de quibus paſſim ſe offert occaſio loquendi in prædictis locis, licitum eſt profectò in illis loqui. Quia quando propter neceſſitatem aliquid fit, licitè fieri dicitur, in tantum, quod ſi non eſſet licitum in lege, neceſſitas faceret licitum, vt habetur *in extr. de re jurata*, cap. *quod non licitum*: quia neceſſitas legem non habet, vt habetur cap. *ſicut non, de conſecrat. diſtinct.* 1. & *ſupr.* latè probatum eſt: licitum ergo erit in prædictis locis de neceſſariis loqui: non ergo debet dicere textus quod *in aliis locis* licitum ſit de rebus neceſſariis loqui, cum in illis etiam loqui liceat. *In illis* ergo debet legi. Secundò, quia ly, *tamen*, eſt verbum exceptiuum, indicatque exceptionem ſpecialem in prohibitione generali non loquendi in prædictis tribus locis (vt conſtat ex cap. *de jejunio*, ibi, *Sic tamen, &c.* & *poſſit tamen, &c.*) & ſic denotat, quod de neceſſariis poſſint fratres in illis loqui. Tertiò conſtat ex illis verbis, nempe, *Liceat loqui.* Quia in aliis locis à prædictis, non ſolùm eſt licitum loqui de neceſſariis, ſed omninò neceſſarium, vt habitum eſt *lit. d.* ergo non benè diceret Legiſlator, quod tantùm eſſet licitum in aliis locis, & non in illis. Quartò conſtat, quia textus ſtatim addit, qua ratione, & quomodo

Digitized by Google

ſit loquendum, in tribus dictis locis, & extra illes; nempe in tribus dictis locis, *Temperibus aptis, ſubmiſſa voce, humiliter, & honeſtè*, & extra prædicta loca, *Sermone honeſto, & ſine ſcandalo.* Ac ſi apertè diceat Pontifex, quod fratres tantummodò poſſint loqui in Eccleſia, Refectorio, & Dormitorio, de neceſſariis, & tunc voce ſubmiſſa, tempora apto, humiliter, & honeſtè. At extra prædicta loca poſſint loqui de aliis rebus, etiam non adeò neceſſariis, nec neceſſariò cum omnibus dictis circumſtantiis, ſed ſolùm cum ſeqoentibus, nempe, *Quod ſermo eorum ſit honeſtus, & ſine ſcandalo.* Qointò, quia ſi textus diceret in aliis locis, extra tria prædicta poſſe loqui, fruſtra ſanè repeteret hoc ipſum, dicens: *Et extra prædicta loca.* Sextò, quia vana profectò eſſet regula, quæ præciperet licitum eſſe loqui de neceſſariis extra Eccleſiam, Refectorium, & Dormitorium; quis enim vnquam hoc dubitare poſſet, vel ad qoid hæc regula, & permiſſio, vbi adeſt neceſſitas? Debemus ergo legere *in illis locis*, & ſic aptè ſubiungitur, *& extra prædicta loca.* Conſonat huic expoſitioni D. Hieronym. & Petrus Damianus *loco cit.* §. 1. *lit. c.* 2. vbi clarè denotant, poſſe aliquando in præaſſignatis locis loqui.

f *Temporibus aptis.* Nam hominis ſapientis eſt tacere vſque ad tempus aptum, Eccl.20. num.6. & 7. *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus, & erit tacens ſciens tempus aptum.* Vnde D. Ambr. 1. *offic. cap.*2. ſic ait: *Sapientia Dei dixit* (*Iſai.* 59.) *Dominus dedit mihi linguam eruditionis, vt ſciam quando oporteat ſermonem dicere. Meritò ergo ſapiens, qui à Domino accipit quo tempore ſibi loquendum ſit. Vnde benè ait ſcriptura, homo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* Eodem modo loquitur D. Bernard. de ordine vitæ.

g *Submiſſa voce.* Ad inſtar recitantium in Eccleſia interdicta, vt cap. *permittimus, de ſentent. excommunic.* Vnde D. Bonauent. *de informatione Nouitiorum, cap.*30. ſic ait: *Cum loqueris, voce remiſſa, & vultu placido, moribus diſciplinatus, & quietus eſſe ſtudeas, & quidquid tunc loqueris, magis authenticum, & vtile erit:* & Philoſ. 3. *Ethic.* dicit, *Ad ſummam perfectionem volo te eſſe, breuiloqua, & ſubmiſſa voce.*

h *Humiliter.* Id eſt, cum humilitate, qoæ quidem ab humo dicitur: Et vt ait D. Bernard. *lib. de grad. humilit.* eſt virtus, qua homo veriſſima cognitione ſibi vileſcit, & adeò glorioſa, quod ipſa quoque ſuperbia humilitate palliare ſe appetit, ne vileſcat, & de talibus dicitur, quod ſub ſpecie agni lupum ferunt, cap. *vt officium, de haret. in* 6. Notat pro praxi, quod tres ſunt gradus humilitatis. Primus, ſubdere ſe maioribus, & non præferre ſe æquali, & hic dicitur ſufficiens, & neceſſarius, & facit cap. *Conſtantinopolitane, diſtinct.*22. Secundus ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori, & hic dicitur abundans. Tertius, ſubdere ſe minori, & hic dicitur ſuperabundans, vt *in cap.*1. *diſtinct.* 2. *de pænitent.* Sic notat gloſſ. *humilitatis, in Clement. cum de quibuſdam*, de Religioſis domibus, & eſt doctrina etiam D. Bonauent. *de Beatitud. Euang. cap.*1.

i *Et honeſtè.* Explica vt *infrà.* Hæc igitur, fratres dilectiſſimi, obſeruare debemus, vt ſermo malus non procedat de ore noſtro. Nam vt dicitur cap. *quoties*, 22. quæſt. 5. *Quoties loquimur, aut non in tempore, aut in importuno loco, aut non vt conuenit audientibus, toties ſermo malus procedit de ore noſtro.* Quæ verba maximè adaptantur huic noſtro capitl. Legatur inter alios de hac re D. Thom. *lib.*5. *de erudit. Princ. cap.*20. quo nemo melius.

TEXTVS §. III.

[a] Et extra [b] prædicta loca, [c] vbique [d] ſermo eorum [e] ſit honeſtus, & [f] ſine ſcandalo. [g] Similiter & [h] eorum omnis [i] ſtatus, [l] geſtus, [m] vita, [n] actio, & [o] omnia alia, [p] honeſta in eis reperiantur.

EXPOSITIO.

a ET *extra, &c.* Omnia, qoæ vſque ad finem capitis ſequuntur, obſeruanda eſſe à Clericis, admonet Concil. Trident. *ſeſſ.*22. *de reform.* his verbis: *Sic decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præſeferant.* De quo etiam agunt gloſſ. *honeſtè, in procem. decretal. & l. ſcire, §. penult. ff. de tut. & curat.*

a *Et extra.* Hæc dictio denotat interpoſitionem alicuius intervalli localis, vt habetur in cap. *ſtatutum, §. in nullo, de reſcriptis in* 6. & conſtat ex verbis ſequentibus.

b *Prædicta loca.* Nempe extra Eccleſiam, Refectorium, & Dormitorium.

c *Vbique.* Id eſt, in omni loco. Sic gloſſ. *vbique, l. dotis, ff. ſoluto matrimonio.*

d *Sermo eorum.* Id eſt, confabulatio fratrum.

e *Sit honeſtus.* Id eſt, honore dignus, virtuoſus, & decorus, vt explicat D. Thom. 2.2. *quæſt.*145. *art.*1.2. & 3. Quia honeſtus ſermo pudici cordis eſt nuntius: ſicut è contra, inhoneſtus ſermo, & oculus, impudici cordis eſt, vt dicit D. Auguſt. in ſua Regula, & teſt. in cap. *nec ſolo*, 22. *quæſt.*5. Nam os ex abundantia cordis loquitur, & verba quidem inſtituta ſunt, vt quod qois cogitat, aliis proferat, vt habetur 22. *quæſt.*2. cap. *is autem*, & notat gloſſ. *ſermo*, in cap. *reuera, de conſecr. diſtinct.*2. Vnde D. Ambroſ. 1. *de offic. cap.*18. ſic ait: *Speculum mentis plerumque in verbis refulget, & vox quædam eſt animi corporis motus.* D. quo etiam D. Thom. *loco cit. q.*168. *art.*1. & D. Gregor. *lib.* 26. *Moral. cap.*7. dicit: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verba penſantur ex corde.*

f *Et ſine ſcandalo.* Id eſt, non præbens occaſionem ruinæ. Quia huiuſmodi ſermo in fratribus omninò vitandus eſt, vt habetur in cap. *cùm ex iniuncto, de nou. oper. nunt.* & cap. *nihil prodeſt, de præſcript.* & cap. *cauendum* 10. *quæſt.*3. & cap. *nolite* 11. *q.*3. & *gloſſ. ſcandalum, in extr. Quorundam, de verbor. ſignific.* vt ſic nemini, juxta vocem Apoſtoli (2. Corinth.6.) dent fratres vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum, ſed in omnibus ſe exhibeant vt Miniſtros Dei. Sic monet Trident. *ſeſſ.*24. *de reform.*

g *Similiter.* Et eodem modo.

h *Et eorum.* Scilicet fratrum.

i *Omnis ſtatus.* Id eſt, diſpoſitio corporis in jacendo, ſedendo, vel ſtando ſit honeſta. Quia incompoſitio corporis inæqualitatem indicat mentis, vt dicitur 41. *diſt. in fin. & gloſſ. grauitas*, in cap. *cum in cunctis, de elect. & elect. pot.* & eſt dictum D. Auguſt. *epiſt.*109. *ad Monachos*, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 19. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.*

l *Geſtus.* Qui (vt ait D. Bonauent. *in ſpeculo diſcipl. cap.*2.) eſt modus, & figuratio membrorum, & corporis, & debet etiam eſſe honeſtus. Id eſt (inquit idem

idem Sanctus) humilis, ſeuerus, & grauis : & Diu. Iſidorus relatus in cap. *his igitur*, *diſtinct.* 23. docens qualiter Clerici debeant viuere, & quæ vitare, ſic ait: *Non petulanti, fluidoque geſtu incedant.* Et benè quidem, qoia geſtus, ſi diſſolutus, vel mollis eſt, indicat laſciuiam; ſi fractus, indicat ſuperbiam; ſi citus, indicat impetuoſitatem, ſi tardus, indicat pigritiam: vt dicitur 41. *diſtinct.* §. 1. *&* §. *ſicut ergo*, & cap. *parſimoniam* 5. & cap. *Clericus* 8. *ibidem.* Vnde benè Diu. Thom. *lib.* 5. *de Reg. Princ. cap.* 16. ſic geſtum definit: *Geſtus* (inquit) *eſt motus, vel diſpoſitio corporis, qui indicat motum, vel diſpoſitionem animi, ſicut effectus cauſam : & ſic Bernard. ait, ex cordis theſauro procedit quidquid foris apparet vitiorum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. Ad honeſtatem in geſtu monet Hugo Victorinus, his verbis: Vnumquodque membrum opus ſuum tam decenter, ac modeſtè impleat, vt per indiſciplinam oculos ſapientium non offendat.* Sic D. Thom.

m *Vita.* Hîc verbum, *Vita*, præcipuè concernit omnia oeceſſaria ad victum fratrum, quæ quidem debet eſſe hoOeſta, & moderata, vt *ſuprà cap.* 2. §. 1. *& cap.* 22. nam *vita*, multoties ſignificat ipſum alimeotum, ſeu victum. Colligitur etiam hæc explicatio ex gloſſ. *in cap.* 1. *de vita & honeſt. Cleric.* & ex ipſomet Inoocent. III. cap. *cum ab omni, eodem tit.* Vbi ſic dicit : *Nos attendentes, quod ad hoc vobis, & aliis Clericis ſint Eccleſiaſtici redditus deputati, vt ex ipſis honeſtè vinere debeatis :* & ex diſt. 41. quaſi per totam.

n *Actio.* Motus, & actus. Sic extendit dictam dictionem gloſſ. *actionum, & actionem, in l. hac ratio*, §. *Sed ſi debitorem*, *ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Qui quidem debent eſſe hoOeſti. Quia motus, & actiones exteriores ſuot ſigna interioris diſpoſitionis, ſecundùm Eccleſiaſtic. 19. *Amictus corporis, & riſus dentium, & greſſus hominis enuntiant de illo.* Vnde D. Ambroſ. 1. *de officiis*, ſic ait : *Ex motibus exterioribus homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut grauior, aut conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur.* In omni ergo actione debet eſſe modeſtia, & honeſtas. Nam etſi motum natura ioformat, ſed ſi quid vitij in natura eſt, modeſtia, & induſtria emendat. Vnde benè de his D. Thom. loco cit. ex Hugone ſic dicit : *Diſcretio actionum in membris conſeruandis eſt, vt ſcilicet id agat vnumquodque, ad quod factum eſt. Vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium aſſumat. Sunt enim qui neſciunt auſcultare, niſi buccis patentibus, alij loquentes digitum extendunt, ſupercilia erigunt, &c.* De hoc latè idem Sanctus 2. 2. *q.* 145. 160. *&* 168. *& alibi.*

o *Et omnia alia.* Quæ in fratribus fuerint, veluti inceſſus, habitus, &c.

p *Honeſta in eis reperiantur.* Iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Honeſtè autem illud fit, quod cum pace, & diſciplina fit. Vel (vt dicit D. Ambroſ. *ſuper hunc locum*) qood oon pueriliter, ſed decenter, & provt decet viros perfectos fit. Vnde D. Auguſt. *in ſua Regula*, hæc omnia comprehendens, ſic ait: *In inceſſu, ſtatu, habitu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* Vel ex D. Thom. *opuſc.* 71. ſic explica. Honeſta in eis reperiantur. Id eſt, virtuoſa. Quia honeſtum eſt, quod ſua vi nos trahit, & ſua dignitate nos allicit; & quoad ſubſtantiam idem eſt, ac virtus, vt ſuprà etiam eſt habitum.

Capvt XXVI.

De juramentis non faciendis.

TEXTVS.

[a] Iuramenta [b] non faciant, [c] niſi magna [d] neceſſitate, [e] cum licentia Miniſtri, vel [f] juſſi ab aliquo vices Apoſtolicas [g] gerente, & hoc pro [h] honeſta, & [i] juſta cauſa.

EXPOSITIO.

a IVramenta. Iuramentum eſt aſſertio, vel negatio de aliquo facto, vel fiendo, ſacræ rei atteſtatione firmata : habetur *in authent. de mand. Princ.* §. *Sed neque.* Sed clariùs D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 89. ſic jurameotum definit, *Eſt inuocatio diuini teſtimonij in teſtem.*

b *Non faciant.* Quia Chriſtus Dominus *Matth.* 5. dicit : *Sit ſermo veſter eſt eſt, non non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Et Iacob. 5. dicitur : *Ante omnia fratres mei nolite jurare omninò.*

c *Niſi magna neceſſitate.* Quia aliud eſt ad juramentum ſpontanea voluotate accedere, aliud neceſſitate. Primum quidem prohibetur, vt conſtat ex authoritatibus adductis. Secundum verò minimè, ſed conceditur, eſtque licitum, & honeſtum. Habetur 22. *quæſt.* 1. & ex profeſſo probat Innocent. III. in cap. *& ſi Chriſtus, de jurejurando*, quod licitè ex cauſa neceſſaria poſſint Religioſi jurare : in quo cap. hoc totum noſtrum expreſsè continetur. Vnde benè dictum eſt, *Niſi magna neceſſitate.* Hoc ipſum probat D. Thom. *loco cit. art.* 1.

d *Magna neceſſitate.* Præcipuè in ſex ſequentibus. Primò, pro pace, vel amoris conjunctione : & habetur 22. *q.* 1. *cap.* 1. Secuodò, pro iofamiæ expurgatione : & habetur 2. *quæſt.* 4. cap. *Preſbyter, & tribus ſequent.* Tertiò, pro fide, & fidelitate : & habetur *de conſecr. diſtinct.* 2. cap. *ego Berengarius*, & 15. *q.* 6. cap. *alius.* Quartò pro obedientia, vel reuerentia; & habetur *diſt.* 23. cap. *quanquam.* Quintò, pro veritate ioquirenda, ſiue in teſtibus, ſiue in aliis: habetur 14. *q.* 2. cap. *quanquam*, & 22. *q.* 1. *cap.* 1. Sextò, pro damno dato, vel dando : habetor 2. *q.* 1. cap. *in primis, circa medium.* Vnde & verſus, quos affert gloſſ. neceſſitate, *cap.* 1. *de feriis.*

Pax, & Fama, Fides, Reuerentia, Cautio damni,
Defectus veri, ſibi poſcunt magna caueri.

e *Cum licentia Miniſtri*, Generalis, Prouincialis, vel Conuentualis. Vt ſic non leuiter, ſed diſcretè, aut cum diſcretionis judicio jurent. Iudicium enim primus comes juramenti eſt.

f *Vel juſſi.* Quia pro obedientia jurare poſſunt, & debent, vt habitum eſt *lit. d.*

g *Et hoc.* Id eſt, & quando contingat, quod à fratribus tale jurameotum fiat.

h *Pro honeſta, & juſta cauſa.* Quales ſunt omnes aſſignatæ *litter. d.* fiat, vt ſic inueniantur in juramento tres illi comites, quos D. Hieron. & D. Thom. *loco cit. art.* 3. aſſignant, veritas ſcilicet, judicium, & juſtitia.

Capvt XXVII.

De Pignore, & Depoſito non accipiendo.

TEXTVS.

[a] Pignora non accipiant. [b] Depoſitum [c] auri, vel argenti, [d] vel pecuniæ [e] non liceat eis [f] ſuſcipere.

EXPOSITIO.

a *Pignora, &c.* De Pignore, & Depoſito agitur in Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio. Pignus autem nihil aliud eſt, quàm res obligata, & tradita pro debito, ad ſecuritatem creditoris. Quia tutius eſt pignori incumbere, quàm agere in perſonam, vt habetur *de oblig. quæ ex delict. naſc. §. furti.* Dicitur enim pignus à pugno, & propriè eſt circa rem mobilem, traditam de pugno in pugnum, id eſt, de pugno, vel de manu debitoris, in pugnum creditoris ad eius ſecuritatem. Habetur *ff. de verb. ſignific. l. plebs, §. pignus.*

b *Depoſitum.* Propriè eſt id, quod ad cuſtodiendum alicui datur. Dicitur enim depoſitum ex præpoſitione *De*, & poſitum, quaſi ſignificet de cuſtodia mea ſeorſum poſitum, & in alienam tranſlatum. Quod quidem locum ſolùm habet in rebus mobilibus, & ſe mouentibus tantùm. Sic habet gloſſ. *in c. bona fides, eod. tit.* & colligitur ex ipſamet definitione. Depoſitum ergo accipere, eſt aliquid ad cuſtodiendum accipere, vt habetur *Inſtit. tit. §. Præterea.*

c *Auri, vel argenti.* Quæ res pondere conſtant, & ſic appendendo eas, ad cuſtodiendas amico tradi ſolent. Habetur *in Inſtit. loc. cit. &* §.

d *Vel pecuniæ.* Latè, & largè ſumptæ, pro quo nota, quod pecunia dupliciter ſumitur: uno modo ſtrictè pro pecunia numerata, vel ſignata. Alio modo largè, & latè pro omnibus rebus, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt: veluti, vinum, oleum, frumentum, quæ metiuntur: æs, argentum, & aurum, quæ appenduntur: & pecunia quæ numeratur. Habetur hæc diſtinctio in c. *fœneraueris,* & cap. *putant,* & cap. *plerumque,* 14. q. 3. *& ff. de leg. 1. l. talis, & ff. de verb. ſignif. l. Pecunia.* In præſenti ergo non ſolùm numerata pecunia, ſed omnes res mobiles nomine pecuniæ veniunt, & ita abſolutè prohibet Legiſlator recipi à fratribus depoſitum alicuius rei, ſiue in pondere, ſiue in menſura, ſiue in numero conſiſtat. Nec eſt nouum, vt ſpeciatim quibuſdam enumeratis (nempe argentum, & aurum) generale ſubiiciatur verbum, in quo ſingula contineantur, vt habitum eſt *ſuprà, cap. 12. lit. e.*

e *Non liceat eis.* Id eſt, non ſit licitum fratribus.

f *Suſcipere.* Id eſt, recipere, acceptare, vel admittere.

Capvt XXVIII.

De venditione rerum.

TEXTVS.

[a] Si quod [b] vitium [c] in re, [d] quæ venditur, [e] notum fuerit, [f] indicetur emptori.

EXPOSITIO.

a *Si quod, &c.* In hoc capite continetur id, quod habetur *in l. Iulianus, ff. de act. empt.* in qua lege ſtatuitur, quod venditor aperiat omnia vitia occulta emptori, alioquin concedatur actio redhibitoria. Eandem doctrinam docet S. Thom. 2. 2. *q. 77. art. 3.* vbi *in argum. ſed contrà,* citat D. Ambroſ. ſic dicentem: *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, ac niſi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris tranſierint, doli actione vacuantur.*

a *Si quod.* Id eſt, ſi aliquod.

b *Vitium.* Quod eſt defectus rei, quæ venditur. Veluti ſi animal, v. g. talum excuſſit, vel ruptum habet: ſi luſcus ſit, hoc eſt, ſi lumine adhibito, nihil videt. Si domus ſit ruinoſa, cibus corruptus, &c. Habetur *ff. de verb. ſignific. l. inter ſtuprum, & ibi gloſſ. luſcus.*

c *In re.* Quacumque; eſt enim *Res*, dictio generalis, vt *ſup. cap. 2. lit. a,* eſt habitum.

d *Quæ venditur.* Vendere eſt, ſumpto pretio rem ſuam alicui tradere.

e *Notum fuerit.* Ipſi venditori. Notum autem eſt, quod ita eſt manifeſtum, vt probatione non egeat. Habetur in cap. *tua nos, de cohabitat. Cleric.* & cap. *euidentia, de accuſat.*

f *Indicetur emptori.* Id eſt, dicatur, manifeſtetur, & aperiatur emptori.

Capvt XXIX.

De Capitulo Conuentuali.

TEXTVS.

[a] Capitulum, [b] ſi fieri poteſt, [c] ſingulis Dominicis diebus [d] in ſingulis domibus [e] Miniſter cum fratribus ſuis [f] teneat. Et de negotiis [g] domus, & domui, ſiue fratribus datis, vt ad [h] Redemptionem Captiuorum tertia pars [i] deputetur, fratres Miniſtro, & [l] Miniſter [m] fratribus rationem fideliter reddant.

EXPOSITIO.

a *Capitulum.* Id eſt, congregatio fratrum. Nam hoc verbum, *Capitulum*, aliquando ſumitur pro loco ipſo, vbi Capitulares congregantur. Aliquando verò pro congregatione ipſorum, qui congregantur: vt hic. Habetur in cap. *capitulum, de reſcriptis,* & in cap. *Sacroſanctæ, de elect.* & in cap. *cupientes, §. Ad hæc, de elect. in 6.*

b *Si fieri poteſt.* Commodè, & conuenienter: vt ſæpè explicatum eſt.

c *Singulis Dominicis diebus.* Id eſt, omnibus diebus Solis, quos dominicos ritè dixere Maiores. Habetur *ff. de feriis, l. omnes 3. & l. omnes 7.* vbi gloſſ. dies Solis, notat, quod ſeptem dies à ſeptem Planetis nomen ſumpſerunt, & Sol eſt inter illos, & adhuc hodie ſic illos denominamus, præter Dominicum, & Sabbathum, quod Saturni nomen habebat, & ſunt affixi firmamento, ſecundùm hunc ordinem deſcenſiuè: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

d *In ſingulis domibus.* Id eſt, in qualibet, vel in vnaquaque domo, ex cap. *ſinguli, de conſecr. diſt. 2. & ibi gloſſ. ſingulis.*

e *Miniſter*

e *Miniſter cum fratribus ſuis teneat.* Hoc enim eſt capitulum fidei, id eſt, in locum ad id ſignatum fratres congregari cum ſuo Prælato in vnum.

f *Et de negotiis.* Aſſignat Legiſlator aliquas cauſas, propter quas iubet capitulum fieri. Prima eſt, vt in ipſo de negotiis domus tractetur. Secunda, vt de datis domui, & fratribus ratio reddatur, & tertia pars ad Redemptionem Captiuorum ſeparetur. Tertia, vt fiat exhortatio fratribus. Quarta, vt de culpis fratrum iudicetur. Quinta denique, vt deliberetur de minutis, an de illis ſeparari debeat tertia pars. Sic præcipit Legiſlator *in hoc capite, & cap.30. & 31. & ſup. cap.2.*

f *Et de negotiis domus.* Negotium, vt dicitur in cap. *forus, de verborum ſignificat.* multa ſignificat. Primum enim ſignificat actum alicuius rei, vt colere agros, vel vineas: vt habet gloſſ. *negotium, in capite negotium, de pœnitent diſtinct.5.* & contrarium huius eſt otium. Vnde negotium dictum eſt, ſine otio, vel quaſi negans otium, ut habet gloſſ. *negotiis, in extr. ſuper Cathedram.* Secundum ſignificat actionem cauſæ, quæ eſt iurgium litis. De quo in cap. *ſi Clericus, 11. quæſt.1.* iurgium autem eſt quaſi iuris garrium, eo quòd hi, qui cauſam dicunt, iure diſceptent. De his omnibus ergo negotiis debent fratres in capitulo tractare, & præcipuè de his ſecundis. Circa quæ, tria ſunt maximè attendenda, vt habet text. in cap. *magna, de voto, & voti Redempt.* Primum, quid liceat ſecundùm æquitatem. Secundum, quid deceat ſecundùm honeſtatem. Tertium, quid expediat ſecundùm vtilitatem. Adde (cum D. Thom. *opuſc.71. cap.5.* Quartum, quid oporteat ſecundùm neceſſitatem.

g *Et domui, ſiue fratribus datis.* Idem enim profectò eſt. Nam quod Monachus acquirit, Monaſterio acquirit, vt habetur *18.q.1. c.vnic. & gloſſ. Eccleſiarum, in Clem. Nolentes, de hæreticis.*

h *Vt ad Redemptionem.* Aſſignat Legiſlator cauſam, ob quam debent de acceptis fratres rationem reddere, vt ſcilicet tertia pars pro redimendis captiuis ſeparetur.

i *Fratres Miniſtro.* De rebus illis datis.

l *Et miniſter fratribus.* De rebus, quæ domui ſunt datæ, vel relictæ.

m *Rationem fideliter reddant.* Quia bonum eſt, ſi deceat, & fieri poſſit (vt in noſtro caſu poteſt, & decet) de omnibus rationem reddere. Habetur in cap. *ſi quando, de reſcriptis, & ibi gloſſ. rationabilem.* Nam quod ratione caret, exſtirpari neceſſe eſt, vt dicitur *diſtinct. 86.* cap. *Chorepiſcopi.* Dixi, *ſi deceat, & fieri poſſit*, quia aliquando in aliis negotiis nec decet, nec eſt poſſibile de omnibus rationem reddere, vt habetur in cap. *Nabuchodonoſor, 23. quæſt.4. & ff. de leg. l. non omnium.*

Capvt XXX.

De exhortatione facienda.

TEXTVS.

[a] Non ſolum [b] Fratribus, [c] ſed [d] & familiæ domus [e] pro capacitate ſua [f] ſimiliter ſingulis dominicis diebus, [g] ſi fieri poſſit, [h] exhortatio [i] fiat, & [l] quod credere, [m] aut agere debeant, [n] ſimpliciter [o] moneantur.

EXPOSITIO.

a NOn *ſolum.* Quod præcipit noſter textus, præcipit etiam Concil. Trident. *ſeſſ.28. cap.8. & ſeſſ.24. cap.4. & 7.* Vbi Sancta Synodus mandat omnibus Paſtoribus, & ſingulis curas animarum gerentibus, vt per ſe, vel per alios aliquid exponant ex his, quæ in Miſſis leguntur, diebus præſertim Dominicis. Sed *ſeſſ.5. cap.2.* ſic, adhuc aptiùs ad noſtrum textum, ait: *Quicumque curam animarum habentes, per ſe, vel per alios viros idoneos, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat.* De quo etiam in Concil. Conſtantinop. 6. *cap.* 8. & in cap. *exiit*, & Concil. Lateran. *vlt. ſeſſ.11.*

b *Fratribus.* Id eſt, tam Clericis, quàm Laicis.

c *Sed &.* Nota, quod quando poſt dictionem *Sed*, ponitur copula *&*, denotatur diverſitas facti, licèt ſit identitas iuris. Vt notat gloſſ. marg. *in l. Patris, ff. de vulg. & pupil. ſubſtitut.* Quod clarè contingit in præſenti.

d *Sed & familia.* Id eſt, ſeruis & famulis domui inſeruientibus. Sic explicatur *in l. detestatio eſt, ff. de verbor. ſignific.* iure enim propriè familiam dicimus plures perſonas, quæ ſunt ſub vnius poteſtate, aut natura, aut iure ſubiectæ. Habetur *l. pronuntiatio, ff. de verborum ſignific.* præcipuè illis verbis: *Seruientium* (vel ſeruorum, vt addit gloſſ.) *quoque ſolemus appellare familiam.*

d *Familia domus.* Et benè profectò. Nam vnuſquiſque debet monere, & corrigere familiam ſuam: quoniam ei competit iure patriæ poteſtatis, vt habetur 23. *q.4.* cap. *duo iſta, & diſt.45.* cap. *cum beatus, §. Salomon,* & cap. *diſciplina.* Nam qui domeſticorum ſuorum curam non habet, fidem negauit, vt dicitur ex Apoſt. 47. *diſt.* cap. *ſicut, §. neceſſe, ad finem verſus.* Hinc etiam Paulus, & gloſſ. *familia,* cap. *cùm voluntate, de ſent. excommun.*

e *Pro capacitate ſua.* Quia ſecundùm capacitatem Auditorum moderari debet ſermo Prædicatorum. Vnde Apoſtol. Petrus (vt refertur in cap. *oportet, 8. quæſt.1.*) ſic ait: *Oportet eum, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, vt pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.* Sic etiam eodem modo loquitur text. in cap. *ſit rector, diſtinct.* 43. Conſonat etiam D. Gregor. *lib.* 17. *Moral. cap.*12. vbi ſic ait: *Secundùm capacitatem Auditorum moderari debet lingua Doctorum: & ita Apoſtoli curauerunt ſummoperè rudibus populis plana, & captibilia, non ſumma, atque ardua prædicare. Nam ſi ſcientiam ſanctam, vt hauriebant corde, ita ore funderent, immenſitate eius Auditores ſuos opprimerent, potiùs quàm rigarent.* Et in Prologo 3. *part. Paſtoralis*, ſic ait: *Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo Doctorum, vt & ſua ſingulis congruant. Nam vt dicit Greg. Nazian. Non vna, eademque cunctis exhortatio congruit: quia non cunctos par morum qualitas aſtringit.*

f *Similiter ſingulis dominicis diebus.* Expone, vt ſæpè eſt expoſitum.

g *Si fieri poſſit.* Expone ſimiliter, vt *cap. præcedenti, lit. b. & alibi.*

h *Exhortatio fiat.* Id eſt, ſermo, vel prædicatio. Colligitur ex cap. *Ex tuarum, de priuileg. & ex gloſſ. exhortationis, ibidem.* Vnde D. Ambroſ. *in cap.4. 1. ad Timoth.* ſic ait: Exhortatio eſt, cùm miti verbo aliquos prouocamus ad bonum opus.

h *Exhortatio fiat.* Diuerſa tamen, & in diuerſo loco, ſecundùm capacitatem Auditorum, Fratrum videlicet, & Seruorum.

i *Et quod credere, aut agere debeant.* Id eſt, credere, & agere, vtrumque ſimul: quia vnum ſine altero non prodeſt quidquam. Quoniam ſicut fidea ſine operibus mortua eſt, ut dicitur *Iacob.* 2. & habetur in cap. *ſicut vrgeri,* 1. *quæſt.* 1. ita opera ſine fide ſunt mortua: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt dicit Apoſtol. *Hebr.* 12. & Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 1. unde illa particula, *aut*, in præſenti pro *&*, ſumitur.

l *Credere.* Myſteria ſcilicet noſtræ fidei. De quibus in cap. *firmiter, de Summ. Trinit.* & cap. *qui Epiſcopus, diſt.* 23. & in ſymbolis Apoſtolorum, Concilij Nicæni, & D. Athanaſij.

m *Aut agere debeant.* Religioſi videlicet, vt obſeruent diligenter non ſolùm præcepta diuina, & Eccleſiaſtica, & ſua vota: ſed & conſtitutiones Apoſtolicas, conſuetudines, & huiuſmodi. Famuli verò præcepta omnia, & præcipuè Decalogi, & Eccleſiæ, deinde vt ab omni malo declinent, & faciant omne bonum, &c.

n *Simpliciter.* Id eſt, verbis ſimplicibus, planis, & apertis. Habetur in cap. *qui Epiſcopus, diſt.* 23. (ſimpliciter namque, quaſi ſine plica, vel inuolutione, dicitur, vt notat gloſſ. ſimpliciter, in capite ſæpe contingit, *de verbor, ſignificat.*) & benè, quia ſimplicitas locutionis ab omnibus quærenda eſt, vt dicit Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & habitum eſt *lit. a.* Vnde D. Greg. *lib.* 33. *Moral. cap.* 14. ſuper illud: *Simplici è corde fluunt ſermones mei*, ſic ait: *Magna virtutis laus eſt ſimplicitas locutionis, quam quia arrogantes non habent, habere hanc ſolicitius ſe aſſerunt, vt ſecuriùs audiantur, & purè ſe locuturos denuntiant, quia duplicitatis ſuæ malitiam deprehendi formidant.* Et Seneca (vt refert D. Thom. *lib.* 5. *cit. cap.* 9.) ſic dicit: *Oratio, quæ veritati dat operam, incompoſita eſſe debet, & ſimplex.*

o *Moueantur.* Et ideò Prælati attendere debent lectioni, exhortationi, & doctrinæ, vt docet Apoſtol. *ad Timoth.* vt omne opus eorum in doctrina, & prædicatione conſiſtat, vt ſic ſubditos ſibi commiſſos valeant erudire, tam in ſcientia fidei, quàm in moribus, vt habetur in Concil. Tolet. 4. *cap.* 24. in cap. *ignorantia, diſt.* 38.

Capvt XXXI.

De culpis Fratrum in Capitulo arguendis.

TEXTVS.

[a] De omnibus rebus, [b] & clamoribus [c] Fratres in capitulo [d] iudicentur.

EXPOSITIO.

a DE *omnibus rebus.* Malefactis.

b *Et Clamoribus.* Hoc eſt, & de omnibus accuſationibus, querelis, aut rumoribus cuiuſcumque ſceleris, contentionibus, & rixis. Nam hæc omnia, *Clamor*, ſignificat, vt colligitur ex cap. *euidentia, de accuſat.* & cap. *qualiter, & quando,* 24. *eodem tit.* iuxta illud Exod. 3. *Clamorem eius audiui*, & Geneſ. 18. *Clamor Sodomorum venit ad me. Deſcendam, & videbo, verum Clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* Quæ verba ad noſtrum propoſitum referuntur in cap. *cùm dilecti, de accuſat.* & cap. *qualiter, cit.* & D. Auguſt. *tom.* 4. *annotat. in cap.* 30. Iob, ſic ait: *Hinc eſt, quod in pleriſque locis, pro manifeſtis peccatis clamorem ponit ſcriptura, vt verbum ſit quidquid corde concipitur clamor, cum procedit in factum.*

c *Fratres in Capitulo.* Conuentuali videlicet, & Dominico, à Miniſtro iudicentur: quia eius officium eſt iudicare culpas, & arguere, vt habetur in cap. *qualiter, & quando, de accuſat. cit.* Audiant obſecro Miniſtri verba ad ſolatium eorum, ſunt enim Innoc. noſtri III. in Concil. generali Lateran. cap. 8. *Quia* (inquit) *Prælati non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio ſuo teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, frequenter multorum odium incurrunt, & inſidias patiuntur.*

d *Iudicentur.* Id eſt, arguantur (iuxta illud Iob 36. *Per hæc enim iudicat populum*) & puniantur (iuxta illud Deuteron. 20. *Ergo non iudicabit eos*) & bene. Quia Prælatus, qui culpas ſubditorum non arguit: ſed impunè dimittit, grauiter offendit. Vnde D. Greg. relatus in c. *ſi is, qui* 23. q. 4. ſic ait: *Si is, qui Prælatus eſt, debitori Dominicæ culpas impunè dimittit, non mediocriter profectò offendit, qui debita cœleſtis Regis, & Domini ſua præſumptione reſoluit. Ea namque, quæ in nos committuntur, facilè poſſumus dimittere, ea verò quæ in Deum commiſſa ſunt, cum magna diſcretione, nec ſine pœnitentia debemus relaxare.* Et certè quidem infirma ſatis Religio eſt, & ægra ſanè, vbi mali mores non corriguntur. Non charitas, ſed languor ciua hoc facit (vt dixit Auguſt. relatus in cap. *non putes,* 23. *quæſt.* 5.) ferueat ergo charitas ad corrigendum, & ad emendandum. Si ſunt boni mores, delectent: ſi ſunt mali, emendentur.

Capvt XXXII.

De Accuſationibus publicis.

TEXTVS.

[a] Nullus fratrum fratrem ſuum in [b] publico accuſet, [c] niſi benè [d] poſſit probare. [e] Qui autem hoc fecerit, [f] pœnam ſubeat, [g] quam reus [h] ſubiret, [i] ſi [l] conuinci potuiſſet. [m] Niſi [n] Miniſter [o] ex [p] cauſa cum eo [q] diſpenſare voluerit.

EXPOSITIO.

a NVllus Fratrum. Comprehendit omnes fratres, cùm verbum, *Nullus*, ſit vniuerſale negatiuum, vt *ſup.* eſt habitum.

b *In publico accuſet.* Accuſare autem in publico, propriè eſt aliquem apud Iudicem criminis alicuius reum facere, iuxta illud Geneſ. 37. *Accuſauit Ioſeph Fratres ſuos apud Patrem*: ſic communiter Iuriſtæ *in tit. de accuſat. ff. & C.* Debet autem accuſatio fieri in ſcriptis. Quia cùm ea, quæ verbo tenus dicuntur, facilè labantur à memoria, non poſſet iudici eſſe certum quid, & qualiter dictum ſit, cum debet proferre ſententiam, niſi eſſet in ſcriptis redactum. Habetur 2. *quæſt.* 8. cap. *Accuſatorum,* & cap. *qui crimen, & 2. quæſt.* 1. cap. *legem, & quæſt.* 3. cap. *ſi quis iratus,* & apud S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 2. Quod tamen non ſemper eſt neceſſarium, putà in crimine leui,

leui, vt dicitur *ff. de accuſ. l. leuia*, & in nototiis, cum in huiuſmodi neque accuſator requiratur, vt dicitur cap. *euidentia, de accuſat.* ſecus in non notoriis, licèt manifeſta ſint, vt habetur 11. *quaſt.* 3. cap. *eorum.* Deinde fieri debet cum inſcriptione. Scilicet, quod accuſator obliget ad pœnam talionis, vt habetur 2. *quaſt.* 8. cap. *quiſquis, & 3. quaſt.* 9. cap. *qui accuſare.* Exceptis etiam quibuſdam caſibus, vt in crimine leſi. & in crimine apoſtaſiæ, & aliis, de quibus 4. *q.* 4. *§. Aliquando.*

c *Niſi.* Id eſt, ſi non. Sic hoc verbum explicat gloſſ. non habentur, *in l. fœmina, de Senator. & gloſſ. Pomponius, in l. ſi cum, §. fin. ff. ſi quis cautio.*

d *Bene poſſit probare.* Id eſt, oſtendere veritatem, iuxta illud Geneſ. 40. *vt coniecturis veritas probaretur*, & bene hoc præcipit Pontifex. Nam qui accuſate volunt, habere debent ſufficientem probationem, vt habetur *in l. qui accuſare, C. de edendo*, & cap. *ſi tantum*, 6. *quaſt.* 2. Qui verò ſufficienrem probationem adhibere non poſſunt, non tenentur ad intentandam accuſationem: quia nullus tenetur ad hoc, quod non poteſt debito modo perficere. Sic habetur in cap. *ſi tantum, cit.* & docet D. Thom. *loco cit. art.* 1. *in corp.*

e *Qui autem hoc fecerit.* Vel fieri iuſſerit. Sic in ſimili ampliat hoc verbum gloſſ. *fecerit, in authent. decurſio, de furtis.*

f *Pœnam ſubeat.* Id eſt, patiatur, vel puniatur illa pœna corpotali, & afflictiua corpotis.

g *Quam Reus.* Id eſt, accuſatus, vt explicat gloſſ. *reus, in l. qui cum vno, ff. de re militari.* Dicitur enim reus, à re, qoæ petitur. Vnde quamuis conſcius ſceleris non ſit reus: tamen dicitur quandiu in iudicium pro re aliqua petitur. Habetur in cap. *forus, de verbor. ſignificat. & ibi gloſſ. reus.*

h *Subiret.* Id eſt, pateretur, vel puniretur.

i *Si conuinci.* Conuincere eſt aliquem alicoius facti, & præcipuè criminis ſic vincere, vt negare nequeat. Habetur Exod. 21. Dan. 12.. & 1. Cor. 14.

l *Si conuinci potuiſſet.* Id eſt, ſi fratrer reus fuiſſet conuictus iuridicè de delicto. Hæc pœna, quæ *Talionis* dicitur, in vtroque iniungitur iure accuſatori, qui in probatione defecerit. In Canonico quidem 2. *quaſt.* 3. cap. *calumniator*, vbi ſic habetur: *Qui in accuſatione defecerit, talionem recipiat*: & cap. qui non probauerit, ſic ait Adrianus Papa. *Qui non probauerit, quod obiecit, pœnam quam intulit, ipſe patiatur.* In ciuili verò, *in l. Diui fratres, de accuſat.* Ratio autem hoius pœnæ eſt: Quia eo ipſo, quod quis non probat ſuam intentionem, præſumitur calumniati; calumnians autem in crimine extraordinatio punitur cadem pœna, qua puniretur reus, ſi fuiſſet conuictus. Sic habet gloſſ. *ſimilitudo, in l. fin. C. de accuſat. & gloſſ. in Rubrica C. de calumniator. & gloſſ. per legitimos, in procem. inſtitut.* Idem docet S. Thom. *loco cit. art.* 4. hanc rationem adducens. Nam accuſator in cauſa accuſationis conſtituitur pars intendens ad pœnam accuſati. Ad iudicem autem pertinet, vt inter eos iuſtitiæ æqualitatem conſtituat. Iuſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, vt nocumentum, quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecundùm illud Exod. 21. *Oculum pro oculo, &c.* & ideò iuſtum eſt, vt ille, qui per accuſationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur.

m *Niſi.* Ponit exceptionem Legiſlator; eſt enim hoc verbum, *Niſi.* exceptiuum, vt *ſup. cap.* 14. *lit. g.* eſt habitum.

n *Miniſter.* Quia ad ipſum pertinet diſpenſate, cum ſit actus iuriſdictionis, vt *ſup. cap.* 1. *lit. f. & c.* 15. *§.* 3. *lit. f.* eſt habitum.

o *Ex cauſa.* Quia omnis diſpenſatio, etiam à iure, debet fieri cum cauſa. Habetur *in cap. nihil, de electione.* Diſpenſate enim eſt diſcretè penſare, non diſſipate. Notat gloſſ. *ex confeſſis, in extr. antiquorum, de pœnitent. & remiſſ. ff. de officio Procurat. Caſ. l.* 1. de quo etiam *ſup. cap.* 15. *§.* 3. *lit. g.*

Duæ autem præcipuæ poſſunt eſſe diſpenſandi cauſæ in hac talionis pœna. Prima eſt, quando aliquis aliqua cauſa iuſta impulſus, vt calore iracundiæ, vel iuſto errore motus, accuſauit, & non probauit. Sic habet gloſſ. *ex vtraque, l. Athletas, §. calumniator, ff. de his qui notantur infamia*, & gloſſ. *calumniator, in §. ſi quis autem, in authentic.* Quomodo oporteat Epiſcop. & D. Thom. *loco cit. art.* 4. *ad* 1. Et ratio eſt, quia in iſto caſu accuſans non eſt propriè calumniator, cum ad hoc requiratur, quod falſa crimina voluntariè, & ſcienter intendat: vt habetur in cap. *ſi quem* 2. *quaſt.* 3. *§. notandum, & gloſſ.* 2. *in l. ſi calumnietur, additio in proœmio Inſtitut.* & colligitur *ex l.* 1. *ff. Ad Turpilianum*: non ergo debet ſaltem pari pœna puniti, vt etiam docet D. Thom. *loco cit. art.* 4. *ad* 1. & determinatur in cap. *ſi quem, cit.* & cap. *ſi quis iratus*, 2. *quaſt.* 3. vbi ſic habetur: *Si quis iratus crimen aliquod cuilibet obiecerit, conuicium non eſt pro accuſatione habendum*: & ratio huius eſt. Quia tempore furoris iuſtum putat eſſe quod facit, vt habetur in cap. *illa præpoſitorum*, 22. *quaſt.* 3. Ira omnique ſæpè innocentes ad crimen inducit, vt dicitur in cap. *ira ſæpe* 11. *quaſt.* 3. *& gloſſ. calore iracundiæ*, in cap. *dudum, de conuerſione coniugatorum.*

Secunda cauſa eſt ipſamet conſuetudo, habens quod non puniatur accuſator pari pœna, ſed minori, pro arbitrio iudicis, ne homines ab hoc actu denuntiandi omninò detetreantur. Quod ſanè etiam eſt iuſta diſpenſandi cauſa, ſaltem vt non pari, ſed minori pœna puniatur frater, qui in probatione defecerit.

p *Cum eo.* Id eſt, cum Fratre accuſatore.

q *Diſpenſare.* Id eſt, ſeueritatem, & pœnam exceſſiuam mitigare, vel remittere. Hoc enim eſt diſpenſare, vt habetur *extr. de iudiciis*, cap. *at ſi Clerici, & gloſſ. diſpenſationem, in l. in nomine ſancta, de pace Conſtantia.*

r *Voluerit.* Arbitrariè, id eſt, ſi voluerit.

Capvt XXXIII.

De ſcandalo vitando.

TEXTVS.

a Si qui b ſcandalum, vel c aliquid huiuſmodi fecerint, vel (quod abſit) ſe inuicem d percuſſerint, e iuxta arbitrium Miniſtri f maiori, vel minori vindictæ g ſubiaceant.

EXPOSITIO.

a *SI qui.* Id eſt, ſi aliqui Religioſi.

b *Scandalum.* Quod ſecundùm D. Hieron. *tomo* 9. in illud Matth. 15. *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo*, & D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. nihil aliud eſt, quàm dictum, vel factum minùs rectum (id eſt, ſecundùm ſe malum, vel habens ſpeciem mali) præbens occaſionem ruinæ. Cui deſinitioni fauet gloſſa *ſcandalum, in l. ſi quis intra lang. de ſcandalis.* De quo etiam *in extr. de homicidio*, cap. *ex literis*, & communiter Iuriſtæ in Clement. 1. *de offic. ordin.*

c *Vel*

c *Vel aliquid huiuſmodi fecerint.* Id eſt, contenderint, vel rixati fuerint, &c. Quia hoc inhonorabile eſt inter fratres, iuxta illud Geneſ. 13. *Ne quaſo ſit iurgium inter me, & te, fratres enim ſumus.* Et ideò valdè mala iurgia inter nos.

d *Vel, quod abſit, ſe inuicem percuſſerint.* Baculo, pugno, vel alia materia, vt eaplicat gloſſ. *percuſſerit in l. ſi quis hominem, D. de furtis liberorum hom.* Quod abſit, hoc inter fratres accidere, cum percuſſores eſſe nullo modo debeant. Habetur in cap. *ſi quis, de Clerico percuſſ. & 45. diſtinct. cap.* 1. & cap. *Epiſcopus, & 86. diſt.* cap. *non licet, & in authent. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Sed neque.*

e *Iuxta arbitrium Miniſtri.* Conſiderando grauitatem, & modum culpæ, vt dicitur in cap. *In capite Quadrageſima, diſt.* 50. & in Trid. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 8. de quo ſtatim.

f *Maiori, vel minori vindicta.* Id eſt maiori, vel minori pœna puniantur. Nam vt habetur in cap. *Clericorum, de vita & honeſt. Cleric.* (& eſt noſtri Innocent. III.) prout magis, vel minùs peccauerit, puniri debet peccator. Quia pœna correſpondet culpæ, etiam in condemnatis. Vnde D. Gregor. *lib.* 9. *Moral. cap.* 47. ſic ait: *Quomodo nempe in ſuppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis retributio ſequitur vltionis. Hinc quippe ſcriptum eſt, Sapiens.* 6. *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Et Apoc. 18. *Quantum exaltauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Cum hoc tamen advertant Prælati, quod vindicta nunquam extendi debet amplius, quàm culpa, vt habetur in cap. *quaſinit, de his qua fiunt à mai. part. Cap. & C. de pœnit. l. Sancimus.*

g *Subiaceant.* Meritoque, & iure. Quia ſcandala, rixæ & diſſenſiones prauis actibus aditum præparant, rancores, & odia excitant, & illicitis motibus noſum præbent, vt habetur *in extr. Super Cathedram, de Sepult.* de quo etiam agitur in cap. *ſi quis, diſt.* 90. vbi ex octaua Synodo ſic habetur: *Si quis Monachus contentiones, vel rixas amauerit, vel manifeſtum conuitium fratri intulerit, iuxta arbitrium Rectoris, modumque peccati, diurnâ expietur pœnitentiâ.* Vbi clarè hoc totum noſtrum cum ſua expoſitione continetur caput.

Capvt XXXIV.

De correctione fraterna.

TEXTVS.

a b c
Si quis frater in fratrem, id eſt peccauerit
d e f
contra fratrem, idem, eo ſolo ſciente,
g h i
qui iniuriam paſſus eſt, ſuſtineat patien-
l m
ter, licèt ſit innocens.

EXPOSITIO.

SIquis frater. In hoc capite exponitur auctoritas ex D. Auguſt. *Matth.* 18. eo modo, quo exponitur ex D. Auguſt. *ſerm.* 16. *de verbis Domini,* in cap. *ſi peccauerit,* 2. *quaſt.* 1. de quo etiam agitur in cap. *nouit, de indiciis,* & in cap. *cum ex iniuncto, de haret.* Si ergo aliquis frater, ſiue Clericus, ſiue Laicus.

b *In fratrem peccauerit.* Grauiter.

c *Id eſt.* Hæc dictio eſt expoſitiua præcedentis orationis, eſt enim proprium illius, vt habetur in cap. *degradatio, de pœnitent.* §. *actualis, in* 6. & cap. *propter, diſtinct.* 18. & cap. *in capite, diſtinct.* 10. & cap. *deſignata, diſtinct.* 51. & cap. *habetur* 3. *q.* 9. & alibi.

d *Contra fratrem.* Læſum, vel teſtem. Sic explicat gloſſ. *in te,* in cap. *ſi peccauerit, cit.* Et bene. Nam duplici modo dicitur peccare quis contra fratrem, vel eum lædendo, vel committendo coram eo aliquod peccatum. Quod expreſsè docet D. Auguſt. *loco cit.* his verbis: *Peccauit ergo in te frater: ſi ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccauit. Nam ſi multis audientibus, tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſua iniquitatis fecit. Quando, me audiente, fratri meo quiſquam iniuriam facit, abſit vt à me illam iniuriam alienam eſſe putem.* Et rurſus ait: *Quid eſt in te peccauit? Tu ſcis, quia peccauit.* Idem docet D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *in corp.* vbi ſic ait: *Quadam ſunt peccata, qua ſolùm ſunt in malum peccantis, & eius in quem peccatur, vel quia à peccante ſolùm laeditur, vel ſaltem ex ſola notitia.*

e *Idem.* Hæc dictio ponitur in præſenti pro, *Id eſt.* Et reuera in originali manuſcripto recondito in Bibliotheca Vaticana, & in antiquis impreſſionibus, *Id eſt*, dicitur, non *Idem.*

f *Eo ſolo ſciente.* Id eſt, in ſecreto: ita vt à nemine ſciatur, niſi ab illo, qui iniuriam paſſus eſt. Sumitur hæc eaplicatio ex cap. *ſi peccauert, cit.* ibi præcipuè: *Quid eſt in te peccauit? Tu ſcis, quia peccauit.*

g *Qui iniuriam paſſus eſt.* Patitur autem quis iniuriam multis modis. Vt ſi quis pugno pulſatus, aut fuſtibus cæſus, vel etiam verberatus eſt (dicitur autem verberari, qui alio modo, quàm pugnis percutitur.) Si ei aliquod conuitium, vel aliud verbum iniurioſum dictum fuerit. Si ei improperatur aliquod delictum commiſſum, vel aliquo alio modo ei directè fiat iniuria, verè dicitur pati quis iniuriam. Habetur *Inſtit. de injuriis, §. Injuria autem, & §. patitur autem, & ibi gloſſ.*

h *Suſtineat.* Iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Quæ verba ad noſtrum intentum referuntur in cap. *ponderet, diſt.* 4. & ad Roman. 12. *Non vos defendentes, ſed date locum ira,* & Matth. 15. Si quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei alteram. Quæ verba etiam ad hoc propoſitum habentur 23. *q.* 1.

i *Patienter.* Id eſt, cum patientia. Quæ frequenter tolerat multa, quæ in iudicium deducta, minimè toleraт, vt habetur *in extr. cum jamdudum, de prabend. & gloſſ. patientia, in extr. Ad conditorem, de verbor. ſignificat. in* 6. Eſt enim patientiæ ſuas, & ſuorum iniurias æquanimiter tolerare, vt habetur 23. *q.* 1. *circa medium.*

l *Licèt.* Id eſt quamuis.

m *Sit innocens.* Hæc enim eſt gratia apud Deum: vt dicitur 1. *Petri* 1. Innocens autem dicitur ille qui nec nocet, nec nocuit, nec nocere vult. Notat gloſſ. 2. *in cap. fin.* 22. *q.* 4. & cap. *ſapiens* 6. *q.* 1. Vel, vt dicit D. Hieron. *tom.* 1. *epiſt.* 14. Innocens eſt, qui nec manu tantum, aut lingua, ſed corde quoque cuſtodit innocentiam: nec opere modò, ſed voto etiam nocere formidat. Nam quantùm ad peccati rationem, nocuit qui nocere diſpoſuit. Tres autem ſunt Innocentiæ gradus. Primus eſt malum non facere. Secundus eſt, facientibus non conſentire. Tertius, peccantes, ſi poteſt, corrigere. Habetur 23. *q.* 4. cap. *ita planè, &* 45. *diſtinct.* cap. *erit,* & cap. *dua, & gloſſ. & primus, & diſt.* 86. cap. *facientis.*

TEXTVS

TEXTVS §.II.

a b
Et eum quieuerit commotio animorum, be-
c d
nignè & fraternè commoneat, ac corri-
e f
piat eum vſque ter, inter ſe, & ipſum ſo-
g
lum, & pœnitentiam agere de commiſſo,
h i
& à ſimilibus in poſterum abſtinere.

EXPOSITIO.

a ET *cum quieuerit commotio animorum.* Id eſt, & poſtquam tranſierit ira (quæ nihil aliud eſt, quam concitati animi perturbatio, vt habetur in cap. *productior, de pœnitent. diſt.*3. Quia nihil faciendum eſt priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat : eo quòd commotionis tempore iuſtum omne ira putat quod fecerit, vt dicitur in cap. *illa,* 11.*q.*3. Quapropter ira ſæpè innocentes in crimen adducit. Quia dum iuſto ampliùs iraſcuntur,& volunt alienum coërcere peccatum, grauiora peccata committunt, vt dicitur in cap. *ira ſæpè*, 11. *quaſt.*3. Et ideo *ff. de officio Præſidis*, *l. obſeruandum*, dicitur : Quod iudex non debet plus iuſto incandeſcere in eos, quos malos putat. Rectè ergo D. Thomas aduertit (*opuſc.*17. *cap.*2.) quod ex ira quatuor proueniunt : mentis turbatio, ſui ignorantia, indecens actio, & iniqua ſententia.

b *Benignè & fraternè.* Hac benignitate, & dilectione fraternitatis corripiendos eſſe fratres, docet Apoſtol. *ad Galat.*4. ſic dicens : *Fratres, ſi aliquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite illum in ſpiritu lenitatis.* Quæ verba referuntur in cap. *ponderet, cit.* vbi ſic ad noſtrum propoſitum : *Si aliquis lapſus quocumque modo fuerit, portemus eum, vel* (ſecundùm Orig.) *non perdamus eum: ſed fraterno corripiamus affectu, ſicut ait B. Apoſtol. ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* De quo etiam agitur *diſtinct.*55. cap. *licet, &* 23.*quaſt.*4. cap. *quod Chriſtus.*

c *Benignè.* Id eſt, leniter, & affectuosè. Iuxta illud Pſalm.50. *Benignè fac Domine.* Vbi nota, quod licèt benignitas, à qua benignè, ſignificare ſoleat promptam, & liberalem largitionem, vt *ſup. cap.* 25. *lit. d.* eſt habitum : Nihilominus tamen ſæpè ſumitur pro affectu amoris, quo quis afficitur erga alium, vt ignoſcat iniuriam facienti, vt ſumitur *loco cit. & in extr. Quorundam, de verbor. ſignificat. in fine*, ibi : *Sibi benignos, & mites.*

c *Ac fraternè.* Id eſt, atque affectu fraterno (vt dicitur in cap. *ponderet, cit. lit. b.*) hoc eſt, amore fratris, etiamſi à ſuo fratre ſit læſus. Quia ſi homo diligit fratrem ſuum carnalem, quantò magis debet diligere fratrem ſuum ſpiritualem.

d *Commoneat, ac corripiat eum.* Quia plus proficit amica correptio, quàm accuſatio turbulenta, illa pudorem incurrit, hæc indignationem mouet, vt ait D. Ambroſ. *ſuper Lucam cap.*17. explicans illud : *Si peccauerit in te frater tuus.*

e *Vſque ter.* Sic præcepit Chriſtus Dominus, *Matt.*18.

e *Vſque.* Id eſt, vſquequò probabiliter cognoſcat, quod ſecreta admonitio non valeat. Sic D. Thom. *ſuper hunc locum Matth.*

f *Inter ſe, & ipſum ſolum.* Hoc eſt, in ſecreto. Quia priuatum, & ſecretum crimen non eſt arguendum in publico, ſed in ſecreto. Habetur in cap. *ſi peccaueris, cit.* & cap. *ſi tantùm* 6.*q.*2. de quo *infra.*

g *Et pœnitentiam agere de commiſſo.* Id eſt, & exhortetur ad agendam pœnitentiam ſecretam, hoc eſt, ad habendam cordis contritionem. Nam pœnitentia ſecreta non eſt aliud (ſecundum gloſſ. in cap. *ſi is qui,* 23. *quaſt.* 4.) quàm interior cordis contritio. Vel dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quiſque commiſit, vt habetur in cap. *ecce nunc, de pœnit. diſt.*1.

h *Et à ſimilibus.* Peccatis ſcilicet,& delictis.

i *In poſterum abſtinere.* Benè. Quia pœnitentiam agere, eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Vel commiſſa plangere, & plangenda declinare, vt habetur cap. *pœnitentiam, de pœnitent. diſt.*3. & cap. *pœnitentia,* 1. *ead. diſt.* & cap. *ecce nunc, cit.* §. *Pœnitentia vera.*

Si obiicias : Quomodo ergo in noſtro cœleſti ordine proclamantur Fratres in Capitulo de aliquibus culpis (iuxta ea, quæ præcipit Legiſlator *cap.* 31.) nulla ſecreta monitione præmiſſa ? Reſpondeo, quod proclamationes, quæ in noſtris Capitulis fiunt, non ſunt de aliquo peccato graui, de quo præſens loquitur textus, vt explicatum eſt §. 1. *lit. b.* Sed de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant. Vnde potiùs ſunt commemorationes oblitarum culparum, quàm accuſationes, vel denuntiationes. Si tamen eſſent talia, de quibus Fratres infamarentur, non ſolùm eſſet contra expreſſum textum Regulæ, verùm etiam contra præceptum Domini, per prædictum modum peccata Fratrum publicari. Sic habet D. Thom. *loco cit. art.* 7. *ad* 4.

TEXTVS §.III.

a b c d
Quod ſi non audierit, dicat Miniſtro, & ille
e f g
corripiat eum ſecretò, ſecundùm quod
h i
viderit ſaluti eius expedire.

EXPOSITIO.

a QVod. Id eſt, ſed. Sic enim explicatur aliquando hæc dictio, vt habet gloſſ. 1. *in l. præſcriptione, C. quibus non obiicitur.*

b *Si non audierit.* Id eſt, ſi correctionem, & admonitionem toties factam, Frater qui peccauit, non receperit, dicat Miniſtro. Ergo ſi audierit, & receperit, non debet illi denuntiare. Hanc concluſionem in ſimili elicit gloſſ. *ſi non emendauerit,* in cap. *ſi quis, de Cleric. non percuſ.*

c *Dicat Miniſtro.* Sed quare non primò teſtibus, dicenda Domino : *Si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos teſtes, & poſtea dic Eccleſiæ,* id eſt Prælatis? Reſpondeo primò, expreſſiùs adhuc habere eandem clauſulam Regulæ Auguſtinum in ſua Tertia : videlicet, quod priùs dicatur Prælato, quàm teſtibus. Dicendum ergo ſecundò cum D. Thom. *loco cit. art.* 8. *ad* 4. intentum Legiſlatoris eſſe, quod antequam adhibeantur teſtes, dicatur Miniſtro, ſecundùm quod Miniſter eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poteſt prodeſſe, quàm alij : non autem, quod dicatur ei, tanquam Eccleſiæ, hoc eſt, vt eſt in loco iudicis reſidentis. Dicat ergo Miniſtro, non vt iudici, ſed vt patri.

d *Et ille corripiat eum.* Quia ſicut ad patrem carnalem ſpectat correctio filij in omni bona disciplina, vt dicitur *diſt.*38. cap. *legant, & extr. licèt Heli, de ſimonia.* Ita ad patrem ſpiritualem pertinet ſubditum

ditum, ob errorem corripere, & increpare, vt dicitur *diſtinct.*45. cap.1. *&* 23. *quaſt.*4. cap. *fortè*, *& extr. irrefragabili, de offic. Ordin. & gloſſ. in extr. Quorundam.*

e *Corripiat eum.* Non dicit textus, corrigat, ſed corripiat. Multùm enim differunt inter ſe hæc duo. Nam corripere abſolutè poſſunt Prælati, corrigere verò ſolùm quantùm in eis eſt. Manus namque comprimere poſſunt: ſed non animum mutare, vt dicitur 47. *diſt.* §.*neceſſe, in fine, & gloſſ. corrigere, in Clem. volentes, de heret.*

f *Secretò.* Id eſt, in abſentia aliorum fratrum. Colligitur ex gloſſ. *ſecretò*, in cap. *qui peccat*, 23. *q.*4. & hoc ipſum præcipitur in cap. *ex ſua fraternitatis, de ſimon.*

f *Secretò.* Sed quare? Reſpondeo: Propter multa. Primò. Quia peccatum fuit ſecretum: & vbi contingit malum, ibi debet mori, vt habetur in cap. *ſi peccauerit, cit.* & cap. *ſi tantum*, 6. *q.* 2. Secundò. Quia (vt egregiè D. Thom. *q.* 33. *cit. artic.* 8. *in corp.*) charitas obligat, vt fratri peccanti ſubueniatur cum minimo detrimento famæ illius, quæ ad multa eſt neceſſaria. Tum ipſi peccauti fratri, non ſolùm in temporalibus, in quibus quantum ad multa Religioſus patitur multum detrimentum, amiſſa fama: ſed etiam in ſpiritualibus, quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Vnde quando ſe infamatos conſpiciunt, irrefrenatè peccant. Vnde D. Hieron. ſuper Matth. 18. ſic ait: *Corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem amittat, permaneat in peccato.* Tum etiam eſt neceſſaria aliis fratribus. Quia vno infamato, alij infamantur, ſecundùm illud Auguſt. *epiſt.* 137. ad plebem Hippon. *Cum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquando criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.* Tertiò denique. Quia ex peccato vnius publicato, alii prouocantur ad peccandum. Huc vſque D. Thom. quæ doctrina ſemper ante oculos habenda eſt.

g *Secundùm quod viderit ſaluti eius expedire.* Hunc modum loquendi habes in cap. *Deus, de pœnit. & remiſſ.* Ideò autem hoc dicit Legiſlator, quia neceſſe eſt, vt quidam ſtrictius, & arctius: quidam verò leuius corrigantur, vt ſic expediat eorum ſaluti, vt dicitur in cap. *fraternitatis*, 12. *quaeſt.* 2. Nullus tamen nec nimis aſperè. Cùm nimis increpatus nec correctionem recipiat, nec ſalutem, & leniter caſtigatus, de facili exhibet reuerentiam caſtiganti: vt dicitur 45. *diſtinct.* cap. *cum Beatus, & ff. ad l. Aquil. l. nam nimia.* Nec etiam nimis leniter. Quia facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi, vt dicitur 23. *quaſt.*4. cap. *eſt iniuſta, & diſtinct.* 93. cap. *peruenit, &* 35. *quaſt.* 9. cap. *loci, &* 21. *q.*2. cap. *placuit*, & cap. *vt Clericorum, de vita & honeſt. Cleric.* Semper ergo miſcenda eſt lenitas cum ſeueritate, & faciendum quoddam temperamentum: ita vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimia benignitate ſoluantur. Habetur *diſt.*45. §. *ex his omnibus*, & cap. *diſciplina*, & cap. *omnis*, & cap. *ſunt namque, ead. diſt.* Vnde juxta hanc doctrinam hos adducit verſus gloſſ. *ſalubriter, in extr. ſi Fratrum, ne Sede vacant. aliquid innou.*

Qui nimis emungit, ſolet extorquere cruorem,
Immoderata facit correctio deteriorem:
Sed moderata ſatis correctio gignit amorem.

Sunt etiam ad hoc propoſitum innumera alia capita in Decreto, præcipuè 23. *q.* 3. *quaſi per totam.* De qua materia præclaræ ſunt auctoritates Sanctorum Patrum. D. Gregor. 2. *part. Paſtor. cap.*6. ſic ait: *Curandum quippe eſt, vt rectorem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina: prouidendúmque, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa, ſed iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina.* Eandem doctrinam adducit *lib.* 24. *Moral. cap.* 30. *& lib.*13. *cap.*14. Concordat D. Bernard. *in Cantic. ſerm.*23. dicens: *Si interdum ſeueritate opus ſit, paterna ſit, non tyrannica: matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis.* D. Chryſoſtom. *Iuſtitia* (inquit) *ſine miſericordia, non eſt iuſtitia, ſed crudelitas: ſicut & miſericordia ſine iuſtitia, non eſt miſericordia, ſed fatuitas.* Hanc eandem doctrinam multùm Prælatis Regularibus commendat Concil. Trident. *ſeſſ.*13. *de reformat. cap.* 1. vbi eoſdem alloquendo ſic ait: *Vt recordentur ſe eſſe Paſtores, non percuſſores; ac meminerint, quod ita præeſſe debent ſubditis, vt non eis dominentur, ſed illos tanquam filios, & fratres diligant: elaborentque, vt ipſos hortando, & admonendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur: quos tamen, ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, ſeruanda eſt ab eis Apoſtoli illa præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent, in omni bonitate, & patientia, cum ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem quandoque virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt, vt ſine aſperitate diſciplina ſalutaris, ac neceſſaria conſeruetur, & qui correcti fuerint emendentur: aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à vitiis deterreantur.* Verba ſunt expreſſa Concilij notatu digniſſima, eaque ſummoperè, maximè à Prælatis Regularibus, obſeruanda.

h *Saluti eius.* Quia ſiue plectendo, ſiue ignoſcendo, hoc ſolùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur, vt dicit textus in cap. *prodeſt*, 23. *q.*5.

i *Expedire.* Id eſt, adiuuare, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 6. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Id eſt adiuuant ad ſalutem, vt ibi explicat gloſſ. & in cap. *aliud*, 11. *q.*1. & cap. *aliud, de pœnit. diſt.* 1. & *ibi* gloſſ. expediunt.

TEXTVS §. IV.

[a] Qui verò ſcandalum mouit, [b] ſi per ſe emendare [c] voluerit, totum ante pedes ſcandalizati [d] petens veniam ſe [e] extendat, & [f] ſi ſemel non ſufficit, [g] vſque ter illud idẽ faciat.

EXPOSITIO.

a *Qvi verò ſcandalum mouit.* Id eſt, Frater qui in Fratrem peccauit.

b *Si per ſe emendare voluerit.* Si ſponte, & motu ſuo ante correctionem fratris ſe corrigere voluerit, & pœnitentiam agere de peccato commiſſo, vt ſic à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo, vt habetur *de pœnitent. diſt.*1. & cap. *tres ſunt* 81. ſecundùm illud Apoſtol. ad Galat. 6. *Si enim noſmetipſos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur*, vt *cap.*85. *ead. diſtinct.*

c *Totum ante pedes ſcandalizati.* Id eſt, ante pedes fratris offenſi, vel iniuriati.

d *Petens veniam.* Id eſt, remiſſionem de peccato contra illum commiſſo. Colligitur *ex diſt.* 50. cap. *abſit*, & cap. *ſi quis præpropera.*

e *Se extendat.* In terram, in ſignum interni doloris.

f *Et*

f *Et ſi ſemel non ſuffuit.* Vt de facto veniam à fratre offenſo conſequatur.

g *Vſque ter illud idem faciat.* Id eſt, quoad vſque illam obtineat, petat humilitet veniam. Quia præceptum Domini eſt, & ſic qui iniuriam paſſus eſt, tenetur illam præſtare. Dicit enim Chriſtus Dominus Luc.7. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi, & ſi ſepties peccauerit in te, & ſepties conuerſus fuerit ad te, dicens, Peccaui, pœnitet me, dimitto illi.*

TEXTUS §. V.

[a] Si [b] verò hoc [c] in publicum venerit, [d] quæcunque ſecutura fuerit pœnitentia, [e] hæc [f] ſit prior, [g] ſcilicet [h] ante pedes Miniſtri, [i] petendo veniam, [l] totius corporis extenſio, [m] & poſteà [n] ſecundùm eius arbitrium [o] emendetur.

EXPOSITIO.

a *SI verò.* Nota, quod hæc dictio, *Si*, facit principaliter conditionem, & ſecundariò tempus: ſicut è contra dictio, *cum*, facit principaliter tempus, & ſecundariò conditionem.

b *Hoc.* Id eſt, peccatum, delictum, vel ſcandalum.

c *In publicum venerit.* Id eſt, patratum, & commiſſum fuerit coram multis, vel in eorum notitiam venerit: nam publicè patere dicitur, quod multitudini patet. Habet gloſſ. *publicè, in Clement. 1. de vita & honeſt. Cleric.* & publicum dicitur, quaſi populicum: id eſt, quaſi cuilibet de populo notum, *ex gloſſ. Inſtitut. de ſuſpect. tutor. & curator. verbo, quaſi populicum.*

d *Quæcumque ſecutura fuerit pœnitentia.* Ad arbitrium Miniſtri, & ſecundùm qualitatem delicti, iuxta dicta *cap. 33. lit. g.*

e *Hæc.* Quæ ſequitur pœnitentia publica.

f *Sit prior.* Hoc eſt, ſit ante aliam quamcunque.

g *Scilicet.* Eſt dictio declaratiua, vel expoſitiua verborum ſequentium.

h *Ante pedes Miniſtri.* Apponit Legiſlator pœnitentiam publicam, quia peccatum fuit publicum. Nam manifeſta peccata, non occulta, ſed publica correctione purganda ſunt, vt dicitur *cap. 1. de pœnitent. & remiſſ.* Et præcipuè debet fieri correctio coram illis, io quorum conſpectu peccatum fuit commiſſum, vt & ipſi timorem habeant, iuxta illud Apoſt. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Quæ verba ad propoſitum habentur in cap. *ſed illud, diſt. 45.* & cap. *ſi peccauerit, cit.* Sic enim pœna peccantis erit aliis in exemplum, vt dicitur cap. *ea quæ, de Relig. domibus*, & capit. *quapropter, 2. quæſt. 7. & C. ad l. Iuliam repetund. l. vt vnius, & ff. de pœnis, haut facta, §. fin. & l. capitalium, §. famoſos.*

Totam doctrinam hoius §. *comprehendit* Trident. *de reformat. ſeſſ. 24. cap. 8.* his verbis: *Apoſtolus monet (1. Timoth. 5.) publicè peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vnde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet: vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam.* Sic Concilium. De qua materia agitur in cap. *ſed illud*, & cap. *ſi peccauerit, cit. & de pœnitent. & remiſſ.* cap. 1. & 7. & 23. *quæſt. 3.* cap. *iuſtum eſt*, & cap. *quicumque, de hæres. in 6.* Concordat D. Bernard. *loco citat.* ſic dicens: *Palam ſunt arguendi, qui palam nocent: vt dum aperta obiurgatione ſanantur, hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur: vt dum vnus corripitur, cæteri emendentur. Melius eſt, vt pro multorum ſaluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur.*

i *Petendo veniam.* Explica *vt ſup. §. 4. lit. d.*

l *Totius corporis extenſio.* Explica vt *ibidem, lit. e.*

m *Et poſteà.* Id eſt, poſt hanc pœnitentiam publicam, ex gloſſ. *poſteà, in authentic. decurio, de reſtitut.*

n *Secundum eius arbitrium.* Miniſtri videlicet.

o *Emendetur.* Id eſt pœnitentiam agat, aut (vt D. Auguſt. ait in ſua Regula) emendatoriam ſumat vindictam, & illi Prælatus tribuat ſecundum modum culpæ.

CAPVT XXXV.

Quomodo contrahenda ſint debita.

TEXTUS.

[a] Si [b] pro neceſſitate domus [c] debitum aliquod fuerit contrahendum, [d] prius [e] in Capitulo fratribus proponatur, [f] & cum eorum fiat conſilio, [g] & aſſenſu: [h] vt [i] ſic ſuſpiciones, & [l] murmurationes euitentur.

EXPOSITIO.

a *SI pro neceſſitate.* Hic loquendi modus habetur in cap. *ad hoc, de ſolut.* vbi ſic dicitur: *Prælatus tenetur ſoluere debita ſui prædeceſſoris, ſi pro neceſſitate Eccleſiæ fuerunt contracta, quia eſt quaſi hæres ipſius:* & cap. *conuenior, 23. quæſt. 8. & 12. quæſt. 2. cap. vlt. & quæſt. 1.* cap. *Epiſcopus.*

b *Pro neceſſitate domus.* Quia ſine illa nec decet, nec licet debita contrahere, vt patet ex verbis relatis ex cap. *ad hoc, cit.*

c *Debitum* dicitur id quod exigitur ab inuito, *ex ff. de verbor. ſignific. l. debitor,* & gloſſ. *debitas, in Clement. Religioſi, de decimis.*

d *Prius.* Id eſt, ante contractionem debiti.

e *In Capitulo fratribus proponatur.* Facit pro hôc præcepto textus in cap. *quod quibuſdam, de fideiuſſor.* quod eſt noſtri Innocent. III. & ſanè bene hoc fuit præceptum, quia ſine conſilio Capituli non debet Prælatus negotia ſuæ domus tractare, vt habetur in cap. *nouit,* & cap. *quanto, de his quæ fiunt à Prælatis.*

f *Et cum eorum fiat conſilio.* Nam quæ conſilio geruntur, iure, meritoque, & effectu firmitate nituntur, *C. de rep. l. 3. & gloſſ. matura deliberatione, in extr. quorumdam, de verbor. ſignific. in 6.* Omnia cum conſilio fac, & poſt factum non pœnitebis, ait Scriptura *Eccleſ. 32.* Vnde D. Chryſoſt. *Si millies,* inquit, *ſapientes ſimus, & ea quæ fieri oportet conſpectemus, homines tamen ſumus, & conſultore indigemus. Solus enim Deus citra indigentiam eſt, ſoluſque conſultore non eget, quamobrem de ipſo ſolo dicitur, quis conſiliarius eius fuit?*

Vnde etiam D. Auguſt. dixit, quod à puero nondum anniculo paratus erat doceri. Refertur 24. *q.* 3. cap. *ſi habes*, & gloſſ. *conſilia*, in cap. *peruenit*, *diſt.* 84. & rectè quidem hoc dixit Auguſtin. quia nulla ætas eſt ſera ad diſcendum, vſque ad octogeſimum octavum annum, *ex ff. de fideicommiſſ. l. apud Iulianum.* Et ſæpè quidem reuelatur minori, quod majori non, vt dicitur 45. *diſtinct.* his verbis: *Et ſi alij* (inquit Apoſtol. 1. Corinth. 14.) *fuerit reuelatum ſedenti* (intellige in loco inferiori, vt ibi gloſſa) *prior taceat.* Conſonat D. Bonauent. *cap.* 7. *de ſex alis*, vbi ſic ait: *Cautum eſt ſemper rectori conſilia libenter audire, & humiliter quærere: quia in hoc triplex vtilitas conſiſtit. Prima, quia ſi alij idem ſentiunt, quod ipſe, ſecurior eſt, quod non decipiatur. Secunda, quia quidquid fecerit cum prudentum conſilio, ſi aliquid inde euenerit contrarij, minus ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantum ſenſu id feciſſet. Tertiò, quia ſæpe in merito humilitatis talis Deus dat ei agnoſcere per ſe, vel per alium, quod antè non intellexit.*

g *Et aſſenſu.* Notat, quod vbi conſilium, & aſſenſus requiritur, vt in præſenti: non valet conſilium tantum, vt ſit validum, quod mandatur fieri cum vtroque, niſi expectetur aſſenſus. Sic gloſſ. *conſilio, & aſſenſu*, *in extr. quorundam, de verbor. ſignific. in* 6.

h *Vt ſic.* Id eſt, vt hoc modo.

i *Suſpiciones.* Euitentur, quia ſuſpiciones maximè periculoſæ ſunt inter fratres, vt docet D. Bonauent. *tract. ad Nouitios, capit.* 2. *in fine.* Pulchrè tamen D. Dorot. *doctrin.* 12. de mendacio ſic ait: *Nihil grauius ſuſpicionibus, quæ adeò noxiæ ſunt, vt ſi in nobis paululum inſideant, nitantur ſtatim perſuadere, vt credamus nos ipſos euidentiſſimè cernere ea quæ nec ſunt, nec fuerunt. Curemus ergo fratres, quo poſſumus ſtudio, & diligentia ſuſpiciones omnes à nobis abigere: nihil enim adeò hominem à Deo ſegregat, vt nullam ſuorum vitiorum curam habere curet, & ſcrutari ſemper, quæ nihil ad ſe attinent. Hinc nullum bonum, ſed innumeræ afflictiones procedunt. Hinc fit, vt homo nunquam pacificus ſit, nunquam quieſcat, nunquam Dei timorem poſſideat.*

l *Et murmurationes euitentur.* Tanquam graue malum: Siquidem murmurantes à fratrum vnitate alieni debent effici, vt habetur in cap. *alienus*, *diſt.* 90. *ex octaua Synodo.* Murmuratio autem eſt iniuſta querela contra ſuperiores latenter multorum auribus inculcata. Vt ait Bonauent. *in ſpeculo animæ, cap.* 1.

Capvt XXXVI.

De cauſis ad Iudicem deferendis.

T E X T V S.

[a] Si quiſquam [b] de ſubſtantia domus [c] violentiam fecerit, & [d] ad Iudicem [e] oportuerit referri, non [f] ante hoc fiat, quàm [g] charitatiuè [h] ille à [i] fratribus primò, [l] poſt ab aliis [m] vicinis [n] ſimiliter [o] moneatur.

EXPOSITIO.

a *SI quiſquam.* Id eſt, ſi aliquis, vel quicumque, *ex gloſſ.* in cap. *ſi quiſquam, de cohabitat. Cleric. & mul. & gloſſ.* in cap. *prædia*, 12. *quæſt.* 2. *in verbo, quod ſi quiſquam.*

b *De ſubſtantia domus.* Id eſt, de bonis temporalibus Conuentus, vel monaſterij, ex cap. *ex merito*, & cap. *deteriores*, 6. *quæſt.* 1. & cap. *cognouimus*, 16. *quæſt.* 5.

c *Violentiam fecerit.* Id eſt, abſtulerit, vel damnificauerit, ex gloſſ. *etiam violenter*, in cap. *Sicut hi*, *diſtinct.* 48.

d *Et ad iudicem.* Eccleſiaſticum. Quia Eccleſiaſticis prohibitum eſt ſæcularia iudicia exercere, vt habetur in cap. *ſi quis cum Clerico*, *cum ſequenti*, 11. *quæſt.* 1. Iudex autem dicitur, quaſi jus dicens populo: vel iure, ſiue iuſtè diſceptans. Iure autem diſceptare, eſt juſtè iudicare. Non enim eſt iudex, ſi non eſt in eo iuſtitia, cap. *forus*, §. *in omni*, *de verbor. ſignificat.* & iudex eſt, qui ex iuriſdictione propria, aut ſibi commiſſa jus habet ſuper cauſas litigiorum cognoſcendi, *ex gloſſ. à iudicibus*, *in Clement. ſi à iudicibus, de appellat.*

e *Oportuerit referri.* Quia Prælatus cum Conuentu conqueri poteſt apud iudicem de his quæ fiunt præiudicium illi, vt habetur cap. *cùm olim*, *de offic. & pot. iudic. deleg.* Vnde D. Ambroſ. *in cap.* 61. *ad Corinth.* ſic ait: *Quamquam enim Chriſtianus litigare non debeat, tamen ſi graue fuerit, & quod contemni non poſſit, cauſam ad Eccleſiam deferat, ne damnum ad præſens, & offenſionem fortè incurrat.*

f *Non ante hoc fiat.* Id eſt, talis cauſa non deferatur ad iudicem antequam.

g *Charitatiuè.* Id eſt, ſtudio charitatis, ut *infrà.*

h *Ille.* Videlicet qui violentiam fecit.

i *A fratribus primò.* Moneatur maxima cum charitate, & familiari colloquio commonitus ea ſanet, quæ ſananda ſunt, & charitatiuè emendet, quæ juſtè emendanda agnouerit, ex cap. *accuſatio*, 2. *quæſt.* 7. & facit maximè text. in cap. *ſi quis Epiſcopus*, *de accuſation.* vbi ſic dicitur: *Si quis Epiſcopus ab illis accuſatoribus, qui recipiendi ſunt, accuſatus fuerit, poſtquam ab eis charitatiuè conuentus fuerit, vt cauſam emendet, & eam corrigere noluerit, ad Primates cauſa eius canonicè deferantur.*

l *Poſt.* Id eſt, ſi non ſufficit admonitio fratrum. Iterum.

m *Ab aliis vicinis.* Non fratrum, ſed à vicinis eius qui violentiam fecit. Quia iſti melius eius vitam, & conuerſationem agnoſcunt, vt habetur in cap. *quoſdam.* & cap. *quanto*, *de præſumpt.* & notat gloſſ. *vicina*, in cap. *cùm dilectus*, *de purgation.* Vicini autem dicuntur, qui non ſunt multùm diſtantes, ex cap. *quoſdam*, *cit.*

n *Similiter.* Id eſt, eodem modo, eadem charitate, & fine.

o *Moneatur.* Nam, quos charos habemus, monere debemus charitatiuè, vt faciant Domini præcepta, vel iuſſa, cap. *vt ſic*, 26. *quæſt.* 1. & gloſſ. in cap. *rogo*, 11. *quæſt.* 3. Quem modum loquendi habes in cap. *Romana Eccleſia*, *de pænitent. & remiſſ. in* 6.

Capvt XXXVII.

De Regula obſeruanda etiam à Prælatis.

T E X T V S.

[a] Solicitè verò Miniſter [b] prouideat, [c] vt præcepta [d] Regulæ, [e] ſicut [f] cæteri fratres, [g] per omnia teneat.

EXPOSI

EVPOSITIO.

a *SOlicitè.* Id eſt, diligenter, ex gloſſ.in cap.*ſolicitè, de reſtitut ſpoliat. & gloſſ. ſolicitudo, in extr. Ad conditorem, de verbor. ſignific.in 6.*
b *Miniſter prouideat.* Curet.
c *Præcepta.* Vel conſilia, & alia quæ in Regula continentur. Quia non omnia, quæ continentur in Regula, ſunt ſtrictè præcepta, aut leges præcipientes. Aliæ enim præcipiunt, aliæ puniunt, aliæ permittunt, aliæ vetant, & aliæ dirigunt, vt conſtat. Vnde hîc verbum *Præcepta*, largè pro omnibus his ſumitur, *ex gloſſ. iuris præcepta, ff. de orig. iuris, l. iuſtitia.*
d *Regula.* Sic dicitur, vel quia rectè ducit, nec aliquando aliorſum trahit. Vel quia rectè regit, vel normam rectè viuendi præbet: vel quia diſtortum, prauumque corrigit. (Quæ omnia in hac noſtra Regula inueniuntur.) Habetur in cap. *Regula, diſt. 3.* & notat gloſſ. *Regula*, in cap. *quorumdam, de verbor. ſignific.* & cap. *Canon, diſt. 3.* Vnde bene D. Athanaſ. *lib. de virginit.* ſic exclamat: *Væ illi, qui non ſubeſt Regulæ; eſt enim tanquam nauis gubernatore deſtituta, rupiòque cacumine mali, iactatur à fluctibus, horſum, illorſumque, cum ducem non habeat, donec offendat in ſcopulos, & ſtatim pereat: è contra verò, Beatus Monachus, qui ſub regula eſt.*
e *Sicut.* Hæc dictio denotat omnimodam ſimilitudinem in ſubſtantia, qualitate, & modo, vt *in cap. fin. de reſtitut. ſpoliat.*
f *Cæteri, fratres.* Id eſt, ſicut omnes alij fratres. Nam *cæterorum* nomine omnes comprehenduntur: dicitur *in l. cæterorum, ff. de verbor. ſignific.* & notat *ibi* gloſſ. *cæterorum*, & cap. *vt conſtitueretur, diſt. 50.* & *ibi* gloſ. *de cæteris*, & cap. *Apoſtolica, diſtinct. 46.* & *ibi* gloſſ. *cætera.*
g *Per omnia teneat.* Id eſt ad vnguem obſeruet. Hoc enim præceptum ideò Prælatis iniungitur: quia ipſi non debent eximi ab obſeruantia Regulæ, eo quòd Prælati ſint: ſed in illa ſe debent habere ſicut cæteri fratres, iuxta illud Eccleſ. 32. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli: ſed eſto ſicut vnus ex illis.* Et meritò quidem hoc præcipit Legiſlator. Primò, ne ius ſuum negligere videantur qui alios in ſua iuſtitia confouent, vt dicitur in cap. *licet, de ſuppl. neglig. Prælat.* Nam ordinata charitas à ſe incipit, vt habetur in cap. *ſanè, de pœnitent. diſtinct. 3. & gloſ. videamur,* in cap. *licet, cit.* Secundò, quia alias totius familiæ Domini ſtatus nutabit, & ordo, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite, vt dicitur in cap. *miramur, diſtinct. 6.* Cuius ratio eſt, quòd ea, quæ à Prælatis fiunt, de facili trahuntur à ſubditis in exemplum, vt habetur in cap. *magnæ, de voto, & voti redempt.* Vnde D. Petrus Apoſtol. ſucceſſori ſuo Clementi (vt habetur cap. *Clemens 8, quæ.* 1.) ſic præcepit, & admonuit: *Clemens tanquam qui omnibus te præeſſe noueris, ſingulos prout poteris iuua, & ſingulos releua, qui & ſingulorum onus, & ſolicitudinem portas.* Audiant obſecro Prælati ad propoſitum verba pulchra D. Bernard. qui explicans illum locum *Eccleſ. cit.* ſic ait: *Quomodo es tanquam vnus ex illis, manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos, vt te putemus tanquam vnum ex illis? Videamus tam exhibere paratum, quam exigere obedientiam. Videamus tam libenter Præpoſitis obtemperare ſubiectum, quam imperare ſubiectis. Quod ſi ſemper vis obedientes habere, & nunquam eſſe, probas te non eſſe tanquam vnum ex illis, dum eſſe renuis ex obedientibus, a quibus ſi te ſuperbiendo ſegregas, reputari inter illos te noueris, de quibus ſcriptum eſt, quod alligant onera grauia, &c.*

CAPVT XXXVIII.

De confeſſione Fratrum.

TEXTVS.

Non[a] liceat Superioribus[b] confeſſiones ſubditorum audire, niſi[c] quando[d] peccatum aliquando reſeruatum admiſerint: aut[e] ipſimet ſubditi ſponte, & proprio motu id ab ipſis petierint. Superiores[f] in ſingulis[g] domibus[h] deputent duos, tres, aut plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, iique[i] ſint docti, prudentes,[l] & charitate[m] præditi, qui[n] à non reſeruatis[o] eos abſoluant, &[p] quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in[q] quo eam debere[r] committi, ipſe[ſ] in primis confeſſarius iudicauerit.[t]

EXPOSITIO.

a *NOn liceat.* Pro intelligentia huius capitis adnotare oportet, quod olim Religionum Prælati plus nimio erant prolixi, ac rigidi in reſeruandis ſibi caſibus. Quapropter Clemens VIII. anno Domini 1593. conſtitutionem quandam pro cunctis Regularibus fecit: vbi per publicum decretum infraſcriptos dumtaxat caſus reſeruandos fore præcepit. In quo decreto hoc etiam noſtrum caput ad vnguem continetur. Placuit autem tenorem decreti hîc inſerere, quia valde eſt neceſſarius ad intelligentiam noſtri textus.

DECRETUM SANCTISS. D. N. Clementis Papæ VIII.

Super caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruanda.

1 SAnctiſſimus Dom. N. qui iampridem accuratè perpendit, & re ipſa comperit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem. Ideò vt huic malo Sanctitas ſua opportunè proſpiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.
2 Veneficia, incantationes, ſortilegia
3 Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue

retento, quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio.

4 Nocturna, & furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio, etiam ſine animo apoſtatandi facta.

5 Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

6 Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.

7 Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

8 Falſificatio manus, aut Sigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.

9 Furtum de rebus Monaſterij, ſeu conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

10 Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

11 Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.

12 Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

13 Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

14 Non liceat Superioribus Regularium, confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

15 Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios, pro ſubditorum numero maiori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate prædit, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius iudicauerit.

16 Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

17 Licebit tamen Superioribus determinate pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis, à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

18 Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſeruari mandauit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſt. ac cuiuſvis Concilij, etiam Generalis Decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis, aut Regulis in Generalibus, ſeu Prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuſcumque, quorum tenores hîc pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, die 26. menſis Maij, anno Domini 1593.

Andreas Sorbolongus, Secret. Viſitation.

Circa hanc Clem. VIII. conſtitutionem eſt maximè notandum, quod in ea non ſtatuitur à Summo Pontifice, vt omnes ij caſus ſint in Religionibus reſeruati: ſed tantum permittit, quod Superiores Religionum hos dumtaxat ſibi caſus poſſint reſeruare, aut omnes, aut aliquos eorum, prout ſubditorum ſaluti iudicauerint expedire, & ſi fortè alios reſeruare expedire viderint, hoc fiat in Capitulo Generali, vt dicitur in eo decreto. Quibus ſcitis, iam caput noſtræ Regulæ faciliimè explicabitur.

a *Non liceat.* Id eſt, non ſit licitum, vt ſæpè explicatum eſt.

b *Superioribus.* Quacumque dignitate Regulari præfulgentibus, confeſſiones ſubditorum audire.

c *Niſi.* Eſt verbum exceptiuum, vt *ſup.* eſt habitum.

d *Quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint.* Id eſt, niſi in caſu in quo ſubditi aliquod peccatum, ex ſupra numeratis, ſi reſeruatum fuerit (quod in noſtra ſacra Religione huc vſque nullum reſeruatum habemus) commiſerint.

e *Aut ipſimet ſubditi ſponte, &c.* Vel ipſi inferiores, ſine vi, ſed ſpontanea voluntate, id ab ipſis petierint.

f *Superiores.* Hoc eſt, Miniſter Generalis, vel Prouincialis, aut etiam Conuentualis, cum conſenſu tamen Prædictorum, aut ſecundùm commiſſionem à Capitulo Generali habitam.

g *In ſingulis domibus.* Id eſt, in vnaquaque domo,

h *Deputent duos, &c.* Id eſt, aſſignent.

i *Iique ſint docti.* Quia iudices ſpirituales confeſſarij, non debent carere munere ſcientiæ, vt dicitur *diſt. 6. de pœnitent. §. 1. & cap. 1.* Quia eum, qui aliquid iudicaturus eſt, oportet prius illud cognoſcere, vt dicitur *in dicto cap. 1.* his verbis: *Oportet enim, vt ſciat cognoſcere quidquid debet iudicare. Iudiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, vt quod debet iudicare, diſcernat*: & in *l. ae qua re, ff. de iudic.* & facit illud Ariſtot. Ethic. 1. *Cacus malè de coloribus iudicat, quoniam illos non percipit.*

l *Prudentes.* Vt cum Prudentia maxima inquirant à peccatore, quod fortè ignorat, vt habetur *cap. cit.* his verbis: *Diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inueſtigator, ſapienter, & quaſi aſtutè interroget à peccatore, quod forſitan ignorat, vel verecundiâ velit occultare.*

m *Et charitate præditi.* Id eſt, & charitate præ aliis ditati: vt ſciant cum peccatoribus eſſe benevoli, onus eorum portare, habere dulcedinem in afflictione, pietatem in alterius crimine, & diſcretionem in varietate. Vt adiuuent confitentem orando, & cætera bona pro eo faciendo: vt eum iuuent leniendo, conſolando, ſpem promittendo. Doleant loquendo, inſtruant operando, ſint participes laboris, qui participes volunt fieri gaudij. Sic habetur *in cap. 1. de pœnitent. citat.* & faciunt maximè hi verſus ex D. Thom.

Confeßor dulcis, affabilis, atque ſuauis,
Prudens, diſcretus, mitis, pius, atque benignus.

Conſonat D. Bonauent. *cap. 16. de puritate conſc.* vbi ſic ait: *Confeſſorem eligas compaſſiuum, probatum in tentationibus, & in via continentiæ ſe exercentem, cui ſæpè confitearis, & aperias omnes defectus clarè, & lucidè, & ſtimulos, quibus moleſtaris. Sit ille diſcretus, charitatiuus, humilis, & intelligens, & ſciat tibi remedium adhibere. Aliter autem ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent.*

n *Qui.* Confeſſores ſcilicet à Prælatis deputati.

o *A non reſeruatis eos abſoluant.* Id eſt, à peccatis non reſeruatis ab ipſiſmet Prælatis Regularibus, abſoluant illos.

p *Et quibus.* Confeſſoribus, nempe deputatis, quibus abſolutio peccatorum reſeruatorum committatur à Miniſtro Conuentus, & in abſentia eius ab eiuſdem Vicario, vel Præſidente, quando caſus euenerit, & occurrerit.

q *In quo.* Caſu.

r *Eam.* Abſolutionem ſcilicet, vel poteſtatem abſoluendi, debere committi à Prælato.

ſ *Ipſe in primis confeſſarius.* Deputatus, & aſſignatus ad audiendas confeſſiones Fratrum, iudicauerit.

t *Iudicauerit.* Hic aduertant Prælati, quod in prædicta facultate concedenda, non debent eſſe difficiles, & rigoroſi, ſed benigni potiùs, & faciles, vt ſic

ſonfeſſio

confeſſionis religionem non graviſſimam reddant, ad quod conſulit illis, vt perſonis circumſpectis, & doctis, cum expoſtulatum à ſe fuerit, ſupradictos ſuos caſus facilè committant, aliàs credo, non eſſent immunes à peccato: vt habet S.Thom. *in 4. diſt. 17. quaſt. 3. art. 3. quaſtiunc. 4. ad 6.* vbi addit hæc verba: *Vnde illi, qui ſunt nimis ſoliciti, vt conſcientiam ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens, ſibi ipſis.*

Capvt XXXIX.

De Capitulo Generali.

TEXTUS.

[a] Generale Capitulum de [b] triennio in triennium [c] celebretur, [d] Sabbatho, [e] ſi fieri poſſit, ante [f] quartam Dominicam poſt Paſcha.

EXPOSITIO.

a GEnerale Capitulum. Id eſt, Congregatio Generalis Capitularium omnium huius Ordinis, quæ quidem dicitur Generale Capitulum, quia ad ipſum ex omnibus partibus, certo aliquo loco, & determinato tempore, ad electionem Prælatorum, & ad aliqua alia peragenda conueniunt. Videantur quæ habita ſunt *cap. 29. lit. a.*

b *De triennio in triennium celebretur.* Sic etiam Abbates, & Priores Abbates non habentes proprios celebrant capitula ſua de triennio in triennium, vt habetur in cap. *in ſingulis, de ſtatu Monachor.* quod eſt noſtri Innocent III. & Trident. *de Regul. ſeſſ. 25. cap. 8.* & notat gloſſ. *celebrare,* in cap. *ſicut olim, de accuſat.*

c *Celebretur.* Id eſt, celebrari incipiat, & poſtea per aliquos dies continuetur: in quibus poſt, vel ante electiones Prælatorum diligens debet haberi tractatus de reformatione Ordinis, & obſervantia regulari, vt habetur in cap. *in ſingulis, cit. §. huiuſmodi verò, & gloſſ. in ſumma.*

d *Sabbatho.* In quo poſt Primam cantatur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto, & pulſatur ad Capitulum, vbi poſtquam conuenerint omnes vocales, dicto *Veni Creator ſpiritus,* cum verſ. *Emitte ſpiritum tuum,* & Oratione, *Deus qui corda fidelium,* proceditur ſtatim ad electiones Prælatorum.

e *Si fieri poſſit.* Commodè, & conuenienter; aliàs differri poteſt per aliquod breue tempus, vltra prædictum Sabbathum, auctoritate Diffinitorij Generalis: iuxta conſtitutiones dicti Ordinis, *3. part. cap. 1.*

f *Ante quartam Dominicam poſt Paſcha.* Reſurrectionis videlicet, quæ dicitur *Dominica in Cantate.*

Capvt XL.

De electione Majoris, ac Generalis Miniſtri.

TEXTUS.

[a] Electio [b] Majoris, [c] ac Generalis Miniſtri, de [d] ſexennio in ſexennium, in [e] Capitulo Generali, [f] per ſecreta ſuffragia, [g] iuxta Concilium, fiat.

EXPOSITIO.

a ELectio. Eſt idoneæ perſonæ ad aliquam dignitatem, vel fraternam ſocietatem facta vocatio, ſervata Canonica forma. Sic habetur in cap. *cùm in cunctis,* & cap. *cùm Eccleſia,* & cap. *quapropter, de electiou. & elect. pot.* & ſic eam definiunt omnes Iuriſtæ communiter *in initio tit. de elect. in 6.* Vt autem ſit vera, requiritur in primis, quod fiat ab his, ſiue ex eorum conſenſibus, qui ius habent eligendi (ſiue ex iure communi, ſiue ex particulari) & quaſi matrimoniale vinculum contrahendi cum illo, quem eligunt, vt ſit ſponſus Eccleſiæ viduatæ. Sic habet gloſſ. *vera, de elect.* in cap. vnic. *de poſtulat. Pralat. in 6.* De aliis verò requiſitis ad electionem veram infra dicemus.

b *Majoris.* Dicitur Miniſter Generalis, *Major,* eo quòd maiorem dignitatem, & honorem, quàm cæteri Prælati Regulares habeat. Colligitur ex gloſſ. *maioribus, in authent. nouimus.* Dicitur etiam

c *Generalis Miniſter.* Quia in omni Ordine præeſt omnibus fratribus.

d *De ſexennio in ſexennium.* Quia profectò maximè expedit, quod Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis (atque in vniuerſum Religionum omnium) non ſit perpetuus. Licet alij contrarium ſentiant. Pro hoc adi D.Bonauent. *quaſt. 5. de Apolog.* Quia ita plures conditiones neceſſariæ requiruntur ad hoc, vt Prælatus ſit perpetuus, vt ſimul omnes in paucis reperiantur. Requiritur enim ætatis maturitas, honeſta admodum perſona, vitæ irreprehenſibilitas, quod ſit doctus, diſcretus, zelator iuſtitiæ, & ordinis diſciplinæ: tractabilis per lenitatem manſuetudinis, compaſſiuus, deuotus, habens orationis uſum. Et tandem, quod ſit robuſtus ſalute, ita vt corporis imbecillitate à communis vitæ obſeruantia non omnino impediatur. Addit ſanctus: *Bonum eſt etiam propter hoc, ne fiant aliquando inſolentes, ſi ſcirent ſe in dominio permanſuros, vt ſic in humilitate ſeruentur, & ſubditi, quibus fortè grauis eſſet illorum alicuius pralatio, de ſpe facilis abſolutionis eius conſolentur.*

e *In Capitulo Generali.* Et benè, quia omnis electio ad Capitulum ſpectat, vt dicitur in Clem. *cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſionis, & gloſſ. Epiſcop.* in cap. *Valenti, diſt. 63.*

f *Per ſecreta ſuffragia.* Suffragium dicitur conſenſus in ſcriptis redactus. Cùm, v. g. quis dicit: *Ego A. nomino B. in Pralatum, aut talem Pralaturam.* Sic habet gloſſ. *ſuffragium,* in cap. *perpetuò, de elect. in 6. & ff. de legat. 1. l. de quibus, in fine, & gloſſ. ſuffragio,* in cap. *vbi periculum, eodem tit.* & conſonat Trident. vt ſtatim dicemus. Verum eſt, quod iam conſuetudo omnium ferè Religionum obtinuit, vt ſolùm nomina electorum ab eligentibus ſcribantur, hoc modo. *Nomino, vel eligo N. ad talem Prafecturam.*

g *Iuxta Concilium fiat.* Hoc eſt, iuxta Conc. Trid. *de Regul. ſeſſ. 25. cap. 6.* vbi ſic habetur: *In electione Superiorum quorumcunque, quo omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant, ſancta Synodus diſtrictè pracipit, omnes eligi debere per vota ſecreta: ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* In quibus verbis (præſuppoſita, & nullo modo derogata decretali Innocent. III. in dict. cap. *quia propter*) tradit Concilium modum, & formam obſervandam in ferendis votis, & ſuffragiis, in electione facienda

per ſeruitium: nempe, vt vota ſint ſecreta, &c. quibus verbis iam præſupponit, quod in electione per ſcrutinium facienda interuenire debet ſcriptura, & quod vota, & ſuffragia redigi debent in ſcriptis.

CAPVT XLI.

De electione Diffinitorum Generalium, & Miniſtrorum Provincialium, & Conuentualium.

TEXTVS.

[a] Electiones verò [b] Diffinitorum Generalium, [c] Miniſtrorum Provincialium, & [d] Conuentualium, [e] de triennio in triennium in Capitulo Generali [f] ſimiliter [g] canonicè fiant. [h] Et eligantur, [i] non ſecundùm dignitatem generis, [l] ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam. [n] Miniſter verò, ſiue [o] Maior Generalis, ſiue Provincialis, ſiue Conuentualis, [p] Sacerdos ſit.

EXPOSITIO.

a ELectiones. Quid ſit electio, & à quibus facienda, habes cap. *præcedenti, lit. a.*

b *Diffinitorum Generalium.* Nota hic plura. Primum, quod munus Diffinitorum Generalium, vt nomen ipſum ſonat, eſt ſimul cum Miniſtro Generali, ſiue in Capitulo Generali, ſiue extra illud, diffinire, conſtituere, decretare, eligere, deponere, iudicare, atque de rebus magnis ſententiam proferre, vtpotè iudices maximi (ex cap. *anteriorum* 2. *quæſt.* 6 §. illud etiam) & denique expedire omnia, quæ ad bonam, & exactam gubernationem totius Religionis, & cuiuſvis particularis Prouinciæ, vel Conuentus reſpectivè pertinent. Secundum eſt. Quod Diffinitores Generales in noſtro ſacro Ordine verè, & propriè ſint prælati, & maiores, quàm miniſtri Prouinciales, & Conuentuales. Primum conſtat. Quia Diffinitores Generales in noſtra Religione habent ordinariam aliqualem curam animarum in toto ordine, iudicant, eligunt, deponunt, & habent alia, quæ non conueniunt, niſi verè, & propriè Prælatis: & ideò in multis locis conſtitutionum vocantur Prælati. Secundum etiam clarè colligitur. Tum, quia Diffinitores Generales in multis locis noſtræ Regulæ, & alibi, nominantur à Pontifice primò, quàm Miniſtri Prouinciales, & Conuentuales: ex quo clarè colligitur, eſſe maiores in dignitate. Quia maiores Prælati primò nominantur, quàm alii, vt habetur in cap. *Epiſcopi* 22. *quæſt.* 4. & cap. *ſi quis Epiſcopus, q.* 5. *& diſt.* 23. *quaſi per totam*, præcipuè *cap.* 1. 2. 7. 11. 15. 16. 17. *vſque ad* 20. vbi incipiens à ſummo, per ordinem ad vltimum deſcendit gradum. Tum etiam, quia diffinitores Generales omnes ſupradictos Miniſtros eligunt, deponunt, iudicant, & puniunt, vt infra dicitur. Maiores autem à minoribus non iudicantur, ſed potius è contra minores à maioribus, vt dicitur in c. *omnes*, &c. §. *Petrus*, 6. *q.* 1. Tandem conſtat eſſe maiores, ex dictis *c.* 1. *lit. d.* & ex his quæ *infrà* dicentur.

c *Miniſtrorum Provincialium.* Sic vocantur. Quia præſunt vni Provinciæ: hoc eſt, cuidam diſtrictui, in quo multa ſunt oppida, & in ipſis plures Conuentus, qui omnes ſubduntur Prouinciali Miniſtro.

d *Et Conuentualium.* Id eſt, Miniſtrorum ſingulorum Conuentuum.

e *De triennio in triennium.* Propter dicta *cap. præced. lit. d.*

f *Similiter.* Id eſt, eo modo in Capitulo Generali.

g *Canonicè fiant.* Id eſt, iuxta ſacros Canones, & Concilia fiant. Qui quidem ad electionem canonicam per modum ſcrutinij, de qua hic loquitur textus, quamplurimas requirunt conditiones. Prima eſt, vt ſint præſentes, & ſimul congregati in vnum omnes, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe. Secunda eſt, vt ſcrutatores aſſumantur per Collegium, & ſint de ipſo Collegio, & ſint tres, neque plures, neque pauciores. Tertia eſt, vt vota, ſeu ſuffragia redigantur in ſcriptis, & in communi, hoc eſt in capitulo publicentur. Quarta, quod hæc publicatio fiat ſtatim, poſtquam vota in ſcriptis fuerint redacta. Quinta, quod fiat electio de eo, in quem maior pars capituli conſenſit. Sexta, quod talis electio fiat per vnum nomine totius Capituli, & per verba ſingularis numeri, qui quidem debet eſſe vnus ex ſcrutatoribus. Is autem voce intelligibili debet dicere: In nomine SS. Trinitatis, Amen. *Hæc eſt electio P. N. Maioris, ac Generalis Miniſtri (vel Diffinitoris primi, ſecundi, &c. vel Prouincialis talis Prouinciæ, vel Miniſtri domus N.) Diſcalceatorum Ordin. SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, canonicè celebrata per dicti Ordinis Patres vocales, iuxta Regulam capitulariter congregatos in præſenti Conuentu N. ciuitatis, ſeu oppidi N. Anno Domini N. die verò N. In qua electione Pater N. habet tot voces, & Pater N. tot. Pater autem Noſter N. habet tot. Et ego Frater N. eiuſdem Ordinis Diffinitor, vnus ex Diſquiſitoribus, nomine meo, & nomine aliorum omnium, qui in dictam electionem conuenerunt, & conſenſerunt, nomino, & eligo in eiuſdem Ordinis Miniſtrum Maiorem, ac Generalem (vel Diffinitorem Generalem, aut Miniſtrum Prouincialem N. Prouinciæ, vel Miniſtrum Conuentualem domus N.) præfatum noſtrum P. Fratrem N. in quem maior pars vocum conſenſit, ſicque electum denuntio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Hæ omnes dictæ conditiones requiruntur ad validitatem electionis canonicæ, vt colligitur ex cap. *quia propter, cit.* & cap. *ſicut, de elect. in* 6. & ex cap. *cùm ab vno, de re iudicata in* 6. & ex Concil. Trid. *loc. cit.* Vnde iam conſtat difficultas maxima ſeruandæ formæ ſupradicti ſcrutinij, in qua multi, etiam perfecti deficiunt, ignorantes practicam, vt dicit gloſſ. in cap. *cum expediat, de elect. in* 6.

h *Eligantur.* Eligere, eſt è multis vnum legere, & ſegregare, quaſi optimum inter omnia, ad id ad quod eligitur: vt *infra.*

i *Non ſecundum dignitatem generis.* Quia non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deo faciunt, idoneumque Miniſtrum, vt habetur in cap. *venerabilis, de præbend. & dignitat.* §. Nos igitur. Clericum enim mores nobilitant, non genus. Et ideò non ſanguini, ſed vitæ meritis beneficia conferenda ſunt, vt habetur 8. *quæſt.* 1. cap. *Moyſes*, & 32. *quæſt.* 4. cap. *recurrat*, §. is ita. Vnde D. Greg. relatus 10 cap. 3. *diſtinct.* 40. ſic ait: *Nos qui præſumus, non ex locorum, vel generis, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus.* Conſonat gloſſ. *inuidia*, in cap. *quoniam*, 24. *quæſt.* 1. vbi narrat, quod cùm duo decertarent de electione, & vnus allegaret ignobilitatem alterius, alius ex aduerſo reſpondit: *Piſcatori Petro, Fabri filio ſucceſſorem quærimus, non Auguſto.* Vnde & verſus:

Nobilitas

Digitized by Google

Nobilitas, fauſtum, fauſtus litem parit,
Lis, odium: capiuns hæc tria mortis iter.

1 *Sed ſecundum vitæ meritum.* Quia Prælatos maximè oportet morum integritate pollere, ſtudioſos, & virtuoſos eſſe. Sic habetur in cap. *cum in cunctis, de elect.* & in cap. *Abbatem* 3. *&* 4. 18. *q.* 2. vbi ſic dicitur: *Abbatem in Monaſterio illum volumus ordinari, quem ordo vitæ ad meritum popoſcerit ordinari.* Idem habetur in cap. *ſi quis Abbas, eadem.* Vbi ponuntur virtutes, quas Prælati Regulares habere debent. Videlicet, quod ſint humiles, caſti, miſericordes, diſcreti, ſobrij, & timentes Deum, & 1. *q.* 1. *cap.* 44. §. *Reuera,* ſic dicitur: *Qui ad hoc eliguntur, vt cæteris præſint, ſicut præordinantur dignitate, ſic præeminere debent ſanctitate. Alioquin cur cæteris præferuntur, qui nulla meritorum gratia à cæteris aſſumuntur?*

Vnde bene D. Ambroſ. 2. offic. *Supra me* (dixit) *debet eſſe, cui me committere paro.* Et D. Thom. *lib.* 1. *de Regim. Princ. cap.* 2. ſic ait: *Multùm decet Miniſtrum, vt ſit ſine macula, cum teneat locum eius, qui eſt ſine macula, & vult habere Miniſtros ſine macula, iuxta illud Pſalm.* 110. *Ambulans immaculatè, hic mihi miniſtrabit.* Et rurſus ibidem: *Multùm deſideranda eſt bonitas eius qui præeſt, vt ſit vtilis. Si enim bonus eſt, bonos diligit, & cuſtodit, malos corrigit, & à malis compeſcit, exemplò ad bona prouocat, bona imperat, & promouet, & mala diſſipat. Multùm conformantur ſubditi ei, qui præeſt, in malo, vel in bono. Eccleſ.* 10. *Qualis rector ciuitatis, tales qui habitant in ea.*

m *Et ſapientia doctrinam.* Quia etiam eſt neceſſariiſſimum, Regulares Prælatos pollere ſcientia. Habetur in cap. *cum in cunctis, de elect.* (quod quamuis expreſsè loquatur de Epiſcopis, pariter debet intelligi de Prælatis Regularibus) & in Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 1. vbi ſic dicitur: *Ad Cathedralium Eccleſiarum regimen nullus, niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, morum grauitate, litterarumque ſcientia præditus, iuxta conſtitutionem Alexand. III. quæ incipit, cum in cunctis, in Concil. Lateran. promulgatam, penitus aſſumatur.* Et eodem modo loquitur *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *& ſeſſ.* 24. *c.* 12. Idque rationi eſt maximè conſonum. Nam vt dicitur in cap. *viliſſimus,* 1. *q.* 1. *Viliſſimus eſt computandus, vel* (ſecundum lect. origin.) *viliſſimis comparandus, niſi præcellat ſcientia, & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior.* Et adeò in Prælatis eſt neceſſaria ſcientia, vt propter defectum illius reddatur quis ineligibilis in Prælatum, vt habetur in cap. *congregato, de elect. & electi pot.* & in cap. *cum in cunctis, cit.* Imò non ſolum impedit promouendum: ſed ejicit iam promotum, vt dicitur in eo cap. *Congregato,* & cap. vlt. *de ætate, & qualit. ordin.* Et quamuis ſit verum, non requiri, quod ſit eminentis ſcientiæ: requiritur tamen, quod ſit ſufficientis, vt cap. *cùm nobis, de elect.* &c.

De his conditionibus Prælatorum optimè agit D. Thom. *loco cit. cap.* 1. explicans illud Prouerb. 14. *Acceptus eſt Regi miniſter intelligens. Neceſſaria enim eſt ſapientia illi, qui præeſt. Et propter ſe, & propter populum. Propter ſe, quia eſt in maiori periculo, quàm cæteri, à quo periculo non eſt liberatio, niſi per ſapientiam. Prouerb.* 10. *Iuſti liberabuntur ſcientia. Propter populum. Primò, quia mederi habet, & ſaluberrimum omnium medicamentorum eſt ſapientia. Sapient.* 11. *Per ſapientiam ſanati ſunt omnes, qui placuerunt tibi ab initio. Secundò quia ſubditos habet regere, vt Dux eorum, cæcitas verò inutilem reddit hominem ducatui, ſecundum Matth.* 11. *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent. Tertiò, quia ab eo, qui præeſt, procedere debet ordinatio in populo: ſi verò deſit ſapientia, potius procedit inde confuſio, & turbatio. Quartò, quia qui præeſt, tenet locum Dei, & vices Dei debet agere, & ſecundum eius voluntatem ſubditos regere, ad quod neceſſaria eſt ſapientia.*

n *Miniſter Sacerdos ſit.* Sic præcipitur in cap. 1. *de ætate & qualitate ordin.* & in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

CAPVT. XLII.

De depoſitione Diffinitorum Generalium, Miniſtrorum Prouincialium, & Conuentualium.

TEXTVS.

Poſtquam verò [a] Diffinitores Generales, & Miniſtri Prouinciales, & Conuentuales [b] electi fuerint, [c] ſi ex culpa [d] deponi meruerint, [e] per Diffinitorium Generale [f] deponantur, [g] & [h] alij, qui digni ſint, [i] ab eodem Diffinitorio [l] loco [m] eorum ſubrogentur.

EXPOSITIO.

a *Diffinitores Generales.* Explica vt *ſuprà, cap. præcedenti.*

Si ex culpa deponi meruerint. Propter culpas namque Prælati deponuntur, ex quibus aliquas propter quas deponi debent, enumerat Innoc. III. c. *cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* §. *Abbas verò,* his verbis: *Quod ſi præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, ſeu negligens, aut remiſſus, pro certo ſe nouerit, non ſolum ab officio deponendum, ſed alio modo, ſecundùm Regulam caſtigandum. Cùm offenſa non ſolum propria, verum etiam aliena, de ſuis manibus requiratur.* Propter has ergo, & alias cauſas (de quibus agitur in cap. *dilecti filij, de renunciat.* & cap. *ſi quis Abbas* 18. *q.* 2. & cap. *ſi qui Epiſcop.* §. *Ecce,* 1. *q.* 1. *& diſt.* 81. cap. *dictum,* & *ibi gloſſ. negligentiam, &* 86. *diſt.* cap. 1. & 11. *q.* 3. *placuit, & diſt.* 100. *cap.* 1. & alibi) debent deponi Prælati. Sine culpa autem nemo: quia ſine culpa nemo debet priuari iure ſuo, vt dicitur *diſt.* 56. cap. *ſatis peruerſum,* & 16. *quæſt. vlt.* cap. *inuentum.*

b *Ex culpa.* Generaliter ſumpta, videlicet pro delicto aliquo graui, vel peccato; aut pro negligentia, etiam graui, neſcientia, & ſimilibus: de quibus agitur *loco cit. b.*

b *Ex culpa.* Graui: quia pro leui non eſt quis deponendus, vt dicitur in c. *inuentum, cit. & diſt.* 68. *c.* 1.

c *Deponi.* Id eſt, remoueri à ſua dignitate, vel ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ex cap. *cum dilecti, de accuſat. in fine.*

d *Meruerint.* Mereri enim eſt aliquid facere, cuius gratiâ ipſe operator dignus ſit præmium accipere, aut pœnam pati. Meruerint ergo depoſitionem pati,

e *Per Diffinitorium Generale.* Hoc eſt, per Miniſtrum Generalem, & Diffinitores Generales congregatos vt vnum. Sic olim Abbas deponebatur ab Epiſcopo, & à vicinis Abbatibus, vt habeaur in cap. *ſi quis Abbas* 18. *quæſt.* 2.

f *Deponantur.* Id eſt, à dignitate, & Miniſterio ſuo remoueantur, ex cap. *cum dilecti, cit. & ex gloſſ. depoſitus,* in cap. *ex geſtis, de Cleric. non reſid. & gloſſ. depoſitionis,* in cap. *Inquiſitionis,* §. *Quæſiuiſti, de accuſat,*

g *Et alij.* Ex Fratribus.

Google

h *Qui digni ſint.* Dignus autem dicitur, qui aliquid meretur, & cui aliquid meritò debetur. Dignos autem debemus illos exiſtimare, quos indignos eſſe non nouimus, vt habetur in cap. 1. *de ſcrutinio in ordine facien.* Licèt verum ſit, quod digniores, meliores, & ſanctiores ſunt ſub graui culpa eligendi, vt habetur in cap. *licèt ergo* 8. *quæſt.* 1. *& diſt.* 25. cap. *vnum,* § *nunc autem,* & *diſt.* 40. cap. *non loca,* & cap. *multi, in fine,* & *diſt.* 63. cap. *Metropolitano,* & cap. *conſtitutus, de appellat.* & docet D. Thom. 2.2.q.63. *art.*2. *& in quodlib.q.*6. *&* 8. Verum tamen eſt, quod vt electio ſit valida, ſufficit ſufficientes eligere: aut quod electus ſit dignus, & bonus, vt habet gloſſ. penult. in cap. fin. *de offic. Cuſtod* & D. Th. *loco ſup. cit.*

Aduertant tamen Prælati, quod maior, vel minor dignitas in ordine ad electionem, non ſolùm conſideranda eſt ſecundùm alias circumſtantias in ordine ad propoſitum electionis finem. Nam ſtare benè poteſt, vt quis ſit melior ſimpliciter, ſecundum proportionem charitatis: non tamen ſit melior quantum ad finem, & propoſitum electionis, ſi aliàs neſciat oues regere, & gubernare, ſibique deficiant alia ad munus Prælati requiſita, vt docet D. Thom. *loc. cit.* & D. Anton. 3. *part. tit.* 22. *cap.* 2. § 4. Quando ergo dicimus, quod in electionibus ſemper ſint eligendi meliores, intelligendum eſt, perpenſis omnibus circunſtantiis, & non ſola idoneitate, & dignitate ſimpliciter.

i *Ab eodem Diffinitorio.* Hic RR. PP. Diffinitores vellem admonere. Primò, quod conſtituti in Diffinitorio, in cauſis ad Dei gloriam, & commune Religionis bonum ſpectantibus liberè (licèt magna cum humilitate, & modeſtia) dicant quod ſentiunt, ſecundum propriam cuiuſque conſcientiam. Quoniam ad id ex munere officij ſui obligantur, ſecundùm illud Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri iudex, niſi & virtute valeas perrumpere iniquitates, ne fortè extimeas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.* Et facit cap. *quiſquis,* 11. *quæſt.* 3. Quia in ſupradictis caſibus non eſt ſat Diffinitoribus tacere, aut caput ſuperiori inclinare; ſed vt Iudices Maximi, & veri Prælati, id quod ſentiunt, palam propalare, ac dicere. Secundò, vt videant ſemper quos eligunt, iuxta dicta *lit. h.* ne fortè indignos ad officia Ordinis aſſumentes, eorum peccatis inuolvantur, in magnam Dei offenſionem, & Religionis detrimentum. Tertiò, ne ſint faciles ad declaranda fratrum ſuorum ſecreta crimina, nec vllo modo id faciant, niſi quando certò ſciuerint, ea vergere in damnum Religionis; tunc enim licebit, præcipuè quando proceditur ad effectum electionis: nam vt non eligatur indignus, multa licitè fieri poſſunt, quæ aliàs eſſent illicita. Rectè video, hoc noſtro tempore hæc omnia maximè, & diligentiſſimè obſeruari. Faxit Deus, vt ſic ſemper.

l *Loco eorum.* Id eſt, Prælatorum, qui à Diffinitorio ſint depoſiti.

m *Subrogentur.* Hunc loquendi modum habes in cap. *vobis,* 12. *q.* 2. Subrogare autem nihil aliud eſt, quàm vnum loco alterius ponere. Sic dicitur in cap. *ſi hi, vt lite pendent. in* 6. *& in Clement.* 2. § *eo tamen, de elect. & elect. pot.*

TEXTVS § II.

a b c
Quod ſimiliter fiat, ſi extra Capitulum aliqua
d e
iſtorum electio facienda occurrat, mor-
f g
tis, renunciationis, aut alia quauis cauſa.

EXPOSITIO.

a *QVod ſimiliter fiat.* Id eſt, & eodem prorſus modo ab eodem Diffinitorio fiat electio.

b *Si extra Capitulum.* Generale ſcilicet, in quo omnium Prælatorum electiones fiunt, vt *ſuprà* eſt habitum.

c *Aliqua iſtorum.* Prælatorum nempe, Diffinitorum Generalium, Miniſtrorum Prouincialium, & Conuentualium.

d *Electio facienda occurrat.* Propter aliquam cauſam, ex his, quas ſtatim enumerat.

e *Mortis.* Hic Legiſlator apponit tres alias cauſas, quarum quælibet, ſi occurrerit, prouidendum eſt Eccleſiis Regularium de Prælatis, ne viduatæ remaneant. Prima earum eſt mors. Secunda renunciatio. Tertia tranſlatio. Has omnes aſſignat text. in cap. *inter corporalia, de tranſlation.* ibi: *Coniugium ſpirituale diſſoluitur, cum per tranſlationem, depoſitionem, aut ceſſationem Epiſcopus ab Eccleſia remouetur.* Et text. in cap. *Congregatio,* 16. *quæſt.* 7. vbi dicitur, quod congregatio debet eligere ſibi Abbatem, defuncto anteceſſore, vel depoſito, propter delictum, vel cauſa aliqua recedente.

e *Mortis.* Eſt prima cauſa, propter quam electio Prælati debet à Diffinitorio fieri, vt habetur in cap. *congregatio, cit.* & bene, ne pro defectu illius gregem Dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata graue diſpendium patiatur. Quapropter Innoc. III. *in Concil. Lateran. cap.* 22. decreuit, & ſtatuit, vt vltra tres menſes Eccleſia Regularis non vacet Prælato. Vnde ceſſante legitimo impedimento, tenentur Diffinitores intra tres menſes eligere. Habetur in cap. *ne pro defectu, de elect.* Quamuis non poſſint eligere, niſi poſt tertium diem ſepulturæ anteceſſoris, vt habetur in cap. *Nullus,* 7. *diſt.* 79. licèt verum ſit, quod ſi de facto ante fiat, valebit electio: habetur in cap. *bonæ memoriæ* 2. *de elect.*

f *Renunciationis.* Secunda cauſa propter quam Eccleſia aliqua Regularis viduata remanere poteſt, & eligendus eſt Prælatus, eſt renunciatio Prælati: quam iuris proprij optimè facere quis poteſt, vt habetur in cap. *congregatio, cit.* & cap. *quàm periculoſum* 7. *q.* 1. *& de reg.* cap. *Statuimus.* Eſt namque renunciatio, iuris proprij ſpontanea refutatio. Sic Iuriſtæ *in tit. de renunciat.*

Aduertant tamen PP. Diffinitores hîc. Primò, quod renunciatio cuiuſlibet Prælatiæ debet fieri ſpontaneè: quia ſi coacta eſſet, non obeſſet repetere volenti, vt habetur cap. *ſuper hoc, de renunciat.* & cap. *Abbas, de iis quæ vi.* &c. & cap. *Ad audientiam, eodem tit.* Secundò debet fieri in ſcriptis, vt habetur 7. q. 1. cap. *ſicut,* ibi: *Eo petitionum ſcriptum danto, &c.* Tertiò debet fieri in manibus illorum, quorum intereſt admittere, ſiue ad hoc habeant poteſtatem ordinariam, vel delegatam, aliàs non tenet renunciatio, vt habetur 17. *q.* 2. cap. *Gonſaluus,* & 7. *q.* 3. cap. *Denique, & extr. de renunciat.* cap. *admonet, & ff. de offic. Præſid. l. legatum,* & gloſſ. *ibidem.*

Aduertant ſecundò, quod renunciatio Prælationis bene Regentis non eſt de facili admittenda, vt habetur in cap. *niſi cum pridem, de renunc.* & cap. *quàm periculoſum,* & cap. *quamuis,* 7. *q.* 1. cùm aliqua ſemper requiratur iuſta cauſa. Sunt autem ſex, videlicet conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, irregularitas perſonæ, quæ omnes his verſibus comprehunduntur.

1 2 3 4
Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis:
5 6
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Sed

Sed in his omnibus diligens eſt adhibenda cautela (vt aduertit Innocent. III. in cap. *citato*, eſt enim illius.) Et primò propter conſcientiam criminis poteſt licentia cedendi poſtulari, & concedi. Non tamen cuiuſlibet, ſed illius dumtaxat, propter quod ipſius officij executio impeditur, vt dicitur in cap. *cit.* & aduertit gloſſ. *pauci*. Secunda cauſa eſt debilitas corporis. Sed non quælibet ſufficit: ſed illa ſola, per quam quaſi impotens redditur ad exequendum miniſterium ſuum. Tertia eſt defectus ſcientiæ. Sed quamuis deſideranda ſit eminens in Prælato, in eo tamen eſt competens toleranda, vt dicitur in cap. *cit.* & cap. *qualiter, de elect.* & cap. *venerabilis, de Præbend.* & *ſuprà* eſt habitum. Quarta eſt malitia plebis, quando ſcilicet plebs adeò duræ ceruicis exiſtit, vt Prælatus nequeat proficere apud ipſam, vt dicitur *cap. cit.* Quinta eſt graue ſcandalum. Quando ſcilicet pro tali Prælato ſcandalizantur ſubditi. Tunc enim licet Prælato petere ceſſionem: quia in quantum poteſt, ſcandalum ſine peccato, vitari debet: alioquin (vt bene gloſſ. *diſtinguendum*) vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur, *de reg. iur. qui ſcandalizauerit*. Sexta eſt irregularitas perſonæ, vt ſi eſt illegitimè natus, &c. Quamuis cum hoc, ſi ſuum laudabiliter impleuit officium, poteſt faciliter diſpenſari, vt cap. *niſi cum pridem, cit.* vbi pleniùs hæc omnia exponuntur.

Aduertant tamen tertiò, quod vt validè, & licitè admittere poſſint renunciationem cuiuſlibet Prælati, ſufficit, quod ipſe ſpontè, enixè, & prolixè cedat. Quia licèt eum admonere poſſint, vt non renunciet, non tamen licet tenere inuitum in loco ſuo, vt habetur in cap. *congregatio, cit.* ex Concil. Toletano, & in cap. 1. *de renunc.* & notat gloſſ. *retinere*, in cap. *congregatio, cit.*

g *Aut alia quauis cauſa.* Vt eſt mutatio, vel tranſlatio de vna Eccleſia Regulari ad aliam: vel de miniſterio vnius Conuentus, ad miniſterium alterius. Hæc enim eſt tertia cauſa, propter quam Eccleſia Regularis, quaſi viduata remanere poteſt, & ideò neceſſitatem habet, vt illi prouideatur de Prælato.

Circa hanc cauſam etiam aduertenda ſunt aliqua. Primò, quod tranſlatio nihil aliud eſt, quàm de vna Eccleſia ad aliam regularis mutatio. Habetur in cap. *mutationes*, 7. *quæſt.* 1. Secundò, quod de vna Eccleſia ad aliam non ſolum poſſunt transferri Cardinales, vt dicitur in cap. *dilectus, de Præbend.* & Archiepiſcopi, vt cap. *Bonæ* 2. *de poſtulat. Prælat.* & cap. *ſcriptum, de elect.* & Epiſcopi, vt cap. *gratum, depoſtulat.* verum etiam Prælati Regulares, vt habetur in cap. *cum venerabilis, de conſuetudine*, & cap. *cum in veteri* 52. *de elect.* Tertiò, quod tranſlatio ſemper debet fieri de minori ad maius, vt clarè dicitur in cap. *Monach. de ſtatu Monach. in fine*, ibi: *Aut ſi pro neceſſitate maioris officij de conſilio fratrum fuerint transferendi.* Et bene profectò, quia qui promouetur, gradatim eſt promouendus, vt dicitur in cap. *legimus, diſt.* 93. *& ff. de mun. & hon. l. vt gradatim.* Sed non è conuerſo, vt dicit gloſſ. parua in cap. *mutationes*, 7. *quæſt.* 1. Rurſus debet fieri auctoritate, & poteſtate Prælati ſuperioris (videlicet Capituli, aut Diffinitoris Generalis) vt habet text. in cap. *admonet, de renunc.* Et ſi perſona vocata non vult conſentire translationi, non poteſt (ſecundùm quoſdam) compelli. Quia iniuſtum videtur, vt quis cogatur creſcere inuitus, vt habetur *diſt.* 74. cap. *geſta*, licèt alij contrarium dicant, & ſatis probabiliter. Quia multa bona conferuntur inuitis, vt habetur *diſt.* 45. cap. *& qui emendat*, & 23. *quæſt.* 1. cap. *paratus, poſt medium*, & q. 4. cap. *ipſa pietas*, §. *moleſtus, & cap. ſeq.* Vnde inuitus aliquis liberatur, vt dicitur in cap. *paratus, cit.* & *ff. de negot. geſt. l. ſoluendo, ff. de ſolut.* & inuitus defenditur qui ad ſupplicium ducitur, *ff. Quando appel. ſit, l. pen.* §. *fin.* Tandem nota, quod translationes, vel mutationes Prælationum ſemper debent fieri cum cauſa, neceſſitatis videlicet, vel vtilitatis, vt 7. *quæſt.* 1. cap. *mutationes* 34. *& tribus ſequent.* & cap. *Monachi, cit.*

CAPVT XLIII.

De depoſitione Miniſtri Generalis.

TEXTUS.

[a] Maior verò, ac Generalis Miniſter, ſi pro exceſſibus [b] corrigendus, vel [c] deponendus ſit, per [d] Diffinitores Generales quatuor, vel quinque Miniſtros eiuſdem Ordinis, [e] magis Religioſos [f] hoc fiat, [g] qui tamen [h] auctoritate Capituli Generalis ad [i] hoc [l] eligi debent.

EXPOSITIO.

a *Maior verò, ac Generalis Miniſter.* Explica vt *ſup. cap. 40. lit. b.*

b *Si pro exceſſibus corrigendus.* Habes hunc modum loquendi in cap. *Non eſt, de conſuetud.*

c *Vel deponendus ſit.* Id eſt, remouendus à ſua dignitate, & maiori miniſterio. Quod ſi inquiras quinam exceſſus erunt ſufficientes ad depoſitionem, & priuationem Generalis Miniſtri? Reſpondeo, quod omnes, quos *ſuprà cap. 42. lit. b.* enumerauimus, nempe ſi eſſet (quod abſit) notorius Regulæ ſuæ, aut iuris diuini, ſeu Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſor, aut notoriè ſcandaloſus, aut criminoſus, & alia, de quibus agitur 4. *part. noſtrarum conſtitutionum.*

d *Per Diffinitores Generales.* Ad quos præcipuè ſpectat deciſio, & determinatio in hac cauſa.

e *Et quatuor Miniſtros.* Siue ſint Prouinciales, ſiue Conuentuales.

f *Magis Religioſos.* Ille autem dicitur magis Religioſus, qui magis Deo exhibet religionem. Sicut è contra, quantò quis eſt alienus à Cultu Diuino, tantò magis deuiat ab hoc nomine. Nam nomina debent eſſe conſequentia rebus, vt dicitur *in Inſtit. de donat.* §. *eſt & aliud*, & cap. 2. *de Præbend.*

g *Hoc fiat.* Id eſt, corrigatur, & deponatur, iuxta illud Iſai. 2. *Expellam te de ſtatione tua, & de tuo miniſterio te deponam.* Qui locus refertur *in extr. diuinis exemplis, de pœnis.* Rectè autem præcipitur, quod depoſitio Maioris Miniſtri fiat per maiorem inquiſitionem, & per plures Prælatos, quàm depoſitio aliorum Prælatorum minorum. Quia quantò res eſt maior, tantò maior inquiſitio eſt facienda, vt habetur *diſt.* 59. cap. *ordinatos, & diſt.* 4. cap. *quantumlibet.* Et hoc ipſum in depoſitione Diaconorum, Preſbyterorum, & Epiſcoporum obſeruari videmus. Diaconi namque deponuntur per tres Epiſcopos, Preſbyteri per ſex, & Epiſcopi per duodecim, vt habetur in cap *ſi quis* 3. *cum duobus ſequent.* 15. *q.* 7.

h *Qui.* Miniſtri videlicet.

i *Auctoritate Capituli Generalis.* Id eſt, in ipſo Capitulo Generali.

l *Ad hoc.* Id eſt, ad corrigendum, vel deponendum

Generalem Miniſtrum, ſi pro exceſſibus corrigendus, vel deponendus.

m *Eligi debent.* Id eſt, nominari ex iam electis debent.

Capvt XLIV.

De receptione Nouitiorum.

TEXTVS.

Si quis huius [a]Ordinis [b]Frater eſſe [c]voluerit, ſi [d]bonum, & [e]conueniens [f]videatur Miniſtro domus, & Fratribus, [g]& illi [h]locus vacauerit, [i]recipiatur. [l]Nihil tamen [m]pro receptione ſua [n]exigatur. [o]Si quid tamen gratis dederit, [p]recipiatur: [q]dum tamen tale ſit, [r]de quo [ſ]non videatur [t]Eccleſiæ [u]litigium [x]imminere.

EXPOSITIO.

a ORdinis. Id eſt, Religionis, vt *ſuprà.*

b *Frater.* Quia per ingreſſum in Religionem Frater efficitur quis, vt habitum eſt *ſup. cap.* 1.

c *Voluerit.* Nam in Religionem non debet quis ingredi, niſi volens, iuxta illud Chriſti Domini, Matth. 6. *Si quis vult venire poſt me.* Facit etiam text. *in cap. conſulti, de Regul. & tranſ.* & præcipuè *c.* 1. *eod. tit.* vbi ex Concil. Mogunt. ſic dicitur: *Nullus tondeatur, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate.* Id eſt (ioquit gloſſ.) nullus tondeatur ad profitendum, vt ſic ſit Monachus, niſi ſpontanea voluntate. Nam ſi coactus fieret, non valeret: habetur in cap. *præſens* 20. *quæſt.* 3. & cap. *ſicut,* 20. *quæſt.* 1. Quia non coactum, ſed voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, vt dicitur in cap. *non eſt,* 15. *quæſt.* 1. & notat gloſſ. *deteſtabile, in extr. copioſus.*

d *Si bonum, & conueniens.* Nam omnes indifferenter non debent admitti ad Ordinem. Sed tantum illi, qui ſuffragantibus eis litteratura (ſi fiat frater ad Chorum deputatus) idoneitate, & aliis circunſtantiis, de quibus *infrà,* poſſint eſſe vtiles Ordini, ſibique per meritum vitæ, ac aliis proficere per exemplum: habetur in cap. *exiit, de verbor. ſignificat. in* 6. Et eſt doctrina D. Bonauent. *in libello determ. mult. quæſt. q.* 10. & 25.

e *Videatur Miniſtro domus & Fratribus.* Ad quos omnes, vt ſimul in Capitulo congregatos, ſpectat approbare, vel reprobare, admittere ad habitum, vel non. Et bene quidem, quia etiam de iure communi creatio Monachorum, & facultas admittendi Nouitios ad Ordinem, ad Prælatum Conuentus, & ad ipſum Conoentum ſpectat. Facit ad hoc text. in cap. *Nouit,* & text. in cap. *quantò,* & text. in cap. *ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælat.* & notat gloſſ. *pertineat,* in cap. *ſi ad ſolum, de regul. & tranſ. in* 6. Vbi aduertendom eſt, quod ad admiſſionem, vel receptionem Nouitij requirit Pontifex aſſenſum Miniſtri, & Fratrum: vnde ſi non adhiberetur, talis receptio eſſet irrita. Quia vbi requiritur conſilium, aut aſſenſus, ſi non adhibeatur, actus eſt nullus, vt habetur in cap. *Nouit, de his quæ fiunt à Prælat.* & *ibi* notat gloſſ.

f *Et Fratribus.* Non omnibus, ſed ſolùm illis, qui inſigniti ſint ordine ſacro; hi enim dumtaxat habent vocem in Capitulo. Facit text. in cap. *ex eo, tit. de elect. in* 6. & text. *in Clement. vt hi qui, de ætate, & qualitate.*

g *Et illi.* Qui babitum Ordinis aſſumere voluerit.

h *Locus vacauerit.* Id eſt, locus in Monaſterio fuerit vacuus. Quod ea ratione hoc dicit Pontifex, quia Fratres in vnaquaque domo debent eſſe numero determinati. Nec enim in ea recipi debent pluſqoam commodè ſuſtentari valeant, vt habet Concil. Arelatenſe 4. *in cap.* 1. *de inſtitut.* his verbis: *Non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Monachorum, quàm quot ſe regere de bonis Eccleſiæ abſque penuria poſſint.* Idem determinatur in cap. *quoniam, de vita & honeſt. Cler.* & in Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 3.

i *Recipiatur.* Ad profeſſionem præcipuè, ex gloſſ. *recipere,* in cap. *non ſolùm, de Regul. & tranſ. in* 6.

l *Nihil.* Omnia excludit, *ex gloſſ. nihil, in extr. ſuſcep. ne Sede vacante.*

m *Pro receptione ſua exigatur.* Quia eſt ſimonia; expreſsè namque eſt prohibitum in cap. *nullus,* 1. *quæſt.* 2. vbi ſic dicitur: *Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conuerſionem veniunt, aliqua pacti occaſione præſumat:* & etiam in cap. *Monachus, de ſtatu Monach.* ex Conc. Lateran. ſub Alexand III. & cap. *veniens ad nos* 19. & cap. *dilectus* 30. *de ſimonia,* & cap. *quàm pio* 1. *q.* 2. *& per totam,* & probat D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *in corp. & ad vltimum.*

n *Exigatur.* Id eſt, nihil ab ingrediente, illo inuito extorqueatur. Nam propriè, *Exigere,* eſt ab inuito extorquere, vt dicitur *in l. pupillus, ff. quæ in fraudem credit.* & notat gloſſ. *exegerat, l. fideicommiſſa, ff. de leg. & fideicom.* 3.

o *Si quid tamen gratis dederit.* Id eſt, ſi tamen aliquid purè, ſine pacto, & ſponte dederit, recipiatur.

p *Recipiatur.* Quia in hoc nulla interuenit ſimonia, & ſic etiam fuit conceſſum ab Vrbano IV. vel (vt alij volunt) *in extr. ſanè, de ſimon.* his verbis: *Illa dumtaxat, quæ perſona ipſa ingredientes purè, & ſpontè, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, dare, vel offerre Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, domibus, & locis huiuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Idem habetur 1. *quæſt.* 2. verſ. *Hinc liquidò,* & hoc modo idem etiam concedunt D. Thom. *loco citat. ad* 4. & D. Hieron. *in Regul. Monach. cap.* 5. vbi ſic ait: *Ad vos venientes ad ſanctas Chriſti ſuſcipite nuptias gratis; præponatur ſanctitas pecuniæ, exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, nec vtilitas mundi, nulla omnino pactio, nulla opinio, quæ mentis puritatem perturbet, præueniat.* Et eſt communis omnium Iuriſtarum ſententia ſuper cap. *ſanè, de ſimonia.*

q *Dum tamen tale ſit.* Id quod gratis.

r *De quo.* Dato.

ſ *Non videatur.* Clarè, & manifeſtè.

t *Eccleſia.* Id eſt, Conuentui, vel Monaſterio. Hîc namque Eccleſia pro Conuentu ſumitur, & ſic multoties ſumitur in iure, præcipuè 1. *q.* 2. *quaſi per totam.* Præſertim cap. *quàm pio* 2. vbi ad noſtrum propoſitum loquens Bonifacius Papa cum Cœnobitis Caralitanæ Eccleſiæ, ſic ait: *Si veſtra neceſſitati adeò eſt opportunus, quem recepiſtis, dum tamen omnis abſit pactio, omnis ceſſet conuentio, nullaque Eccleſia veſtra fiat diſtractio, aliqua ſua Eccleſia largiri munera, fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia.*

v *Litigium.* Id eſt, litem, ex cap. *ſi quis* 45. 11. *q.* 1. lis autem à contentione dicitur. De qua Virgil. ſic ait: *Limes erat poſitus litem vt diſcerneret agris;* & habetur cap. *forus, de verbor. ſignificat. & gloſſ. patefacta, l. ſi quis, C. de finibus regundis,* & apud D. Th. 2. 2. *quæſt.* 116. *art.* 1.

x *Imminere.* Quia pro paruo commodo, aut pro

paruo

paruo damno, non oportet ſeruos Dei litigare, vt habetur in cap. *ſicut Sacerdotes*, 2. *quæſt.* 7. *& cap.* 1. *de Syndico*. Ideoque iuse optimo prohibitum eſt Religioſis ſe anfractibus litigiorum inuolvere, cap. *quorundam, de elect. in 6.* Quia litigium magis repugnat ſtatui ſpirituali, quàm alteri. Dicitur enim ad Timoth. 3. *Quod oportet Epiſcopum non eſſe litigioſum*, & 2. ad Timoth. 2. *Seruum Domini non oportet litigare*. De quo etiam D. Thom. *loc. cit. art.* 2.

TEXTVS §. II.

[a] Si durante anno probationis, [b] ipſum ad re[c]gularis diſciplinæ obſeruantiam [d] minùs idoneum [e] reperiri, [f] aut aliàs [g] vitæ, mo[h]rumque probitatem [i] ei non [l] ſuffragari [m] contingar, [n] inde [o] modeſtè [p] dimittatur, & [q] amoueatur, [r] reſtitutis omnibus, [ſ] quæ ſecum forſan attulerat.

EXPOSITIO.

a SI *durante anno probationis*. Id eſt, durante anno Nouitiatus, qui dicitur annus probationis, vel approbationis, ſeu experientiæ: & debet eſſe continuus neceſſariò, & non interpólatus, vt nunc omoes tenent Iuriſtæ.

b *Ipſum*. Scilicet Nouitiom.

c *Ad regularis diſciplinæ obſeruantiam*. Id eſt, ad obſeruantiam Regulæ, Conſtitutionum, morumque Religionis, *ex gloſſ. regulari, in Clem. Ne in agro.*

d *Minus idoneum*. Seu aptum.

e *Reperiri*. A Fratribus, qui illum approbare, vel reprobare debent, videatur.

f *Aut aliàs*. Vel.

g *Vitæ*. Meritum.

h *Morumque probitatem*. Aut bonitatem morum.

i *Ei*. Nouitio videlicet.

l *Non ſuffragari*. Id eſt, non auxiliari, vel adiuuare, *ex gloſſ. ſuffragium, in cap. perpetuò, de electiòn. & elect. & ex gloſſ. ſuffragantem, in authent. de Monach.*

m *Contingat*. Id eſt, accidat. Et benè ſanè, quia Nouitius debet eſſe moribus temperatus, *ex gloſſ. morum, in cap. nulli, de elect. & elect.* Nam boni mores, & vitæ bonitas, & meritum, pluſquam diuitiæ ſunt in Religione deſideranda, vt habetur *ff. de tutor. & curat. dat. & c. l. ſcire*, §. 1. cum reliquis, de quo habes dictum D. Hieron. §. 1. *lit. p.* & profectò decorari non debent moribus indecori, vt dicitur cap. *contra morem, diſt.* 100.

n *Inde*. Id eſt, de Monaſterio.

o *Modeſtè*. Cum modeſtia, & manſuetudine.

p *Dimittatur*. Id eſt, abjiciatur, ex illo Geneſ. 31. *forſitan ne dum dimiſiſſes.*

q *Et amoueatur*. *Quia* (ait D. Bonauent. in Prologo ſpec. diſcipl.) *qui diſciplinam in noua conuerſationis initio negligit, ad eam poſtmodùm difficilè applicatur. Et formam, quam quis primò recipit, vix deponit. Adoleſcens namque iuxta viam ſuam, & cum ſenuerit, non recedet ab ea.*

r *Reſtitutis omnibus*. Id eſt, redditis ei omnibus rebus.

ſ *Quæ ſecum forſan attulerat*. Quod etiam præcipit Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regul. cap.* 16.

CAPVT XLV.

De Profeſſione Fratrum.

[a] TEXTVS.

[a] Ad profeſſionem verò [b] aliquis non recipiatur [c] ante decimumſextum annum expletum, [d] & peracto integro probationis anno. [e] Si verò ex aliqua [f] legitima cauſa, [g] prolixior probatio requiri videatur, [h] liceat Superiori [i] annum probationis ad [l] aliquod [m] breue tempus prorogare.

EXPOSITIO.

a AD *Profeſſionem* Profeſſio expreſſa (de qua hîc loquitur textus) eſt quædam ſolemnis promiſſio trium votorum Religionis eſſentialium, quæ fit ab aliquo legitimam ætatem habente, poſt probationis annum, in manu Prælati incorporare potentis, vel de ipſius licentia, in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, cum conſenſu Capituli, ſecundum aliquam certam, & determinatam regulam. Sic omnes Doctores profeſſionem expreſſam definiunt, & eſſe veram colligunt ex cap. *porrectum, de Regul. tranſeunt.* & ex cap. *Apoſtolica, eodem titulo*, & ex cap. vltim. *qui Cleric. vel vouent.* & conſtabit etiam ex *infrà* dicendis.

Hic tamen ſolùm aduerto, qood profeſſio debet fieri in ſcriptis, quæ quidem ſcriptura debet eſſe ab ipſo profitente ſubſcripta, cum ſigno, ſi neſciat ſcribere, aut propria ſubſcriptione, ſi ſciat. Debetque continere ea omnia quæ nuper notauimus, & propoſitum ſe velle illa perenniter, & inuiolatè ſeruare, vt habetur in cap. *vidua* 20. *q.* 1. & cap. *porrectum, cit.* Verum eſt, quod in rigore ad validitatem profeſſionis ſcriptura noo eſt oeceſſaria (ſufficeret enim ſi verbo qois profiteretur) ſed eſt neceſſaria, vt ſcriptura propria obuiet ei, qui fortè contrauenerit, vt habetur cap. *ſaluberrimum*, 1. *quæſt.* 7. *& gloſſ. ſcriptis*, & cap. *vidua, cit.*

b *Aliquis non recipiatur*. Id eſt, nullus admittatur.

c *Ante decimumſextum annum expletum*, vt Trident. etiam præcipit *ſeſſ. 25. de Regul. cap.* 15. vbi ſequentia verba habentur: *In quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum profeſſio non fiat ante decimumſextum annum expletum. Profeſſio autem antea facta, nulla ſit, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.*

d *Et peracto integro probationis anno*. Id eſt, tranſacto integro anno probationis. Quia tempus probationis nunc durare debet per vnum integrum annum, vt expreſsè determinatur in Concil. Trident. *cap.* 15. *cit.* & antea in cap. *non ſolùm, de Regul. & tranſeunt. ad Relig. in 6.* Quamuis olim ad probationem Nouitij oon erat tempus fixum, quia aliquando erat biennium, vt dicitur in cap. *Monaſteriis*, 19. *quæſt.* 2. aliquando verò triennium pro illis, qui erant inſulani, & de terris valdè longinquis, iuxta cap. *ſi quis incognitus*, 17. *quæſt.* 2. Nunc verò, vt diximus, vnus taotum requiritur, & eſt præfixus annus, qui dicitus approbationis, & indultus fuit à

Patribus, tam in fauorem Nouitij, vt ipſe prius experiatur vires ſuas, & aſperitates Monaſterij, ne inconſultè ſe inuinculet (nam velox conſilium ſequitur pœnitentia) quàm in fauorem Monaſterii, vt Monaſterium mores Nouitij valeat experiri, vt habetur expreſsè in cap. *ad Apoſtolicam, de regular.* quod eſt Innocent. III. ex quo conſtat, quod licitè poteſt Monaſterium non admittere aliquem ad profeſſionem, ſi mores illius non placent, vt dicit Legiſlator *cap. præcedenti.* Cuius ratio eſt, quia ſi ex poſtfacto, propter demerita poteſt eiici, vt habitum eſt *ſuprà cap.* 24. fortiùs poteſt ante factum non admitti.

e *Si verò.* Si tamen.

f *Ex aliqua legitima cauſa.* Vt eſt ſi Nouitius non benè ea, quæ profeſſurus eſt, adhuc didicit, aut alia ſimili cauſa, aliàs eſſet contra Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 16. prolongare tempus probationis, quod fieri ſine cauſa non poſſe, omnes Doctores affirmant.

g *Prolixior probatio.* Id eſt, maioris temporis experientia requiri videatur.

h *Liceat ſuperiori.* Id eſt, ſit licitum Miniſtro domus.

i *Annum probationis.* Vel approbationis, ſeu experientiæ.

l *Ad aliquod breue tempus.* Id eſt, ad tres, vel quatuor menſes dilatare. Nam breue tempus dicitur tempus vnius, duorum, vel quatuor menſium, vt habet gloſſ. fin. in cap. *præterea, de ætate, & qualitate.*

m *Prorogare.* Id eſt, dilatare, vel prolongare, *ex gloſſ. prorogata,* in cap. *in Parochia,* 16. *quæſt.* 1. Et hæc pro hoc capite, & pro tota expoſitione aliorum, quæ in Regula continentur, dicta ſufficiant. Quæ omnia libens ſubmitto, & remitto iudicio cuiuſlibet alterius melius aliquid ſentientis. Si verò aliqua rectè dicta fuerint, cedant, precor in laudem, & gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, Sanctiſſimæ Genitricis Dei Mariæ, Sanctorum etiam Patriarcharum noſtrorum Ioannis, & Felicis, atque in fratrum meorum vtilitatem.

GLORIA TIBI TRINITAS.

INDEX

INDEX RERUM,
QVÆ IN HAC EXPOSITIONE
continentur.

A

ABSOLVTIO Defunctorum quid ſit,& quando fieri debet. 14.m
Abſolutionem à peccatis reſeruatis, à quo debent Regulares obtinere. 40.f. & ſeq.
Abſtinentia, qualis eſſe debeat extra proprias domos. 20
Abſtinentia multipliciter commendatur. 4
Abſtinentia debet eſſe diſcreta. ibid.
Abſtinentia à carnibus. 18. d
Abſtinentia à lacticiniis in jeiuniis Quadrageſimæ, & Aduentus, & quare. 17. h
Accuſatio. Quid ſit. 32.b
Accuſatio debet fieri in ſcriptis, & cum inſcriptione accuſatoris. ibid.
Accuſator obligatur ad pœnam talionis. ibid.
Admonitio. Debet præcedere accuſationem. 35. §.2
Aduentus Domini. In eo eſt jeiunandum ſingulis diebus. 17. e. & f.
In Aduentu eſt abſtinendum à lacticiniis. ibid.
Aqua. Dumtaxat poteſt ſumi à Fratribus extra ſuos proprios Conuentus, in oppidis, in quibus eos habeor. 20
Aquæ nomine, quid venit. 21. p

B

BEnefacere debemus omnibus; ſed præcipuè iuſtis, & Religioſis. 14.a.& b
Benignè ſunt hoſpites recipiendi. ibid.d
Bona diuiduntur in tres partes. 3. e

C

CApitulum. Quid ſignificet. 30
Capitulum Generale, quo tempore celebrandum in noſtra Religione. 41
Quare dicatur tale. 41.a
Quænam forma in eo celebrando. ibid.b
Capitulum Conuentuale, quid ſit. 30. a
In quibus diebus celebrandum. ibid. c
Quænam in eo tractanda. 31. f
Charitas. Quid ſit. 22.& ſeq.
Charitatis effectus quinam. ibid. e
Charitas debet eſſe inter fratres. ibid. e
Charitas inter Fratres in quibus rebus. ibid. e
Charitas cum hoſpitibus obſeruanda. 24.q
Caſtitas. Neceſſaria Religioſis. 2.q
Caſtitatis encomia. ibid.
Caſus. Quos Prælati Regulares reſeruare poſſunt, quot, & qui ſint. 40
Quis poteſt ab illis abſolvere. ibid.
Clericus. Quid ſignificet, & quid eius nomine veniat. 53. d
Confeſſores Religioſorum, à quibus Prælatis debent aſſignari. 40. f
Confeſſores eſſe debent docti, prudentes, charitatiui, &c. 40. & ſeq.
Concilium. Debent Prælati requirere in rebus grauibus à ſubditis. 37. f
Conſilij vtilitas. ibid.
Conuerſus Laicus. Quid ſignificet. 23.e
Conuerſi Laici ſunt veri Religioſi. 22.q
Conuerſi non debent radere barbas. 13.f.g
Conuerſi nequeunt eſſe Prælati. 43.n
Conuerſi nequeunt habere vocem in capitulo. 46.f
Correctio fraterna, quæ ſit. 34.§.1
In correctione fraterna quiſnam modus ſit obſeruandus. 35.§.24
Correctio debet eſſe mixta cum benignitate, & aſperitate. 36.g
Vide verbum, *Peccatum*.
Corona. Quid ſignificet. 12.a
Coronam in capite habent Clerici ex inſtitutione Romanæ Eccleſiæ. ibid.
Crux. Quid ſignificet. 12.2.e
Quare imponatur in ſcapulariis, & cappis fratrum. 12. a

D

DAre. Quid ſit. 7.h
Debitum. Quid ſit. 37.2.c
Debita quomodo contrahenda à Fratribus. 37. d. & ſeq.
Decretum. Clem.VIII. de caſibus reſeruatis. 39
Depoſitio. Quid ſit. 43.c
Vbi latè de depoſitione Prælatorum.
Vide verbum, *Miniſter*, & verbum *Diffinitores Generales*.
Depoſitum. Quid ſit. 30.b
Depoſitum nequeunt Fratres accipere. ibid.e
Diffinitores Generales in noſtra Religione ſunt verè, & propriè Prælati ſuperiores. 42.b
Eliguntur in Capitulo Generali. ibid.
Diffinitorum Generalium munus, & officium quale. ibid.
Diffinitores qualiter ſe gerere debeant in Diffinitorio, & in prouiſione officiorum, & Miniſtrorum electione. ibid.i
Diffinitorum depoſitio, ſi deliquerint in re graui, à quibus debet fieri. 43
Diſpenſatio. Quid ſit. 18.f
Diſpenſatio, vt ſit licita, & iuſta, ſemper requirit cauſam. ibid.g. & 33.a
Domus honeſta. Qualis ſit, & dicatur. 21
Domus Religionis. Quæ dicatur. 20. l

E

E*Celeſia* Catholica quid ſit. 16.2.n
Eccleſiæ nomine, quid veniat in cap. de ſilentio. 26. e
Eleemoſyna omnibus debet fieri. 24.a
Quod primò iuſtis, deinde aliis. ibid.b
Quod debet eſſe moderata, & ſecundùm poſſibilitatem domus. ibid.
Eleemoſyna debet hilari animo fieri. 25.p
Vbi de aliis conditionibus.
Electio Canonica quid ſit. 42.a
Electionis Canonicæ celebrandæ forma. ibid.g
Electin à quibus, & in quo tempore debet fieri, vt cenſeatur Canonica. ibid.a
Qualiter electorum vnta ſunt ſcribeoda. ibid.f
Electionis Canonicæ, quæ fit per ſerutinium, quænam ſint de ſubſtantia, & eſſentia. ibid.
Vide *Verbum Miniſtre*.
Ejici poſſunt Fratres propter delicta. 26.l. & ſeq.
de Equitaturis. 13
Exhortatio quid ſit. 31.ſ
Quibus diebus, & quibus perſonis facienda. ibid. lit. d. & ſeq.
Quid in ea docendum, & perſuadendum. ibid.i. & ſeq.

F

F*Amiliæ* nomine quid veniat. t.d
Feria quid ſignificet. 16.h
Feſtiuitatis ſolemnis nomine quid veniat. ibid.c
Frater efficitur quis per ingreſſum in Religionem. 46. b. c. & i.

G

G*Eſtus*. Quid ſignificet. 28.l

H

H*Oræ* Canonicæ quotnam ſint. 14
Horarum recitatio debet fieri ſecundùm cnnſuetudinem Eccleſiæ Romanæ. ibid.
Hoſpites Religinſi debent ſuſcipi à noſtris Religioſis. 24.a
Hoſpites quomodo ſint recipiendi. ibid.d. & ſeq.
Hoſpitum in receptione eſt neceſſarta diſcretin. 25. p
Hoſpitibus non ſunt faeienda lauta conuiuia. ibid.a. & ſeq.
Humilitas quid ſit, quotque eius gradns. 28.h

I

I*Ejunium* quid ſit. 16.a
Quare incipiat ab Idibus Septembris. ibid.b
Quare 2. 4. & 6. feria, & Sabbatho. ibid.c
Iejunium Quadrageſimæ quare in nobis à Qninquageſima incipiat. ibid.e
in Ieiunio poteſt diſpenſare Miniſter eum aliqun in patticulari: & etiam augmentare, ſi adſit iuſta cauſa. 17.& 18
Infirmitas grauis, & leuis, quæ dicatur. 11.g
Infirmorum nomine quid veniat. 23.a
Infirmi debent dormire, & manducare ſeorſim. ibid. b. & ſeq.
Infirmi non debent vti cibis nimis delicatis. ibid.n
Infirmi moderata ſuſtentatione ſint contenti. 24.c
Infirmi poſſunt vti lectulis lineis, & plumeis. 25
Iuramentum. Quid ſit. 29.a
Quando à Religioſis faciendum. ibid.c
Iuramenti comites quales. 30.h

L

L*Ectulis* laneis compoſitis debent vti Fratres in dnmibus proptiis. 25
Laborare debent Religioſi. 25
Loqui Religioſis quo tempore, quo loco, & de quibus liceat, latè. 27. §.2. per totum.

M

M*Iniſter*, à quo talis dicatur. 9.m
Miniſter Maior, & Generalis, cur ſic dicatur. 42.b
Miniſtri Generalis electio. ibid.
Miniſtri Generalis depoſitio quando, & à quibus fieri debet. 45.d. & e
Miniſtri Prouinciales, & Conuentuales vbi, & qua ratione eligantur. 42
Eorum depoſitio quando, & à quibus fit. 43
Vide *Verbum Prælatus*.
Miſſa quidnam ſit. 14
Miſſa pro defunctis qua die celebranda. ibid.a
An omnibus defunctis proſit. ibid.l
Murmuratio quid ſit. 38.l
Quàm graue malum. ibid.

N

N*Eceſſitas* duplex. 13.1
Neceſſitas caret lege. 27
Nouitium non poſſunt Prælati ſine conſenſu Capituli Conuentualis admittere ad Religionem. 46. f
Nouitij quas qualitates habere debent. 46.m
Nouitij ad Chorum deſtinati debent eſſe literati. ibid.d
Nouitij annus pnbatinnis debet eſſe vnus, integer, & continuus. 47
Nouitius an dare poſſit aliquid pro ingreſſu Monaſterij. 46
Nouitiorum profeſſio poteſt ex cauſa prolongari. 48.m

O

O*Bedientia* quid ſit, & in quo conſiſtat. 2
Obediendum eſt Prælatis in omnibus licitis. 10. q
Obedientiam tenentut ſubditi repromittere Prælatis nouiter electis. 9. p
Otium Mater omnium vitiorum. 25.g
Officia debent habere Religioſi, & quare. ibid.
Opera. Miſericordiæ tenentur Religioſi exercere. 4.h
Oratio mentalis ſingulis diebus per duas horas integras habenda à fratribus. 14. Vbi quid ſit. 15.1. Et quantæ efficaciæ. ibid. h
Oratio vocalis ſingulis noctibus habenda pro pace Eccleſiæ, Regum, &c. 15

P

P*Aupertatis* votum non vetat habere propria in communi. 2.l
Peccata publica publiecè corrigenda ſunt. 37.§.4
Peccata ſecreta ſecretè, & quare. 36.§.3
Pecunia nomine quid veniat. 45.d
Pignus quid ſit. 30. a
Pignota non poſſunt fratres recipere. ibid.e
Prælati officia quænam. 2.m

Prælati

Prælati debent eſſe docti, prudentes, literati, probi, vitæ meritis, &c. 43
Prælati debent obſeruare Regulam, ſicut alij fratres. 38
Profeſſio Fratrum quid ſit. 47

R

Aſura quid ſit, & quid ſignificet. 12
Redemptio Captiuorum eſt finis præcipuus noſtræ Religionis, & de Redemptione multa, per totum. 8.ſ.6
Regula quid ſignificet, & quod officium. 38
Renunciatio, quid ſit. 44.f
Renunciatio vt ſit valida, quas conditiones requirat. ibid.
Sine cauſa non eſt de facili admittenda. ibid.

S

Candalum, quid ſit, & quanta mala ex ipſo. 33.a
Scandalum debent euitare fratres. ibid.
Silentium, eius laudes. 26.a
In quibus locis, & temporibus debet obſeruari, ibid. & ſeq.
Sermo Religioſi qualis eſſe debeat in Eccleſia, Dormitorio, & Refectorio. 27.e
Qualis etiam extra prædicta loca. 28.ſ.3
Vide *Verbum loqui.*
Sobrietas in potu obſeruanda. 19
Vbi multa de ſobrietate.
Suffragium quid ſit, & quomodo in electione ferendum. 42.F
Suſpiciones maximè ſunt vitandæ à fratribus. 37.i

T

Aberna quid ſit. 22.b
Tabernas nequeunt Religioſi intrare, niſi itineris neceſſitate compulſi. 22.a
Talionis pœna quæ, & quibus infligenda. 33
Titulus Monaſteriorum qualis. 12

V

Eſtimenta fratrum qualia eſſe debeant. 10.c
Vinum, eius nomine quid veniat. 19.a
Vini temperati vtilitates multæ. 20.g
Venditio. In venditione cuiuſcumque rei aperiendum eſt vitium emptori. 30

FINIS.

Arti 174 2236

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

E. GIANNINI

Digitized by Google